J. M. J.

EX LIBRIS

A. POUGET DE S^T^- ANDRÉ

PRESBYTERI

THEOLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS,

EX TRACTATIBUS OMNIUM PERFECTISSIMIS UBIQUE HABITIS, ET A MAGNA PARTE EPISCOPORUM NECNON THEOLOGORUM EUROPÆ CATHOLICÆ, UNIVERSIM AD HOC INTERROGATORUM, DESIGNATIS, UNICE CONFLATUS,

PLURIMIS ANNOTANTIBUS PRESBYTERIS
AD DOCENDOS LEVITAS PASCENDOSVE POPULOS ALTE POSITIS.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS NONUS.

DE INCARNATIONE VERBI DIVINI ET DE CULTU SACRI CORDIS JESU.

28 VOLUMINA : 138 FRANCIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1841



1835

ELENCHUS
AUCTORUM ET OPERUM

QUI IN HOCCE VOLUMINE CONTINENTUR.

LEGRAND.

Tractatus de Incarnatione Verbi divini

GERDILIUS. Hyacinthus Sigismundus Savoïn

De adorandâ Humanitate Christi. 911

IDEM.

De Cultu sacri Cordis Jesu. 925

INDEX RERUM.

Ex typis L. MIGNE, au Petit-Montrouge.

LE GRAND VITA.

Le Grand (Ludovicus) in Burgundiâ natus est, loco dicto Lusigny, anno 1711, die junii duodecimâ. Augustoduni Clericus factus 1728, parisiense petiit Sancti-Sulpicii seminarium. Ibi illustrissimos inter condiscipulos tantâ eminuit rerum theologicarum philosophicarumque peritiâ, ut dignus habitus sit, qui è scholaribus recens scamnis, in Claramontii cathedrâ philosophiæ professor institueretur. Parisios reversus licentiæ ingreditur stadium, magnamque scientiæ suæ opinionem omnium animis injicit. Conscriptus deindè S. Sulpicii sodalitio, Cameracum primùm ac posteà Aurelianos mittitur sacram doctrinam professurus. Crescente verò in dies nominis famâ, Parisios revocatur, lauream consequitur doctoralem, mirâque adeò disciplinarum ecclesiasticarum laude fulget, ut defuncti in locum Montagni (1), votis omnium invitantibus, S. Sulpicii studiis magister præpositus sit. Dùm munus hoc obiret, ut par est, strenuè, elaboratissimum de *Incarnatione* Verbi divini exaravit opus, quod secundis curis impressum auctumque non mediocriter, tribus tomis comprehensum 1754 in lucem prodiit. Non ità multò post prælectiones theologicas de *Deo ac divinis attributis* ab antepenultimo in studiorum præfecturâ prædecessore suo, Lafosse, novis additamentis exornavit locupletavitque. Litteris sacris tractatum etiam *De Ecclesiâ* parabat; opus autem illud pretiosum, morte interceptus, haud potuit absolvere. Volumen unum superest, septuagintaque voluminis secundi paginæ, quæ omnia claro theologo minimè profectò indigna sunt. Varia prætereà animo intendebat, vel aggressus est, quæ, deficiente tempore, interrupta pependerunt.

In sacrâ facultate parisiensi quàm laboris amans judiciique maturitate commendandus esset, non semel ostendit. Quippè ibi negotium nullum theologicum erat aliquantuli momenti, cujus non ipse pars magna foret, cùm potissimùm ageretur de censurâ librorum conficiendâ, qui tunc temporis adversùs sanctissimam Religionem denso agmine in vulgus spargebantur. Quoties auctor noster doctorum parisiensium, jure quodam suo conspicuus, et manus et lingua extitit! Narrant D. Riballiero facultatis tùm syndico, familiare fuisse, ut inconsulto Le Grand nihil quidquam de theologiâ responsionibus elucidandum sibi esse putaret.

Dùm Buffonii commenta geologica facultatis judicio subjicerentur, ferveretque inter deputatos disputatio, Le Grand pro suâ sententiâ nimium forsan incaluit; postridiè enim morbo gravi correptus est, quo paululùm decrescere viso, Issiacum rus petiit; sed ibi tertiâ die, cùm jam spes aliqua amicis elucesceret, sexaginta et novem natus annos, 1780, fato piè functus est.

(1) Theologus de quo hìc agitur verus est auctor libri *de Notis theologicis*, quem in Prolegomenis nostris alteri Montagno, tùm ob nominis, tùm ob ordinis religiosi, tùm ob tituli similitudinem, adscripsimus.

Præfatio.

Quanti intersit fidei christianæ accurata de Incarnatione Verbi Divini tractatio, nemo non videt. Agitur enim de *magno*, ut ait Apostolus Tim. 3, 16, *pietatis Sacramento*, *quod manifestatum est in carne*, (seu, ut græca ferunt, *quod Deus manifestatus est in carne*) *justificatum est in Spiritu*, *apparuit Angelis*, *prædicatum est Gentibus*, *creditum est in mundo*, *assumptum est in gloriâ*. *Et non est*, inquit Apostolorum Princeps (Act. 4, 12), *in alio aliquo salus* quàm in Jesu Christo Filio Dei propter nos incarnato. *Nec enim aliud onmen est sub cœlo datum hominibus*, *in quo oporteat nos salvos fieri*.

Qui igitur de re tanti momenti disserere aggreditur, is in eam pertractandam omni curâ et studio incumbat; ac sanè de maximâ à se adhibitâ diligentiâ, vel ipsâ libri sui editione lectoribus spondere censendus est. At quo exitu? Doctorum et intelligentium existimatorum judicium sit, quorum sententiæ, multa præfando, antevertere inane videretur, neque satis decorum.

TRACTATUS
DE INCARNATIONE
VERBI DIVINI.

Quæcumque ad tractationem de Incarnatione Verbi Divini pertinent, duodecim dissertationibus concludentur. Prima erit de nomine, definitione et cognitione mysterii Incarnationis. Secunda, de ejus existen-

tiâ adversùs Judæos astruendâ. Tertia, de ejusdem existentiâ adversùs gentiles. Quarta, de existentiâ ejusdem adversùs hæreticos. Quinta, de ejus necessitate. Sexta, de ejus naturâ. Septima, de ejus causis. Octava, de satisfactione Christi. Nona, de aliis Incarnationis proprietatibus. Decima, de Christi titulis et officiis. Undecima, de novâ Filiatione divinâ ab Harduino et Berruyero invectâ, et sanctissimæ Christi humanitati, Verbo unitæ, ab iis in recto attributâ. Duodecima, de cultu qui Christo debetur.

Dissertatio prima.

DE NOMINE, DEFINITIONE ET COGNITIONE INCARNATIONIS.

Dissertationem illam in tria capita dividemus. Agemus 1°, de nomine et definitione Incarnationis. Inquiremus 2°, quomodo dignoscatur ejus possibilitas; 3° quibusnam illud mysterium seu peragendum, seu peractum innotuerit.

CAPUT PRIMUM.

De Nomine et Definitione Incarnationis.

Incarnatio, græcè Σάρκωσις, juxta vim nominis unionem cum carne significat; si verò rem ipsam et Ecclesiæ usum spectes, summum illud est mysterium in Christo Domino adimpletum, quo Verbum divinum sibi totam humanitatem, prout mente et corpore constituitur, copulavit.

Vox *Incarnationis* in Scripturis expressa quidem non reperitur; sed in iis habetur æquivalenter. Illud enim Joannis 1, v. 14 : *Verbum caro factum est*, idem sonat, ac Verbum *incarnatum*. Ubi advertendum carnem eò loci accipi per synecdochen pro humanitate integrâ, quod in sacris litteris non est infrequens, uti observat S. Augustinus lib. 14 de Civitate Dei, cap. 2. Sic Geneseos 6, v. 12, legitur : *Omnis caro corruperat viam suam*, id est, omnis homo; et Luc. 3, v. 6 : *Videbit omnis caro salutare Dei.*

Nomine *Filii incarnati* utitur synodus Nicæna generalis prima in Symbolo Fidei. *Incarnationis* vocabulum jam anteà usurpaverat S. Irenæus, qui seculo secundo floruit, lib. 3 de Hæres., cap. 19, aliàs 21, ex quibus colligere est hujusce vocis acceptionem ad exprimendum illud mysterium esse antequissimam.

De aliis nominibus, quibus Incarnatio à Patribus Græcis et Latinis designata est, consuli potest doctiss. Petavius, qui lib. 2 dogmatum theolog. de Incarnatione, cap. 1, et lib. 3, cap. 1 et 2, illa omnia recenset, ac fusè et eruditè, more suo, explicat. Ex eo pauca quædam excerpsisse satis erit.

Igitur ratione suî, effectum et finis, Incarnatio præsertim à Græcis sæpissimè vocatur Œconomia, eò quòd Deus illo mysterio benignè nobiscum egerit, ad usum captumque infirmitatis humanæ sese accommodaverit, sapientissimèque et suavissimè saluti nostræ providerit. Eamdem ob causam nominibus *dispensationis* et *attemperationis* donata fuit.

Dicta est etiam *exinanitio*, *abbreviatio*, *demissio*, habitâ ratione simul tum supremæ Majestatis Personæ Verbi Divini, tum tenuitatis naturæ humanæ, quam assumpsit. Ejusmodi appellationi præivit Apostolus Philipp. 2, v. 7, ubi de Filio divino loquens : *Semetipsum exinanivit*, inquit, *formam servi accipiens.... et habitu inventus ut homo.*

Præterea, nuncupata est ἐπιφάνεια seu *apparitio*, et θεοφάνεια, id est, *Dei manifestatio* et *declaratio*, quia per illud mysterium Dei Filius sensibiliter in carne apparuit, et manifestatus est, juxta illud Baruch 3, v. 38 : *In terris visus est, et cum hominibus conversatus est.*

Denique unionis duarum naturarum, in quâ illius mysterii essentia continetur, exprimendæ causâ, Incarnatio appellata est *unio*, *unitio*, *adunatio*, *unitas*, *commixtio* (quâ voce abusos esse Eutychianos posteà notabimus), *incorporatio*, *inhumanatio*, *assumptio* et *apprehensio* naturæ scilicet humanæ, etc., quarum denominationum vis et sensus ex dicendis in tractatûs decursu facilè intelligentur.

Cæterùm, inter varias voces quibus illud mysterium significatum est, nulla aptior *Incarnationis* nomine, quod præ cæteris ejusmodi appellationibus, jam dudum in universâ Ecclesiâ obtinet.

Definiri potest *Incarnationis* mysterium : *Unio naturæ duplicis, divinæ scilicet, et humanæ, in unicâ Verbi divini Personâ, ex quâ unus Christus.*

Dicitur 1° : *Unio* græcè Ἕνωσις, id est, conjunctio distinctorum, seu forma quâ unum fit ex pluribus.

Dicitur 2° : *Naturæ duplicis, divinæ scilicet et humanæ*, quia juxta fidem catholicam in Scripturis sæpè expressam, et in conciliis præsertim adversùs Eutychianos et Monothelitas declaratam, Christus Dominus naturâ divinâ et naturâ humanâ constat; ita ut nihil desit duabus illis naturis, nulla facta fuerit illarum permixtio aut confusio, neutra in alteram conversa fuerit, nec divina humanam absorpserit. *Sequentes igitur sanctos Patres*, inquit concilium Chalcedonense generale IV, quo errores Eutychetis anno 451 proscripti sunt, act. 5, *unum eumdemque confiteri filium et Dominum nostrum J. C. consonanter omnes docemus, eumdem perfectum in Deitate, et eumdem perfectum in humanitate, Deum verum, et hominem verum, eumdem ex animâ rationali et corpore; consubstantialem Patri secundùm deitatem, consubstantialem nobis eumdem secundùm humanitatem :.... unum eumdemque Christum, Filium, Dominum, Unigenitum, in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, inseparabiliter agnoscendum; nusquàm sublatâ differentiâ naturarum propter unitionem, magisque salvâ proprietate utriusque naturæ.* Et symbolum quod sancto Athanasio tribui solet : *Perfectus Deus (Christus) perfectus homo ex animâ rationali et humanâ carne subsistens.... Unus non conversione Divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum; unus omninò non confusione substantiæ, sed unitate personæ.*

Dicitur 3° : *In unicâ personâ;* nam pariter de fide est, atque adversùs Nestorium in concilio Ephesino generali III, anno 431, definitum, etsi sint duæ in Christo naturæ, divina et humana, esse tamen

in eo personam unicam; adeòque unionem duplicis ejusmodi naturæ in Christo non esse duntaxat localem, quam præsentia eodem in loco constitueret, nec esse metaphoricam, aut moralem, in gratiæ donis singularibus naturæ humanæ concessis, aut adoptione divinâ solummodò positam, vel ex prædestinatione ortam; sed esse veram, realem ac physicam, atque, ut aiunt, hypostaticam, seu personalem, id est, ejusmodi, ut duæ naturæ in unâ eâdemque coadunentur personâ. *Si quis in uno Christo*, aiebat S. Cyrillus Alex. in suis contra Nestorium Anathematismis ab Ecclesiâ approbatis, *post unionem dividit hypostases ... anathema sit.* Et synodus Chalcedonensis loco mox citato : *Confitemur .... unum eumdemque Christum.... in duabus naturis.... agnoscendum; nusquàm sublatâ differentiâ naturarum propter unitionem, magisque salvâ proprietate utriusque naturæ, et in unam personam atque subsistentiam concurrente; non in duas personas partitum aut divisum, sed unum eumdemque Filium et unigenitum Dei Verbum.*

Observatum porrò sæpè à SS. Patribus homini in hoc statu concessum non esse, ut mente assequatur ac verbis disertè explicet quæ sit natura et ratio ejusmodi nexûs, in quo summa mysterii altissimi potissimùm consistit. Rem verò illustrant auctor Symboli Athanasiani et iidem passim SS. doctores exemplo hominis, in quo duæ naturæ prorsùs diversæ, nempe anima et corpus ita conjunguntur, ut ex his unica persona exurgat. Eodem enim ferè modo, etsi in Incarnatione duæ sint naturæ, divina et humana, nihilominùs tamen unica est persona, unus Christus. Dixi *eodem ferè modo*, namque urgenda non est in omnibus illa comparatio, ut modò videbitur.

Dicitur 4° *In unicâ Verbi Divini Personâ*, siquidem de fide est illam unicam personam, duplici naturâ in Christo constantem, esse ipsammet personam Verbi divini, quæ eadem semper manens immutabilis perficit humanitatem, ejusque personalitatem supplet. Atque in eo deficit exemplum mox allatum ex homine desumptum; nam cùm anima et corpus sint substantiæ finitæ, et sese mutuò perficiant, personalitas hominis utrique communis est, ut docent philosophi; at verò juxta fidem persona integra Christi Domini ipsa est persona Verbi divini summè perfecta, quæ dùm humanitatem assumere, et sibi physicè unire dignatur, illi perfectiones addit, ac proinde eam ultimò complet, non verò ipsa perficitur nec ultimò completur.

Dicitur 5° : *ex quâ unus Christus*, quia Christus illa est persona, quæ constat duabus naturis divinâ et humanâ, hypostaticè unitis in unâ personâ Verbi.

Operæ pretium fuit ut initio istius tractatûs quædam mysterii de quo agimus, notio delinearetur. Hæc omnia deinceps declarabuntur uberiùs.

CAPUT II.

De cognitione possibilitatis mysterii Incarnationis.

Majoris momenti est ista quæstio quàm fortè primo intuitu videatur.

Possibilitas rei nihil aliud est, quàm attributorum ejus consensio; id enim possibile, quod nullam contradictionem involvit.

Possibilem esse Incarnationem invictè probant theologi, dùm adversùs Judæos, Gentiles, Socinianos, aliosque hujusce dogmatis impugnatores diverso momentorum genere evincunt mysterium illud esse revelatum, ac proinde verum et possibile; sed de Incarnationis possibilitate hocce modo astruendâ nondùm agitur. Quæstio movetur triplex de usu rationis in eâ possibilitate investigandâ. Prima, an possibilitas Incarnationis demonstretur, ut aiunt, positivè. Secunda, utrùm saltem demonstretur negativè, seu an ostendatur eam demonstrationibus non impugnari. Tertia, utrùm homo cui Incarnatio proponitur credenda, jure inquirat priùs juxta methodum Socinianam, an rationi illud mysterium repugnet, quàm an revelatum sit.

Quod autem primo loco quæritur, an scilicet Incarnatio verè demonstretur possibilis, considerari potest duplici modo, nempe vel priusquàm mysterium illud esse revelatum cognoscatur, vel suppositâ illius revelationis cognitione, id est, vel antecedenter ad fidem, vel suppositâ fide. Enimverò dari possunt à Deo revelata quæ demonstrentur, de quibus fortè nisi præluxisset revelatio, nequidem cogitatum fuisset.

Tota autem agitur controversia de ratione solâ, id est, in seipsâ sistente, nec in medium demonstrationis revelationem motivis credibilitatis quantumvis stabilitam ullatenùs assumente.

Sed, ut primæ quæstionis, et maximè secundæ status innotescat, præcipuè observandum quid vulgari illâ distinctione intelligatur, rem demonstrari posse, vel positivè, vel negativè.

Possibilitas rei dicitur positivè demonstrari, ubi ex medio evidenter cognito, cum ipsâ re intrinsecè connexo, ritè deducitur eam non repugnare. 1° Medium sit evidenter cognitum, id est, præmissæ argumentorum, quibus demonstratio constat, debent esse de se evidentes, aut evidenter probatæ. 2° Ex eo medio rei possibilitas ritè deducatur, seu ad legitimas dialectices regulas exigendum est argumentum demonstrativum. 3° Medium quod assumitur sit cum ipsâ re intrinsecè connexum, id est, ex naturâ suâ ad rem demonstrandam dicat connexionis habitudinem. Quo ultimo differt demonstratio quæ fit ratione solâ, et quæ parit, ut aiunt, evidentiam intrinsecam, evidentiam veritatis, ab eâ quæ ex motivis credibilitatis petitur ad astruendam revelationem mysteriorum religionis, et dicitur ingenerare evidentiam extrinsecam et credibilitatis. De istâ posteriore demonstrationis specie jam diximus impræsentiarum non agi; prioris autem exempla omnes scientiæ subministrant; sic, v. g., Deum existere demonstramus ex creaturis; ipsum esse æternum, immutabilem, quia est ens necessarium; ejus attributa nullam contradictionem involvere, quia cùm sit perfectissimus, quidquid in eo est dicit *ens*, nihil habet quod dicat *non ens*.

Rei possibilitas demonstratur negativè, quando solvuntur argumenta adversùs illam proposita, seu, quod

idem est, cùm ostenditur objectiones quibus rei possibilitas impugnatur, non esse veras demonstrationes.

Cùm igitur omnis veræ demonstrationis ratio in duobus sita sit, nempe in præmissarum evidentiâ, et in legitimâ regularum dialectices observatione, planum est ad negativam demonstrationem sufficere, quòd, objectione in syllogismum redactâ, ostendatur vel alterutram præmissam non esse evidentem, aut sufficienter probatam, vel occurrere aliquid vitiosum in formâ.

Itaque ad demonstrandam negativè possibilitatem mysterii, non requiritur 1°, ita solvi objectiones, ut earum falsitas solâ ratione demonstretur : nam aliud est argumentum esse falsum, aliud non esse demonstrativum. Ut falsum evincatur, unius saltem è præmissis falsitas, aut vitium formæ manifestè innotescant necesse est; ut demonstrativum illud non esse pateat, satis est quòd meritò judicetur, vel formam argumenti posse esse vitiosam, vel unam è præmissis, esto verisimilis appareat, nec esse evidentem de se, nec certò demonstratam. Atque inter illa duo, nempe ostendere ratione solâ argumentum esse falsum, et ostendere illud non esse demonstrativum, tantum discrimen intercedit, ut sæpè argumentum quod demonstrativum non esse constat, reipsà valdè sit probabile, imò in se verum esse possit, licet ejus veritas non sit liquidò ac perspicuè nota.

Non requiritur 2°, ut ratione solâ duce certum sit nullam dari posse veram et propriè dictam demonstrationem, quâ impugnetur rei possibilitas. Si enim agatur de mysterio fidei, certissimè quidem per revelationem cognoscimus, illud nullâ demonstratione posse impugnari. Sed ad demonstrationem negativam necesse non est ut ratio sibi relicta id probet, sufficit si quidquid reipsà objicitur, illud, ratione judice, genuinæ demonstrationis non mereatur nomen.

Tanti verò interfuit hæc duo annotare, ut si quis, iis non satis intellectis, mysteriorum possibilitatem adversùs incredulos defendere ratione suscipiens, omnes, quæ fieri possunt, objectiones ita solvendas arbitraretur, ut earum demonstraretur falsitas, ultra metas progressus, non modò plus quàm satis est conaretur, sed et opus aggrederetur, ut mox patebit, planè impossibile, quippe quod demonstrationi positivæ æquivaleret. Expedit quidem, quod solent non omittere theologi, ut, quando id fieri potest, objectionis in mysterii possibilitatem propositæ falsitas perspicuè monstretur; sed cùm aliquando id fieri nequeat, observandum fuit ad ejusmodi objectiones solvendas id non esse requisitum, quia scilicet adversùs mysteria verisimilitudines opponi posse profitemur, nec scopum hic attingunt incredulî, nisi in medium veras demonstrationes proferant.

Ex his porrò sequitur demonstrationem negativam possibilitatis rei, veluti medium quoddam tenere inter demonstrationem positivam ejusmodi possibilitatis, et demonstrationem oppositi. Ubi possibilitas verè demonstraretur, certò judicaremus rem esse possibilem; ubi demonstraretur oppositum, rem repugnare pariter absque erroris formidine affirmaremus; ubi verò tantùm negativè demonstratur possibilitas rei, nobis non licet solâ ratione duce quidquam certò pronuntiare. Quòd si quæstio agitetur de mysterio revelato, ejus veritati et possibilitati assensum quidem securi præbemus, sed revelatione, non ratione ducti.

In ejusmodi notionibus exponendis fortè videbimur plus æquo immorati. Sed occurrendum fuit innumeris paralogismis in quos eâ de re incidit auctor infeliciter celebris Dictionarii critici, cujus placita modò referemus.

Unum superest addendum quo demonstrationis negativæ natura, ubi de possibilitate rei agitur, plenissimè innotescat; nempè distinguendum esse inter veritates physicas, et veritates metaphysicas; nomine veritatum physicarum eæ intelliguntur quæ rerum naturalium ordine instituto innituntur, quæ proindè possunt ex potentiâ Dei absolutâ aliquam exceptionem pati. Veritates metaphysicæ sunt eæ quæ ipsâ rerum essentiâ immutabili fundantur, adeò ut nullam patiantur exceptionem, ac necessariò falsum sit, et contradictionem involvat quidquid iis reverà opponitur. Planum est multa esse vera physicè quibus veritas metaphysica non competit, et vice versâ; sic, v. g., miracula non repugnant in se, quamvis veritatibus physicis non sint consentanea; sic nunquàm demonstrabitur metaphysicè esse falsum, seu implicare quod de Christo et B. Virgine Deiparâ fides docet, nempe filium illæsâ suæ matris virginitate posse concipi et nasci; id tamen ordini naturæ instituto ac semper observato non est conforme : pariter ubi omnes sensus perpetuò, constanter, et uniformiter referunt esse panem, ibi panem adesse profectò verum est physicè; sed non ideò concipimus repugnare Deum in signum reconditi alicujus mysterii, ut fit in Eucharistiâ, dato erroris cognoscendi medio, voluisse absente pane, easdem ac si adesset panis, sensationes in nobis excitari. Patet porrò genuinâ demonstratione non impeti possibilitatem mysterii alicujus, putà Incarnationis, si illud veritatibus physicis adversari duntaxat demonstretur; id quippe non agitur, fatenturque ultrò omnes Christiani mysterium illud esse supra naturam longè positum; proindeque ad demonstrandam negativè illam possibilitatem sufficit si ostendatur nullam ejusmodi mysterii cum veritatibus metaphysicis realem pugnam demonstrari.

Jam verò quod ad tertiam quæstionem spectat nihil eò loci de eâ specialiter annotandum. Accurata enim erroris Sociniani ac doctrinæ circà eam catholicæ inferiùs tradenda expositio, ad statum illius liquidò aperiendum sufficiet.

His generatim præmissis, de triplici quæstione propositâ triplici articulo agendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

Ostenditur Incarnationis possibilitatem non demonstrari positivè.

Confutandi eò loci veniunt nonnulli, qui philoso-

phicis subtilitatibus immodicè confisi, fidei mysteria sibi visi sunt ratione attingere ac positivè demonstrare.

Conclusio. Etiam suppositâ fide, mysterii Incarnationis possibilitas ratione solâ non potest demonstrari positivè.

Prob. 1° ex Scripturis : ad Corinth. 2, v. 7, de Incarnatione verba faciens Apostolus : *Loquimur*, inquit, *Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est.* Ephes. 3, v. 8, et Coloss. 1, v. 26, illud idem mysterium appellatur *Sacramentum absconditum à seculis et generationibus.* Ex quibus sic arguitur : Mysterium quod in Scripturis appellatur sapientia abscondita, Sacramentum absconditum, non potest ratione ita investigari ut demonstretur positivè ejus possibilitas ; atqui locis modò citatis mysterium Incarnationis appellatur *sapientia abscondita, Sacramentum absconditum ;* ergo, etc.

Prob. 2° ex sanctis Patribus quorum multa testimonia afferri possent. Omnium sensum exhibet sanctus Augustinus, epistolâ 137, aliàs 3, ad Volusianum, ubi de istâ quæstione ex professo disserens, temeritatemque hæreticorum illud mysterium ratione impugnantium reprimens, expressè tradit illud esse rationi impervium. « Hic si ratio quæritur, inquit cap. 2, n. 8, non erit mirabile ; si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fatemur investigare non posse ; in talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis. » Censet igitur sanctus doctor, mysterium Incarnationis esse mirabile, singulare, rationi impervium et investigabile ; ergo, etiam suppositâ fide, etc.

Prob. 3° ratione theologicâ : nam quidquid ratione solâ demonstratur positivè, vel demonstratur à priori, vel demonstratur à posteriori : atqui etiam suppositâ fide possibilitas mysterii Incarnationis, etc. 1° Non demonstratur à priori, seu per causam ; non enim per causam physicam, siquidem causa physica Incarnationis est voluntas, et omnipotentia Dei ; atqui ex ideâ voluntatis et omnipotentiæ Dei non potest colligi Incarnationis possibilitas, cùm voluntas Dei circa illud mysterium peragendum liberrima fuerit, ejus verò omnipotentia rerum possibilitatem, seu attributorum consensionem supponat, non producat in objectis. Neque etiam per causam, ut aiunt, formalem potest demonstrari Incarnationis possibilitas ; nam nomine causæ rei formalis intelligitur ipsa rei essentia ; sed ex ideâ essentiæ incarnationis demonstrari nequit hanc esse possibilem. Enimverò id unum novimus de Incarnationis naturâ, nempe eam esse unionem ita arctam naturæ divinæ et naturæ humanæ in unicâ personâ Verbi, ut verè et propriè dici possit, *Deus-homo* et *Homo-Deus ;* atqui tantùm abest ut ex illâ definitione evidenter colligatur illud mysterium esse possibile, ut potiùs qui solâ ratione duceretur, in eâ posset sibi videri deprehendere contradictiones apparentes ; ergo.

Prætereà possibilitas rei non potest demonstrari positivè ex ideâ ejus analogicâ tantùm : atqui non datur idea Incarnationis, nisi analogica, neque enim alio modo quàm per analogiam quamdam ad humana concipimus quid fides doceat de unicâ in Christo personâ, de unione hypostaticâ ; ergo, etc.

2° Incarnationis possibilitas pariter non demonstratur à posteriori, id est, neque per effectus formales, neque per effectus physicos ; non per effectus formales, seu non per aliquam Incarnationis proprietatem, siquidem nulla assignari potest incarnationis aut ejus possibilitatis proprietas ratione cognita, quâ in notitiam perspicuam ejusmodi possibilitatis certò ducamur. Non per effectus physicos, sive naturales, sive supernaturales ; nam effectus naturales, nempe opera Christi, quæ dicuntur naturalia, ut incessus, locutio, mors, etc., nullam profectò habent naturaliter cognitam connexionem cum unione illius humanitatis et naturæ divinæ in personâ Verbi. Ipsi verò effectus supernaturales, nempe opera superioris ordinis, ut miracula, etc., arguebant quidem Christum esse à Deo missum, sed cum incarnatione non erant intrinsecè connexa, non demonstrabant ex se et independenter à revelatione Christum ea patrantem esse hominem-Deum. Nonne majora et plura numero, juxta Christi promissum, ab ejus discipulis edita fuerunt ? ergo, etc.

Dices 1° : Miracula Christi sensibus, ac proindè naturaliter innotescebant ; ex ipsis ratio evidenter deducit missionem Christi fuisse à Deo, proindeque de mysterio Incarnationis et aliis ejus doctrinæ capitibus non esse dubitandum ; ergo saltem ex operibus Christi supernaturalibus demonstratur Incarnationis veritas.

Distinguo antecedens : ex Christi miraculis ratio mediante revelatione evidenter deducit de Incarnationis veritate non dubitandum, concedo ; ratio sola sibi relicta, nec in medium demonstrationis revelationem miraculis cognitam assumens, nego ; itaque miracula Christi eatenùs probabant Incarnationis veritatem, quatenùs ejus doctrinam esse à Deo revelatam evincebant. Nulla ipsis inerat connexio specialis cum ejusmodi mysterio, nec ad illud magis quàm ad alia doctrinæ Christi capita habitudinem ex naturâ suâ dicebant ; porrò jam monuimus quæstionem moveri de ratione solâ in seipsâ sistente, ex principiis cum re demonstrandâ intrinsecè seu ex naturâ suâ connexis procedente. Ultrò ac libentissimè concedimus, quod indubitatum est, rationem ex motivis credibilitatis manifestè ostendere mysterium Incarnationis esse revelatum, ac proinde verum et possibile ; sed de istâ probationis specie non agitur.

Objicies 2° : Verè et positivè demonstrat veritatem mysteriorum religionis christianæ, qui eam esse à Deo evincit ; atqui religionem christianam esse à Deo planè evincitur ; ergo, etc.

Distinguo majorem : demonstrat veritatem mysteriorum ex principiis extrinsecis mediante revelatione, seu quatenùs mysteria ostendit esse à Deo revelata, concedo ; demonstrat ex principiis intrinsecis ratione solâ in se sistente, nec in medium demonstrationis revelationem assumente, nego.

Jam dictum est Incarnationis sicut et aliorum mysteriorum veritatem demonstrari quidem quatenùs ex variis characteribus divinitatis quibus religio christiana insignitur, quæcumque fides docet, revelata esse ac proinde vera, certissimè colligitur; sed demonstratio illa, 1° non est ex principiis intrinsecis, ut aiunt, sed tantùm ex principiis extrinsecis; id est, miracula, prophetiæ, et alia credibilitatis motiva ex quibus petitur, habent quidem ex naturâ suâ vim probandi doctrinam cui suadendæ applicantur ita liberrimè disponente providentiâ : verùm eorum natura non exigit ut uni potiùs quàm alteri dogmati applicentur, nec potiùs cum Incarnatione quàm cum alio quovis dogmate quod Deus revelare, et ejusmodi characteribus confirmare potuisset, ullam ex naturâ suâ connexionem habent. 2° Hinc illa demonstratio non fit ratione solâ, quæ in se tantùm sistat; in ejusmodi enim demonstrationis genere, revelatio divina in medium assumitur, nec aliter dogmatis astruitur veritas, nisi quia illud evincitur esse à Deo revelatum : atqui, ubi expositus est quæstionis status, dictum est totam controversiam moveri de demonstratione ex principiis intrinsecis petitâ, in quâ in medium non assumeretur revelatio motivis credibilitatis quantumvis stabilita; ergo, etc.

Instabis. Non minùs certa est demonstratio ejusmodi dogmatum religionis, quàm quælibet demonstratio metaphysica : ergo, etc.

Nego consequentiam; quia agitur non de certitudine cognitionis possibilitatis mysterii, sed de modo ac ratione ejusmodi possibilitatis cognoscendæ, an scilicet illa possibilitas innotescat independenter à revelatione, per rationem solam, demonstratione ex principiis intrinsecis petitâ, quæ evidentiam, ut aiunt, veritatis pariat.

Objicies 3°: Cùm Deus sit summum bonum ac proindè suî maximè diffusivum, sequitur illum diffundi posse modo perfectissimo : atqui non potest perfectiùs diffundi quàm productione mysterii Incarnationis; ergo.

Distinguo minorem : sed ratione naturali sibi relictâ non cognoscitur an possit hocce modo diffundi, concedo : cognoscitur naturaliter huncce modum esse possibilem, nego.

ARTICULUS II.

Ostenditur mysterium Incarnationis demonstrari negativè, seu demonstrationibus non impugnari.

Triplex error hìc notandus; qui enim sentiunt adversùs incarnationem aut alia quævis mysteria fidei, argumenta evidentia, quæ solvi nequeant, opponi posse, in tres classes dividuntur pro triplici modo quo erroneum illud principium propugnârunt.

Alii quippe duplici distinctâ veritate oppositâ, alterâ fidei, alterâ rationis, docuerunt illud quod juxta fidem est verum, posse esse falsum secundùm rationem, et vice versâ, ac proinde Incarnationem, etsi rationi repugnet, divinâ tamen fide tenendam esse; quem errorem disertè expressit Lutherus in disputatione theologicâ, quæ tota circa hanc materiam versatur anno 1539 (1) vel 1541 (2) die 11 Januarii habitâ, ubi sic loquitur sententiâ II : *In theologiâ verum est Verbum esse carnem factum, in philosophiâ simpliciter impossibile et absurdum.* Sent. IV et V : *Sorbona, mater errorum, pessimè definit idem esse verum in philosophiâ et theologiâ, impièque damnavit eos qui contrarium disputaverunt.* Sent. XV : *Impingit quidem theologia in philosophiæ regulas, seu ipsa vicissim magis in theologiæ regulas.* Et Sent. XIX : *Præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa. Et verum vero hìc prorsùs non consonat.* Illud Lutheri placitum à quo ipse recessit cùm apologiam Augustanæ confessionis approbavit, ejus discipuli non tuentur, imò ipsum benignè conantur interpretari. Cùmque è suis quidam duce Daniele Hofmanno Helmstadiensi professore illam veritatis theologicæ, et veritatis philosophicæ distinctionem labente seculo 16 propugnâssent, dogma illud absurdum jubente Julio Henrico de Brunswich retractare coacti sunt; testis est Graverus de Unicâ Veritate, et alii.

Ejusmodi autem figmentum primus non excogitavit Lutherus; quippe duplicis veritatis distinctionem jam in Averroistis damnârat concilium Lateranense sub Leone X. Alii ex adverso unicâ veritate admissâ perversiùs tamen errant, nempe propter argumenta quibus ratio impetit Incarnationis possibilitatem, judicant illud dogma contradictionem involvere, ideòque illius veritatem et revelationem negant. Ita quotquot Incarnationis fidem respuentes in illam argumenta ex ratione congerunt, inprimis verò Sociniani omnium hæreticorum perniciosissimi. Alii denique, etsi rationis axiomata quædam mysteriis, v. g., Incarnationi, planè opposita existiment, neque tamen admittunt duplicis veritatis distinctionem, neque rejiciendam putant Incarnationis, aut cujusvis alterius mysterii fidem, rati veritatem quæ una est et simplex, posse evidentibus quibusdam rationibus adversari. Ita Baylius; is enim objectiones in præcipua fidei capita, Trinitatem, Incarnationem, (art. *Pyrrhon.*) Providentiam præsertim ac bonitatem Dei, etc. (art. *Manich.* et alibi), ex ratione ductas, quâ valet ingenii subtilitate, et eloquii facilitate excultas, dùm, in Dictionario historico critico, ut totidem evidentia et insolubilia argumenta, velut historicè quidem, et quasi aliud agens, sed nihilominùs efficaciter, lectoribus exhibet; hæc tantùm responsionis loco adjicit, rationi humanæ non confidendum, adhærendum fidei, auctoritatem Scripturarum esse rationibus evidentissimis anteponendam, fidem christianam esse supernaturalem, eamque esse ejus naturam ut de rationis evidentiâ triumphare debeat.

Propter hæc verò scriptis publicis de irreligione et Pyrrhonismo à pluribus postulatus (3), in apologeticis

(1) Tomo 1° operum Luth. edit. Jen. an. 1612, fol. 466.

(2) Juxta edit. Vit. an. 1582, fol. 413.

(3) Præter abbatem Renaudot quem de Dict. Crit. consuluerat D. Boucherat gall. cancell. et quo auctore illius operis Parisiis edendi facultas denegata, et Jurænum qui ejusdem operis causam ad consistorium Rotterod. detulit; in Baylium, dùm viveret, scripserunt, eumque irreligionis et Pyrrhonismi accusârunt

operibus suis, rejectâ iterùm quam jam in Dictionario improbaverat Lutheri et Hofmanni mox expositâ distinctione, seseque defendendi specie, in difficultatibus adversùs religionem proponendis sibi constans, contendit mysteria religionis esse simul et vera in se, et argumentis evidentibus contraria (1); non ideò tamen Pyrrhonismum universalem inducendum; evidentiam quidem, ut characterem veritatis certissimum (2) esse agnoscendam, sed omnia non esse perinde evidentia; distinctisque variis evidentiæ gradibus adversariorum objectiones irritas (3) fieri; denique pugnam hanc fidei et rationis vult intelligi de quibusdam tantùm rationis effatis, non de omnibus, de ratione particulari quæ in nobis est, non de ratione universali (4); ita ut juxta ipsum mens evidentia quædam luminis naturalis principia deserens, ut revelationi se submittat, rationis ductum deserere dici non possit, quia scilicet dùm anteponit revelationem divinam rationi, ducitur certissimis aliis id præscribentibus naturalis luminis principiis (5).

Summa hæc est systematis quo Baylius in se collatam irreligionis accusationem diluere conatur; quam accusationem hîc à nobis expendi non sinit institutum operis. Equidem non diffiterer quamvis ejusmodi principia quâ parte evidentiæ certitudinem labefactant, perniciosa sunt, eum tamen impietatis non insimulatum iri, qui ad objectiones hæreticorum propulsandas similia imprudenter proferret. At verò diversa omninò causa Baylii; quisquis oculatus inspexerit tum inexpletam ejus quâlibet occasione datâ in fidem argumentandi libidinem et in amplificandis, ut dictum est, objectionibus studium, tum levitatem (6) momentorum quibus fidei adeò nocivam agendi rationem, etiam à tolerantissimis (7) condemnatam excusat, tum denique ejus operum indolem, in quibus omnes Pyrrhonismi doctrinæ characteres deprehenduntur (1); is sanè intelliget systema ejusmodi, quo integrum Pyrrhonismi virus continetur, ejus defensioni minimè sufficere.

Mirum autem quot cavillationibus, argutiis, comparationibus captiosis utatur in defendendâ tam desperatâ causâ. Notiones diversas quas suprà distinximus, plerumque confundere amat; eam objectionem esse evidentem et insolubilem usque supponit, cujus falsitas clarè non demonstratur; non rarò emollire videtur sententiam, nihil tamen retractat; totque nubibus rem integram obvolvit et obscurat, ut theologorum ex quâcumque communione auctoritatem in suæ causæ patrocinium advocare persæpè non dubitet.

Adversùs triplex illud errorum genus sit

Conclusio. Mysterii Incarnationis possibilitas demonstrari potest negativè.

Probatur : Illud potest negativè demonstrari possibile, cujus possibilitas nullâ objectione evidenti et insolubili, seu nullâ verâ demonstratione impugnatur; atqui nullâ objectione evidenti et insolubili, seu nullâ verâ demonstratione impugnatur possibilitas Incarnationis.

Nam 1°, ex solutione objectionum quæ adversùs Incarnationis possibilitatem proponuntur, eas non esse demonstrationes mox patebit.

2° Vel dicendum cum Socinianis, quod horrendum est, mysterium Incarnationis esse rejiciendum; vel distinguenda hîc cum Luthero et Hofmanno duplex veritas opposita, alia theologiæ, alia rationis; vel contendendum cum Baylio, verum evidentibus et invincibilibus argumentis, et principiis manifestis posse aliquando adversari; vel denique fatendum erit mysterium Incarnationis, etsi ratione attingi et explicari nequeat, insolubilibus tamen argumentis, seu veris demonstrationibus non impugnari. Atqui primum impium est, nam mysterium Incarnationis inferiùs demonstrabitur revelatum à Deo, ac proinde fide divinâ tenendum. Secundum ita absurdum est, ut nihil absurdius excogitari possit; nam manifestissimum est veritatem esse quid simplex, quia fieri non potest ut attributum propositionis cujuslibet simul conveniat et non conveniat subjecto; fieri nequit ut attributa ejusdem rei simul consentiant inter se et repugnent; idem non potest esse simul et non esse; duo contradictoria non sunt simul vera; bis duo non possunt simul dare et non dare quatuor; ergo nihil absurdius distinctione duplicis veritatis oppositæ.

Præterea, positâ duplicis veritatis distinctione, quamcumque doctrinam, quantumlibet religioni ac moribus oppositam, philosophicè propugnare liceret; quippe si id in crimen impietatis philosopho verteretur, respondere posset hæc à se dicta esse philosophicè tantùm, non verò theologicè; sed hæc quàm absurda sint nemo non videt; ergo.

Denique, si duplex distinguatur veritas de mysterio Incarnationis, altera relativè ad fidem, juxta quam pos-

Joan. Le Clerc, *Bibliot. chois.* T. 9, a. 3, et 10, versùs finem; item T. 10, art. 8; Jac. Bernard, *Nouvel. de la rép. des lettres* 1706, art. 4, et a. 2; Jacquelot, *Conformité de la foi et de la raison, ou défense de la Relig.*, etc.

(1) *Eclairciss. sur les Manich.* ad calcem Dict. crit. edit. Amst. (Trivoltii) 1734, pag. 722 et 724. *Rép. au Prov.* part. 2, cap. 128, pag. 761 et 762, edit. Hag. 1727, tomo 3. Ibid. cap. 133, versùs fin. pag. 771; item cap. 159 et 160, pag. 833, 834, etc. *Rép. à M. Le Clerc*, § 3, 4. *Rép. au Prov.* part. 4, cap. 24 et 25, pag. 1071 et seq. *Entr. de Max. et de Them.* part. 1, c. 5, edit. Hag. 1731, pag. 15, et cap. 7, pag. 23 et alib.

(2) *Rép. au Prov.* part. 4, cap. 24, pag. 1070 et 1071.

(3) Ibid. pag. 1071, et cap. 25, pag. 1074; item *Entret. de Max. et de Them.* cap. 5, pag. 15 et alibi.

(4) *Rép. au Prov.* part. 2, cap. 158 et 159, pag. 832 et 833. *Entr. de Max. et de Th.* part. 2, cap. 31, pag. 91.

(5) *Rép. au Prov.* part. 2, cap. 133, pag. 769 et seq. cap. 158, pag. 832. Ibid. part. 4, cap. 25. *Entr. de Max. et de Them.* part. 1, cap. 5, 7, etc. Ibid. part. 2, cap. 5, 6, 8, 10, etc.

(6) Prætexit inprimis historici munus; rationis deprimendæ, ne in fidem rebellet, necessitatem; ejusmodi objectionibus doctorum studium ad eas difficultates solvendas, excitari; et alia quæ profectò ab altero in defensionem similis causæ non sivisset afferri.

(7) Leibnitz, *Essai de Théod. Conf. de la foi avec la*

rais. edit. Brux. 1734, n. 40, pag. 47; Beausobre. *Hist. des Manich. disc. prélim.* pag. 3, Amst. 1734, etc.

(1) Vid. Crouzaz. *Examen du Pyrrhonisme.* Hag, 1733.

sibile sit, altera relativè ad rationem, juxta quam illud repugnet; sequetur nihil esse verum in se et absolutè ac immutabiliter, sed omnem veritatem pendere à dispositionibus mentis nostræ, quales sunt fides et philosophia, et ad eas esse relativam. Atqui id falsum est; nam 1°, revelatio et fides, ratio et philosophia, objectorum, circa quæ versantur, naturam supponunt, non producunt, non constituunt, non immutant; 2° veritates quæ spectant possibilitatem rerum, fundantur in rerum essentiis, immutabiles sunt, non ergo pendent à dispositionibus mutabilibus mentis humanæ; 3°, hæc veri à mentis nostræ dispositionibus dependentia, si semel poneretur, quâ tandem regulâ intra certos limites cohiberetur? nullâ sanè. Unum idemque pro variâ dispositione, eidem menti successivè, aut diversis mentibus simul referre dici posset modò saporem veri, modò saporem falsi; sic quævis insulsa opinio tutò defenderetur; quemadmodùm de saporibus et aliis qualitatibus sensibilibus, utpote ad organorum variam dispositionem relativis, nemini lis movetur; ita nec veritas suaderi posset in eâ hypothesi, nec falsitas vel absurdissima revinci; ergo, etc.

Tertium inducit Pyrrhonismum universalem, et rationabile obsequium fidei, de quo Apostolus Rom. 12, v. 1, in cæcum Intusiastarum impetum convertit. Pyrrhonismum inducit; nam quod impugnatur evidentibus principiis, insolubilibus et evidentibus argumentis, profectò impugnatur veris et genuinis demonstrationibus, id est, argumentis in formâ quorum præmissæ sint evidentes vel in se, vel in suis principiis. Frustra enim Baylius (*Rép. au Prov.*, part. 4, cap. 24 et alibi) varios distinguit evidentiæ gradus. Quamdiù habetur evidentia, tamdiù id omne percipitur quod judicatur; ergo argumentum evidens et insolubile quodcumque necessariò constat præmissis quæ non latiùs patent perceptione, et versatur in formâ quæ percipitur legitima, seu ad regulas genuinas dialectices exacta, proindeque vera est et genuina demonstratio. Frustra etiam observat (*Entret. de Max. et de Them.*, part. 1, cap. 1), nunquàm à se dictum objectiones in dogmata fidei esse demonstrationes mathematicas; planum est enim demonstrationes mathematicas idcò tantùm esse certissimas, quia sunt evidentes, id est, quia procedunt mathematici juxta præscriptam formam, nec in medium demonstrationis assumunt ullam propositionem nisi aut evidentem de se, aut jam demonstratam. Maneat igitur fixum et inconcussum, illud veris et genuinis demonstrationibus impugnari, quod evidentibus principiis insolubilibus et evidentibus argumentis impugnatur; atqui supponi nequit verum genuinis demonstrationibus aliquando impugnari, quin Pyrrhonismus universalis inducatur; enimverò si quod veris et genuinis demonstrationibus impugnatur, verum esse possit, pari jure, quod genuinis demonstrationibus astruitur, poterit esse falsum; si autem quod genuinis demonstrationibus astruitur possit esse falsum, seu, quod idem est, si conclusiones ex principiis evidentibus formâ evidenter legitimâ deductæ possint esse falsæ, profectò nutabit et ipsa primorum principiorum certitudo; ergo verum supponi nequit evidentibus principiis, insolubilibus et manifestis argumentis impugnari, quin Pyrrhonismus universalis inducatur, id est, quin invehatur status impossibilis naturæ hominis planè repugnans, et omnis religionis eversivus.

Sed et illo systemate in cæcum impetum convertitur obsequium rationale fidei, Christianique ut Intusiastæ exhibentur. Equidem non diffiteor Baylium de impietate insimulatum quòd christianæ fidei extollendæ specie, ejus naturam in Dictionario critico ita repræsentâsset, ut Intusiastarum impulsui perfectè similis videretur, non semel docuisse suas esse rationi partes in fidei negotio atque hæc tria ratione evinci 1°, Deum esse summè veracem; 2°, dogmata fidei esse revelata; 3° auctoritatem Dei revelantis esse cuilibet alteri motivo anteponendam; quæ tria, omnibus theologis christianis communia, assensum fidei esse rationi consentaneum planè demonstrant. Sed hæc omnia destruit ipse Baylius (1), dùm contendit, ac pro virili probare enititur, fidem evidentibus et insolubilibus argumentis impugnari, perspicuisque notionibus esse adversam. Sic enim argumentari licet : Si adversùs veræ fidei dogmata fierent objectiones evidentes et insolubiles, Pyrrhonismus universalis induceretur, ut modò ostensum est; inducto Pyrrhonismo universali, nullum haberent Christiani motivum fidei suæ sufficienter cognitum et applicatum; christianâ fide omni motivo sufficienter cognito et applicato destitutâ, firmitas adhæsionis Christianorum rebus fidei tota ex impulsu interiori esset repetenda, qui impulsus câdem in hypothesi Pyrrhonismi universalis probari non posset esse à Deo; denique firma ejusmodi adhæsio rebus religionis tota ex impulsu interiori qui à Deo esse non probatur repetenda, ipse est cæcus impetus Intusiastarum; ergo si adversùs fidei dogmata objectiones evidentes et insolubiles fierent, obsequium fidei in cæcum Intusiastarum impetum converteretur.

Neque ex illo poterit sese nodo extricare Baylius variis distinctis evidentiæ gradibus (2) : si enim in evidentiâ seu perceptione evidenti varios gradus liceret distinguere, vel spectaretur actus percipiendi in se, quasi perceptio magis vel minùs intensa ac vivida dici posset, quemadmodùm actus amoris appretiativè summus majorem vel minorem intensionem seu vehementiam suscipere dicitur; vel spectaretur perceptio evidens in ordine ad objecta de quibus judicium fertur, ità ut illa evidentia diceretur major, quâ plures rei, de quâ judicatur, respectus attingerentur. Atqui hoc posteriori sensu varii evidentiæ gradus distingui nequeunt; quia scilicet nomine evidentiæ intelligitur perceptio tam latè patens quàm judicium quod illâ innititur. V. g., ideò judicium illud : Bis duo dant quatuor, dicitur fultum evidentiâ, quia percipitur quid-

(1) *Rép. au Prov.* part. 2, cap. 133, p. 769 et 770; item cap. 158, p, 832. *Entr. de Max et de Them.*

(2) *Rép. au Prov.* part. 4, cap. 24. *Entret. de Max. et de Them.*, part. 1, ch. 5. p. 15.

quid illo judicio exprimitur ; nempè affirmatur tantùm respectus æqualitatis inter bis duo, et quatuor ; ille verò æqualitatis respectus percipitur. Proindèque ubi pauciores quàm necesse sit ad judicandum, respectus percipiuntur, ubi latiùs perceptione judicium extenditur ; ibi dici nequit adesse evidentiam in gradu remisso, seu remissiores evidentiæ gradus ; sed tunc dicendum planè abesse evidentiam.

Quòd si quis contenderet perceptionem, v. g., convenientiæ in multis inter attributum et subjectum, ubi affirmatur convenientia omnimoda utriusque, posse appellari evidentiam in gradu remisso, is evidentiæ notionem ab omnibus receptam desereret, ac meram de nomine agitaret quæstionem, quam libentissimè prætermitteremus, si in eâ tantùm Baylius ludere voluisset. Porrò admittine potest distinctio variorum evidentiæ graduum priori sensu intellecta, nempè de intensione ipsiusmet percipiendi actûs in se spectati ? multi sine dubio hanc rejicerent philosophi. Quidquid sit, planum est firmitatem evidentiæ remissioris, si detur, non posse labefactari, quin omnis evidentiæ certitudo penitùs evertatur. Nam tota evidentiæ et judicii eâ innixi certitudo, non ex intensioribus evidentiæ gradibus oritur, sed ex eo quòd 1°, perceptionis ea sit natura, ut res alio modo, quàm percipitur, se habere non possit ; 2°, quòd evidentia sit perceptio tam latè extensa, seu ad tot respectus objecti se extendens, quàm judicium ei innixum ; ergò quidquid habet evidentia intensior, si detur quo connectatur veritati, illud est commune etiam evidentiæ minùs intensæ ; ac proindè, istius firmitate destructâ, alterius etiam certitudo penitùs everteretur. Deindè, quis unquàm philosophus dixerit evidentiam esse quidem certum veri characterem, sed eam tantùm quæ certos habeat gradus intensionis ; adeò ut judicium quod totum perceptione nititur, nec eâ latiùs patet, falsum esse possit, nisi ejusmodi perceptio eadem manens in ordine ad objectum, certos quosdam ratione sui acquirat intensionis gradus, qui determinari non possunt ? Ad hæc figendi essent limites graduum evidentiæ, quos nisi excederet, ipsi posset subesse falsum ; quos verò ubi excederet, certus esset veritatis character ; qui limites certè non cognoscuntur. Tandem, præscribendæ essent etiam regulæ quibus de variis illis evidentiæ gradibus tutò judicari posset. Non desunt quidem regulæ quibus certò cognosci queat utrùm adsit evidentia necne ; nempè expendatur utrùm præmissæ demonstrationum sint prima principia, aut in eâ resolvantur, et an juxtà syllogismorum regulas argumenta procedant ; at verò cùm de variis probabilitatum gradibus judicandi nulla, ut omnes nôrunt, sat firma regula hactenùs habeatur, quantò minùs assignari poterit certa regula discernendi inter varios evidentiæ gradus quorum diversitas (si qua sit) ità insensibiliter afficit mentem, ut plerisque philosophis nulla videatur.

Frustrà igitur Baylius varios evidentiæ gradus distinxit, ut crimen in se collatum de Pyrrhonismo suis principiis inducto, ac fide christianâ in Intusiasmum conversâ declinaret.

Ab aliis observari poterit tam sæpè à Baylio Pyrrhonismum inculcari, tam sæpè christianam fidem coloribus cæco Intusiastarum impetui propriis, præsertim in Dictionario repræsentari, ut ex suis principiis illa sequi procul dubio viderit, nec nisi fucum faciendi causâ, cùm impietatis accusaretur, ad varia quæ præclusimus diverticula confugisse dici possit. Utut est, fatendum superest mysterium Incarnationis, etsi ratione attingi et positivè demonstrari nequeat, evidentibus tamen et insolubilibus argumentis, seu genuinis demonstrationibus non impugnari ; proindeque ejus possibilitatem demonstrari negativè.

Solvuntur objectiones. — Objectiones solvendæ aliæ sunt generales quæ illas rationes complectuntur, quibus Baylius suadere conatus est, non Incarnationem modo, sed et alia pleraque fidei mysteria, evidentibus et insolubilibus argumentis impugnari ; aliæ à Socinianis et aliis incredulis, nec non aliquandò à Baylio in mysterium nostrum, speciatim diriguntur ; imò nonnullæ à scholæ theologis spontè excogitatæ sunt, et fidei illustrandæ causâ, adjectâ solutione, propositæ. Omnes verò objectiones illæ speciales ad tria potissimùm capita revocantur. Cùm enim in Incarnatione tria consideranda veniant, nempè Verbum Divinum, natura humana, et unio utriusque, ex triplici illâ parte repugnare Incarnationem objicitur. Ab objectionibus generalibus incipiendum.

Ojicies 1° cum Baylio. Fieri possunt adversùs mysteria fidei, v. g., Incarnationem Verbi divini, argumenta evidentia et insolubilia. Nam ratio non solvit argumenta quorum falsitatem non demonstrat ; atqui falsitatem argumentorum quæ in Incarnationem et in alia mysteria proponuntur, ratio non demonstrat, omnibus fatentibus ; ergò, etc. (*Eclairciss. sur les Manich. ad calcem Diction. crit. Edit.* 1734, *p.* 721 *et* 722.)

Nego antecedens. Ad probationem dist. maj. : ratio non solvit, etc., si agatur de rerum veritate aut possibilitate ex solo lumine naturali certò astruendâ, concedo ; si de iis tantùm confutandis, qui rei possibilitatem demonstrationibus metaphysicis evertere aggrediuntur, nego. Itaque cùm incredulus mysterium Incarnationis adversùs rationem pugnare contendit, scopum non assequitur si solas probabilitates et verisimilitudines quascumque objiciat. Sufficit ad solvenda ejus argumenta, si ostendatur ea non esse demonstrationes metaphysicas ; atqui ut ostendatur argumentum non esse demonstrativum, illius falsitatem demonstrari necesse non est, uti suprà observatum fuit. Satis est quòd deprehendatur præmissarum alteram in se, aut in suis principiis non planè evidentem, vel quoddam in formâ argumenti vitium esse posse.

Obj. 2° cum eodem, loco mox cit. et alibi. Ubi objectio ex principiis claris eruitur in mysterium aliquod, solutio etiam clara sit necesse est, alioqui nulla censetur ; atqui cùm de mysteriis agitur, puta de Incarnatione, nulla expectari potest solutio clara, siquidem docent theologi mysteria fidei esse suprà rationem,

esse impervia rationi, eorum nullam haberi ideam; ergò, etc.

1° Distinguendum est suppositum majoris, nempè objectiones in mysteria fidei posse peti ex principiis claris; si enim id intelligatur de oppositione verisimili quorumdam mysteriorum cum adagiis quibusdam rationis, quæ oppositio solius rationis ope, nulla demonstrari nequeat; vel de oppositione cum veritatibus physicis tantùm, id est, ut suprà exposuimus, cum veritatibus naturali rerum ordine innixis, quæ proindè exceptiones patiuntur; suppositum concedi debet. Sin autem supponatur oppositionem ejusmodi esse evidentem, et perspicuè cognitam cum veritatibus metaphysicis, id prorsùs negandum propter rationes adductas.

2° Distinguendum quoque alterum majoris membrum : solutio clara sit, id est, ostendat objectionem non esse argumentum demonstrativum, concedo; clara sit, id est, evidenter probetur objectionis falsitas, nego. Et similiter distinguenda est minor. Itaque, ut solutio argumenti in dogma quoddam fidei propositi clara sit, satis est quòd, eâ intellectâ, clarè cognoscatur objectionem non esse demonstrativam, sicut non semel dictum est; non verò necesse est ut illâ solutione evidenter ejus falsitas demonstretur. Quod autem additur in probationem minoris, nempè juxtà theologos mysteria fidei esse suprà rationem, impervia rationi, eorum proindè nullam haberi ideam; intelligi debet de ideâ, ut aiunt, adæquatâ, quâ scilicet ità percipiatur res et modus quo se habet, ut ejus attributorum consensio evidenter innotescat; non verò de ideâ quâcumque, de ideâ aliquali et imperfectâ, de ideâ analogicâ quâ terminis quibusdam generalibus et analogicis mysterium exhibeatur, et ab alio quolibet distinguatur, etsi ejus ratio nec mente attingi, nec explicari queat; neque id diffiteretur Baylius.

Reverà porrò fatendum quasdam in mysteria proponi posse objectiones, quarum falsitas ope ejusmodi ideæ imperfectæ evidenter non demonstretur; sed, ut sæpè monuimus, illud minimè requiritur. At verò idea, quâ modus et ratio mysterii perspicuè innotescant, sanè non est necessaria ut objectionibus in illud vibratis rationem demonstrationis deesse deprehendatur. Enimverò qui Incarnationis possibilitatem ratione impugnat, quid contendit? Hoc unum, in ideâ quam habemus Incarnationis aliquid contineri quod repugnet; de hàc ideâ tantùm agit, in eam duntaxat potest arguere, nec ullus unquàm eò absurditatis devenire potuit, ut aliam methodum sequeretur. Quemadmodùm igitur in ideam mysterii imperfectam, quam ex fide hausimus, diriguntur omnes incredulorum objectiones; ità et ad ostendendum eas demonstrativas non esse, non aliâ opus est ejusmodi mysterii ideâ, quàm illâ imperfectâ. Et verò quidquid ejusmodi objectionibus continetur, ad principia objecta, et principiorum applicationem revocatur. De principiis, utrùm scilicet evidentia sint, inquiri potest absque ullo ad mysterium respectu; cùm verò principia illa, nonnisi ideæ, quam de mysterio habemus, ab incredulis applicari queant; ergo, ut de illâ applicatione judicium feratur, sufficit hæc eadem idea, proindeque ad solvendas clarè objectiones, eo sensu quòd ostendatur eas demonstrativas non esse, non clariorì indigemus mysterii ideâ, quàm quæ ad illas ipsas objectiones proponendas requiritur.

Objicies 3ª: Nonne et in scientiis naturalibus aliquando circa eamdem thesim occurrunt utrinque rationes planè evidentes, v. g., ubi agitur de divisibilitate continui? ergo immeritò illud crimini vertitur, quod dictum sit in mysteria fidei objectiones evidentes et insolubiles fieri posse (*Rép. au Prov.* cap. 133, pag. 771. *Entret. de Max. et de Them.* part. 1, c. 5, p. 15 et seq. et alibi).

Nego ant. Reipsà quidem in scientiis naturalibus, ubi præsertim de aliquâ infiniti ideâ rebus finitis applicandâ agitur, quandoque occurrunt ex partibus oppositis difficultates maximæ; sed illas difficultates esse utrinque argumenta planè evidentia et insolubilia gratis asserit Baylius, neque id probat sive auctoritate philosophorum quos laudat, sive exemplis quæ affert. Non auctoritate philosophorum; nam dùm in varias, v. g., circa divisibilitatem continui, sententias oppositas philosophi abeunt, sponte quidem fatentur singuli opinionem suam gravissimis esse difficultatibus obnoxiam, atque ejusmodi objectionum falsitatem solutione directâ ostendere sæpè non suscipiunt; sed conantur profectò eas sufficienter solvere, nec ullus inter eos dixerit sententiam quam propugnat, evidentibus objectionibus, seu geminis demonstrationibus impugnari. Scilicet hìc accidit quod sæpe in quæstionibus intricatissimis, in quibus non negant dogmatici aliquando philosophum posse, re non satis expensâ, sine legitimo fundamento judicare sibi adesse evidentiam, cùm abest; sed non ideò sentiunt evidentiam posse veritati esse adversam; ergo philosophorum testimonio non probatur planè evidentia et insolubilia argumenta in utramque partem circa unum et idem aliquando fieri. Neque illud evincitur exemplis à Baylio allatis. Difficultates enim quibus philosophorum ingenia circa divisibilitatem continui, loci naturam, corporum motus, etc., hinc et inde exercentur, quantæcumque sint, plerumque tamen oriuntur ex suppositionibus verisimillimis quidem, sed non demonstratis, de rerum, ac præsertim infiniti naturâ; atque si reducantur illæ in syllogismos, quorum præmissæ et forma diligenter discutiantur, non ægrè agnosci poterit eas sæpè neutrâ ex parte oppositâ, nunquàm ex utràque esse genuinas demonstrationes. Difficultates ejusmodi sigillatim expendit Crousaz in opere adversùs Baylium, Hagæ an. 1733 edito, cui titulus, *Examen du Pyrrhonisme.* De iis etiam consuli possunt alii insignes philosophi; nec enim operis institutum nos sinit de variis illis quæstionibus in particulari disserere.

Obj. 4°: Reipsà non aliud est dicere mysteria nostra esse rationi impervia, et dicere notiones evidentes iis esse oppositas; istud posterius rationem et causam

prioris enuntiat. Ita expressis verbis Baylius, *Rép. au Prov. part.* 4, *cap.* 24 *cit. edit. pag.* 1071, et alibi passim occurrunt quoad substantiam similia. Pariter illa duo, fidem esse supra rationem et fidem esse contra rationem nostram particularem, seu contra quædam rationis evidentia principia, videntur unum et idem significare. *Rép. au Prov. part.* 2, *pag.* 883. Deindè, qui modum et naturam mysteriorum nos latere fatetur, ille objectiones, quibus ea impetuntur, non possè ratione solvi cogitur agnoscere. (*Eclairciss. sur les Manich.* ad calcem Dict. pag. 721 et 722, edit. 1734, jam cit., et aliis in locis passim.) Denique, quamdiu distinctè non percipitur modus quo fides et ratio inter se consentiunt, tamdiu dicendum est unam in alteram pugnare. Ita quoad substantiam sæpè. (Vide *Rép. au Prov. part.* 2, *cap.* 133, *pag.* 770.) Atqui evidens est, et ab omnibus quarumlibet communionum theologis concessum, mysteria religionis esse impervia rationi, esse supra rationem, eorum modum ac naturam nos latere, atque quomodò fides et ratio inter se consentiant ignorari; ergo, etc.

Nego omnes partes majoris propositionis, cujus singula principia philosopho adeò indigna sunt, et in regulas logices ita peccant, ut ea fuisse à Baylio sæpiùs obtrusa vix concipi possit.

1° Igitur falsum est hæc duo idem significare, mysteria esse impervia rationi, et notiones evidentes iis esse reipsà oppositas. Primum denotat à nobis non satis cognosci rationem formalem ac modum mysterii, v. g., Incarnationis, ut ejus possibilitas ratione detegatur, et ejusdem convenientia cum effatis quibusdam evidentibus clarè percipiatur. Alterum verò significat mente percipi repugnantiam et oppositionem mysterii Incarnationis cum effatis ejusmodi; quæ duo maximè differunt. Aliud est enim non percipi convenientiam inter duo, aliud est inter illa percipi repugnantiam. Qui convenientiam non percipit, non ideò repugnantiam videt; datur enim medium, nempè quòd neutrum percipiatur, utrumque solâ ratione duce ignoretur. Mirum sanè quòd Baylius adeò distincta confundere toties studuerit. 2° Pariter toto cœlo distant hæc duo in mente theologorum, mysterium fidei esse supra rationem, et illud esse contra rationis quædam evidentia principia; quia aliud est mente percipi mysterium aliquod axiomatibus evidentibus esse oppositum, ac proinde contradictionem involvere; aliud verò ejus possibilitatem, seu attributorum illius convenientiam, et cum ratione consensionem non percipere, quia ejus modum et rationem integram Deus nobis revelare noluit. 3° Luditur in æquivoco, dùm dicitur, modi et rationis formalis mysteriorum notitiam requiri ad solvendas objectiones, quibus impetuntur. Sæpiùs jam dictum est objectiones solvi posse duplici modo, nempe vel ita ut falsæ demonstrentur, vel ita ut tantùm ostendantur non esse demonstrativæ. Priori modo fatentur theologi objectiones, quibus impetitur, v. g., Incarnatio, non posse solvi, quia ejus modus et ratio clarè non cognoscuntur; sed de altero modo earum solvendarum hìc agitur; ad eum verò non requiri notitiam claram modi ac rationis mysteriorum, omnes theologi docent, moxque à nobis probatum est. 4° Eadem semper, etsi diversissima, confunduntur, dùm ignorantia modi, quo fides et ratio conciliari possunt, idem sonare supponitur ac perceptio pugnæ et oppositionis inter utramque; quasi verò ubi è duobus contradictoriis ignoratur unum, ideò alterum perciperetur, nec posset simul utrumque non percipi. Etenim quo jure dici potest fidem et rationem in se invicem pugnare, si ratio nihil demonstret, quod fidei adversetur? Quid evidentius tam sæpè à nobis inculcatâ distinctione inter vitium prætensæ in fidem demonstrationis ostendendum, et modum mysteria cum ratione conciliandi disertè explicandum?

Objicies 5°: Omnium Christianorum, exceptis Socinianis ac rigidioribus Rationalistis, doctrina hæc est, sensum obvium ac naturalem textûs Scripturæ sacræ nunquàm rejiciendum, quantùmlibet videatur rationi minùs consentaneus: ergo opinantur fidei dogmata argumentis evidentibus et insolubilibus posse esse contraria.

Nego consequentiam. Nam simul docent Catholici theologi, et impium esse in sensum Scripturæ naturalem rationum momenta opponere, quia, statim atque loquitur ens supremum, eo ipso in obsequium fidei captivandus intellectus; et tamen nullâ demonstratione verâ et genuinâ Socinianos ostendere mysteria fidei ullam involvere contradictionem; quia licet, quæ Deus revelat, altitudine suâ rationis perspicaciam ac omnem verisimilitudinem, atque ordinem consuetum, superare possint, non tamen evenit, nec evenire potest ut quæ Deus loquitur evidentiæ reipsà adversentur.

Hactenùs de præcipuis rationibus generalibus, quibus passim Baylius tuetur sibi injustè vitio tribui, quòd dixerit in bonitatem et sanctitatem Dei, in Trinitatem, Incarnationem, etc., fieri posse evidentia et insolubilia argumenta. Exempla addit hujusmodi difficultatum plurima, præsertim in bonitatem et sanctitatem Dei, sed illæ difficultates aliis in tractatibus refelluntur; quas circa incarnationem proponit modò referemus et solvemus.

Objectiones ex parte Verbi divini. — Objicies 1°: Evidens est Verbum divinum esse immutabile; atqui non minùs manifestum est ipsum incarnari non posse quin mutetur; evidens est enim Verbum divinum absque suî mutatione non posse ex non homine fieri hominem; atqui in eo stat Incarnatio Verbi, quòd ipsum ex non homine fiat homo; ergo etc.

Nego minorem. Ad probationem distinguo majorem: Evidens est Verbum divinum, etc., si dicatur fieri homo per quamdam conversionem, confusionem, receptionem, acquisitionem, aut amissionem, concedo majorem; si dicatur fieri homo per simplicem terminationem seu assumptionem naturæ humanæ in unitatem personæ, nego majorem. Similiter distinctâ minore, nego consequentiam. — Verbum fieret homo per conversionem, si ejus natura et personalitas in humanitatem converterentur, aut si in ipsum converteretur hu-

manitas. Fieret homo per confusionem, si natura divina Verbi et natura humana dicerentur confundi, et essentiarum ac proprietatum non remanente distinctione, permisceri. Fieret homo per receptionem, si reciperet in se humanitatem tanquàm in subjecto, ita ut natura humana conciperetur modus aut forma Verbi divini. Denique fieret homo per acquisitionem aut amissionem, si in Incarnatione quamdam perfectionem aut acquireret aut amitteret. Fatendum est Verbum illæsâ suâ immutabilitate non posse dici hisce modis Incarnatum. Sed 1°, fides christiana de Incarnatione ab omnibus hisce pravis sensibus valdè aliena est. 2° Ratio non demonstrat doctrinam fidei sibi contradicere, dùm exclusis ejusmodi sensibus, dogma Incarnationis retinet; proindeque non demonstratur illud dogma immutabilitati Verbi repugnare.

1° Quidem perversos illos sensus expressè respuit fides, et ab iis est aliena. Enimverò in Incarnatione, juxta fidem, nulla fit naturarum conversio, nulla absorptio, nulla permixtio et confusio, atque mysterii illius natura ita essentialiter postulat ut in Christo natura divina et natura humana, et quidquid ad utramque pertinet, distincta realiter ac diversa maneant, ut earum confusio, aut in se invicem conversio illius notionem funditùs destruerent. *Unus* (*Christus*), *ait auctor Symboli Athanasiani, non conversione divinitatis in carnem.... non confusione substantiæ.* Et sanctus Leo, epistolâ 24, aliàs 10, cap. 3: *Salvâ proprietate utriusque naturæ et in unam coeunte personam suscepta est à majestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas.*

Pariter juxta fidem Verbum divinum non fit subjectum humanitatis; natura enim humana unita Verbo non desinit esse substantia, neque incompleta fit ratione naturæ. *Perfectus Deus, perfectus homo* (Christus), *ait symbolum mox laudatum, ex animâ rationali et humanâ carne subsistens.* Uno verbo natura humana hâc unione essentialiter non mutatur, non fit modus nec forma, proindeque non recipitur in Verbo ut in subjecto.

Denique docet fides nullam à Verbo divino, dùm homo factum est, perfectionem acquisitam, nullam amissam. Christus ex symbolo jam non semel laudato, « perfectus Deus, perfectus homo.... æqualis Patri secundùm divinitatem. »

Quomodò igitur juxta fidem Verbum homo factum est? assumendo ac sibi copulando naturam humanam in personæ unitatem. Sublato illo nexu, ex animâ et corpore Christi coalesceret persona humana; illo stante, eadem Christi humanitas à Verbo divino perinde distincta manens et diversa, ad ipsum tamen tam arctæ unionis relationem dicit, ut humanâ personalitate careat; eòque sublimitatis extollitur, ut in ratione personæ ipsâ Verbi divini infinitâ personalitate compleatur ac terminetur. Unionis igitur illius extrema seu termini sunt natura humana et persona Verbi, atque ejusdem essentia in eo posita est, quòd illa duo, Verbum et humanitas, salvis suis proprietatibus, ita copulentur, ut Christus verè et propriè dicendus sit una persona Verbi divini constans naturâ divinâ et naturâ humanâ, ac in eo veræ sint illæ propositiones: Deus est homo, et homo est Deus. Ergo omnes perversos sensus quibus Verbo divino, dùm incarnatum est, vel minima mutatio tribueretur, fides respuit.

2° Ratio non demonstrat doctrinam fidei de incarnatione, rejectis pravis iis sensibus, contradictionem involvere, ut ex hâc inductione et analysi perspicere est. Enimverò non demonstrabitur unionem personalem duplicis naturæ, stante utriusque distinctione, et sine unius in alteram conversione esse impossibilem. Siquidem anima et corpus in homine ita uniuntur, ut unam constituant personam, tametsi realiter distinguuntur, nec in se invicem convertuntur.

Neque demonstrabitur Incarnationem eo saltem sensu repugnare, quòd ex utràque naturâ una quædam communis coalescere deberet, quemadmodùm ex animâ et corpore unitis una coalescit natura humana; immensum namque inter illa discrimen. Corpus et anima sunt entia finita et naturæ incompletæ, ut aiunt Philosophi, quæ ad unionem ejusmodi ex se habitudinem dicunt; quippe, nisi uniantur, facultatum sibi naturalium exercitio et functionibus privantur; hinc sese, ubi copulantur, mutuò perficiunt. At verò tum natura divina quæ infinita est, tum natura humana Christi, sunt naturæ completæ, habentque independenter ab unione quidquid sibi naturaliter competit, nullum proinde ad illam dicunt naturalem respectum, solaque humanitas illâ unione mutatur, ac perficitur, nullatenùs divinitas. Posito itaque Incarnationis mysterio Christus dicendus est duplici naturâ constare, divinâ et humanâ, non verò unicâ ex duabus illis coalescente; nec ulla contradictio, etc. Non demonstrabitur quoque Incarnationem non posse admitti, nisi natura humana concipiatur ut modificatio aut forma in Verbo recepta, ac proinde nisi Verbum mutetur. Scilicet alius est conceptus unionis et nexûs, alius est conceptus receptionis modi aut formæ in subjecto. Uniuntur quidem modificationes et formæ subjectis suis, sed nemo dixerit non dari alias unionum species. Non demonstrabitur tandem positâ Incarnatione Verbi, auctas vel imminutas concipi ejus perfectiones. Quippe illâ unione non supponitur quidquam Verbo detrahi, vel quidquam in eo tanquàm in subjecto recipi.

Itaque fateamur quod res est: naturam unionis hypostaticæ reverà clarè non cognoscimus; nec mirum, cùm de altissimo mysterio agatur, quod fidei credendum, non rationi explicandum à Deo proponitur. Nonne et plerique ipsius naturæ effectus oculis subjecti explicari nequeunt, imprimis verò unio animæ et corporis, quæ, ut observat sanctus Augustinus, epist. 137, aliàs 3, ad Volusianum, nisi ratione et experimento innotesceret, impossibilis videretur? At verò si concedendum sit Incarnationis modum et naturam explicari non posse, detur etiam minimè demonstrari Verbum illæsâ suâ immutabilitate non potuisse in personæ unitatem sibi humanitatem conjungere, seu, quod eòdem incidit, fieri unum ex extremis unionis inter ipsum et humanam naturam, quam assumpsit, secundùm fidem admittendæ.

Instabis 1°: Verbum absque ullâ suî mutatione non potuit naturam humanam sibi in unitatem personæ copulare. Nam ejusmodi unio Verbî cum humanitate nec necessaria nec æterna supponitur ; cœpisset ergo Verbum aliquando uniri humanitati, ac proinde mutatum esset.

Nego subsumptum, et consequentiam probationis, quia secundùm fidem illâ unione nihil additur Verbo divino, quod in ipso recipiatur tanquàm in subjecto, nihil ipsi detrahitur ; ejus natura, perfectiones et personalitas eædem manent in se. Quemadmodùm igitur Deus, cùm ex non creante factus est creans, non ideò ipse mutatus est ; quia tunc nihil in ipso intrinsecè receptum, nihil ipsi ablatum ; ita Verbum cùm uniri cœpit humanitati Christi, ideò mutatum dici nequit, quia hæc unio, etsi arctissima, nullatenùs demonstrari potest ullius intrinseci receptionem aut privationem secum in Verbo importare.

Ut verò pleniùs intelligatur quàm longè à demonstrandâ Incarnationis Verbi cum ejusdem immutabilitate repugnantiâ distent increduli, non abs re erit de variis theologorum suppositionibus circa hypostaticam unionem quidquam referre. Illorum systemata ad duo generatim revocari possunt. Prioris summa hæc est. Supponunt 1° illius defensores nullam fieri posse unionem inter duo extrema priùs non unita, nisi vel utrumque vel saltem eorum unum actu mutetur, alioqui extrema semper manerent ad unionem indifferentia. Supponunt 2°, ad ejusmodi unionem essentialiter non requiri ut duo extrema mutentur ; quia nempe si unum ex iis jam sit ad unionem accommodatum, sufficeret alterum ad eam mutari et accommodari. Cùm autem Verbum sit persona infinita, supponunt 3° ipsi inesse vim perfectissimam terminandi ac complendi in ratione personæ naturam rationalem à se distinctam, ac proinde ejus personam non indigere ut accommodetur hypostaticæ unioni. Tandem ex his concludunt ad unionem hypostaticam constituendam satis esse, quòd speciali quodam modo mutetur et unioni cum Verbo accommodetur humanitas : atque id unum proinde ad hanc unionem esse supponendum, nempe in humanitate Christi quamdam à Deo esse productam perfectionem seu formam supernaturalis ordinis, quâ positâ hæc humanitas sit sub speciali regimine ac directione Verbi, seu cujus ea sit natura, ut dicat relationem unionis naturæ humanæ ad personam Verbi. Porrò in quo consistat illa perfectio cujus humanitas Christi sit subjectum, et quâ uniatur Verbo, fatentur esse ignotum, nec nisi generalibus terminis posse exponi ; sed illam perfectionem nihilominùs admittendam contendunt, quia impossibilis non evincitur, et ad mysterium aliàs certò probatum requiritur, nec magis non latet quàm unio animæ et corporis et alia multa lumine naturali et experimentis, quoad existentiam, cognita, quorum natura à philosophis perspicuè et specialibus ideis explicari non potest. Ex ideâ tamen mysterii colligere est maximam hanc perfectionem seu formam non semper extitisse ; alioqui semper extitisset mysterium incarnationis ; hanc non esse substantiam quæ uniri indigeat, sed esse modificationem in naturâ humanâ Christi tanquàm in subjecto inhæsionis receptam ; ejus entitatem esse finitam, cùm ejus subjectum finitum sit ; hanc perfectionem non esse necessariam humanitatis proprietatem ; alioqui unio hypostatica gratia non esset, et quilibet homo necessariò eâ frueretur ; denique totam ejus naturam in eo esse positam, quòd ex illâ actualis relatio unionis naturæ humanæ, cui inest, ad Verbum necessariò exurgat, ac proindè illâ perfectione dici habitudinem ad Verbi personam, et ad naturam humanam, quæ sunt illius relationis termini, seu extrema. Itaque juxta hanc sententiam cùm Verbum incarnatum est, nulla in eo facta est conversio, nulla mutatio, nulla ejus naturæ permixtio, nihil amisit Verbum divinum, nullam formam in se tanquàm in subjecto inhæsionis recepit. Id tantùm novi accidit, nempe Verbum terminavit naturam humanam quam antèà non terminabat ; seu, ubi creata est natura humana Christi, simul in eâ producta est perfectio quædam specialis, ex quâ relatio unionis ejus cum naturâ divinâ in unitatem personæ Verbi divini exurgere debuit ; sic Verbi persona facta est unum ex extremis illius unionis ; quod quidem naturam humanam Christi maximè perfecit, ullam verò perfectionem Verbo addere vel detrahere non demonstratur.

In mente igitur defensorum illius systematis in hunc modum argumentari possumus : ut demonstrent adversarii Verbum divinum absque ullâ suî mutatione non potuisse incarnari, deberent evincere, vel repugnare hanc formam seu perfectionem, quam non satis concipimus, cujus essentia ea sit ut dicat relationem unionis naturæ humanæ ad Verbum ; vel ejusmodi formam tam in Verbo quàm in naturâ humanâ tanquàm in subjecto inhæsionis esse recipiendam ; vel Verbum absque verâ suî mutatione non posse esse unum ex extremis relationis ex ejusmodi perfectione seu formâ exurgentis : atqui nullum horum evidenter evincent. Non primum quia nec capacitas naturæ humanæ ad perfectiones recipiendas, nec formæ, de quâ agitur, natura satis innotescunt, ut de hujus repugnantiâ aut possibilitate, solâ evidentiâ duce certò judicetur. Non secundum, si quidem evidenter non probatur opus esse ut Verbum divinum unioni ejusmodi accommodetur, aut posse humanitatem illâ formâ instructam ad unionem hanc se habere indifferenter. Non tertium : quis enim dixerit rationem extremi alicujus novæ relationis formalem esse mutationem ? Posito igitur isto systemate, quod falsum nunquàm demonstrabitur, Verbum absque ullâ suî mutatione incarnari potuit.

Aliorum theologorum jam porrò systema exponendum est ; fatentur ii non sine insignibus ac maximè perfectivis naturæ assumptæ mutationibus peractam fuisse Incarnationem, sed ejusmodi mutationes et perfectiones contendunt esse solummodò illius mysterii appendices, nullam verò esse formaliter hoc ipsum mysterium. Formam igitur seu perfectionem, quam modò docuimus ab aliis admitti, ut inutilem respuunt,

aiuntque Verbum immediatè per seipsum independenter ab ejusmodi formâ humanitatem in suppositi unitatem assumpsisse. Quod ut explicent, observant Deum absque ullâ sui mutatione potuisse aliud decernere quàm quod decreverit, aliud operari ad extra quàm quod operatur, proindeque actui Dei simplicissimo hanc inesse proprietatem, ut immutatâ suâ entitate, hunc effectum præ alio ad extra respiciat eumque sic inferat. Haud absimilem Verbi personalitati proprietatem tribuunt, in ordine ad ultimò terminandam et complendam, seu in unitatem suppositi assumendam hanc vel illam naturam rationalem. Itaque, inquiunt, ubi primùm creata est natura humana Christi, eo ipso juxta æternum sanctissimæ Trinitatis decretum, Verbi divini personalitas eadem et nequaquàm mutata manens, vi mox dictæ proprietatis ad hanc humanitatem unionis relationem dixit, illam sui juris specialiter fecit, uno verbo hanc sibi in unitatem personæ copulavit. Ubi planum est nec perfici, nec immutari Verbum, quemadmodùm non immutatur Deus, cùm virtute actûs divini quoad entitatem necessarii, hic mundus præ alio in tempore conditur. Jam verò quisquis illud systema planè intelliget, non facilè concedet demonstratum iri paritatem, cui totum innititur, inter operationes divinas ad extra, et Verbi Incarnationem esse quoad id in quo instituitur comparatio, evidenter nullam. Ac proinde quantacumque sit difficultas in conciliando hoc mysterio cum immutabilitate Verbi, vix major videtur quàm in conciliandâ Dei libertate et operationibus ad extra cum immutabilitate divinâ ; quarum perfectionum concordia, etsi difficulter explicetur, naturali tamen lumine omninò evincitur, nec sanè ullâ genuinâ demonstratione impugnatur.

En ergo duæ theologorum suppositiones, demonstrativis argumentis procul dubio non impetitæ, juxta quas mysterium Incarnationis in Verbo nullam mutationem secum importat. Quæ tamen suppositiones, quamvis secundùm varios sensus quibus exponi possunt, demonstrarentur falsæ, non eo ipso vicissent incredulî : nam præterea ab iis demonstrandum foret non potuisse aliis adhuc modis, salvâ Verbi immutabilitate, mysterium Incarnationis peragi.

Instabis 2°. Evidenter repugnat forma illa, seu perfectio juxta prius systema in humanitate Christi existens, illamque referens ad personam Verbi, quâ sustentetur, et ultimò in ratione personæ compleatur. Nam nulla habetur idea illius formæ, quid illa sit nullatenùs concipi potest ; ergo, etc.

Nego antecedens. Ad probationem distinguo : nulla habetur idea specialis et adæquata, concedo ; generalis et imperfecta, nego. Idea specialis et adæquata ipsam rei naturam repræsentat ; genus ejus proximum ac propriam differentiam exhibet ; ex ejusmodi ideâ judicari potest de possibilitate, effectibus et proprietatibus rei ; sic se habet, v. g., idea trianguli. Idea generalis et imperfecta ea est quæ tantùm sub communibus et genericis rationibus rem exhibet, cui effectus et proprietates aliunde cognita tribuuntur. Sic, v. g., Neutoniani attractionem suam concipiunt ; corpus unum ad aliud accedit, en effectus ipsâ experientiâ cognitus ; hanc approximationem tribuunt attractioni, id est, vi cuidam corporum quâ fiat ut unum accedat ad aliud ; en idea generalis et imperfecta, en rationes genericæ et communes, quibus, ut ipse monuit eximius hujusce systematis auctor, ipsa attractionis natura disertè non explicatur. sic Leibnitiani vim monadum suarum definiunt : sic Cartesiani coguntur concipere causam gravitatis, quam hactenùs latere novis in dies experimentis demonstratur ; sic innumera, omnes cujuslibet nominis philosophi, quorum methodus in eo sanè vituperari nequit. Ergo, ubi quidquam in humanitate Christi productum admittitur sub ratione genericâ perfectionis et formæ, cui tribuitur proprietas ad mysterium propter Dei revelationem creditum necessaria, id vitio verti nequit ; nec ejusmodi forma seu modificatio, ut repugnans et impossibilis ideò rejicienda est, quòd specialis ejus et adæquata idea non detur, quæ possit propriè dictâ definitione explicari.

Instabis 3°. Illa modificatio seu perfectio humanitatis Christi esset simul finita et infinita : esset finita, cùm ex hypothesi inhæreret naturæ humanæ Christi ; esset infinita, cùm respiceret Verbum divinum ; ergo, etc.

Nego antecedens. Cùm illa modificatio seu forma inhæreat humanitati Christi ut subjecto inhæsionis, entitate finita sit necesse est ; non probatur autem infinita eo quòd dicat rationem unionis naturæ humanæ cui insidet, ad Verbum divinum. Num infinitum est quidquid ad infinitum relationem dicit ?

Instabis 4°. Illa forma esset partim spiritalis, partim corporea, cùm humanitas corpore et mente constituatur ; atqui id repugnat ; ergo, etc. Nego maj. Supponi enim potest, et ad fidem sufficit, ejusmodi perfectionem seu formam, quâ tota humanitas refertur ad Verbi Divini hypostasim, in solâ animâ Christi ut in subjecto inhæsionis, esse receptam, ac proinde esse merè spiritalem. Nihil amplius certè fides requirit, atque eò referri potest quod à SS. Patribus dictum, naturam Christi humanam mediante ejus mente fuisse unitam Verbo divino. Sed de hoc argumento ex professo inferiùs.

Instabis 5°. Illa perfectio tam in Verbo quàm in naturâ humanâ Christi recipi deberet, si quidem est unio ; atqui unio in utroque extremo recipitur. Nego antecedens ; nam si qua daretur ratio propter quam ejusmodi forma in Verbo tanquàm in subjecto inhæsionis recipienda esset, vel quia deberet Verbum reddi idoneum illi unioni, vel quia, nisi reciperetur in Verbo, utriusque termini ad unionem actualem indifferentia non tolleretur ; atqui neutra ejusmodi ratio valida demonstratur. Non prior, nam persona Verbi, utpote perfectissima, supponi debet non indigere ut unioni sibi possibili idonea reddatur, ipsi inest vis terminandi et complendi infinita. Nec altera : Nam esto, Verbum sit indifferens ut uniatur uni naturæ rationali potiùs quàm alteri ; pariter natura humana quævis ex se quantumlibet indeterminata sit ad unio-

nem hypostaticam sibi nullo modo naturalem; ut illa indifferentia tollatur sufficit in naturâ quâdam individuali, puta in humanitate Christi, quiddam speciale produci, quo fiat ut Verbum hanc naturam præ aliis terminet ac dirigat, atque illa habeat ad Verbi personam, unionis de quâ agitur, relationem; ergo non demonstratur tam in Verbo quàm in naturâ humanâ Christi hanc formam esse recipiendam. Ad probationem, distinguo min.: Unio debet recipi in utroque extremo, id est, utrumque terminum respicere, ad utrumque dicere relationem, concedo; id est, perfectio illa seu formalitas ex quâ exurgit relatio unionis humanitatis Christi, debet recipi in utroque termino, ut in subjecto inhæsionis, nego propter rationes mox allatas, id demonstrari.

Instabis 6°. Atqui relationes saltem sunt modi qui recipiuntur in extremis, ergo, etc. Nego antecedens. Relationes respiciunt extrema, non illis recipiuntur, ut in subjecto inhæsionis, nec enim ullam habent entitatem distinctam à fundamento et extremis; sed quidquid de earum naturâ statuatur, planum est rem non necessariò mutari, ubi sit terminus novæ relationis. Anne, v. g., Deus mutatur cùm existunt novæ creaturæ? An mutatur paries albus, cùm incipit novam habere similitudinis relationem cum altero pariete albo qui construitur?

Instabis 7°. Unio animæ et corporis, seu forma quâ uniuntur, recipitur tum in animâ tum in corpore; ergo à pari in mysterio Incarnationis, etc. Transeat antecedens. Nego consequentiam. Disparitas est quòd in homine natura spiritalis et natura corporea sint incompletæ, ad se invicem naturaliter ordinem dicant, et constituant simul junctæ naturam totalem ratione perfectionum, ita ut personalitas sit utrique communis. At verò in mysterio Incarnationis, ipsamet natura humana est completa in ratione naturæ, Verbum utpote infinitum totalitatem perfectionis etiam post unionem habere non desinit, atque tota personalitas Christi est ipsamet personalitas Verbi divini, seu illa ipsa est forma inhærens Verbo, quâ, in ratione personæ ab æterno constituitur. Dictum est, *transeat antecedens*; quia natura unionis animæ et corporis nimiùm fortè latet, quàm ut illud certò affirmari valeat.

Instabis 8°. Saltem planè repugnat illud systema propositum, juxta quod natura humana antecedenter ad omnem sui mutationem, nec quidquam habens speciale quo distinguatur à cæteris naturis humanis, et quod relationem unionis fundare possit, dicitur tamen eatenùs uniri hypostaticè Verbo, quatenùs Verbi personalitas eadem manens eam præ cæteris respicit, regitque, et sui juris specialiter facit. Nam dari non potest relatio actualis sine fundamento actuali; atqui daretur posito illo systemate; siquidem Verbum et natura humana antecedenter ad omnem utriusque mutationem unirentur. Ibi enim est relatio actualis sine fundamento actuali, ubi relatio ponitur antecedenter ad omnem utriusque extremi mutationem; atqui, etc; antecedenter quidem ad mutationem Verbi, cùm non mutatum supponatur, et sit essentialiter immutabile; antecedenter etiam ad mutationem naturæ humanæ Christi, cùm in illo systemate omnes illius naturæ mutationes supponantur esse unionis hypostaticæ appendices; ergo, etc.

Nego antecedens. Ad probationem, nego minorem primi syllogismi, et distinguo majorem secundi; ibi est relatio actualis sine fundamento aliquo actuali, ubi relatio ponitur antecedenter ad mutationem utriusque extremi, in hypothesi quòd unum ex illis absque ullâ suî mutatione non possit unam præ aliâ relationem fundare, concedo; si possit, nego. Itaque integrum, ut dictum est, systematis illius fundamentum in eo positum est, quòd Verbi personalitati, in ordine ad ultimò complendam in ratione personæ naturam rationalem, supponatur inesse proprietas similis perfectioni illi summæ, quâ actus Dei simplicissimus, non mutatus quoad entitatem manens, unum præ alio decernere, unum præ alio opus ad extrà respicere et producere valet. Quemadmodùm actus voluntatis divinæ summè perfectus, quoad entitatem immutabilis, hoc potiùs quàm illud decernit et operatur ad extra, ac proinde ad unum potiùs quàm ad aliud relationem actualem dicit, antecedenter tum ad omnem suî mutationem, nequit enim in se mutari, tum ad omnem termini seu operis mutationem, cùm non nisi vi illius specialis relationis et respectûs illud opus existere concipiatur; ita et Verbum divinum absque ullâ suî mutatione, personaliter potest hanc potiùs quàm illam rationalem naturam complere et terminare. Variis quidem modis à philosophis et theologis explicatur immutabilitas illa voluntatis divinæ; verùm quocumque sensu exponatur, eodem planè intelligitur Verbum divinum posse sine mutatione incarnari. Hinc ejusdem syllogismi minorem propositionem negarent fortè complures. Sed de variis Dei immutabilitatis cum ejus libertate conciliandæ modis hîc non est disserendi locus.

Objicies 2°. Verbum in Incarnatione fit substantialiter homo, fit intrinsecè homo, denominatur intrinsecè homo; sed Verbum non potest fieri substantialiter, et intrinsecè homo, nec denominari homo intrinsecè, quin mutetur: ergo, etc. Distinguo singulas majoris propositionis partes: 1°, fit substantialiter homo, id est, unio in quâ mysterium Incarnationis consistit, non est metaphorica, externa, aut moralis tantùm; sed est vera et realis substantiam seu naturam divinam inter et naturam humanam, inter subsistentiam, seu personam Verbi et humanitatem Christi, concedo; fit substantialiter homo, id est, mutatur in hominem, aut recipit humanitatem in se ut in subjecto, nego. Hypostaticam unionem sancti Patres naturalem et substantialem appellavêre, ut dicetur inferiùs, eo sensu tantùm quòd sit vera et realis, quòd sit inter naturas, inter substantias, quòd sit naturæ humanæ ad subsistentiam, seu personam Verbi; quòd non sit metaphorica, et moralis duntaxat. Vide Petavium, lib. 4. Theolog. dog. de Inc. cap. 4; atqui ejusmodi sensu ullam in Verbo argui mutationem, jam sæpè diximus non demonstrari; ergo, etc.

2° Verbum fit intrinsecè, denominatur intrinsecè homo, propter humanitatem sibi personaliter unitam, concedo; propter eamdem in se ut in subjecto acceptam, nego. Verbum neque fit, neque denominatur homo eo sensu, quòd humanitate in se receptâ informetur, sed quia ipsi unitur humanitas, quam unionem negamus divinæ immutabilitati evidenter repugnare.

Instabis. Si Verbum naturam humanam, in se ut in subjecto non receptam, sibi duntaxat uniret, ea ipsi esset solummodò extrinseca; ergo, etc. Nego antecedens, quia natura à Verbo in unitatem personæ assumpta ipsi extrinseca dici non potest; atqui juxta fidem natura humana etsi non recipiatur in Verbo ut in subjecto, assumitur tamen à Verbo in unitatem personæ; ergo etc.

Objicies 3° cum Wolsogeno Socini discipulo insigni in Præp. ad utilem lecturam novi Testamenti cap. 13, et in Declaratione duarum contrariarum sententiarum de uno Deo Patre, cap. 11, etc.: Etiamsi natura humana posset Deo personaliter uniri absque Divinitatis mutatione, nihilominùs absurdè diceretur Deum esse incarnatum et hominem factum. Nam Incarnatio seu *hominifactio*, si propriam vim ac significationem vocis spectes, *nihil aliud denotabit, quàm Deum desiisse esse Deum, et è Deo factum esse hominem*. Quippe, ubi res fit aliud, desinit esse quod priùs erat; aqua, quæ facta est vinum, desiit esse aqua; ergo, etc.

Nego ant., nam voces *Verbi incarnati*, *Verbi hominis facti*, ad exprimendam personalem naturæ humanæ cum Verbo divino unionem, maximè esse idoneas de se manifestum est, ac perspicuè ostenditur auctoritate S. Joannis, qui Evangelii sui cap. 1, v. 14, mysterium illud iisdem verbis expressit. Sed de his alibi.

Ad prob. nego pariter antec.; falsum est enim id, quod dicitur fieri aliud, semper intelligendum desinere esse quod erat. Nimirum, ubi aliquid dicitur fieri aliud, sæpè quidem agitur de novo statu qui cum altero præcedenti compati nequeat, ut in exemplo allato aquæ in vinum conversæ; verùm sæpè agitur etiam de novo statu, qui indui possit, nullatenùs immutatâ rei naturâ et statu ejus præcedenti; ut si, v. g., rex dicatur factus alicujus prædii, quod acquisivit, dominus et possessor. Quando autem vox duplici sensu accipi potest, nonne ex subjectâ materiâ, et ex intentione cognitâ loquentium ad unum præ alio restringenda est? Ergo cùm naturæ divinæ immutabilitas ex Scripturis et ex ratione notissima sit, et ab omnibus Christianis, ut dogma fidei inconcussum Verbi Incarnatione nullatenùs labefactatum, admittatur; nemo non intelligit voces *Verbi incarnati*, *Verbi hominis facti*, quibus christiana fides utitur, esse citra omnem Verbi conversionem, intelligendas de ineffabili humanitatis assumptione divinam immutabilitatem non lædente.

Sed pulchrè profectò, ubi nihil periculi, metuunt Sociniani ne divinæ immutabilitati quidquam detrahatur, qui variis impiæ suæ doctrinæ capitibus de existentiâ Dei in cœlis tantùm, de scientiâ et decretis ejusdem, summam hanc perfectionem convellere non verentur.

Inst. cum eodem. Contendunt dogmatis de Incarnatione defensores Verbum factum esse essentialiter hominem illum qui ex Mariâ Virgine natus est; adeò ut non modò verissima, sed et propria sit ejusmodi locutio, Deus est homo, vel Deus est hìc homo; ergo non agitur hìc tantùm de unione compatibili, etc.

Dist. ant.: contendunt Verbum factum esse essentialiter hominem, id est, essentiam seu naturam humanam sibi in unitatem personæ conjunxisse, concedo; id est, essentiam Verbi conversam esse in humanitatem, nego. Ut hæ locutiones, *Deus est homo*, *Deus est hic homo*, sint veræ et propriæ, sufficit juxta omnem sermonis proprietatem dici posse : Deus, seu Verbum est persona habens humanitatem, seu habens hanc humanitatem; ut autem id dicatur, sufficit naturam Christi humanam esse personaliter unitam Verbo.

Inst. iterùm ibid. Deus dici non potest factus homo etiam quoad externum statum ac conditionem hominis tantùm, quin significetur eum desiisse esse Deum; quemadmodùm si Cæsar diceretur factus subulcus, significaretur eum desiisse esse Cæsarem; ergo, etc. Dist. ant.: Deus dici non potest factus homo etiam quoad externum statum ac conditionem hominis, eo sensu qui cum ejus summâ perfectione non potest compati, concedo; sensu proprio qui cum ejus perfectione summâ compati possit, nego. Tota vis ac energia harumce vocum, *Deus factus est homo*, procul dubio redditur, si natura divina et natura humana in unâ Verbi personâ dicantur unitæ; atqui illam unionem compati non posse cum summâ Dei perfectione nullo modo demonstratur; imò illa duo ab Apostolo conjuncta agnoscere deberent Sociniani Philip. 2, v. 6 et 7, ubi de Christo loquens : *Qui cùm in formâ Dei esset*, inquit, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo ; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo*. Quoad exemplum allatum Cæsaris qui subulcus fieri non posset quin desineret esse Cæsar, illud ad rem non pertinet; quia status Cæsaris cum statu subulci, positis rebus ut sunt, incompatibilis est; at verò non probant Sociniani repugnare ut Filius Dei idem manens sibi humanam naturam in personæ unitatem devinciat.

Omnia igitur argumenta Woisogeni mera sunt sophismata, in quibus supponitur vocis illius, *factum est*, propriam acceptionem ad significandum veram conversionem unius in aliud esse restrictam; dùm tamen accipitur quoque ad novam quamlibet accessionem designandam, quâ rei ipsius natura non convertitur, nec statûs integritas ullomodo læditur.

Obj. 4°. Non potuit Filius incarnari quin Pater et Spiritus sanctus incarnarentur. Nam 1°, opera ad extra sunt communia toti Trinitati : atqui Incarnatio est opus ad extra; ergo, etc. Ita Wolsegenus ubi supra. 2° Incarnatio Filii in eo posita est, quòd divina ejus natura uniatur humanitati; sed divina natura Filii communis est Patri et Spiritui sancto; ergo, etc.; ita idem ibid. post Crellium lib. de uno Deo Patre, sect. 2, cap. 5; cùm igitur Pater et Spiritus sanctus

juxta fidem catholicam non sint incarnati, sequitur nec Filium, etc. Nego antecedens. Nam persona Filii divini distinguitur realiter à Patre et Spiritu sancto, ut docet fides; ergo nihil obstare videtur quominus Patre et Spiritu sancto non incarnatis, ipse incarnetur Filius, seu ipsi personaliter uniatur humanitas. Ad primam probationem, distinguo majorem : opera ad extra sunt communia tribus Personis, id est, ab iis producuntur, concedo; ita ut quævis natura rationalis, iis decernentibus, non possit uniri personaliter uni personæ, quin eodem modo uniatur aliis, nego. Hæc duo valdè diversa sunt : complere ultimò naturam rationalem à divinâ distinctam, in ratione personæ; et producere opus ad extra. Istud postremum ad voluntatem et omnipotentiam divinam toti sanctissimæ Trinitati communem pertinet; prius verè personalitatis est, quæ unicuique personæ divinæ est propria. Itaque unico actu omnipotenti et simplicissimo tribus personis communi omnia decernuntur, omnia efficiuntur ad extra; ac proinde natura humana Christi ipsa creatur, conservatur, et quidquid ad hypostaticam ejus cum Verbo unionem in ipsâ necessarium est producitur à Patre, Filio et Spiritu sancto. Sed non ideò ejusmodi unio respicit tres Personas, non ideò adesse nequit inter humanitatem Christi et Verbi subsistentiam relatio quædam unionis, quin adsit etiam inter eamdem humanitatem et alias Personas; ratio est quòd personalitas Verbi realiter distinguatur à personalitate Patris et Spiritûs sancti. Ad secundam probationem, distinguo etiam majorem : Incarnatio Filii in eo posita est quòd natura divina Verbi, prout terminatur ejus personalitate, uniatur naturæ humanæ Christi, concedo; quòd natura divina Verbi in se spectata, abstrahendo à Verbi personalitate, nego. Cùm natura divina in se spectata, et abstrahendo à proprietatibus relativis quibus Personæ constituuntur, et à se invicem distinguuntur, communis sit tribus Personis, fieri sanè non potuisset in naturâ divinâ hocce modo spectatâ, unio de quâ agitur, quin tres Personæ incarnatæ essent. At verò natura humana, uti dicetur deinceps, unita est naturæ divinæ, ut terminatæ personalitate propriâ Verbi. Nimirùm Filius divinus juxta fidem eatenùs homo factus est, quatenùs naturam humanam ultimò terminat et complet in ratione suppositi; atqui natura divina in se considerata et abstrahendo à personalitate, naturam humanam hocce modo complere ac terminare non potest, cùm suppositum non sit; merum ergo sophisma est argumentum à Socinianis propositum, in cujus majore natura divina accipitur pro naturâ divinâ contractâ per personalitatem Verbi, in minore verò pro naturâ eâdem absolutè spectatâ, prout communis est tribus Personis.

Instabis cum Crel. ibid. multis modis : 1° Nulla ratio afferri potest cur in subsistentiâ Verbi potiùs quàm in subsistentiâ Patris ac Spiritûs sancti, facta fuerit illa unio. *Diceres*, inquit, *hos homines oculis ipsis illam Incarnationem vidisse, qui tam accuratè explicare nôrunt in quâ subsistentiâ terminata fuerit illa unio, licet subsistentiæ tres in eâdem naturâ sint, realiter, ut loquuntur, ab illâ non differentes.* 2° Unita est natura humana toti naturæ divinæ; sed natura divina tota includit etiam tres subsistentias, quippè quæ ipsi infixæ sunt, ab eâ realiter indistinctæ; ergo, etc. 3° Una subsistentia non magis distinguitur à naturâ divinâ, quàm altera; ergo si humanitas Divinitati conjungitur, tam uni subsistentiæ quàm alteri.

Respondeo ad singula. Ad primum, distinguo nulla potest afferri ratio naturalis, concedo; id ex verbo Dei probari nequit, nego. Solum Dei Filium esse incarnatum fide novimus, lumine naturali probare non suscipimus. Scopum igitur Crellius non attingit, dùm, loco demonstrationum quibus dogma nostrum impetere suscipit, Catholicis exprobrat mysterium quod profitentur esse impervium rationi. Ad secundum, distinguo majorem : humana Christi natura unita est toti naturæ divinæ, ut terminatæ et contractæ subsistentiâ Verbi, ut mox explicatum est, concedo; toti naturæ divinæ ut terminatæ trium Personarum subsistentiis, nego. Similiter distinctâ minore, nego consequentiam. Ad tertium, nego consequentiam. Ut uni potiùs quàm aliis subsistentiis divinis uniri possit natura humana, satis est eas à se invicem realiter, et ab essentiâ virtualiter, seu formaliter distingui; si quidem eo posito concipitur naturam humanam posse ad unam Personam præ aliâ dicere relationem.

Instabis iterùm cum eodem Crellio. Unio naturæ humanæ cum divinâ, juxta Incarnationis assertores, est realis; ergo naturæ primariò sunt conjunctæ, et quæ naturas consequuntur, secundariò; quemadmodùm in homine anima et corpus primariò et immediatè, deinde quæ utriusque sunt conjunguntur; ergo cùm subsistentia Verbi sit naturæ divinæ perfectio et complementum et existendi modus, sequitur, etc.

Distinguo 1° consequens; ergo naturæ primariò, etc., sed natura divina accipienda est prout terminatur et ultimò completur personalitate Verbi, concedo; natura divina accipienda est abstrahendo à Personis seu tribus subsistentiis, nego. Cùm unio naturæ humanæ Verbo divino sit personalis, ita ut illa natura personalitate Verbi divini ultimò in ratione personæ compleatur, sequitur unionem illam fieri primariò in personâ Verbi divini, non verò primariò in naturâ, deinde in personâ.

Manca autem est comparatio unionis illius cum unione animæ et corporis in homine; nam 1° istæ duæ substantiæ sunt incompletæ, seu facultatum sibi naturalium exercitio privantur, nisi uniantur; 2°, et completæ dicerentur, cùm tamen entia finita ad constituendum suppositum copulata, quid perfectius substantialiter constituant, quàm ubi separantur; consequens est ex unione animæ et corporis et quorumlibet finitorum exurgere subsistentiam rebus unitis communem; hinc non potest finitum uniri alteri finito primùm in ejus personâ aut supposito. Sed neque Verbum divinum, neque natura humana ab eo assumpta uniri sibi invicem naturaliter postulant; ex illâ unione non exurgit personalitas communis utrique extremo

quippe perficitur quidem natura humana illâ unione, sed Verbum non perficitur. In Verbi proinde personâ eâdem manente, natura humana divinæ conjungi potest, adeò ut ipsâ Verbi personalitate ultimò terminetur et compleatur.

Instabis ultimò cum eodem Crellio. Non potest quidquam realiter uniri cum modo rei, sed cum re ipsâ; ergo cùm Incarnatio sit unio realis, et subsistentia Verbi insit naturæ divinæ, sequitur, etc.

Distinguo : cum modo rei, id est, cum ejus modificatione, concedo; cum modo rei, id est, cum ejus perfectione necessariâ, subdistinguo : si illa perfectio sit mera proprietas, concedo; si sit personalitas, et agatur de ente infinito, nego. Cùm personalitas Verbi naturam divinam in ratione personæ Verbi divini contrahat, cùm ipsam Verbi personam constituat, et à cæteris Personis divinis realiter distinguat, sequitur realem dicendam esse unionem quæ inter naturam humanam et ejusmodi personalitatem primariò constituitur. Nonne enim realis dicenda est unio quæ vera est, quæ inter naturam humanam Christi et naturam divinam in personalitate intercedit, quâ illa humanitas ita conjungitur personæ Verbi, ut ejus subsistentiâ ultimò compleatur et terminetur?

Objicies 5° cum eodem Crellio, ibid. cap. 6. Ex dogmate Incarnationis sequitur Verbum divinum desiisse esse personam; *nam evasit pars Christi ex humanâ et divinâ naturâ constituti. Est autem de essentiâ suppositi, ac porrò etiam personæ, ne sit pars alterius, ut apud omnes in confesso est;* ergo.

Probat autem Verbum esse partem Christi; 1° quia manifestum est Christum esse totum constans naturâ divinâ et naturâ humanâ, utràque, esto, non separandâ, sed tamen ex se separabili; ergo cùm Verbum non sit totus Christus, necesse est ut ejus sit pars; 2° quia vel natura humana esset pars personæ Christi, vel esset illius personæ accidens physicum; quippe quod inest Verbo, non ut pars, et ab eo abesse potest sine ejus destructione, nihil nisi ejus accidens esse potest; atqui natura humana, juxta fidem de Incarnatione, non est accidens Verbi; ergo est pars Christi; ergo Verbum est etiam ejus pars. 3° Sæpiùs comparatur Verbum homo factum ferro candenti, quod etsi ignem habeat adjunctum, ferrum tamen simpliciter appellatur; atqui ex illâ comparatione, etc. Nam vel ferro conjunctus ignis est accidens ferri, vel est substantia conjuncta ferro. Si prius dicatur, exemplum ad rem non est, quia natura humana supponitur non esse accidens Verbi. Si posterius, ignis ille substantialis erit conjunctus ferro ut pars suppositi, cujus tamen à ferro, ut à potiori, denominatio fiet; ergo, etc.

Nego antecedens. Ad probationem distinguo majorem : Verbum evasit pars Christi numerica et impropriè dicta, concedo : pars perfectionum Christi, pars propriè dicta, nego. Partes propriè dictæ sunt eæ quæ sese mutuò perficiunt. Pars impropriè dicta ea est quæ perficit, sed non perficitur, vel quæ perficitur et non perficit. Pars impropriè dicta appellatur etiam pars numerica, quia ab aliis partibus impropriè dictis distinguitur et cum iis numerum constituit; eâdem de causâ dicitur pars materialis. Pars autem propriè dicta, seu pars perfectionum, appellari solet pars formalis. Non modò anima et corpus quæ ad unionem mutuam naturaliter habitudinem dicunt, sunt partes propriè dictæ, sed nec ulla fortè datur res vel minima, quæ non perficiat aliquatenùs quodcumque finitum cui adjungitur quantumlibet perfectum sit. Quapropter fatendum videtur partium ejusmodi impropriè dictarum nullum in creatis exemplum satis idoneum reperiri; sed non ideò ejusmodi partium notio, ubi de divinis agitur, contradictionem involvit. Nam cùm Verbum Divinum infinitè perfectum sit, ac proindè omnes naturæ humanæ perfectiones eminenter contineat, planum est naturæ humanæ accessione ipsi non auferri rationem totalitatis perfectionum, Christumque naturâ divinâ et naturâ humanâ constitutum, non esse quid perfectius personâ Verbi ratione solius divinitatis considerati.

Porrò de essentiâ personæ est quidem ut sit totalis ratione perfectionum, seu ut alteri quo perficiatur non sit conjuncta; sed ratio partis duntaxat perficientis, ejusmodi totalitatem perfectionum proinde non adimens, personæ essentiam nullo modo destruit. Ita olim ratiocinabantur sancti Patres. *Christus*, inquiebat S. Augustinus lib. 2 contra Maximium, c. 10, n. 2, *una persona est geminæ substantiæ, quia et Deus et homo est, nec tamen Deus pars hujus personæ dici potest; alioquin Filius Dei Deus, antequàm susciperet formam servi, non erat totus.* Et Maxentius, in dialogo 2 Nestoriano ante Crellium objicienti : *Omne compositum partibus constare nulli dubium est, pars autem minus est quàm totum; est ergo Deus Verbum pars Christi..... Et si Deus Verbum pars est Christi, et Deus Verbum juxta vos minor Christo cujus et pars est; quòd si pars Christi Deus est, quomodò Deus, si imperfectus est?* Huic objectioni respondet : *Non esse imperfectum Deum Verbum, quia non, ut perficeretur, assumptione carnis indiguit; sed ut caro perficeretur in melius commutata, carni se uniens, compositus factus est qui antè erat sine dubio summè simplex, et incompositus, perfectusque per omnia utpote Deus.*

Ad primam probationem ejusdem majoris ex his omnibus responsio clara est. Distingui potest antecedens; manifestum est Christum esse totum constans naturâ divinâ et humanâ, ita ut totalitas perfectionis se teneat integra ex parte naturæ divinæ, concedo; ita ut Christus duplici illâ naturâ constans, concipiatur quid melius ac perfectius solâ Verbi personâ, nego. Rerum numero et quantitate æstimanda non est perfectio ubi de naturâ spirituali agitur. *In iis quæ non mole magnâ sunt,* inquit sanctus Augustinus, lib. 6 de Trinitate, cap. 8, *hoc est majus esse quod melius esse.* Et verò num major perfectio mundi et Dei, quàm perfectio solius Dei?

Ad secundam distinguo : natura humana est pars Christi impropriè dicta et numerica, concedo; est pars propriè dicta, est pars perficiens, nego : ideò diximus Verbo deesse rationem partis propriè dictæ in Christo, quia perficit, non perficitur; ex adverso se habet na-

tura humana, perficitur, et non perficit. Verbum divinum post humanitatis assumptionem perfectius non est quàm antea, quia essentialiter perfectissimum est. Datur ergo medium inter illa duo, esse partem propriè dictam Christi, et esse accidens ejus personæ; istud scilicet, habere rationem partis numericæ, quæ perficiatur quidem, sed nihil perfectionis addat.

Ad tertiam, respondeo ejusmodi comparationes, quæ ex finitorum unione desumuntur, satis aptas non esse, nec in omnibus urgendas. Comparatur Verbum incarnatum ferro ignito, quemadmodùm comparatur substantiæ quæ accidentis est subjectum. *Accidens*, inquit sanctus Thomas in Compendio theologico, *trahitur ad personalitatem subjecti, ut sit persona eadem hominis et albi, et similiter eadem hypostasis et idem suppositum. Sic igitur secundùm similitudinem quamdam, persona, hypostasis et suppositum filii Dei, est persona, hypostasis et suppositum naturæ humanæ in Christo.* Notentur hæc verba: *Secundùm similitudinem quamdam*, nempe in eo stat similitudo, quòd natura humana Christi unita Verbo, ejus personâ compleatur, quemadmodùm non aliud est suppositum accidentis, ac suppositum subjecti; at in aliis magnum adest discrimen: nempe accidens non est natura completa, non est substantia, recipitur in subjecto cui inhæret; Christi verò humanitas est completa in ratione naturæ, ita ut naturaliter unionem non exigat; est substantia; unitur quidem Verbo, sed non in eo recipitur. Sic explicari debet paritas ferri candentis, et aliæ similes quas utiliter adhibuêre SS. Patres, non ut iis insistamus, quasi ad mysterii genuinam notitiam sufficerent, sed ut iis aliquo modo mens adjuta faciliùs possit ad contemplationem altissimarum veritatum, quas fides proponit, assurgere.

Objicies 6°. Si Verbum sit homo, ergo 1° Verbum est habens humanitatem, ac proinde recipit in se ejus perfectiones; ergo 2° perfectiones humanitatis adduntur Verbo, ac proinde fit perfectius; ergo 3° Verbum supplet vices formæ creatæ, nempe substantiæ humanæ, quod imperfectionem involvit.

Distinguo singula. I. Ergo Verbum est habens humanitatem sibi personaliter unitam, concedo; in se ut in subjecto receptam, nego. II. Perfectiones humanitatis Verbo adduntur eminenti modo, nego; formaliter sumptæ, subdistinguo: adduntur per unionem, concedo: per receptionem in Verbo, nego. Verbum abstrahendo à sui Incarnatione, omnes perfectiones humanitatis eminenter et essentialiter possidet, id est, ex ejus essentiæ necessitate ipsi insunt perfectiones summæ, quibus perfectionum humanitatis excellentiùs supplentur vices. Hinc 1°, in eo, ut in subjecto, recipi non potuerunt naturæ humanæ perfectiones formaliter acceptæ, quippe quæ in suo conceptu limitationem et imperfectionem involvunt. Hinc 2°, ubi accessêre ejusmodi perfectiones per unionem hypostaticam humanitatis, perfectius factum non est Verbum quàm erat anteà; quia finitum additum enti omni ratione infinito, quo eminenter continetur, non constituit totum perfectius, ut jam diximus et per se liquet. III. Ergo Verbum supplet vices formæ creatæ, seu substantiæ humanæ, terminando ac ultimò complendo humanam Christi naturam, concedo; illi naturæ inhærendo, hanc informando, nego. Verbum fieri modificationem aut formam naturæ humanæ absurdum planè est, et impossibile. Quòd autem terminet, ultimò compleat, ac in personæ unitatem sibi humanitatem devinciat, illud ipsum est quod evidentem contradictionem implicare non evincitur.

Objicies 7°. Quantacumque vis naturam in ratione personæ complendi personalitati Verbi inesse supponatur, tota perfectò exhauritur terminatione naturæ divinæ quæ infinita est; ergo Verbum non potest aliam naturam in unitatem personæ assumere.

1° Retorqueo argumentum: quantacumque sit vis intelligendi quæ inest Deo, tota exhauriri debet cognitione comprehensivâ entis infiniti, nempe Dei ipsius; ergo Deus contingentia non cognoscit. Rursùs quantacumque sit vis amandi quæ inest voluntati divinæ, tota exhauriri debet amore entis summè perfecti, Dei scilicet; ergo Deus nihil amare potest à se distinctum, nec quidquam producere ad extra. Quis ejusmodi consecutiones admittet? 2° Distinguo antecedens: tota exhauritur quantùm ad naturam infinitam ultimò complendam, concedo: quantùm ad naturam finitam, nego. Quod exhauritur, ac totum, si ita loqui fas est, consumitur in uno genere, non idcò exhaustum dici potest in altero. Quod infinito commensuratur, non ideò non potest ad aliquod finitum etiam extendi. Vis summa intelligendi quæ inest Deo, ipsius infinitâ naturâ major non est; atqui tamen entia contingentia attingit. Itaque cùm naturam rationalem finitam inter et naturam divinam discrimen infinitum intercedat, ex eo quòd personalitas Verbi major non sit naturâ divinâ quam terminat, non sequitur eam ad naturam rationalem finitam ultimò terminandam extendi non posse; imò ex eo ipso quo illa personalitas est infinita, videtur posse etiam extendi ad naturam ejusmodi finitam.

Objectiones ex parte naturæ humanæ.— Objicies 1°: Repugnat Incarnatio ex parte naturæ humanæ; nam posito mysterio Incarnationis natura humana Christi personalitatem suam seu subsistentiam conservaret, vel amitteret. Si primùm, duæ essent in Christo personæ, quod repugnat mysterio. Si secundùm, natura humana in Christo non esset integra, quippe quæ careret propriâ substantiâ; ergo.

Nego antecedens. Ad probationem, nego secundam partem assumpti. Namque natura illa est integra, quæ nullâ perfectione, aut proprietate essentiali, nullâ sui parte caret; atqui natura humana Christi, etsi propriâ subsistentiâ, seu personalitate destituatur, nullâ tamen perfectione, aut proprietate essentiali, nullâ sui parte caret; siquidem Christi humanitas, haud secùs ac aliæ humanitates, mente et corpore constituitur. Atque tantùm abest ut natura humana destruatur, aut imminuatur unione hypostaticâ, ut potiùs ad fastigium perfectionis provehatur. *Dei filius assumpsit formam servi*, inquit S. Leo in epistolâ ad Flavianum

Constantinopolitanum... *humana augens, divina non minuens.*

Enimverò si subsistentia dicatur modus quidam totalitati perfectionum superadditus, ille modus, utpote accidentalis, deesse naturæ humanæ Christi, ac Verbo divino suppleri poterit, eâ naturâ non imminutâ, imò perfectiore factâ. Si verò personalitas dicatur ipsâ ratione totalitatis perfectionum constitui, minor manebit difficultas. Ut enim rationem totalitatis aliqua natura amittat, ipsi quidquam detrahi non oportet; sufficit, si seorsim desinat existere et perficiatur unione cum altero. Numerus decimus rationem decimi amittit, si ipsi addantur unitates; gutta aquæ rationem totius non ampliùs habet, ubi in flumen projicitur; pariter natura humana Christi ideò totalis non est, et jure proprio non existit, uno verbo personalitate propriâ privatur, quia utitur hypostaticè Verbo divino; undè, ut observat S. Thomas in tertium Sent. dist. 5, quæst. 3 ad 4, Verbum magis propriè dicitur naturæ humanæ personalitatem impedivisse, quàm consumpsisse.

In his autem, quibus utimur, comparationibus unum annotandum est maximum discrimen. Nam illis in exemplis cùm finita finitis uniantur, perfectionum totalitas ac proinde ratio suppositi conjunctis communis est. Sed, uti dictum est, Filius divinus, utpote in omni genere infinitus, rationem totalitatis perfectionum, ac proinde propriam personalitatem retinet, in cujus consortium naturam humanam assumere dignatus est. Hinc pars assumpti negata distingui potuisset hoc modo : Natura Christi humana non esset integra, si amitteret personalitatem per solam additionem perfectionum, nego; per subductionem, subdistinguo : per subductionem alicujus perfectionis essentialis aut proprietatis, conc.; per subductionem duntaxat modi accidentalis ipsi naturæ, quem unio cum perfectiore excluderet, nego.

Instabis 1°. Persona juxta celebrem Boetii definitionem, est *naturæ rationalis individua substantia;* atqui natura humana Christi est individua substantia; ergo est persona. Deinde, substantia est ens per se subsistens; ergo cùm natura humana Christi sit substantia, habet propriam subsistentiam et personalitatem. Postremò, Verbum divinum dicitur hominem assumpsisse; sed homo est persona.

Ad primum, dist.: Substantia individua, id est, totalis, et seorsim ab aliâ existens, concedo; individua, id est, singularis tantùm, nego. Ad secundum, etiam dist.: Omnis substantia est ens per se subsistens, id est, non inhærens alteri, ut subjecto inhæsionis, veluti accidens, concedo; est ens per se subsistens, id est, in se seorsim existens, nec unitum alteri ut supposito, nego. Corpus, v. g., Petri, junctum ipsius animæ, suppositum seorsim non constituit, quanquàm est substantia. Ad tertium, dist.: Hominem, id est, humanitatem, concreto, ut sæpè fit, in locum abstracti usurpato, concedo; id est, personam humanam, seu naturam cum personalitate, nego.

Instabis 2°. Non magis natura humana Christi potest terminari et ultimò compleri subsistentiâ, seu personalitate Verbi, quàm potest existere existentiâ alienâ, vel intelligere intellectione alterius; atqui, etc.; ergo, etc.

Nego majorem. Disparitas est quòd existentia, intellectio, et alii quicumque status aut modi evidenter percipiantur naturæ, cui competunt, ut subjecto inhærere. Cùm ergo non possint simul inhærere et non inhærere, repugnat planè eos competere alicui naturæ et simul in aliâ realiter distinctâ solummodò recipi. At verò perinde evidens non est subsistentiam, seu personalitatem, quâ ultimò natura terminatur, in ejusmodi naturâ, ut in subjecto inhæsionis, semper recipiendam. Evidens non est metaphysicè repugnare, ut Verbum divinum propriâ suâ personalitate compleat, ac ultimò terminet rationalem naturam, quam sibi conjungere dignatur. Et verò nonne ratio personalitatis hominis vulgò habetur, ut communis animæ et corpori conjunctis, licet tamen modi illius duplicis substantiæ, utrique simul non inhæreant, ut inhæsionis subjecto? Nempe intellectiones, volitiones, cogitationes immediatè inhærent menti; figuræ verò et configurationes partium, earum mensura, motus, quies, etc., insistunt corpori. Quidni ergo poterit natura humana Christi subsistentiâ Verbi divini sustentari, et terminari, ac in ratione personæ compleri, quamvis eam subsistentiam in se, ut in subjecto, non recipiat?

Instabis 3° : Natura finita non potest subsistere, et ultimò in ratione personæ compleri subsistentiâ seu personalitate infinitâ; atqui natura humana finita est, personalitas Verbi infinita, ergo, etc.

Distinguo majorem : subsistentiâ infinitâ, quâ informetur, concedo; quâ simpliciter terminetur, seu cui uniatur tantùm, nego. Natura finita non potest quidem informari personalitate infinitâ, id est, eam in se tanquàm in subjecto recipere. Sed neque istud ad fidem requiritur. Hoc unum dicimus, naturam humanam Christi ad Verbi infinitam personam habere relationem unionis; adeò ut illi conjuncta sui juris esse desinat, seorsim non existat, illâ personaliter compleatur. Atqui id evidenter repugnare non probatur.

Instabis 4°. Natura finita aliarum perfectionum infinitarum, v. g., immensitatis divinæ particeps esse non potest; ergo à pari nec personalitatis infinitæ.

Nego consequentiam et paritatem. Nam planum est alias perfectiones infinitas, v. g., omnipotentiam, immensitatem non posse participari nisi eâ naturâ, quam informent, seu cui insistant et inhæreant; sola igitur natura infinita earum potest esse particeps. Sed non demonstratur naturam Christi humanam subsistentiæ Verbi non posse esse participem, quin illius subsistentiæ fiat subjectum; ad participationem, de quâ agitur, sufficit unio multoties jam declarata.

Objicies 2° cum Crellio, lib. 2 de uno Deo Patre, sect. 2, cap. 8, pag. 101 et seq.: Evidens est naturam humanam Christi esse personam, ac proinde si Chri-

stus sit summus Deus, esse duas in eo personas, ut sentit Nestorius. Probat antecedens Crellius triplici potissimùm argumento. Primum deducitur ex definitione personæ: omnis enim, inquit, substantia prima seu singularis, completa, intelligens, persona est; atqui natura humana in Christo est substantia singularis, completa, intelligens ut omnes fatentur; ergo, etc. Secundum desumitur ex eo quòd natura humana Christi sit homo, quod patet, tum quia Christus in Scripturis appellatur homo, filius hominis, vir, etc.; tum quia, si ad naturam hominis constituendam non pertinet subsistentia, ut dictum est, non prohibebit ejus absentia quominùs humana Christi natura homo propriè dicatur; tum denique quia illud est homo cui competit definitio hominis: atqui naturæ humanæ Christi competit definitio hominis; nempe illa natura est animal rationale; est enim rationalis, alioqui non esset natura humana; est etiam animal, cùm nihil aliud nomine animalis intelligatur, ubi de genere hominis quæstio est, quàm corpus animâ sensitivâ præditum; ergo natura humana in Christo est homo: sed homo est persona; ergo, etc. Tertium desumitur ex actionibus et officiis naturæ humanæ Christi, et sic se habet: Quæ agit propriè loquendo, ac certa officia sustinet, persona est, cùm actiones sint suppositorum; atqui natura humana Christi agit, officia sustinet, intelligit, vult, etc., nec enim ad agendum vires habet minores quàm quilibet homo, imò majoribus pollet, cùm donis potioribus sit prædita; ergo, etc.

Nego antecedens, et distinguo majorem primi argumenti in probationem allati: Omnis substantia singularis, intelligens et completa ultimò, non modò in ratione naturæ, sed et in ratione personæ, seu seorsim existens et alteri non unita, ejusmodi substantia, inquam, est persona, concedo; omnis substantia, etc., completa in ratione naturæ tantùm, seorsim non existens, et alteri unita, nego. Similiter distinctâ minore, nego consequentiam. Illa substantia intelligens est completa in ratione naturæ, cui nihil deest eorum, quæ ad illius naturæ essentiam, proprietates ac perfectiones pertinent ita ut de se ad unionem cum altero non tendat. Hoc sensu anima, quæ, nisi uniatur corpori, aliquâ sibi naturaliter conveniente perfectione caret, non est natura completa, ut vulgò sentiunt. Substantia intelligens singularis est completa in ratione personæ, ubi non modò in ratione naturæ completa est, sed etiam seorsim existit, sui solius proinde juris est, quippe non unita alteri quo perficiatur. Sic, v. g., angelus. Sed et in corporeis habentur ejusmodi exempla: aqua in vase contenta est suppositum, quia est quid completum quod seorsim existit, nec unitur alteri; at si ejusmodi aqua projiciatur in flumen, fit pars fluminis, desinit esse suppositum, quia unitur alteri, ac desinit existere seorsim. Scopum igitur non attingit Crellius dùm probat naturam humanam in Christo esse substantiam singularem, intelligentem, ac completam eo sensu, quòd nulla proprietas ac perfectio humanitatis ipsi desit, quod ultrò fatemur. Probet insuper eam esse ultimò completam, seu existere seorsim, ac Verbo non esse unitam. Et verò juxta Crellium ibidem, anima humana à corpore separata, est persona, quia contendit eam esse substantiam completam, intelligentem. Quidquid sit de illâ opinione quam hic non expendimus, planum est, quòd pariter idem Crellius asserit, animam corpori junctam non se solâ constituere integram hominis personam, sed simul cum corpore. Substantia igitur intelligens, completa in ratione naturæ, desinit esse completa in ratione personæ, ubi seorsim non existit, seu cùm unitur alteri; ergo, etsi natura humana Christi sit completa in ratione naturæ, non tamen debet esse persona, si unitur Verbo.

At, inquit Crellius ibidem, indè sequeretur naturam humanam in Christo non intelligere *ut quod*, sed *ut quo*: atqui, si non intelligat *ut quod*, non est natura intellectu prædicta, ut nos sumus, non est natura humana; ergo, etc.

Nego assumptum. Solâ terminorum expositione evanescit illa Crellii cavillatio. Illud dicitur intelligere *ut quod*, cui, ut supposito, seu personæ, tribuitur intellectio; natura autem, quâ persona intelligit, dicitur intelligere *ut quo*. V. g., Petrus intelligit *ut quod*, quia est persona intelligens; mens verò ejus intelligit *ut quo*, seu illud est quo intelligit Petrus. Cùm juxta fidem catholicam una sit in Christo Verbi divini persona, sequitur actiones ab humanitate Christi elicitas, tribuendas esse Verbo ut personæ, ac proinde ipsum esse per hanc humanitatem intelligens *ut quod*, naturam verò Christi humanam intelligere solummodò *ut quo*. Sed nihilominùs illa natura constituitur mente et corpore, habet essentiam, proprietates, ac perfectiones naturæ humanæ. In quo igitur differt à cæteris naturis humanis? in eo tantùm, quod seorsim non existat, quòd uniatur Verbo, ac sic fiat ejus juris, quòd careat personalitate propriâ propter hanc suam cum Verbo personalem unionem. Dicere naturam humanam esse hocce modo unitam Verbo, et dicere eam non intelligere *ut quod*, sed *ut quo*, sunt quid unum et idem; probetur ergo hâc unione destrui naturæ humanæ Christi essentiam ac perfectionem, vel concedatur ejus essentiam eamdem esse ac aliarum humanitatum, licet intelligat duntaxat *ut quo*, non *ut quod*. Et certè nemo dixerit essentiam animæ, ubi à corpore separatur, mutari; attamen si separata à corpore sit persona, ut sentiunt quidam, et ipse Crellius, tunc intelligit *ut quod*, quamvis unita corpori intelligat *ut quo*; ergo à fortiori unio naturæ Christi humanæ cum Verbo, etc.

Ad secundum argumentum, quod totum in meris æquivocationibus ac terminorum tricis positum est, respondeo *naturam humanam* Christi dici posse *hominem* minùs accuratè, quemadmodùm abstracta nonnunquàm sumuntur pro concretis; sed propriè et accuratè loquendo *hominem* notioni naturæ humanæ aliquid addere, nempe notionem personæ; homo enim est persona, seu ille qui habet naturam humanam. Hoc observato facilè solvuntur, quæ in probationem affert Crellius. Primò in iis, quæ sacris litteris objicit,

nulla difficultas. Christus in Scripturis dicitur homo, filius hominis, vir; id ipsum et nos de Christo profitemur; est enim persona habens humanam naturam. Sed quæ est illa persona? aiunt Sociniani hanc esse personam humanam; ex adverso cum Christianis omnium sæculorum juxta Scripturas dicimus hanc esse ipsammet personam Filii Dei qui caro factus est, id est, humanitatem sibi personaliter copulavit. Quæ deinde subtiliter videtur observare de appellatione *hominis* naturæ humanæ Christi propriè competente, si ad naturam hominis constituendam subsistentia non pertineat, magis solida non sunt. In homine duo spectari debent, ratio naturæ, et ratio personæ. Neque id homini peculiare est, nam in omnibus personis et suppositis alia est etiam ratio naturæ, alia suppositi. Sæpè natura eadem manet, dùm suppositi ratio tollitur, si nempe natura seorsim existere desinat, ac unione cum altero evadat perfectior. Quod ergo constituit naturam hominis in ratione naturæ, non præcisè sufficit, ut constituta illa dicatur in ratione personæ, ac proinde cùm *homo* propriè et accuratè significet personam, cui competit natura humana, sequitur naturam humanam Christi propriè et accuratè *hominem* dicendam non esse, etsi subsistentia ad constituendam naturam hominis non pertineat. Denique nihil levius ratiocinio Crellii ex definitione hominis deducto. Distinguo primam propositionem : illud est homo, cui competit definitio hominis tum quoad naturam, tum quoad personam spectati, concedo; quoad naturam tantùm, nego. Vox *homo*, cùm propriè idem sit ac habens naturam humanam, complectitur proinde non modò rationem naturæ humanæ, sed etiam rationem personæ. Illud igitur cui competeret tantùm definitio hominis quoad naturam spectati, non posset dici *homo* propriè et accuratè loquendo. Atqui naturæ humanæ in Christo competit tantùm definitio hominis quoad naturam spectati, non verò quoad personam; quippe natura humana in Christo seorsim non existit, sed Verbo uniri supponitur.

Distinguo pariter hanc propositionem : natura humana est animal rationale; si voces illæ, *animal rationale*, sumantur in abstracto, quasi diceretur animalitas juncta rationalitati, seu corpus animæ sensitivæ ac rationali conjunctum, concedo; si sumantur in concreto, nempe pro personâ habente animalitatem et rationalitatem, nego. Scilicet ut abstracta nonnunquàm pro concretis, ita concreta nonnunquàm pro abstractis usurpantur. Liceat igitur dicere minùs accuratè naturam humanam Christi esse animal rationale, modò concretum ibi pro abstracto sumi advertatur, ita ut sensus sit naturam humanam esse animalitatem junctam rationalitati. Sed non probat Crellius naturam humanam Christi esse animal rationale in concreto, ut sonat acceptum, id est, esse personam habentem animalitatem junctam rationalitati; quod unum tamen ipsi probandum incumberet.

Ad tertium argumentum responsio patet ex iis quæ circa primum dicta sunt. Agit quidem natura humana Christi, sed agit ut natura, non ut persona. Nempe ipsa actus diversos elicit, verùm illi actus Verbo ut personæ cui unitur, quo sustentatur ac regitur, cujus est juris, tribuendi sunt, ut aliquando uberiùs explicabitur.

Instabis cum Wolsogeno (Declarat. duar. sentent. cap. 12, pag. 30). 1° Non magis natura divina et natura humana possunt in unam Verbi personam coalescere, quàm persona divina et persona humana in unam essentiam. 2° Cur natura divina in Christo potiùs p o personâ sumitur, quàm natura humana?

Ad primum, disparitas summa est, petita non tantùm ex Scripturis, sed et ex ratione evidenti. Nam ut natura divina et natura humana in unam Verbi personam coalescant, sufficit naturam humanam uniri Verbo, quæ unio, ut dictum est, nullam confusionem naturarum, nullam Verbi mutationem arguere demonstratur. Verùm si Verbum et homo in unam essentiam coalescerent, eorum essentiæ confunderentur, aut una in alteram converteretur, quod cum immutabili naturâ Verbi Dei conciliari non potest; ergo. Ad secundum, natura divina, aut potiùs Verbum divinum dicitur una Christi persona, 1° quia ex revelatione Dei id constat, ut infrà ostendemus. 2° Quia evidens est, positâ unione naturæ humanæ cum Verbo, totalitatem perfectionum, ac proinde rationem personæ integram esse ex parte Verbi divini, nullatenùs ex parte naturæ humanæ, quæ eo ipso quo unitur, persona esse non potest.

Objicies 3° cum Pyrrhonio apud Baylium, Diction. crit. art. *Pyrrhon.* Evidens est ad constituendum hominem, qui sit vera et realis persona, animam corpori unitam sufficere; atqui juxta Incarnationis fidem id non sufficeret. Similia habet Wolsogenus in *Declaratione* pluries citatâ, cap. 13.

Distinguo majorem : evidens est, id est, evidenter conforme veritatibus physicis, concedo : evidenter conforme veritatibus metaphysicis, subdistinguo : si anima illa et corpus non uniantur alteri, seu seorsim ab altero existere supponantur, ut fit naturaliter, concedo; si supponantur uniri Personæ divinæ, quæ suppositio absolutam contradictionem involvere non demonstratur, nego. Cùm juxta ordinem institutum ac constanter observatum, anima corpori conjuncta non uniatur alteri rei in personæ consortium, cùmque natura humana Christi naturaliter et ex se unionem cum Verbo non postulet, ideò veritatibus physicis, id est, ordini physico planè consentaneum illud est, ut anima corpori conjuncta personam humanam constituat. Sed ordo rerum physicus exceptionem aliquam divinitus pati potest. Naturam porrò corpore et animâ constantem, si possit alteri uniri, seu seorsim non existere, posse etiam personalitate sibi propriâ spoliari nemo diffitebitur. Sed estne metaphysicè, seu sine exceptione verum ejusmodi naturam non posse uniri alteri, et sic personalitatem suam amittere? Certè quidem fides christiana docet id ipsum in Incarnatione, Deo extraordinariè operante, tam eximiè esse peractum, ut natura humana Christi personaliter conjuncta sit Verbo divino. Hâc unione evidentem pugnam cum veritatibus necessariis involvi nisi demonstret Baylius, nihil

quidquam ex ejus veritate in gratiam Pyrrhonismi adversùs evidentiæ certitudinem concludet.

Instabis cum eodem. Indè sequitur neminem posse esse certum se esse personam; nam si anima corpori conjuncta personam essentialiter non constituat, sequitur personalitatem esse modum accidentalem; atqui omne accidens potest à subjecto separari variis modis; potest ergò Deus variis modis impedire ne simus personæ, etsi mente et corpore constemus. Quis autem novit an non voluerit Deus aliquo modo nos propriâ personalitate spoliare?

Nego sequelam. Quidquid enim statuatur à philosophis de subsistentiâ ac personalitate, sive illa sit modus accidentalis superadditus naturæ, sive totalitate perfectionum constituatur, certissimum est naturam rationalem completam et seorsim existentem, seu non unitam alteri cujus juris fiat, aut quocum habeat jus commune; certissimum est, inquam, ejusmodi naturam esse personam. Atqui certus unusquisque esse potest naturam singularem, quâ constituitur, seorsim existere, non uniri alteri quo perficiatur, non esse juris alterius. Nam quemadmodùm cognoscit anima se uniri corpori, et quemadmodùm Verbo uniri non potuit humanitas Christi, quin se ad hujusce statûs sublimitatem, tot donorum sibi concessorum fontem, evectam cognosceret; ità unio quælibet naturæ humanæ cum aliâ re in personæ consortium, inscià mente, non fieret. Enim verò unio de quâ agimus non est unio quævis, sed ejus indolis esse deberet, ut eâ positâ humanitas perficeretur, aliâ ratione modificaretur, et desineret esse juris proprii. Uno verbo unio ejusmodi minùs arcta esse non posset ipsâ unione animæ et corporis.

Ex his, quid de argumento in probationem allato sentiendum sit liquet. Etenim personalitas, ut jam non semel observatum est, nequit amitti, nisi natura rationalis, cui inest, ità uniatur alteri, ut fiat ejus juris, aut cum eo jus commune habere incipiat. Atqui cognoscere possumus nostram naturam non esse hocce modo unitam, si quidem nobis insciis, tam stricto nexu rei alteri non alligaretur; insulsè igitur quis dubitaret utrùm sit persona, quia natura humana Christi Deo miraculosè operante, potuit non esse persona supplente scilicet propriam ejus personalitatem Verbo divino, cui tam arcto nexu conjuncta est, ut statum hunc suum ignorare non potuerit.

Objectiones ex parte unionis hypostaticæ.

Objicies 1°. Nequeunt uniri extrema quæ nullam habent inter se proportionem; atqui Verbum quod infinitum est, et natura humana quæ finita et limitata, nullam habent inter se proportionem, infinito intervallo distant; ergo, etc. Ità Faustus Socinus in lib. de Christi naturâ, Wolsogenus, in declaratione duarum sent., cap. 13, etc.

Distinguo majorem. Quæ nullam habent proportionem habitudinis, concedo; entitatis tantùm, nego. Proportio entitatis est æqualitas perfectionum; proportio habitudinis est relatio potentiæ seu capacitatis unius ad aliud. Perspicuum est non esse proportionem entitatis inter Verbum et naturam humanam; sed non minùs liquidò constat, ibi sæpè dari proportionem habitudinis, ubi deest proportio entitatis. V. g., inter facultatem cognoscitivam hominis quæ finita est, et Deum cognoscendum, inter facultatem amandi quæ inest creaturæ rationali, et Deum super omnia diligendum, nemo negaverit adesse proportionem habitudinis, licet nulla sit proportio entitatis; ergò ex eo quòd Verbi divini perfectio infinita sit, et humanitas limitata, immeritò concluderetur istam non posse ad hunc evehi celsitudinis gradum, ut Verbo hypostaticè uniatur.

Objicies 2° cum Volkelio, lib. 5 de verâ rel. cap. 11, Crellio imprimis, ubi sup. cap. 7, Wolsogeno in Decl. cap. 13: Positâ unione hypostaticâ unus et idem Christus, una et eadem persona propriè diceretur Deus et homo; atqui una eademque persona sensu proprio dici non potest simul Deus et homo; nam Deus et homo sunt duo disparata ita opposita, ut in ratione generis remotissimi duntaxat conveniant, si tamen in eo conveniunt univocè; differentiæ verò eorum diversos habent conceptus formales ac sese mutuò excludunt; atqui ejusmodi disparata non possunt prædicari simul de eâdem personâ, alioqui possent de uno eodemque simul affirmari duo contradictoria.

Nego minorem. Nam positâ unione hypostaticâ, Christus, seu una eademque Verbi divini persona, est habens divinitatem et habens humanitatem; sed persona habens divinitatem est Deus, et persona habens humanitatem est homo; ergo, etc. Ad probationem, nego minorem. Sanè Deus in propriâ naturâ homo esse non potest, nec humanitas potest esse Deus; hoc unum objectione evincitur, sed à nemine illud negatur, nec de eo quæstio est. At repugnatne ut una et eadem Verbi divini persona, posito quòd absque ullâ sui mutatione naturam humanam sibi hypostaticè conjunxerit, dicatur habens divinitatem et humanitatem, ac proindè Deus et homo? En quæstio. Jam verò dico ibi nullam esse contradictionem. Nam ibi nulla contradictio, ubi nulla affirmatio et negatio simultanea ejusdem de eodem sub eodem respectu; atqui, etc. Nam Christus seu Verbum non dicitur sub eo respectu, sub quo dicitur Deus, nec Deus sub eo respectu sub quo dicitur homo; Verbum appellatur Deus, quia ipsi divinitas essentialis est; appellatur homo, quia humanitatem sibi personaliter copulavit. Neque ejusmodi ratio loquendi habenda est ut specialis mysterio nostro; in rebus aliis etiam communibus usitata est. V. g., nonne idem homo propriè dici debet rationalis et corporeus, moveri et cogitare? rationalis, quia habet animam rationalem, et corporeus, quia etiam corpore constat, etc. Illa tamen, motus et cogitatio, rationalitas et corporeitas, disparata sunt, et genericè duntaxat conveniunt, ergò, etc.

Instabis. Absurdè diceretur juxta propriam acceptionem eamdem personam esse simul hominem et leonem; atqui magis disparata sunt Deus et homo, quàm homo et leo. Nam Deus et homo ad summum conve-

niunt in ratione generis remoti entis et substantiæ; at homo et leo habent etiam genus proximum commune, nempe animalitatem; ergo, etc.

Distinguo majorem : quia una eademque persona non habet simul hominis et leonis naturam, concedo; quia tantùm hæc duo disparata sunt, nego. Non negamus igitur Deum et hominem esse res disparatas, ac in infinitum distare. Sed quantumlibet ratione entitatis ac perfectionum differant, si tamen natura divina et natura humana in personæ unitatem copulentur, clarum est hanc personam esse simul Deum et hominem, uti explicatum est, nec in eo ullam contradictionem reperiri.

Objicies 3°. Positâ unione hypostaticâ naturæ humanæ cum Verbo divino, sequeretur humiliatum ac exinanitum fuisse Deum altissimum, ipsum natum esse ex Virgine, esse mortuum, resurrexisse, in cœlos ascendisse et exaltatum fuisse, etc.; atqui hæc omnia evidenter repugnant; ergò. Ita Socinus passim in lib. de Christi naturâ, Jonas Schilictingius contrà Meisnerum, Wolsog. in Decl. cap. 16, 18, 19, 20.

Nego minorem. Quia hæc omnia non prædicantur de Deo altissimo secundùm naturam divinam, sed secundùm naturam humanam, quam assumpsit, considerato. Nempe dicitur Filius Dei semetipsum exinanivisse, quia cùm essentialiter naturâ infinitâ sit præditus, dignatus est tamen naturam humanam, naturam finitam, passibilem, quæ comparata naturæ suæ divinæ tanquàm nihilum se habet, assumere ac sibi personaliter unire. Dicitur humiliatus, natus, crucifixus, mortuus, resurrexisse, etc., secundùm humanitatem. Scilicet omnes actiones et passiones naturarum tribuuntur suppositis, juxta axioma vulgare : Actiones sunt suppositorum. Homo dicendus est cogitare, intelligere, velle, comedere, deambulare, etc., licet cogitatio, intellectio, volitio, eliciantur à mente, actus verò deambulandi et comedendi exerceantur facultatibus corporis; ita pariter quæcumque passa est, quæcumque operata est humanitas Christi, hæc Verbo propter unionem personalem tribuenda. Sed de his et aliis ejusmodi Socinianorum argutiis in tractatûs decursu et explicatâ fidei doctrinâ de idiomatum communicatione, aptior erit dicendi locus.

ARTICULUS III.

Ostenditur mysterii Incarnationis veritatem ex revelationis sensu nativo indagandam, posthabitis circa ejus possibilitatem rationis difficultatibus.

Jam superiùs animadversum est istius quæstionis statum magis perspicuè aperiri non posse, quàm exactâ declaratione methodi cùm Socinianæ, tum catholicæ in inquirendo divinæ revelationis sensu. Istud in exponendis Scripturis principium statuunt Sociniani : Sensum textûs cujusvis proprium et litteralem, qui cum ratione naturali conciliari non potest, falsum esse nec Deo tribuendum; ex quo concludunt statim expendendum an dogmata, quæ Christianis credenda proponuntur, sint consentanea rationi; atque cùm Incarnatio, et alia plurima christianæ fidei mysteria ipsis videantur rationi repugnare, contendunt ea sacris litteris contineri non posse. Supremum itaque Scripturarum judicem rationem suam constituunt, non tantùm eo sensu quòd, ipsâ solâ duce, velint eas interpretari, sed etiam quò ad ejus normam dogmatum possibilitatem aut repugnantiam primùm expendant; ita ut quidquid impervium est rationi, ab ipsis absurdum et impossibile judicetur, ac tanquàm à Deo minimè revelatum respuatur. Hâc methodo eò adducti sunt ut non modò incarnationem, sed et Verbi Divinitatem summam, Christi præexistentiam, ejus satisfactionem, Spiritûs sancti ipsam personalitatem, Dei immensitatem, præscientiam futurorum liberorum, æternitatem decretorum, creationem materiæ, peccatum originale, gratiæ necessitatem, pœnarum æternitatem, etc., è medio tollerent.

Observandum autem perniciosam illam methodum à Socinianis plerumque in praxim potiùs reduci, quàm verbis apertè declarari. De auctoritate, claritate ac sufficientiâ Scripturæ eodem modo loquuntur ac Protestantes. Sæpissimè profitentur se solis Scripturis adhærere, eas integras à se recipi, se tandem ex Scripturis solis pugnare, posthabitis omnium conciliorum, Patrum, doctorum, ac cujusvis Ecclesiæ interpretationibus; imò addunt mysteria Trinitatis, Incarnationis, etc., à se libenter admittenda, si iisdem verbis ac terminis, quibus à Christianis explicantur, in Scripturis haberentur expressa.

Quod verò ad eorum praxim attinet, omnia religionis dogmata supra rationem posita rejiciunt; Incarnationem et alia ejusmodi mysteria à Deo non potuisse revelari affirmant, quia rationi contraria; denique sensus metaphoricos, ad quos testimonia Scripturæ sibi objecta detorquent, variis quidem comparationibus ad alia Scripturæ loca, et observationibus grammaticalibus probare amant, sed et maximè istâ confirmant ratione, quòd, ut mysteriorum lumini naturali tam manifestè oppositorum fides exigeretur, hæc clariùs deberent in sacris Scripturis significata ostendi. Hactenùs dicta passim observari possunt in Fausti Socini, Crellii, Wolsogeni, aliorumque Socinianorum libris. Præ cæteris verò perversam, de quâ agimus, methodum profitetur auctor (1) libri cui titulus : *Philosophia sacræ Scripturæ interpres*, anno 1666 editi, in quem complurimi inter Protestantes scripsêre.

Jam dudùm Protestantibus exprobratum est in eorum sinu, et ex eorum principiis natam esse sectam ac methodum Socinianam; et re quidem ipsâ Sociniani simili prorsùs ratione religionis christianæ fundamenta impetunt, quâ Protestantes, inprimis Sacramentarii, adversùs Ecclesiæ doctrinam plerumque argumentantur; quod facilè comprobaretur, si ineundæ inter utramque methodum comparationis idoneus hic esset locus. Hinc à Protestantibus longè difficiliùs quàm à Catholicis Socinianismus confutatur; quia scilicet Sociniani adversùs illos perpetuò urgent, eâdem methodo sibi uti licere, quæ ab ipsis contra

(1) Ludovicus Meyer, medicus Hagens.

Catholicos adhibetur. Præter Socinianos alii apud Protestantes methodo expositæ, in Scripturis intelligendis adhærendum censent. Arminiani seu Remonstrantes illam non solùm usurpare solent adversùs rigidiores Calvinistas synodi Dordracenæ defensores, sed etiam ad omnia dogmata transferunt et applicant. Unde theologi Rationalistæ appellati sunt, et sæpiùs de erroribus Socinianis graviter accusati. Ii tamen in tantam impietatis abyssum, quantam Sociniani, non videntur necessariò præcipites abire. Nimirùm dogmata, quæ Sociniani propriis subtilitatibus implicati contradictionem involvere judicant, verè non demonstrantur, ut superiori articulo dictum est, veritatibus metaphysicis repugnare. Illa ergo potest theologus Rationalista spectare ut impervia solummodò rationi, non ut ipsi contraria; quâ distinctione intellectâ, nihil obstat quominùs mysteria esse à Deo revelata agnoscat, optimis, quibus astruuntur, Scripturarum argumentis convictus.

Atque hanc esse suam doctrinam non semel reipsà testati sunt insigniores Rationalistæ. Id ipsum de hoc argumento inter alios docuit Hermannus Alexander Roell in academiâ Franeker, theologiæ et philos. professor, in Oratione inaugurali de religione naturali, dictâ ibidem 15 cal. Julii 1686. Idem ut indubitatum supponitur, in scriptis quæ et ille et alii ejusdem academiæ Rationalistæ adversùs alios Protestantes, in gratiam Rationalismi, præsertim circa S. Scripturæ canonicitatem cognoscendam, annis 1686 et 1687, ediderunt occasione disputationis de rectâ ratiocinatione ibidem defensæ 8 Octobr. 1686, cujus quidem theseos articulus 8 doctrinam Rationalismi continens, tot concertationibus locum dedit, ut silentium utrique parti imponere coacti fuerint comitiorum provincialium Frisiæ deputati.

Non diffiteor tamen Rationalistas præsertim rigidiores Socinianismi esse maximè suspectos; tum propter tolerantiam universalem quam propugnant; tum propter methodi perversitatem, quâ ad Socinianos errores mens facilè ducitur; tum propter eorum in scrutandis divinis temeritatem, monente Spiritu sancto, ac ratione ipsâ dictante, scrutatores majestatis esse à glorià opprimendos.

In respuendâ perniciosâ illâ methodo ac doctrinâ consentiunt omnes Christiani. Docent inprimis Catholici, seu viâ disquisitionis et examinis, seu viâ præscriptionis et auctoritatis inquiratur veritas mysterii ad credendum propositi, v. g., Incarnationis, nativum verbi Dei sensum ante omnia investigandum, ad eum duntaxat mentem appellendam, ipsique certâ fide adhærendum posthabitis difficultatibus quas ratio objicit.

Contendunt probantque, quod articulo præcedenti patefactum est, difficultates ejusmodi non esse demonstrativas. Sed nihilominùs eum impiè agere arbitrantur, qui illarum examen fidei vult prægredi, et verba divina vel ad sensus proprios et naturales, vel ad sensus metaphoricos determinat arbitrio rationis de ejusmodi difficultatibus judicantis.

Non negant iidem suas esse rationi partes in discussione dogmatum. Ex motivis credibilitatis ratio demonstret revelationis existentiam: sanioris et accuratæ critices regùlis utatur in dignoscendo verbi Dei sensu: textum cum antecedentibus et consequentibus conferat; scopum auctoris sacri, circumstantias loci, temporis, personarum, et alia quæ ad genuinam interpretationem ex se conducunt, diligenter expendat; usitatas Scripturarum locutiones observet; textus primigenios adeat; sanctorum Patrum ac conciliorum interpretationes in medium proferat; hæc rationi permittuntur. At fines sibi præscriptos ipsa non excedat; neque, donec rei possibilitatem expenderit, ac mysterium potuisse à Deo revelari censuerit, suspensam detineat fidem, et verborum Dei nativam ac propriam significationem.

Uno verbo, ubi Deus loquitur, silcat ratio, solus ipse audiatur, ac verbis ejus sensu nativo intellectis, quæcumque contrariæ verisimilitudines ac rationis difficultates spernantur.

Doctrinâ catholicâ et errore Socinianо, quantùm par erat, explicatis, statuenda est

Conclusio. Ubi de Incarnationis aut alterius cujusvis mysterii veritate agitur, verborum Dei sensui nativo adhærendum est, posthabito, circa ejusmodi mysterii possibilitatem, rationis examine ac judicio.

Probatur 1° ex Scripturis, quas recipiunt Sociniani. Proverb. 1, v. 27: *Scrutator majestatis opprimetur à glorià.* Apost., 2 ad Cor. 10, v. 4: *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo..... in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Ex quibus sic argui potest: Ubi de Incarnatione, aut alio quovis mysterio agitur, qui verborum Dei sensui nativo non vult adhærere, nisi ejusmodi mysteriorum possibilitatem ratione expenderit, paratus aliorsùm divertere revelationis sensum, si rem propositam impossibilem judicet; ille scrutator majestatis divinæ dicendus est, in obsequium fidei intellectum non captivans. Scrutatur majestatem divinam, si quidem omnia fidei mysteria incomprehensibilem Dei naturam et altissimas ejus operationes spectant. In obsequium fidei intellectum non captivat, cùm verbo Dei nolit adhærere, donec dogmatum possibilitatem ad normam rationis expenderit. Atqui juxta Scripturas scrutator majestatis est à glorià opprimendus, et in obsequium fidei captivandus est intellectus; ergo ubi de Incarnatione, etc. Et verò illa rejicienda methodus quam Christus et Apostoli praxi suâ condemnaverunt; atqui Christus et Apostoli praxi suâ condemnaverunt Socinianam methodum; eniminverò tantùm abest ut Christus et Apostoli ad normam rationis verba divina intelligenda docuerint, ut potiùs ad solam revelationis divinæ auctoritatem, ubi de mysteriis agitur, animos erigant et applicent. *Beatus es, Simon Barjona,* inquit Christus Matth. 16, v. 17, alloquens S. Petrum qui hoc ipsum, de quo disserimus, mysterium confessus erat, *quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* Et sanctus Paulus, Epistolà 1 ad Corinth., cap. 1, à versu 17 usque ad finem, et ca-

pite 2 integro, de modo quo mysteria Incarnationis et Redemptionis annuntiabat, verba faciens, humanam sapientiam reprobat, horumce mysteriorum apparentem stultitiam fatetur, totusque auctoritate revelationis divinæ prodigiis ac virtutibus manifestatæ innititur. *Non enim*, inquit c. 1, v. 17, *misit me Christus baptizare, sed evangelizare : non in sapientiâ verbi, ut non evacuetur crux Christi, verbum enim crucis pereuntibus stultitia est, iis autem qui salvi fiunt, id est, nobis, Dei virtus est; scriptum est enim : Perdam sapientiam, etc. Nos autem prædicamus Christum crucifixum; Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam*, etc.; et cap. 2, v. 4 et seq. : *Sermo meus et prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritûs et virtutis, ut fides vestra non sit in sapientiâ hominum, sed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos; sapientiam verò non hujus seculi... sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est*, etc. Citata loca legantur integra.

Probatur 2° ex sanctis Patribus, qui in inhdelibus et hæreticis perversum ejusmodi rationis usum, quo variis adversùs mysteriorum fidei possibilitatem ratiociniis, eorum veritas impugnatur, studiosè vituperaverunt ac gravissimè condemnaverunt tanquàm impium, temerarium ac periculosum; tum propter obsequium Dei loquentis auctoritati debitum, quâ ut motivo nititur fides; tum propter infirmitatem rationis humanæ, quæ sæpè fallitur, et in rebus vel minimis cæcutit; tum denique propter altitudinem et incomprehensibilitatem mysteriorum nostrorum, in quibus de ipsâ Dei naturâ inscrutabili, de ejus attributis ac operationibus specialibus agitur. Nonnulla eorum testimonia, in quibus de Incarnatione loquuntur, exscribere sufficiet. S. Joannes Chrysostomus, homil. 24, aliàs 23, in Joan. n. 3, ad hæc verba Nicodemi : *Quomodò potest homo nasci*, etc. *Sic et hæretici*, inquit, *in suâ perstant hæresi, pari modo interrogantes; dicunt enim alii : Quomodò incarnatus est? alii : Quomodò natus? cogitationumque suarum infirmitati immensam illam substantiam. Quæ cùm sciamus, intempestivam illam curiositatem vitare oportet. Neque enim quomodò hæc facta sint, scient unquàm ii qui hasce movent quæstiones, et à rectâ fide excident.... Hæc cùm sciamus, ne ratiocinio divina scrutemur, neque ad naturalem rerum seriem illa referamus.... sed piè omnia cogitemus, credentes Scripturæ dictis. Nam curiosus indagator, nihil lucratur, ac præterquàm quòd id quod quærit non inveniet, extremas etiam dabit pœnas. Audis Patrem genuisse? id quod audisti crede; quomodò autem? ne quæras; neque ideò generationem abneges*, etc. S. Aug. epist. 137, aliàs 3, ad Volusianum, postquàm n. 5 de ipsis corporis sensibus plura retulit, quæ mente percipi nequeant, addit n. 6 : *Hæc omnia mira sunt, nihil horum affirmari sine quâdam velut absurditate potest; et de sensu loquimur morticino.... Et putamus nobis de omnipotentiâ Dei incredibile dici aliquid, cùm dicitur Verbum Dei, per quod omnia facta sunt, sic assumpsisse corpus ex Virgine, et sensibus apparuisse mortalibus, ut immortalitatem suam non corruperit, ut æternitatem non mutaverit?* etc. Tandemque n. 8 sic concludit : *Hic si ratio quæritur, non erit mirabile, si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.* Cassianus, lib. 4 *de Incarnatione* cap. 6 : *Rationem dicti quæris*, inquit? *Non reddo; interim Deus hoc dixit; Deus hoc locutus est mihi; verbum illius summa ratio est. Removeo argumenta, removeo disputationes; sola mihi ad credulitatem sufficit persona dicentis. Non licet mihi de fide dicti ambigere, non licet deliberare. Quid mihi quærere quomodò verum sit quod Deus dixerit, cùm dubitare non debeam quin verum sit quod Deus dixerit?*

Probatur 3° ratione theologicâ : illa rejicienda methodus, quæ plena impietatis et superbiæ, temeritatis ac periculi, quæ revelationis divinæ sensus dubios et incertos reddit, horumque lignoscendorum tutam, naturalem ac rationi maximè conformem viam præcludit : atqui 1° methodus Socinlana plena est impietatis ac superbiæ. Qui enim eam methodum sequitur, de ratione suâ in rebus vel minimis juxta se positis cæcutiente ac sæpissimè errante ità præsumit, ut Dei ipsius de se suisque attributis et altissimis operationibus loquentis verba sensu nativo accipere vereatur, donec de reconditorum ejusmodi mysteriorum possibilitate ex solâ ratione judicaverit, ratus nativum verbi divini sensum tunc genuinum non esse, cùm rationi adversatur. Supremo igitur numini de suâ naturâ ac operationibus homines per revelationem instruenti, si Socinianis credamus, auris illicò non præbenda; antea videndum est an non rationi repugnet sensus litteralis verborum. Quòd si ille sensus, ratione judice, contradictionem involvat, spurius est, à Deo non intentus, alter inquirendus. Ergone timendum ne decipiamur à Deo semetipsum nobis per revelationem manifestante, nisi ipsi loquenti subveniat rationis judicium circa rei ab ipso enuntiatæ possibilitatem? ergone humanæ rationi de essentiâ Altissimi et operationibus divinis judicanti fidendum est magis, quàm nativo verborum divinorum sensui? Sanè hæc impia sunt, et superbiæ plena, vel nihil impium et superbum poterit appellari. 2° Eadem methodus plena est temeritatis et periculi. Cùm enim mens humana maximè sit errori obnoxia, sæpè veri specie tanquàm evidentiâ ducatur; cùm id in rebus vel minimis contingat, maximè verò, ubi agitur de infiniti naturâ, locum habeat; cùm denique in mysteriis religionis semper agatur de ente infinitè perfecto prout nobis naturaliter non innotescit spectato, fateanturque omnes Christiani mysteria fidei in se spectata esse rationi impervia et verisimilitudine destituta; evidentissimum est facilè fieri posse, ut qui de eorum possibilitate solâ ratione duce judicare suscipit, in errorem incidat, multaque perperàm statuat certò esse impossibilia, solâ verisimilitudine deceptus. Jam verò Rationalista, qui hocce modo fallitur, methodo quam refellimus adhærens, propter falsum ejusmodi

judicium, ne scilicet, quod credit impossibile, cogatur fateri revelatum, ad sensus improprios et à nativo alienos verba divina detorquere conabitur; sicque genuinum revelationis divinæ sensum rejiciet. Plena ergo temeritatis et periculi methodus Sociniana.

3° Illa etiam methodus revelationis divinæ sensus omnes dubios et incertos reddit, atque in philosophiam disceptatricem, contra præceptum Apostoli ad Titum cap. 3, v. 9 et 10, fidem Christianam immutat. Nam sensus revelationis nativus proponatur, non statim ipsi adhærebit Rationalista; anteà expendet num ille sensus sit conformis lumini naturali; quòd si hunc censeat non esse genuinum, alterum esse inquirendum contendet; ergo juxta hanc methodum primò quis sit sensus revelationis, ex ipsâ revelatione solâ non potest certò judicari; manet dubius ille sensus donec illi faverit de ipsius rei revelatæ naturâ rationis humanæ judicium, quod sæpiùs saltem de rebus adeò intricatis certum esse non potest. Secundò, ut sensus quivis genuinus suadeatur, probandum est illum veritatibus philosophicis non dissentire. Jam porrò quid istud est, nisi incertos reddere revelationis sensus, quatenùs à rationis incerto judicio pendentes redduntur, ac in disceptationes et tricas philosophicas fidei christianæ simplicitatem convertere? 4° Methodus Sociniana tutam, naturalem ac rationi maximè conformem veritates revelatas dignoscendi viam præcludit; nam illâ methodo præcluditur via quam suprà his verbis expressimus: Ubi loquitur Deus, sileat ratio, solus ipse audiatur, ac verbis ejus sensu nativo intellectis, quæcumque contrariæ verisimilitudines, ac rationis difficultates spernantur. Atqui tamen hanc viam esse tutam et naturalem facilè evincitur. Siquidem his duobus innititur manifestissimis principiis. Primum, revelationis divinæ sensu nativo nos non posse falli; quod evidentissimum est, quia Deus est summè verax. Alterum, mentem humanam altissima divinitatis mysteria rimari præsumentem, posse facilè decipi. Quippe finita est, et circa res naturales vel minimas sæpissimè errat; in mysteriis autem agitur de infinito in omni sensu, nempe de naturâ Dei, ejusque viis et operationibus; et quidem de naturâ Dei, *ut inhabitantis lucem* menti sibi relictæ prorsùs *inaccessibilem* Tit. 6, 16; de ejus viis ac judiciis *incomprehensibilibus*, ut verba Apostoli, ad Rom. 11, adhibeam, et *investigabilibus*, de ejus operationibus supra consuetum naturæ ordinem longè positis. Unde sequitur nihil esse mirum quòd mysteria concipi nequeant, quòd eorum habeatur idea tantùm imperfecta et analogica, quòd rationi stuporem pariant, quòd ipsi in speciem pugnantia videri possint, quòd denique de eorumdem possibilitate mens sibi relicta curiosiùs inquirens facilè decipiatur. Ergo tutum et naturale est, et rationi maximè consentaneum, ut, ubi Deus de se ipso loquitur, rationi imponatur silentium, divinaque verba sensu nativo intelligantur, independenter ab oppositis verisimilitudinibus ac rationis difficultatibus; ergo tutam, naturalem, ac rationi maximè conformem, dignoscendæ veritatis revelatæ viam præcludit methodus Sociniana, proindeque, etc.

Solvuntur objectiones. — Objicies 1°: Cùm recta ratio, id est, vera et evidentia rationis judicia fidei adversari nequeant, ut articulo præcedenti dictum ac probatum est; cùmque à nobis pendeat rectus rationis usus, siquidem principium evidens ab inevidenti, genuinam demonstrationem à spuriâ secernere possumus; sequitur sensum genuinum verbi Dei nunquàm posse esse adversum rationis nostræ judiciis, ubi, ut eâ rectè utamur, omnes curas et industriam locamus. Ergo sacrarum Scripturarum sensus cognoscendi optima et facilis regula illa est: Statim expendendum num sensus, qui genuinus esse videtur, rectæ rationi consentaneus sit, ut si rationi judicetur repugnare alter possit inquiri; non enim à Deo revelatum est quod impossibile; id verò impossibile quod recta ratio judicat impossibile. His similia habentur in scriptis Rationalistarum academiæ Franekerianæ superiùs memoratis, ex quibus ea tantùm eliciemus solvenda, quæ in Catholicos hoc loco objici possunt.

Nego consequentiam: 1° Quia etsi judicium rationis esset infallibile, non tamen liceret, cùm de veritate ac possibilitate rerum à Deo revelatarum agitur, eam consulere præ testimonio divino. Injuriosum enim est verbis divinis, ut, quæ iis continentur, quæ proinde propter auctoritatem Dei revelantis credenda proponuntur, rationis humanæ subjiciantur examini, ejusque adagiis ac notionibus anteà conferantur, quàm existimentur credenda. 2° Quæ ab homine proferuntur, expendere liceat; falli potest aut fallere. At verò evidentissimum est Deum esse summè veracem; ergo ubi loquitur, circa sensum verborum ejus nativum suscipiendum deliberare non possumus, nec, priusquàm iis adhibeatur fides, explorare licet quid de dogmatis expressi possibilitate ratio statuat; quippe de ejusmodi dogmatis veritate dubitare nefas est. 3° Etsi recta ratio errorem excludat, nec nisi vitio nostro in veri inquisitione fallamur, attamen ea est humanæ mentis infirmitas, ut in rebus intricatis difficulter ab errore abstineat. Nempe in inquirendâ veritate fatigatur animus, præjudicia non facilè deponit, insensibilia plerumque vix capit; quantò minùs res divinas et supernaturales! Insuper falsum non rarò verisimillimum apparet. Uno verbo mens humana in rebus difficillimis sæpè errat, ut ex variis et oppositis philosophorum opinionibus perspicuum est. Ergo cùm mysteria, quæ in Scripturis revelantur, spectent res divinas, et sint rationi impervia ac verisimilitudine destituta, maximè timendum esset, ne in eorum possibilitate investigandâ, ratio sibi relicta deciperetur, sicque sensus genuinus Scripturæ impiè rejiceretur. Hinc locis suprà citatis Deus prohibet ne ejus majestatem curiosiùs scrutemur; monet ut intellectum in obsequium fidei captivemus, et sapientiam hujus mundi ab eo reprobatam abjiciamus.

Instabis 1°: Tam licet dogmatum in Scripturis contentorum possibilitatem examini rationis permittere, quàm de earumdem divinitate ex ratione inquirere; atqui ratione expenditur ac probatur divinitas Scripturarum, ergo, etc.

Nego majorem. Nam ubi SS. Scripturarum divinitas adversùs incredulos discutitur et vindicatur, eas esse à Deo inspiratas minimè supponitur, neque ex eis ut divinitùs inspiratis argumenta colliguntur, alioqui supponeretur quod esset in controversiâ positum. Nihil ergo piaculi, si ex ratione tunc expendantur varia momenta, varia testimonia et motiva credibilitatis, quibus evidens fit verba divina Scripturis contineri. At verò, ubi de mysteriorum veritate ex Scripturis investigandâ quæstio est, Deum per ejusmodi Scripturas esse locutum ut certum supponitur, et utrinque agnoscitur. Nonne ergo infideliter agit, qui earum sensum ex judicio rationis suæ circa divinorum dogmatum naturam ac possibilitatem pendere velit; qui de singulis Scripturarum sensibus dubitat, donec de mysteriis altissimis, quæ iis sensibus significantur, rationis suæ responsum acceperit; qui proinde veritatem dogmatum à Deo revelatorum ipsam Divinitatis incomprehensibilem naturam et inscrutabilia judicia spectantium, cæcutientis suæ rationis examini submittere non erubescit? Atqui ita se gerunt Sociniani et rigidiores Rationalistæ. Namque fatentur Scripturam sacram esse ipsum Dei verbum, sensum verò textuum Scripturæ non priùs amplectuntur quàm cum principiis philosophicis dogma revelatum contulerint, ipsumque ejusmodi principiis non adversari ratio judicaverit; ergo, etc. Cæterùm, ut omnis vel minima ambiguitatis adimatur species, observari debet eos qui Scripturæ sacræ divinitatem fide tenent, posse quidem licitè variis de causis, sed secluso circa ipsum fidei objectum dubio effectivo, omnes rationes quibus sacræ Scripturæ divinitas astruitur, expendere; quod theologis adversùs incredulos disputantibus solitum. Pariter non desunt theologo legitimæ motiva, quibus ad mysteriorum fidei possibilitatem ratione, quantùm fieri potest, discutiendam impellatur. Sed cum spuriâ Rationalistarum methodo, nihil commune habet duplex ille rationis usus. Quippe in utroque ratio ancillatur fidei, in ipsam non dominatur, nec sensum verborum divinorum arbitrio suo determinat.

Instabis 2° : Si ratio falli potest circa possibilitatem dogmatum revelatorum, falli etiam poterit in expendendâ Scripturæ sacræ divinitate; proindeque nihil certi esse poterit.

1° Nego suppositum. Non enim ideò tantùm contendimus dogmata in Scripturis expressa ad normam rationis illicitè expendi, quia ratio falli potest; sed inprimis quia summæ Dei revelantis auctoritati ac majestati injuriosum est, non anteà dogmatibus ab eo revelatis fidem adhiberi, quàm de eorum possibilitate ratio humana judicium tulerit. 2° Nego consequentiam. Negabuntne adversarii mentem humanam esse errori obnoxiam? Nonne ipsi plerumque philosophi in rebus difficilioribus, ubi præsertim de infinito agitur, v. g., circa divisibilitatem continui, in varias opiniones abeunt, se percelli evidentiâ arbitrantes, dùm eorum saltem altera pars solâ verisimilitudine ducitur? Ergone omnia sunt incerta? minimè. In rebus faciliori-, ac minùs involutis, in pluribus etiam difficillimis, in factis præsertim compluribus certissimum est veritatem attingi; v. g., cùm agitur de primis principiis, de eorum primariis consectariis, de veritatibus mathematicis, de factis ejus speciei, de quibus non nisi stultè dubitaretur, puta an Roma existat, an aliquando extiterit Julius Cæsar, etc. Porrò saltem præcipuorum Scripturæ librorum divinitas ejusmodi factis comprobatur; quæ tot ac tantis momentis constant, quæ tot testium auctoritate firmantur, quibus ita unanimiter suffragantur quotquot in universo orbe Christi nomen hactenùs professi sunt, ut antecedenter etiam ad Eccl. Catholicæ documenta, certò et facillimè doctis suaderi possit. Ex adverso possibilitas dogmatum revelatorum, ipsa est possibilitas rerum ad naturam Dei inscrutabilem pertinentium, est possibilitas consiliorum, judiciorum divinorum, quibus consideratis Apostolus exclamat, Rom. 11, v. 33 : *O altitudo!* est possibilitas operationum Dei supra constitutum ab ipso naturæ ordinem positarum. Quis sine immodicâ suî fiduciâ sperare potest, se, in perscrutandis solâ ratione duce tam altis et absconditis rebus, nunquàm à vero esse deviaturum?

Instabis ultimò. Ut sensus Scripturæ sacræ genuinus detegatur, necessarius est usus rationis : nempe varia Scripturæ loca inter se conferenda, scopus loquentis, antecedentia, consequentia, expendi debent, etc., ergo.

Nego consequentiam. Duplici viâ dignoscitur legitimus Scripturæ sensus; prima est via discussionis et examinis proprii, quâ docti incedunt, cùm expensis scopo loquentis, stylo Scripturæ, variis rei circumstantiis, terminorum propriâ virtute, etc., ostendunt talem esse nativam verborum ac contextûs significationem, quæ omnia fiunt rationis ope. Altera est via auctoritatis, cùm, v. g., contendunt alicujus loci sensum hunc esse, quia semper illo modo ab Ecclesiâ ejusmodi textus intellectus est et etiamnum intelligitur. Istam posteriorem viam rejiciunt Protestantes, cui tamen soli possunt simplices insistere, ut in tractatu de Ecclesiâ ostenditur, et quâ rejectâ, longò difficiliùs Sociniani errores confutantur. Utut sit, utramque illam viam inter et Socinianam methodum perspicuum est nullam esse affinitatem. Qui viâ examinis procedit, id unum intendit, ut possit ex ipsismet Dei verbis genuinum revelationis eruere sensum cui sese subjiciat, et quem aliis credendum proponat; non verò mysterium divinâ revelatione expressum cum ratione conferendum censet, ut, prout illud videbitur rationi possibile vel repugnans, sensus verborum Dei confirmetur, aut aliorsùm detorqueatur.

Objicies 2° : Esto, dogmata quælibet expressis terminis in Scripturis contenta fide tenenda sint quantumlibet rationi repugnare videantur; non ita res se habet quoad Incarnationem et alia ejusmodi. Cùm enim Incarnatio iisdem verbis ac terminis, quibus explicatur ac proponitur credenda, in sacris Scripturis non legatur, neque enim habentur in Scripturis, v. g., hæc verba, Christum habere naturam humanam, et tamen non esse personam humanam; sequitur illud mysterium ad summum dici posse consequentiis ac ratiocì-

niis ex verbo Dei inferri. Atqui quod hocce modo ex Scripturis Divinis erui dicitur, perfectò potest placitis rationis eâ mente conferri, ut si iis repugnare videatur, possit illatio ut illegitima rejici; siquidem in iis quæ sunt contra rationem, nulla formari potest certa et legitima consequentia; ergo, etc. Ità Wolsogenus in citatâ jam Declarat. duarum sentent. contradict. cap. 3, pag. 10, et cap. 12, pag. 30; Crellius de uno Deo Patre, lib. 1, cap. 16, pag. 88, etc.

1° Distinguo majorem: dogma quod non iisdem verbis ac terminis, quibus credendum proponitur, nec æquivalentibus legitur in Scripturâ, ad summum dici potest consequentiis, etc., concedo; quod non iisdem terminis, sed æquivalentibus, nego. Itaque fatendum non modò iisdem quibus Scriptura utitur, sed et aliis terminis explicari ab Ecclesiâ catholicâ, et proponi credendum Incarnationis dogma. Verùm non ideò meris consequentiis ac ratiociniis mysterium illud ex verbo Dei infertur; si quidem voces quibus fidem suam Ecclesia exprimit, reipsà non diversum exhibent conceptum ab eo quem voces sacræ Scripturæ repræsentant. Istæ aliis planè æquivalent, nec profectò alios ejusmodi terminos Ecclesia ad exprimendam suam fidem adhibuisset, nisi eam hæreticorum ad hoc coegisset perversitas, qui verborum Scripturæ naturalem sensum subvertere tentârunt. Et verò nonne juxta expressa Scripturæ verba Christus est *Deus super omnia*, idemque *homo*. Nonne est *Verbum caro factum?* Nonne habet *formam Dei*, cui est, *æqual's*, et simul *formam servi et hominis?* Quæ omnia eumdem sanè conceptum formalem exhibent, ac ista: Christus est unica Verbi divini Persona habens naturam divinam, et naturam humanam. Sed de his ubi de Incarnationis existentiâ. Porrò, quod terminis æquivalentibus continetur in Scripturis, dici non potest ex iis tantùm erui consequentiis et ratiocinationibus. Certè quidem verba illa esse æquivalentia cognosci nequit, sine aliquo rationis usu, quo inter se vocum ejusmodi acceptiones conferantur; sed ille usus rationis planè differt ab iis, de quibus objectio, consequentiis et ratiociniis, quorum ope scilicet ex S. Scripturâ deducerentur propositiones, juxta conceptum suum formalem et verbis æquivalentibus, in eâ non contentæ.

2° Nego suppositum majoris: nempe supponitur in majore, quidquid non continetur formaliter in Scripturis, nec contineri formaliter in verbo Dei; quod falsum est. Nam præter verbum Dei scriptum, admittenda est traditio, quod alibi demonstrant theologi catholici; atque vel ipsa ratio docet spectandum esse ut à Deo revelatum, vivâque voce à Christo et Apostolis Ecclesiæ traditum, et usque ad nos incorruptè transmissum, quidquid semper in Ecclesiâ creditum ostendi potest, etiamsi non contineretur expressè aut æquivalenter in Scripturis. Totam verò traditionem suffragari mysterio Incarnationis deindè ostendetur.

3° Nego minorem. Nam, ubi ex principio quidquam formâ legitimâ deducitur, tanta est inter consequens et principium connexio, ut qui eam noverit, de consequente dubitare non possit, nisi et de principio dubitet. Si quis igitur dogma ex verbi Dei nativo sensu legitimè deductum, nolit priùs amplecti, quàm illud cum principiis rationis contulerit, ac iis conforme repererit, is certè vel nativos Scripturæ sensus, ante ejusmodi comparationes, non recipit, quod probavimus esse illicitum; vel admissis ejusmodi sensibus, de illatione seu consequentiâ dubitat utrùm legitima sit; quâ in hypothesi immeritò adhuc illam comparationem institueret. 1° Quia ad certissimè cognoscendum an illatio aliqua legitima sit, hæc una via est, ut exigatur ad strictas regulas logicæ. Si ejusmodi regulis conformis sit, ut legitima agnosci debet, ac proindè si antecedens revelatum sit, verum sit consequens necesse est, independenter ab omni, de quâ agitur, collatione. 2° Quæcumque dicta sunt de sensu nativo Scripturæ hùc applicari possunt: Summa enim erga Deum loquentem adhibenda reverentia, rationis humanæ tenuitas, ac mysteriorum natura et altitudo ex æquo præscribunt, ut quæcumque ad religionem attinentia ex verbo Dei expresso legitimè et certò inferuntur, non expectato, de eorum possibilitate, rationis examine et judicio, religiosè admittantur.

Corollarium. — Ex dictis toto isto capite colligere et, quâ methodo ad suadendam Incarnationem procedendum sit. Mysterii illius existentiam et possibilitatem ex solâ revelatione divinâ astruat theologus. Quòd si argumenta ex ratione petita ipsi objiciantur, exponat 1° quanta sit, judice ipsâ ratione, necessitas, ubi Deus loquitur, ejus auctoritati submissè et sine morâ adhærendi, spretis audacioribus rationis plus æquo curiosæ elationibus et obmurmurationibus. Atque hoc primum regia via est, cordatis acceptissima, doctis, indoctisque accommodata et sufficiens, cunctis proponenda, ab omnibus necessariò tenenda.

Ostendat 2°, si animus ratiocinia illa opponentium id postulet, argumenta ejusmodi in quibus tantoperè confidunt, non esse veras et genuinas demonstrationes, nec proindè illis evinci posse rectam rationem esse ullo modo fidei Incarnationis adversam.

Cæterùm incredulorum objectiones esse evidentes et planè insolubiles, seu veras et genuinas esse demonstrationes nunquàm concedat, quia id falsissimum est, et religioni perinde foret nocivum. Mysterii tamen naturam, aut modum quo illud cum ratione consentit, dilucidè explicare non suscipiat; quod impossibile, nec fidei necessarium.

CAPUT III.

Quibusnam mysterium Incarnationis seu futurum, seu peractum innotuerit?

Quæritur 1°, an mysterium Incarnationis seu futurum, seu peractum Angelis et Dæmonibus cognitum fuerit. 2° An Adamo, Patriarchis, Prophetis et nationi Judaicæ. 3° An Gentilibus. Quæ tribus articulis breviter expendenda.

ARTICULUS PRIMUS

Utrùm Incarnatio Angelis bonis et malis fuerit nota?

Observandum 1° cum S. Ambrosio, lib. 4 de Fide,

cap. 1, n. 2, necnon S. Thomâ, 1 parte, q. 57, art. 5, in corp., mysteria gratiæ non naturaliter cognosci ab Angelis, quocumque in statu versentur, ac proindè Incarnationem et alia ejusmodi naturæ vim superantia et liberè à Deo ad extrà producta, Angelis etiam beatis non necessariò innotescere, *sed secundùm quod Deus voluerit eis revelare*, unde sequitur rem, de quâ quæstio est, à solâ Dei voluntate pendere, nec nisi argumentis ex revelatione ductis posse dignosci. Obs. 2° cum eodem S. Thomâ, ibid. ad 1, et aliis in locis, post. S. Bernardum, epist. *olim* 77, nunc opusc. 10, cap. 3, n. 15, de mysterio Incarnationis duplici modo disseri posse, vel *in communi*, seu quantùm ad substantiam, nempe prout est hypostatica unio naturæ humanæ cum Verbo; vel quantùm ad *speciales conditiones*, seu modum mysterii, et diversas ejus circumstantias, quo loco scilicet, quo tempore, quâ ratione executioni mandanda Incarnatio, quæ sit præcisè natura unionis, quæ humanitas assumenda, an nova quædam creanda; an ex matre, et ex quâ, et quomodò Christus concipiendus et nasciturus; quibus mediis genus humanum esset redempturus; quæ illius redemptionis fructuum copia et universalitas, et alia ejusmodi infinita, quæ et ipsa variis et innumeris modis perfici possunt. Obs. 3°, Angelos bonos tum in viâ, tum in termino, seu ante et post consecutam beatitudinem spectari posse; ac pariter malos ante lapsum, quo tempore aliis fuêre statu similes, et post lapsum inflictamque iis damnationem æternùm duraturam, posse considerari.

Ex his tria in controversiam vocari liquet, nimirùm 1°, an Angeli in viâ, 2° an boni Angeli assecutâ beatitudine, 3°, an dæmones mysterium Incarnationis futurum et peractum cognoverint; et quomodò? An quantùm ad substantiam solùm, an etiam quantùm ad modum, circumstantias, fines et effectus.

Circa singula variæ sunt opiniones. De Angelis in viâ Suarez, lib. 5 de Angel. cap. 6, Sylvius art. 5, q. 57 partis 1 div. Thomæ, et alii multi quos citant, verisimilius censent iis fuisse illo in statu concessam Incarnationis quantùm ad substantiam spectatæ revelationem, ita ut Verbum esse aliquando carne induendum fide tenuerint, inscii tamen et modi et circumstantiarum illius arcani, ac præsertim redemptionis hominum hoc mysterio perficiendæ. Divo Thomæ tribuitur eadem sententia, 1 p., q. 64, a. 1, ad 4, ubi tamen potiùs videtur S. doctor quæstionem non expendisse, sed intactam relinquere voluisse. Alibi initium notitiæ illius mysterii Angelis concessæ repetit à principio eorum beatitudinis. Quidquid sit, Petavius ex adverso, lib. 3 de Angelis, cap. 2, n. 10, et alii complures, iisdem Suarez et Sylvio testibus, Incarnationem judicant tantò ante Angelis nullatenùs fuisse patefactam.

Circa ejusdem mysterii notitiam bonis Angelis, assecutâ beatitudine, impertitam variè locuti sunt sancti Patres. 1° A multis simpliciter dictum est Filium Dei Angelis priùs invisibilem, ab iisdem post suam Incarnationem visum fuisse. Ita S. Athanasius orat. 4 contra Arianos *olim* 5, n. 36; S. Chrysost. homil. 11, in 1 Epistolam ad Timoth. n. 1; Theodoretus in psal. 23, et alii quorum testimonia exhibet Petavius, lib. I, de Angelis, cap. 8, et lib. 7 de Deo et divinis attributis, cap. 6, ex quibus posset cuiquam videri colligendum, omnem futuræ Incarnationis cognitionem ab illis Patribus fuisse beatis Angelis denegatam; sed immeritò; neque enim iis in locis vel leviter attingitur proposita quæstio. Id unum SS. doctores significant, appositè ad hæresim Anomeorum de comprehensibilitate Dei convellendam, Filium Dei cognitione objecto commensuratâ ac rei perspectæ assequente terminos, ab Angelis tunc cœpisse attingi, cùm incarnatus est; et quemadmodùm, ubi Deum ante Incarnationem invisibilem fuisse aiunt, iis omnem Dei non adimunt notitiam; ita et cùm docent Deum post carnem assumptam ab Angelis visum esse, ipsos ex quâlibet futuræ Incarnationis cognitione ablegare non sunt censendi.

2° Nonnulli existimâsse videntur mysterium Incarnationis, etiam quantùm ad substantiam, Angelis latuisse antequàm perageretur, peractum verò ad illorum notitiam non nisi per homines pervenisse. Vix alter sensus tribui potest Anastasio Sinaitæ lib. 1 anagogicarum Contemplationum in hexameron.

3° S. Maximus Martyr in scholiis ad cap. 4, lib. de cœlesti hierarchiâ, S. Dionysio Areopag. antiquitùs attributi, expressè ait *non omnes Angelos certiores fuisse de mysterio Incarnationis;* et rationem affert quia, *quando Dominus post passionem assumebatur, quidam Angeli petebant: « Quis est rex gloriæ? » Interrogatio enim, inquit, ignorationem innuit.*

4° Juxta alios, beati Angeli futurum Incarnationis mysterium quantùm ad substantiam, ita cognoverunt, ut, quando peractum est et ab Apostolis prædicatum, ex ipso eventu rerum quæ in Ecclesiâ contingebant multò plenius ipsis innotuerit. Hæc est theologorum communis sententia post divum Thomam multis in locis (1) qui et ipse 2-2, q. 2, a. 7 ad 1, textum S. Augustini, lib. 5 de Genesi ad litt. c. 19, eodem sensu interpretatur. Nec aliter intelligendi (2) S. Gregorius Nyss. homiliâ octavâ in Canticum canticorum, S. Chrysost. (3) homiliâ 1 in Joannem, n. 2, et homil. 7 in cap. 3 Epist. ad Ephes., n. 1. S. (4) Hieronymus commentario ad idem caput illius Epistolæ (5), Theodoretus ad eumdem locum (6), Theophylactus (7), Œcumenius ibidem, S. Anselmus commentariis ad hanc Epistolam; de quibus legi possunt Suarez ubi supra, et Petavius jam laudato capite 8, lib. 1 de Angelis.

5° In definiendis circumstantiis particularibus, ef-

(1) 1 p., q. 57, a. 7, ad 1, et q 64, a. 1, ad 4, et 2-2, q. 2, a. 7, ad 1, in 2 sent. d. 11, a. 4, lect. 3, Epist. ad Eph. et alibi.
(2) Tomo 1, paginâ 597, edit. Morelli Parisiis, 1638.
(3) Tomo 8, paginâ 3, et tomo 11, paginâ 46 et 47.
(4) T. 4, col. 552, Martianæi.
(5) T. 3, p. 504.
(6) Edit. Londin. 1639 p. 526.
(7) Edit. Paris., 1631, t. 2, p. 27.

fectisque et fructibus hujus mysterii, quæ beatis Angelis subindè manifesta sunt, neque etiam omnes eodem modo loquuntur. S. Gregorius Nyssenus homiliâ laudatâ multa enumerat, quorum modum et rationem fuisse post Incarnationem peractam, Angelis patefacta pronuntiat. SS. Chrysost. et Hieron. necnon Theophylactus et Œcumenius, quibus Petavius cum aliis assentitur, conversionem Gentilium ad Christi fidem inter illa secreta Angelis ipso retecta eventu præcipuè connotant. Juxta S. Justinum in Dialogo cum Tryphone, n. 36, Angeli Christum esse regem gloriæ, ipsumque pro hominibus redimendis pati et resurgere debuisse non priùs agnoverunt, quàm ascenderet in cœlos. Idem de plerisque saltem supernis Spiritibus docent S. Ambrosius pluribus in locis, præsertim lib. 4 de fide, cap. 1, num. 5, 10, 13, 14, S. Hieronymus ad cap. 63 Isaiæ. Sæpiùs theologi de ejusmodi conditionibus ac specialibus circumstantiis generatim duntaxat loquuntur, nec quidquam particulariter determinant.

Quod ad dæmones attinet, duæ sunt theologorum sententiæ. Nam alii Angelis in viâ, ac proinde Angelis malis antequàm peccarent substantiæ mysterii Incarnationis cognitionem tribuunt, alii adimunt. Priores existimant, quod consequens est, futuram Incarnationem Angelis malis post lapsum non fuisse penitùs reconditam, licet ex ignorantiâ omnium illius mysterii circumstantiarum, Christum inter homines conversantem esse Deum certò cognoscere non potuerint. Vide Sylvium ubi supra, Suarem lib. 7 de Angelis cap. 13, et disput. 42 de Incarnatione, sect. 1. Qui autem Angelos in viâ prorsùs inscios Incarnationis fuisse sentiunt, ii seu futuram, seu peractam Incarnationem Angelis malis ante Christi mortem, Deo ita providente, non fuisse certò compertam arbitrantur. Quid de diversis illis quæstionibus ac sententiis verius ac probabilius appareat sequentes aperient conclusiones.

Conclusio I. Mysterium Incarnationis Angelis in viâ, quantùm ad substantiam, revelatum sine fundamento diceretur. Illud enim sine fundamento dicitur, quod, cùm naturæ vim excedat, atque ex solo Dei beneplacito pendeat, nullo gravi momento ex Scripturis aut ex traditione deducto, sed conjecturis tantùm et meris convenientiis probatur. Enim verò dogma stabilitum convenientiis illustretur; id licitum, et sæpè utile, sed solis ejusmodi convenientiis plerumque ex utrâque parte facillimè adinveniendis, profectò de divinis arcanis non agendum. Neque *vaticinari de re tantâ*, inquit graviter Petavius, lib. 3 de Angelis, cap. 2, n. 10, *fas esse arbitror*. Eò referri potest illud, adversùs Origenem abditis de rebus plus æquo disserentem, Antipatri Bostrensis dictum apud Damascenum in Eclogis, .itt. a, tit. 75: *Quisnam*, inquiebat, *Moyses, aut Paulus, aut quivis alter Prophetarum, aut Apostolorum sic accuratè ea omnia, quæ ante mundum fuerunt, et supra cœlos sunt, cum omni certitudine disputare vel docere queat?*

Atqui cognitio Incarnationis 1° naturæ Angelorum in viâ vim et facultatem excedit nemine diffitente. 2° Pariter à solo Dei beneplacito illius cognitionis largitio tota pendebat. 3° Nullo gravi momento ex Scripturis et traditione deducto, cognitio ejusmodi Angelis in viâ probatur concessa, ut test. Petavius loc. cit., et expressè fatetur ipse Suarez, lib. de Angelis cap. 6, ubi conjecturis solùm indulget, ac in iis librandis totus versatur. Ergo sine fundamento, etc. Et verò, ut conjecturam conjecturis opponamus, cùm Angeli non essent felicitatem æternam ex Christi meritis consecuturi, quid necesse fuit, ut, iis in viâ versantibus, mysterium Incarnationis in Christo adimplendum revelaretur?

Dices cum Sylvio: S. Augustinus, lib. 5 de Genesi ad litt. cap. 19, de Angelis, secundùm quod primitùs conditi sunt, scribens, ait mysterium regni cœlorum eos non latuisse, et deinde addit illud à sæculis innotuisse principatibus et potestatibus in cœlestibus, ergo, etc.

Nego conseq. De Angelis beatis sanctus doctor ibi manifestè loquitur, ac proinde textus objectus de bonis Angelis post assecutam beatitudinem considerati intelligendus est. Quapropter Suarez lib. 5 de Angelis, cap. 6, num. 10, in suæ causæ patrocinium non censet S. Augustinum afferri posse.

Conclusio II. Angeli beati mysterium Incarnationis non peractum modò, sed et peragendum cognoverunt: et peragendum quidem, ab initio suæ beatitudinis per spexerunt quantùm ad substantiam; tum variis subinde temporibus quantùm ad quasdam circumstantias particulares; peractum denique multò plenius; non tamen nisi in fine mundi cognoscent plenissimè.

Sex sunt conclusionis partes. Probatur prima pars, nempe sanctis Angelis notam fuisse Incarnationem peractam. Incarnatio Mariæ Virgini annuntiata est ab Angelo, Lucæ 1, v, 30, 31, 32; celebrata est ab Angelis Lucæ 2, v. 13; Angelis apparuit juxta Apostolum, id est, iis fuit manifestata, 1 ad Timoth. 3, v. 16; tandem eorum adorationi proposita fuit, Hebr. 1, v. 7; ergo Incarnatio peracta nota fuit Angelis.

Probatur secunda pars, nempe Angelis idem mysterium, antequàm perageretur, aliquatenùs innotuisse. Nam qui divinarum circa Incarnationem futuram vaticinationum fuerunt ministri et interpretes, ii aliquatenùs cognoverunt illud mysterium antequàm perageretur. Neque enim potuit illud mysterium prorsùs nesciri ab Angelo, v. g., qui tempora adventûs Christi Danieli Prophetæ indicaturus à Deo missus est, Danielis 9, v. 23. Atque si juxta certam SS. Epiphanii (1), Chrysostomi (2), Augustini (3), Thomæ (4), et aliorum doctrinam veri Prophetæ, quæ vaticinantur, intelligant; à fortiori Angeli posito quòd fuerint ministri et interpretes Prophetiarum, debuerunt earum sensum penitùs non ignorare. Atqui Angelos divinarum

(1) Hæres. 48, n° 3, tomo 1, pag. 404, edit. Paris., 1622.

(2) In Psal. 44, n° 1, t. 5, pag. 161.

(3) Lib. 12 de Gen. ad litt. cap. 9, n° 20, t. 3, part. 1, col. 303, et contra Adimantum, cap. 28, n° 2, t. 8, col. 150.

(4) 2-2, q. 193, a. 2, in corp.

de incarnatione vaticinationum fuisse administros et interpretes constat 1° ex Scripturis; siquidem Deus legem veterem Incarnationis figurativam per Angelos dedisse legitur Act. 7, v. 38, Galat. 3, v. 19, et Hebr. 2, v. 2, et præterea in Prophetarum libris, ac in Apocalypsi, Angeli futura mysteria Prophetis indicantes passim exhibentur.

Constat 2° ex Patribus. Auctor libri *de cœlesti hierarchiâ* cap. 4, § 2, de supernis mentibus sic loquitur: « Hæ igitur sunt quæ primariò ac multipliciter Deum participant, et inprimis ac multis modis arcanum Dei manifestant.... ipsæ primùm à Deo illuminantur, et per ipsas nobis nostræ revelationes transmittuntur. » Atque illud exemplis ex S. Scripturâ depromptis probat. Sanctus Augustinus, lib. 7 de Civitate Dei, cap. 32: « Hoc mysterium vitæ æternæ, inquit, jam inde ab exordio generis humani per quædam signa et Sacramenta temporibus congrua, quibus oportuit per Angelos prædicatum est. »

S. Thomas, p. 1, q. 57, a. 7 ad 3, libri de cœlesti Hierarchiâ textum mox laudatum explicans. « Quidquid, ait, Prophetæ cognoverunt de mysterio gratiæ, per revelationem divinam multò excellentiùs est Angelis revelatum. » Eadem conclusionis pars confirmatur expresso S. Augustini testimonio lib. 5 de Genesi ad litt. cap. 19, n. 38, ita loquentis: « Nec illud eos (Angelos) latuit mysterium regni cœlorum, quod opportuno tempore revelatum est pro salute nostrâ, quo ex hâc peregrinatione liberati eorum cœtui conjungamur. » Nec non auctoritate et ratiocinio divi Thomæ, qui quæstione et articulo mox citatis ad 1, sic habet: Mysterium Incarnationis « in generali omnibus (Angelis) revelatum est à principio suæ beatitudinis, cujus ratio est, quia hoc est generale quoddam principium, ad quod omnia eorum officia ordinantur. Omnes enim sunt administratorii spiritus, ut dicitur Hebr. 1, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Quod quidem fit per Incarnationis mysterium. »

Probatur tertia pars, nempe Angelos illud mysterium quantùm ad substantiam à principio suæ beatitudinis cognovisse. 1° Ex S. Augustino qui jam citato capite 19, lib. 5, de Genesi ad litt. n. 38, Angelis beatis Incarnationem à seculis innotuisse asserit, et lib. 7 de Civit. Dei cap. 32, ait ab exordio generis humani Incarnationis mysterium fuisse Angelorum ministerio prænuntiatum et figuratum. 2° Ex S. Thomâ p. 1, q. 57, a. 5 ad 1, expressè affirmante mysterium Incarnationis in *generali* esse omnibus (Angelis) revelatum à principio suæ beatitudinis, quod et aliis in locis sæpè repetit. 3° Ratione theologicâ. Futuram Incarnationem Angelis non latuisse modò probavimus, quia fuerunt ministri revelationum divinarum. Itaque mysterii illius substantiam cognoverunt, ex quo illud homini cœpit revelari; atqui revelatum est ab exordio generis humani, videlicet ipsi Adamo ante lapsum, ut dicetur art. sequenti; ergo cùm initium beatitudinis Angelorum, ut vulgò creditur, creationem Adami non multùm præcesserit, sequitur Angelos ab initio suæ beatitudinis, mysterium Incarnationis quantùm ad substantiam cognovisse.

Probatur quarta pars, nempe, variis subinde temporibus, plures Incarnationis circumstantias Angelis fuisse patefactas. Namque noverunt, ex dictis, quæcumque revelata sunt Prophetis: atqui, ut observat S. Thomas loco mox citato ad 3, « Prophetis ea quæ Deus facturus erat circa salutem generis humani, in generali revelavit. » Scilicet vaticinati sunt Prophetæ de futurâ Christi nativitate, de ejus prædicatione, passione, morte, resurrectione, ascensione; de vocatione gentilium, et eorum conversione ad fidem; variasque ejusmodi mysteriorum circumstantias prædixerunt. Ergo hæc omnia esse eventura Angelos non latuit, etsi modus quo essent perficienda, et alia plurima iis non panderentur.

Probatur quinta pars, nempe Angelos multò pleniùs Incarnationem cognovisse postquàm peracta est. 1° Ex verbis Apostoli Ephes. 3, v. 8, 9 et 10: *Mihi*, inquit, *omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à seculis in Deo qui omnia creavit, ut innotescat principatibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei.* Unde sic argui potest: Illi Incarnationem, postquàm peracta est, multò pleniùs cognoverunt, quibus, *Apostolo in Gentibus evangelizante, multiformis*, vel, ut habent græca πολυποικίλος *vehementer multiplex, sapientia Dei* in illius *sacramenti dispensatione innotuit;* atqui juxta textum allatum, Apostolo in gentibus evangelizante, multiformis, etc., Angelis innotuit. Etenim nomine principatuum et potestatum in illo textu intelligendi sunt Angeli boni: non enim principes civiles; quippe obstant hæc verba, *in cœlestibus*; neque Angeli mali, ut quibusdam placet; tum quia ibi agitur de Angelis qui sine addito appellantur *principatus et potestates;* atqui ii sunt boni (vide caput 1 ejusdem epist. v. 2, cap. 2, v. 2, cap. 6, v. 12); tum quia, si Angeli mali, voces *in cœlestibus*, essent istis reddendæ, *in aere manentibus*, sed, v. 10, cap. 1, jam laudato, eædem voces junctæ *principatibus et potestatibus* sine addito, aera non designant, sed cœlos; tum postremò quia SS. Greg. Nyss. homil. 8 in Cant. cantic., Chrysost., Hieron. ad hunc locum, August. lib. 5 de Genesi ad litt. cap. 19, et alii multi sancti doctores hunc locum de Angelis beatis interpretantur. Cæterùm, ad absolutam textûs apostolici ipsiusque, de quâ agimus, rei explicationem notandum obiter his verbis versûs 10, *ut innotescat*, effectum significari, non finem, quasi Apostolus voluisset Angelos erudire; ista ejusdem versûs, *per Ecclesiam*, cum S. Thomâ lect. 3 in cap. 3 epist. ad Ephes. et alibi, esse explicanda quasi dictum esset, *in Ecclesiâ*, seu *ex iis quæ contingunt in Ecclesiâ*; non verò quasi esset expressum, Apostolos et Ecclesiam esse Angelorum doctores. Atque hoc ipso sensu intelligendi SS. Greg. Nyss., Chrysost. et alii, qui mysteria illa per homines Angelis innotuisse dixerunt. Consule Petav. lib 1 de Angel. c. 8.

2° Probatur ex Chrysostomo et aliis quorum doctrinam isti conclusionis parti cohærentem supra, p. 104, exposuimus. Si porrò quæras, quid novi in specie de Incarnatione ex eventu rerum in Ecclesiâ contingentium angeli dignoverint? — Respondeo eos dispensationis tanti Sacramenti peculiaria quæque eventibus assecutos, multorum etiam sibi duntaxat in genere antea detectorum modum et rationem pariter comperta habuisse. Scilicet antequàm perageretur atque orbi universo annuntiaretur Incarnatio, angeli particularium illius mysterii capitum nescii, connexionem et consonantiam sibi jamdudùm revelatorum ignorabant; is nexus, illa cohæsio ipsis ex eventu innotuit. « Varium hoc et multiplex genus sapientiæ, inquit S. Gregorius Nyssenus homiliâ in Cant. canticor. non semel laudatâ, quod constat ex connexione cum contrariis, nunc apertè edocti sunt (angeli) per Ecclesiam, nempe quemadmodùm Verbum caro fit, quemadmodùm morti vita miscetur, quemadmodùm suo livore, suisque vibicibus nostra sanat vulnera, quemadmodùm imbecillitate carnis vires expugnat adversarii; quemadmodùm in carne manifestatur id quod non cadit sub aspectum, quemadmodùm redimit captivos, cùm ipse sit qui emat, et sit ipse pretium.... quemadmodùm et est in morte, et à vitâ recedit: quemadmodùm et miscetur servituti et est in regno, » et alia hujusmodi varia et multiplicia. Illa porrò ad vocationem et conversionem gentilium extendi debent. Gentes ad fidem convertendas olim prædictum fuerat, nec id videntur angeli nescivisse. Sed quâ ratione, quibus mediis essent ad Christum adducendæ, illos Apostolorum prædicatio edocuit vias inefabiles providentiæ divinæ, dùm hoc opus peragebatur, contemplati sunt, atque altitudinem divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei tunc admirati.

Probatur ultima pars, nempe non nisi in consummatione seculi angelos esse mysterium Incarnationis plenissimè cognituros. Id sequitur ex mox dictis, si quidem *multiformis sapientia Dei* in illius mysterii dispensatione ex iis quæ in Ecclesiâ eveniunt usque ad mundi finem, magis ac magis in dies manifestabitur.

Dices 1°: Christo in cœlos ascendente, angeli percunctati sunt quisnam ille esset, Psal. 23 v. 8 et 10: *Quis est*, inquiunt, *iste Rex gloriæ?* et Isaiæ 63, v. 1: *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosrà?* Atqui ejusmodi interrogationes ignorationem innuunt; ergo vel omnes angeli, vel saltem eorum magna pars, quis ille esset, tunc ignorabant.

Nego minorem. Figuratè accipiendæ sunt illæ interrogationes; iis sacra Scriptura accommodatè ad captum nostrum, quanta cœlestium mentium admiratio fuerit, nobis declarat.

Dices 2°: Matthæi 1, v. 21, Angelus Domini, qui S. Josepho apparuit, hæc dixit de Christo: *Salvum faciet populum* suum à peccatis eorum; ergo tunc nondùm noverat, etiam *in generali*, ille Angelus aliis populis Incarnationem profuturam.

Nego consequentiam. Dùm enim Angelus de populo Christi, seu de populo Judaico sermonem habet, ne unam adhibet vocem quâ alios populos excludat.

Conclusio III. Mysterium Incarnationis nec futurum nec peractum, ante Christi mortem, certò dæmonibus innotuit. Probatur prima pars de mysterio futuro, quia neque iis innotuit antequàm peccarent, ut sequitur ex dictis conclusione primâ; neque etiam postquàm peccaverunt, cùm de eo sileant Scripturæ et traditio.

Probatur secunda pars, de mysterio peracto. Nam qui futuram Incarnationem, et Christi in terris conversantis Divinitatem certò non cognoverunt, iis procul dubio mysterium Incarnationis peractum certò non innotuit; atqui 1° dæmones futuram Incarnationem certò non cognoverunt, ex primâ istius conclusionis parte. 2° Christi in terris conversantis Divinitatem certò compertam non habuerunt, quod astruitur ex S. Paulo, 1 ad Cor. 2, v. 7 et 8: *Loquimur Dei sapientiam in mysterio.... quam nemo principum hujus seculi cognovit, si enim cognovissent nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent.* Principes hujus seculi, S. Thomas post plurimos sanctos doctores interpretatur malos angelos. Deinde ex communi sententiâ SS. Patrum, qui unanimiter tradunt illud fuisse Dei consilium, ut mysterium Incarnationis in Christo adimpletum dæmoni absconderetur. S. Ignatius in Epistolâ ad Ephesios, n. 19, et ex ipso Origenes homiliâ 6 in Lucam, S. Hieronymus, lib. 1 in Matth. cap. 1, et alii partum Christi ex virgine docent fuisse dæmoni celatum, *ut scilicet*, inquit S. Leo iis consentiens, sermone 2 de Nativitate Domini, cap. 3, *humano generi natam salutem diabolus ignoraret.* Sentiunt SS. Ambrosius in caput 9 Lucæ, v. 22, et Cyrillus Alexandrinus lib. 9 in Joan. Christi discipulos ab eo jussos tacere, ne à principe seculi dignosceretur. S. Augustinus lib. 9 de Civitate Dei, cap. 21, ait *dubitâsse de illo* (Christo) *dæmonum principem.* Secundùm S. Gregorium papam lib. 2 moral. cap. 11, dæmon etiam dùm diceret, *Scimus quòd sis sanctus Dei*, Christum existimavit purum hominem: *Dùm passibilem considerat*, inquit, *purum hominem putat.*

Dictum est in conclusione *ante Christi mortem*, quia nemini dubium esse potest multa de Incarnatione post mortem Christi certò dæmonibus explorata fuisse. Quidquid autem de illo mysterio quocumque tempore cognoverunt, *innotuit eis, non sicut angelis sanctis, qui Verbi participatâ æternitate perfruuntur, sed sicut eis terrendis innotescendum fuit... per quædam temporalia suæ virtutis effecta et.... signa.* Verba sunt sancti Augustini lib. 9 de Civ. Dei, cap. 21 de conjecturali, dùm Christus in terris versaretur, dæmonum circa Incarnationem scientiâ disserentis; quæ ad certiorem illius mysterii ab eis subinde acquisitam notitiam debent etiam applicari.

Dices 1°: Marci 1, v. 24, dæmon ait: *Scimus qui sis sanctus Dei;* et v. 34, Christus dicitur non sivisse dæmonia loqui, *quia sciebant eum*; ergo, etc. Nego consequentiam. Illæ intelligenda sunt de scientiâ imperfectâ et conjecturali; Christum esse virum sanctum specialiter à Deo missum dæmones non ignorârunt, ne esset Dei Filius maximè veriti sunt, ejusque Divi-

nitatem sunt aliquando suspicati, sed ea nunquàm fuit illis certò comperta.

Dices 2°: Quomodò fieri potuit ut mysterium à Prophetis prænuntiatum, à Christo ipso prædicatum, et miraculis confirmatum, dæmonum perspicaciam fugerit. — Respondeo id esse factum Deo ita providente, et propter sibi prospectos fines, ne illi suâ perspicaciâ uterentur impediente. *Tantùm*, ait S. Augustinus ibidem, *eis innotuit* (illud mysterium) *quantùm voluit; tantùm autem voluit, quantùm oportuit.* Divinæ hujus dispositionis rationem hanc reddit S. Leo serm. 70, qui est 11 de passione, cap. 3, quòd *si crudelis et superbus inimicus consilium misericordiæ Dei nôsse potuisset, Judæorum animos mansuetudine potiùs temperare, quàm injustis odiis studuisset accendere; ne omnium captivorum amitteret servitutem, dùm nihil sibi debentis persequitur libertatem.*

Dices 3°: Dæmon videndo Christi humanitatem sine propriâ subsistentiâ inferre potuit eam divinâ subsistentiâ sustentari; ergo, etc. Nego quod gratis supponitur, nempè dæmonem cognovisse Christi humanitati deesse subsistentiam propriam. Eatenùs cognoscitur naturæ singulari subsistentiam propriam deesse, quatenùs ejus unio cum altero habetur perspecta; atqui, etc.; ergo, etc.

ARTICULUS II.

Utrùm Adamo, Patriarchis, Prophetis et Judæis mysterium Incarnationis fuerit cognitum.

Conclusio I. Futurum Incarnationis mysterium Adamo ante et post ejus lapsum innotuit.

Probatur prima pars de quâ vulgò theologi consentiunt, nempe Adamo ante lapsum Incarnationem futuram innotuisse, 1° ex Scripturis. Geneseos 2, v. 23, Adamus post illum soporem extaticum, in quo ex ejus costâ Deus Evam formavit, in hæc verba erumpit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne meâ.... relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne unâ.* His autem Incarnationis mysterium fuisse adumbratum, ac præfiguratum ex S. Paulo colligitur, qui Ephes. 5, v. 32, relatis ejusmodi verbis continenter addit: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesiâ.* Ex quibus sic conficitur argumentum: Qui propheticè loquens illa protulit quibus Incarnatio præfigurabatur et prænuntiabatur, ille novit mysterium Incarnationis, si quidem, ut dictum est articulo præcedenti, veri Prophetæ, quæ vaticinantur, intelligunt. Atqui propheticè hæc verba Adamus protulit, quod adeò verum est, ut Christus Matth. 19, v. 4, 5 et 6, Deo illa tribuat. Deinde ejusmodi verbis, Apostolo auctore loco laudato, Incarnatio præsignatur; ergo, etc. 2° ex SS. Patribus qui allatum Apostoli textum Ephes. 5, eodem modo explicant. Ita Tertullianus, lib. 5 contra Marcionem, cap. 18; auctor commentarii in hanc epist. inter opera S. Ambr. ad hunc locum; S. Chrysost., homil. 20 in eamdem epist., num. 4; S. August. serm. 341, al. 4 de Temp. cap. 10, n. 12, et tract. 9 in Joan. n. 10; S. Leo epist. 46, al. 23, c. 4; S. Anselmus ad eumdem locum; S. Bernardus serm. 6 in vigiliâ Natalis Domini, n. 3; S. Thomas 2-2, q. 2, a. 7 in corp. His adde 3° Adamum propter verba à se post extasim prolata, Prophetam et vatem Christi à multis Patribus appellari, nempe à Tertulliano, lib. de Animâ, cap. 11 et 21, et lib. 3 contra Marcionem, cap. 5; à S. Chrys. in Genesim homil. 15, n. 3; à S. Epiphanio, hæresi 48; à S. Augustino, lib. 9 de Genesi ad litt. cap. 19; à S. Hier. in cap. 5 epistolæ ad Ephes. Unum S. Augustini testimonium referemus: *Illa extasis*, inquit loco proximè citato, *quam Deus immisit in Adam..... rectè intelligitur ad hoc immissa, ut et ipsius mens..... intelligeret in novissima. Denique evigilans tanquàm Prophetiæ plenus.... eructavit continuò, quod magnum Sacramentum commendat Apostolus.... quæ verba (Hoc nunc os ex ossibus meis*, etc.) *cùm primi hominis fuisse Scriptura ipsa testetur, Dominus tùm in Evangelio* (Matth. 19) *Deum dixisse declaravit....ut hinc intelligeremus propter extasim quæ præcesserat in Adam, hoc eum divinitùs tanquàm vro phetam dicere potuisse.*

Probatur secunda pars de tempore post lapsum, quæ adhuc certior, his Dei ad serpentem verbis Geneseos 3, v. 15: *Inimicitias ponam inter te et mulierem et semen tuum, et semen illius, ipsa conteret caput tuum*, seu, ut legitur in Hebræis, in codice Samaritano, et apud SS. Irenæum, Cyprianum et Hieronymum, *ipse conteret*, intelligendo Christum qui futurus erat secundùm carnem Evæ filius. Jam verò illis verbis Deum Adamo et Evæ liberatorem promisisse tradunt SS. Patres, proindeque post lapsum suum Adamus illud mysterium clariùs intellexit.

Objicies. Adamus juxta S. Augustini doctrinam lib. 11 de Genesi ad litt. cap. 18, non fuit suæ culpæ præscius; atqui si novisset mysterium Incarnationis fuisset, culpæ suæ præscius, si quidem humani generis reparandi causâ illud adimpletum est. Nego minorem. *Nihil prohibet*, inquit S. Thomas, parte 3, q. 1, a. 3 ad 5, *alicui revelari effectum, cui non revelatur causa. Potuit igitur primo homini revelari Incarnationis mysterium sine hoc quòd esset præscius sui casûs.* Ex his colliges dicendum cum S. Thomâ 2-2, q. 2, a. 7, quòd *ante statum peccati, homo habuit explicitam fidem de Christi Incarnatione secundùm quod ordinabatur ad consummationem gloriæ, non secundùm quod ordinabatur ad liberationem à peccato per passionem et resurrectionem, quia homo non fuit præscius peccati futuri.*

Conclusio II. Mysterium Incarnationis non latuit Patriarchas ac Prophetas.

Probatur prima pars, quæ Patriarchas spectat: 1° quia non semel Christus ipsis disertè à Deo promissus est. *Benedicentur*, inquit Deus, Abraham alloquens, Genes. 22, v. 18, et 26, v. 4, *in semine tuo omnes gentes.* Quod de Christo explicat S. Paulus ad Galatas 3, v. 16; unde nihil mirum quòd vir sanctus Job qui ex Esaù posteris vulgò creditur, Redemptionis à se expectari divinitatem tam apertè prædicet, cap. 19, v. 11. 2° Jacob Christi tempora, familiam, dignitatem clarissimè vaticinatur Geneseos 49, v. 10, his verbis:

Non auferetur sceptrum de Judâ et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium ; v. 18, *salutare tuum*, inquit, *expectabo, Domine.*

Probatur secunda pars, quæ ad Prophetas attinet, ex insignibus vaticiniis de Christo ab ipsis sæpissimè editis, in quibus ejus etiam Divinitas non semel (ut Isaiæ 7, v. 14, item 9, v. 6, etc.) manifestissimè exprimitur ; quocirca Christus et Apostoli incredulitatis Judæorum revincendæ causâ ad scripta Prophetarum sæpè provocant. *Scrutamini Scripturas*, inquiebat Christus, Joannis 5, v. 39.... *illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Ibidem 46 : *Si crederetis Moysi, credieretis forsitan et mihi.* Adde Luc. 24, v. 27 ; Act. 2, v. 30 et seq. 3, v. 18, et seq. 19, v. 43, etc.

Conclusio III. Legis peritiores apud Judæos mysterium Incarnationis non ignorârunt, de Judæorum vulgo aliter statuendum.

Probatur prima pars, nempe legis peritiores illud mysterium non ignorâsse. Iis enim ignotum non fuit mysterium, quod Patriarchis revelatum traditione conservari debuit, quod diversis successivè temporibus à Prophetis prænuntiatum est, quod sacrificiis et cæremoniis legis fuit significatum ; atqui mysterium Incarnationis fuerat Patriarchis revelatum, et à Prophetis prædictum, ut mox dictum est, prætereà sacrificiis et cæremoniis legis significabatur ; undè Apostolus Rom. 10, v. 4, ait finem legis Christum, et Galat. 3, v. 24, tradit homines à lege, ut à pædagogo, ad Christum conductos ; ergo, etc.

Probatur secunda pars, nempe tantum mysterium Judæorum vulgo non fuisse similiter cognitum. Enimverò Judæorum nationi compertum fuisse illud mysterium ideò præsertim aliqui cum Estio sentiunt, quia ipsis videtur finem Incarnationis explicitam ante Christum necessariam fuisse ad salutem ; atqui licet ex Scripturis et ex Patribus constet sine aliquâ in Mediatorem fide salutem nunquàm potuisse obtineri ; attamen non videtur fidem de Deo Incarnato et Redemptore *explicitam* ante Christi adventum de necessitate medii fuisse, vel etiam vulgus ad eam habendam præcepto divino fuisse obligatum. Imò implicitam ejusmodi articuli fidem plerisque tunc temporis suffecisse constanter docent theologi post divum Thomam 2-2, q. 2, articulis 7 et 8, in corpore. Et verò S. Augustinus, epistolâ 157, aliàs 89, cap. 3, n. 14, ait fidem tempore novi Testamenti revelatam, anteà velatam fuisse, et epist. 177, aliàs 95, num. 12, eamdem in occulto fuisse pronuntiat. Verùm de hoc argumento in tractatu de fide disserunt theologi, consuli potest Sylvius ad laudatos SS. Thomæ articulos. Porrò, cùm à mundi exordio, ut diximus, revelata fuerit Incarnatio futura, atque ante legem sacrificia Christum significantia oblata fuerint, sequitur de veri Dei cultoribus, priusquàm daretur lex, idem esse tenendum, quod de Judæis docuimus ; aliis, nimirùm, ut aiunt, *majoribus* innotuisse futuram Incarnationem, aliis ejus fidem implicitam solummodò concessam ; illi tamen, inquit S. Thomas ibid. art. 7. « Quæ ad mysteria Christi pertinent, tantò difficiliùs cognoverunt quantò à Christo fuerunt remotiores. »

ARTICULUS III.

Utrùm Incarnationem futuram gentiles perspectam habuerint.

Nec de ætate ante diluvium effluxâ, quâ nullum falsi numinis cultorem Scriptura commemorat, nec de tempore illud proximè subsecuto hìc agitur. In quæstionem veniunt gentiles, cujusmodi extitêre post Hebræi populi electionem. Quæritur utrùm ab ejusmodi electione gentibus aliis, aut saltem quibusdam hominibus apud ipsas mysterium Incarnationis notum fuerit ?

Conclusio I. Ab electione populi Judaici, nulla alia gens dici potest Incarnationis mysterium cognovisse.

Probatur maximè, quia ex quo selectus est populus Hebræus, nulla alia natio, saltem per aliquod tempus insigne, Deum verâ religione coluit. Ita constat 1° ex Scripturis, quæ verum Dei cultum, ut specialem populi selecti characterem, alias verò nationes ut derelictas et in tenebris ambulantes exhibent. Exodi 17, v. 5 : *Eritis mihi in peculium de cunctis populis.* Deuteron. cap. 13 : *Si tibi voluerit persuadere frater tuus clam dicens : Eamus et serviamus diis alienis cunctarum in circuitu gentium, quæ juxta vel procul sunt ; ab initio usque ad finem terræ, non acquiescas ei.* Isaiæ 9, v. 2 : *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam ;* et 54, v. 1 : *Multi filii desertæ, magis quàm ejus quæ habet virum.* Amos 3, v. 2 : *Tantummodò vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ.* Psalmo 75, v. 1 : *Notus in Judæâ Deus.* Psal. 95, v. 5 : *Omnes dii gentium dæmonia.* Actuum 14, v. 15 : *In præteritis generationibus dimisit* (Deus) *omnes gentes ingredi vias suas.*

2° Ex omnium Patrum traditione, qui illud sæpè docent, ac semper in suis scriptis supponunt. In re obviâ necesse non est multa testimonia congeri. Consuli possunt S. Justinus, Apologiâ 1 ad Antoninum pium *olim* 2 ; Lactantius, lib. 4 Institutionum cap. 2 ; Eusebius, lib. 1 Præparationis evangelicæ, cap. 5 et 6 ; S. Chrys. in psal. 95 ; S. Augustinus, lib. 16 de Civit. Dei, cap. 10 et 12, et lib. 18, cap. 47 ; S. Cyrillus lib. 3 in Julianum ; auctor lib. de vocat. Gentium, lib. 1, cap. 15, et alii.

Dices. Refert Eusebius, lib. 6 de Præparatione evangelicâ fuisse suâ ætate apud Indos multa millia hominum qui simulacra non colebant, soli Deo attendentes ; ergo, etc.—Respondeo 1°, Bracmanes de quibus illo in loco loquitur Eusebius, non constituisse unam gentem, sed plurium gentium fuisse philosophos. 2° Ab illis colebantur astra, sol præsertim, luna, aut quid aliud sensibile ; hæc autem colebant immediatè, et sine simulacris, quippè qui artem pingendi et sculpandi non noverant ; atque eo sensu intelligendus Eusebius.

Conclusio II. Nonnullis apud gentiles futurum Incarnationis mysterium notum fuit.

Probatur 1° triplici exemplo quod nobis Scriptura suppeditant. Primum est Melchisedech, qui temporibus Abrahæ rex simul et sacerdos Dei summi in urbe

Salem, legitur Geneseos 14, sacrificium obtulisse quod fuit typus sacrificii incruenti à Christo in ultimâ cœnâ oblati. Alterum est Job ex Idumæis orti, qui cap. 19, v. 25, futuræ Incarnationis fidem magnificè profitetur: *Scio*, inquit, *quòd Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terrâ surrecturus sum, et rursùm circumdabor pelle meâ, et in carne meâ videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius.* Tertium est Balaam, Num. 24, v. 17, Christum prædicentis his verbis : *Orietur stella ex Jacob.*

Probatur 2° ex S. Augustino, lib. 18 de Civitate Dei, cap. 47 : *Non incongruè creditur*, inquit, S. doctor, *fuisse et in aliis gentibus homines, quibus hoc mysterium revelatum est, et qui hoc etiam prædicere impulsi sunt.* Lege caput integrum.

Probatur 3° auctoritate Richardi Victorini, S. Thomæ et theologorum. Richardus Victorinus, lib. de Incarnatione Verbi cap. 8, ad hæc verba Aggæi, *Veniet desideratus cunctis gentibus*, sic loquitur : *Non dicit, desiderandus, sed* DESIDERATUS, *ut intelligas in omni gente aliquos aliquandò ejus desiderio flagrâsse; erat igitur adventus ejus à multis gentilium præcognitus, et ardenter desideratus.* S. Thomas, cui concinunt omnes scholæ theologi, 2-2, q. 2, a. 7 ad 3 : *Dicendum*, inquit, *quòd multis gentilium facta fuit revelatio de Christo.* Addit ibidem S. doctor, quòd, *si qui salvati fuerunt, quibus revelatio* (nempe illa expressa de Christo) *non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide Mediatoris, quia etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divinâ providentiâ, credentes Deum esse liberatorem hominum secundùm modos sibi placitos, et secundùm quòd aliquibus veritatem cognoscentibus spiritus revelàsset.*

Quæ isto articulo hactenùs et præcedenti dicta sunt, confirmantur ex doctrinâ indubitatâ, quam de fide in Christum omni ævo necessariâ inculcant episcopi Ecclesiæ Gallicanæ in explicationibus anni 1720, ubi sic loquuntur : *Hæc tanquàm fundamentum totius doctrinæ christianæ habenda est veritas, scilicet ab Adami lapsu, nos non posse justificari, neque adipisci salutem, nisi fide in rédemptorem Christum;* « *Unus*, ut Apostolus « loquitur, 1 ad Timoth., 11, 5, *Mediator Dei et homi-* « *num homo Christus Jesus. Et non est*, ait S. Petrus, « Act. 4, 12, *in alio aliquo salus. Nec enim aliud no-* « *men est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat* « *nos salvos fieri.* » Illa maximi momenti veritas totâ serie Scripturarum designata, ad omnia tempora ante legem, et vigente lege elapsa respicit et attinet. Nullum enim, ait S. Augustinus, epist. 102, quæstione 2, n. 12, doctrina christiana nobis relinquit locum dubitandi, sine fide in Mediatorem, veteres justificari et à peccatis liberari non potuisse. *Omnes sancti*, inquit S. Leo sermone 29 in Nativitate Domini, cap. 70, *qui Salvatoris nostri tempora præcesserunt, per hanc fidem justificati et per hoc sacramentum Christi sunt corpus effecti, expectantes universalem credentium redemptionem in semine Abrahæ. Ita loquitur et docet universa traditio... Itaque fides in Mediatorem modò minùs distincta et clara, modò clarior et distinctior esse potuit pro ratione variâ personarum et temporum; verùm illa fides fundata in revelatione divinâ, non verò in cognitione naturali providentiæ, semper fuit necessaria ad salutem, atque id ipsum est fundamentum quo nixi sancti Patres docuerunt religionem semper eamdem fuisse.* Nec quia temporum varietate, ait S. Augustinus ibidem, nunc factum annuntiatur, quod tum futurum prænuntiabatur, ideò fides ipsa variata, vel salus ipsa diversa est... proinde aliis tunc nominibus et signis, aliis autem nunc : et priùs à paucioribus, posteà à pluribus, una tamen eademque Religio vera significatur et observatur. Semper ipsa constitit *semper pura, tum ratione cultûs, tum ratione doctrinæ, semper ipsâ instituti sunt atque formati veri adoratores Dei veri.* Sicut enim nos in eum (Filium Dei) credimus... et qui carne jam venerit; sic et credebant in eum antiqui et in carne venturum. *Atque hæc fuit ratio cur aliqui è sanctis Patribus justos qui ante et post Moysen vixerunt, in antecessum appellaverint Christianos.* Vide insuper quæ de hoc argumento adversùs Berruyerum constituta sunt in determinatione sacræ Facultatis Parisiensis parte 1, sectione 2, ad propositiones XXVII et XL, necnon sectione 5, ad propositionem LXXVII.

Dissertatio ij.

DE EXISTENTIA MYSTERII INCARNATIONIS ADVERSUS JUDÆOS ADSTRUENDA.

Incarnationis existentiam triplex hostium genus impugnat. 1° Judæi, qui plerorumque veteris Instrumenti librorum divinitatem agnoscentes, atque olim patribus suis à Deo promissum fuisse liberatorem quem hebraicè vocant, משיח, *Messiam*, profitentes, obfirmatis mentibus illum contendunt nondùm advenisse. 2° Gentiles, quibus adjungi possunt, quotquot Scripturarum inspirationem rejiciunt. 3° Complures hæretici.

Dissertatione istâ in Judæos agimus, sequentibus aliis duabus contra gentiles primùm, deindè contra hæreticos dicturi.

Totius autem controversiæ cardo adversùs Judæos in his duobus vertitur : 1° An Messias venerit; 2° utrùm is sit Jesus Christus religionis christianæ auctor. Si enim Judæi eò adducerentur, ut Jesum tanquàm Messiam colerent, jam non possent ejus religionem non amplecti, nec dogma Incarnationis respuere quod Christus ipse docuit, dùm se Dei Filium prædicavit. Jam verò, quæ illa duo spectant tribus possunt capitibus absolvi; in 1°, ex Prophetis demonstrabitur Messiam jam venisse; in 2°, ex iisdem oraculis evincetur Messiam esse Christum; in 3° utrumque simul ex characteribus Messiæ et variis aliis monumentis suadebitur.

CAPUT PRIMUM.

Messiam jamdudùm advenisse contrà Judæos ex Prophetarum oraculis demonstratur.

Tempora adventûs Messiæ olim Patriarchis promissi jamdudùm esse præterita astruitur, 1° ex insigni vaticinio Jacobi, Geneseos 49; 2° ex prophetiâ Da

nielis, c. 9; 3° ex prophetiis Aggæi et Malachiæ; 4° ex pluribus aliis sacrorum vatum oraculis. Quatuor articulis de his omnibus disserendum.

ARTICULUS PRIMUS.

De vaticinio Jacobi.

Jacob morti proximus singulis filiis futura prænuntians, sic allocutus est Judam capite Genes. mox citato, v. 8 et seq.: *Juda, te laudabunt fratres tui; manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda; ad prædam, fili mi, ascendisti; requiescens accubuisti ut leo, et quasi leœna, quis suscitabit eum?* NON AUFERETUR SCEPTRUM DE JUDA, ET DUX DE FEMORE EJUS, DONEC VENIAT QUI MITTENDUS EST, ET IPSE ERIT EXPECTATIO GENTIUM. *Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, ô fili mi, asinam suam, lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum pulchriores oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores.* Prima pars illius prophetiæ: *Juda, te laudabunt fratres tui*, etc., juxta sensum litteralem intelligenda est de numero, fortitudine, et præeminentiâ, ac victoriis tribûs Judæ. Ultima pars: *ligans ad vineam*, etc., de ubertate illius regionis quam in terrâ promissionis eadem tribus occupatura erat. Utramque autem et præsertim postremam de Christo Messiâ, ejusque mysteriis mysticè ac præcipuè intelligendam esse colligitur ex aliis quibusdam Scripturæ locis, et ex sanctis Patribus, quibus et de eo paraphrastæ consentiunt. Verùm de parte mediâ, quam majusculis litteris exscripsimus, et quæ soli Messiæ manifestè competit, præsertim hìc agimus, ac 1° exponitur an juxta hanc prophetiam Messias jamdudùm venire debuerit; 2° nonnulla de illius oraculi exitu inter theologos controversa discutiuntur. Sit itaque:

§ 1. — *Utrùm ex vaticinio Jacobi adversùs Judæos astruatur jamdudùm adventâsse Messiam.*

Hebræum prophetiæ textum, de quo sæpè vitiligant Judæi, et præcipuas ejus versiones statim oculis subjicio.

Hebræa sic habent: *Lo iasour schebet mihouduh, oumekokek mibben raglau, ad ki iabo schiloh, velo ikkeath ammim.* Quæ ad verbum translata significant: *Non recedet virga*, vel *sceptrum, ex Judâ et legislator de inter pedes ejus, usquequò veniat Schiloh*, id est, juxta diversas illius vocis radices et acceptiones mox exponendas, *qui mittendus est*, vel *pacificus*, vel *filius ejus*, etc., *et ei* erit *obedientia*, sive *congregatio populorum.* Textus hebræo samaritanus ad litteram redditus six habet: *Non auferetur virga* vel *sceptrum de Judâ, et dux* DE VEXILLIS EJUS, *mibben daglau, donec veniat pacificus, et ad ipsum congregabuntur populi.* Samaritana versio omninò consonat. 70 Interpretes, quibus hìc Theodotionem concordare refert Eusebius demonstrat. Evang. lib. 8: *Non deficiet princeps* ἄρχων *ex Judâ et dux* ἡγούμενος *de femoribus ejus, donec veniant quæ reposita*, vel *reservata sunt et* τα ἀποκείμενα αὐτῷ (in aliis codicibus reperitur, *donec veniat cui repositum est* ᾧ ἀπόκειται, *quam veram esse* 70 Seniorum lectionem, non autem τὰ ἀποκείμενα expressò asserit sanctus Justinus in Dialogo cùm Tryphone Judæo), *et ipse erit expectatio gentium.* Aquila: *Non exurget sceptrum* σκῆπτρον *à Judâ et legislator*, vel *peritus doctor legis* ἀκριβαζόμενος *de inter pedes ejus, donec veniat cui repositum est*, ᾧ ἀπόκειται, *et ipsi* erit *cœtus populorum.* Symmachus: *Non auferetur potestas* ἐξουσία *à Judâ.* Cætera non supersunt, sed ipsum aliis consensisse ex mox citato Eusebio videtur colligendum. Versio Syriaca: *Non deficiet sceptrum*, vel *virga de Judâ, et expositor de inter pedes ejus, donec veniat is cui illud est, et ipsum expectabunt gentes.*

Versio arabica: *Non præteribit virga de Judâ, et legislator de sub imperio ejus, donec veniat is cujus ipse est, et ad quem congregabuntur populi.*

Versio persica: *Non recedet imperium à Judâ, et scriba è medio filiorum ejus, donec veniat Christus ejus, et ei congregabuntur gentes.* Targum seu Paraphrasis chaldaica Onkelos: *Non auferetur habens principatum à domo Judæ neque scriba à filiis filiorum ejus* USQUE IN SECULUM, DONEC VENIAT MESSIAS, *ad alma, ad deiete Meschihhah, cujus est regnum, et ei obedient populi.* Targum Jerosolymit.: *Non deficient reges de domo Judâ, neque periti doctores legis de filiis filiorum ejus,* USQUE AD TEMPUS QUO VENIET REX MESSIAS, *ad zeman deite Malcha Meschihhah, cujus est regnum, et ei subjicientur tandem omnia regna.* Targum Jonathanis: *Non cessabunt reges et præsides ex domo Judæ, et scribæ docentes legem ex semine ejus,* USQUE AD TEMPUS QUO VENIET REX MESSIAS, *ad zeman di iete malcha Meschihhah, minor filiorum ejus, et propter eum colliquescent populi.* Santes Pagninus, cujus versionem magni faciunt ipsi Judæi: *Non recedet virga ex Jehudah et legislator de pedibus ejus, donec veniat Siloh, et ei erit aggregatio populorum.*

Observandum hos omnes textus et versiones tum à Vulgatâ latinâ, tum inter se quoad substantiam non differre, quod hâc inductione planè perspici potest. 1° Quantùm ad ista: *Lo iasour schebet, non auferetur sceptrum*, omnes illis textus consentiunt: Sceptrum enim, princeps, virga, potestas, reges, imperium, sunt totidem voces ad auctoritatem supremam, et principatum civilem designandum idoneæ. 2° In istis, *oumekokek mibben raglau, et dux de femore ejus*, nulla etiam rei substantiam spectans discrepantia. Hæ voces, *usquequò*, seu, *donec veniat*, exdem in omnibus textibus et versionibus occurrunt. 3° Neque in variis vocis, *schiloh*, interpretationibus illum adest essentiale discrimen, siquidem, ut modò probabimus, nulla est illius vocis acceptio, quæ Messiæ apprimè non competat. 4° Deniquè illa verba *velo ikkeat ammim, et ipse erit expectatio gentium*, quibus utuntur versiones 70 Interpretum, Vulgata et syriaca, eumdem manifestè sensum exhibent, quem referunt ista textûs samaritani et versionis arabicæ: *Ad ipsum congregabuntur populi;* aut ista textûs hebræi et Targumistarum, *Ei obedierunt populi*, seu, *erit ei obedientia*, vèl *aggregatio populorum;* quippè ex vaticinii serie manifestum est obedientiam voluntariam ac fructuosam, non verò coactam et gravem eò loci designari.

CONCLUSIO. Messiam jamdudùm advenisse ex Jacobi

vaticinio certò evincitur. Probatur isto argumento. Qui in vaticinio Jacobi prædicitur venturus jamdudùm venit; sed qui ibidem prædicitur venturus, est Messias; ergo Messias jamdudùm venit. Utraque illius syllogismi præmissa sigillatim probanda est.

1° *Qui in vaticinio Jacobi prædicitur venturus, jamdudùm venit.* — Nam jamdudùm genti Judaicæ quælibet regiminis forma et auctoritas cujus insigne est virga seu sceptrum, quilibet principatus civilis, omnis jurisdictio seu jus vitæ et necis ablata sunt. Nemo enim nescit ab excidio Jerosolymitano, quod anno æræ vulgaris 70 contigit, Judæos non modo in terrâ promissionis quam directè Jacobi oraculum respicit, omni imperio destitutos, sed et per orbem esse dispersos, errabundos, nullius juris, nullius auctoritatis consortes, ubique durâ servitute oppressos. Summam hanc gentis suæ calamitatem celeberrimi Rabbini prænuntiatam agnoscunt his Oseæ verbis, c. 3, v. 4: *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine teraphim. Hi ipsi sunt*, inquit doctissimus et Christianis infensissimus Rabbinus David Kimchi in hæc Oseæ verba, *dies captivitatis in quâ nos versamur hodiè, quando nobis neque rex est, neque princeps ex Israele... Nam sub potestate gentium sumus, et regum, atque principum eorum; nullum nobis est neque Dei veri, neque idoli colendi instrumentum : ità nos hodiè in hoc exilio vivimus omnes filii Israelis.* Similia habet R. Manasse ad cap. 49 Genescos.

Et verò quomodò aliqua regiminis forma ac jurisdictionis auctoritas dici possent in eâ perseverâsse tribu, quæ et ipsa desiit et evanuit? Atqui ipsa desiit et evanuit tribus Juda. Evanuit respectu terræ promissionis. Id namque mirum quòd nulla sit regio in quâ pauciores occurrant Judæi quàm in Palæstinâ; nulli præsertim Jerosolymis ferè reperiuntur. Attamen vaticinium Jacobi, quo sceptrum Judæ promittitur usque ad tempora Schiloh perseveraturum, terram promissionis respicit et de eâ accipiendum est. Quæ enim in vaticinio præcedunt et sequuntur hæc verba : *Non auferetur*, etc., ad terram promissam de verbo ad verbum esse referenda planum est. Evanuit etiam in se spectata. Supersunt quidem posteri Judæ, sed ab ejus fratrum filiis secerni nequeunt. Omnium tribuum reliquiæ superstites permixtæ sunt, et earum genealogiæ confusæ. Urbs Jerusalem, teste Josepho, de Bello judaic. lib. 6, cap. 9, à Romanis tunc obsideri cœpit, cùm innumera Hebræorum aliarum regionum, qui venerant ad celebrandum Pascha, multitudo in ejus sinu continebatur. Ubi verò capta fuit, nulla distinctio familiarum facta est, nec fieri potuit. Alii ex Judæis in Ægyptum secessêre, plerique per varias imperii partes disjecti, et servorum instar in foris venditi, paucissimis in patriâ remanere licuit. Hinc qui in eâ gente se ex Judâ ortos volunt, genealogiæ suæ nulla proferunt instrumenta, nec nisi maximè dubias traditionis obtendunt. Ut verbo absolvam, nusquàm gentium tribus Juda unum corpus seorsim constituit. Imò nec aliæ tribus cum ipsâ commixtæ ullibi terrarum in alicujus reipublicæ formam coalescunt. Ergo jamdudùm defecit et dissipata est tribus Juda, ac proinde in illâ tribu omnis jamdudùm regiminis forma ac jurisdictionis auctoritas desiit.

Atqui juxta vaticinium Jacobi omnis auctoritas et forma regiminis, omnis jurisdictio, seu jus vitæ et necis à Judâ non erant auferenda, *usquequò*, seu *donec* venerit ille qui in ejusmodi vaticinio prædicitur venturus. Etenim 1°, is est sensus naturalis et obvius textûs samaritani, omnium versionum etiam antiquissimarum, et à Judæis maximè probatarum, omnium quoque paraphraseon chaldaicarum, quarum tanta apud eosdem auctoritas. Hujusce modi textus de verbo ad verbum modò exhibuimus. Juxta codicem Samaritanum legendum est : *Non auferetur sceptrum... et dux... donec veniat*, etc.; juxta 70 : *Non deficiet princeps... et dux... donec*, etc.; juxta Interpretem syriacum : *Non deficiet sceptrum.... et expositor.... donec*, etc.; juxta arabicum : *Non præteribit virga.... et legislator.... donec*, etc.; juxta Onkelos : *Non auferetur habens principatum.... neque scriba.... donec*, etc.; juxta alios Paraphrastas : *Non desinent reges.... donec*, etc. Jam verò vel illa significant aliquam regiminis formam et auctoritatem, aliquem principatum civilem, jus vitæ et necis usque ad tempus illius qui venturus prædicitur, esse permansura in tribu Juda, vel nihil omninò significant.

1° Is etiam est sensus textûs hebræi. Enimverò cùm nullo pacto dici possit vocibus *sceptri* et *legislatoris*, non designari principatum civilem atque auctoritatem et formam quamdam regiminis et jurisdictionis, vel fateantur Judæi circa ætatem quâ eorum respublica penitùs extincta est, illum venire debuisse, cujus adventum Jacob prænuntiat; aut propugnent necesse est malè à Christianis hebræa reddi. Atqui istud postremum propugnari non posse manifestum fit vel ex solâ levitate monumentorum quibus Judæi recentiores non pauci interpretationem nostram impetunt. Tricas movent illi de vocibus עַד כִּי, *ad ki*, quas vertimus *usquequò, donec, quoad usque*, et de voce שִׁבְטוֹ *Schebet*, quâ auctoritatem, principatum, imperium, jurisdictionem designari docuimus. Aiunt igitur plures Rabbini particulas *ad ki*, dùm conjunctim leguntur atque ad eamdem pericopen pertinent, significare quidem *usquequò, donec*, sed eas hìc esse sejungendas; *ad* utpote affectam accentu *Jetib*, cui vis inest disjunctiva, ad priora verba referri, cum iis unum colon seu membrum constituere, ac verti debere *in æternum, perpetuò;* quo sensu adhibetur Exodi 15, v. 18, Isai. 26, v. 4, et alibi; *ki* verò cum sequentibus conjungi debere, ac significare *quandò*, seu *postquàm*, vel ut aliis placet, *quia*, seu *nam;* legitimum proinde prophetiæ sensum hunc esse : *Non recedet sceptrum de Judâ in æternum; quando* seu postquàm *venerit Messias* (1);

(1) Ità exponunt auctor veteris commentarii in Genesim *Beresith Rabba* inscripti, sect. 99; R. Becchai in hunc locum, ubi sententiam hanc magistro suo Rabbi Salomoni, Jarchi acceptam refert; Rabbi Manasse in *Conciliatore*, quæst. 65 in Gen. tertiam Judæorum sententiam exponens.

vel istum : *Non deficiet sceptrum de Judâ in perpetuum, quia veniet Mesias*, qui scilicet illud restauret perpetuò duraturum (1). Atque in ejusmodi argutiâ grammaticali multùm confidere videntur Judæi recentiores.

Alii tamen nempe R. Maimonides, R. Mose ben Nachman, et R. Joel ben Sueb, et R. Isaac in glossis super Samuelem viâ prorsùs oppositâ insistunt. Non negant vocibus *ad ki* significari *donec;* sed cùm *Schebet* generatim virgam designet, alia autem sit virga imperii et auctoritatis, ut Psal. 44, v. 7, etc., alia tribulationis et castigationis, ut Isai. 11, v. 5, Proverb. 22, v. 15, etc., contendunt nihil obstare quominùs in vaticinio Jacobi, *Schebet* de virgâ tribulationis accipiatur. Quo posito, inquiunt, is erit Prophetiæ sensus: *Non recedet virga tribulationis et castigationis à Judæis, donec veniat Messias.* Sic itaque insignis vaticinii vim summam conantur eludere.

At duplex ejusmodi effugium non difficulter præcluditur non modò auctoritate paraphraseon et versionum omnium, præsertim antiquarum, quas jam laudavimus, non modò interpretatione plerorumque Rabbinorum, sed etiam decretoriis circa linguam sacram observationibus.

Et ut incipiamus ab eo quod profertur circa syllabas *ad ki*, illarum sensus triplici solùm viâ determinari potest. Scilicet 1° ex primigenio textu in se nudè spectato, et independenter à punctis et accidentibus Massorethicis, quæ recentioris esse usûs multi volunt, nec nisi seculo Ecclesiæ 5 aut 6 inventa censent post R. Eliam Levitam Lud. Capellus, Morinus, Simonius, etc., imò quorum initia nonnulli seculo demùm 9 vel 10 cum Masclefio collocant; 2° ope regularum grammatices Massorethicæ, quibus maximè confidendum arbitrantur non Judæi modò, sed et plures Christiani, ut post innumeros, Bartoloccius, Biblioth. Rabbin. tom. 1, p. 141, etc.; Guarinus in suâ grammaticâ hebraicâ, etc.; 3° ex textibus aliis versionibusque antiquis, ac Judæorum priscis interpretationibus. Atqui quamcumque ejusmodi viam teneamus, planè demonstratur *ad ki* significare *usquequò* ceu *donec*.

Ac 1° quidem is sensus determinatur ex textu hæbræo in se spectato posthabitis punctis et accentibus Massorethicis. Siquidem, etsi vox עד *ad*, ubi sola ponitur; aliquando sumi possit pro לעד *lad*, *in æternum;* attamen, ubi ponitur ante particulam כי *ki*, nihil quidquam seorsim sonat, sed utraque conjunctim semper significat *donec*, *usquequò*, ut patet ex aliis quatuor locis, Genes. 26, v. 43, item 41, v. 49, et 2 Reg. 23, v. 10, et 2 Paral. 26, v. 15, in quibus solis, ut in vaticinio nostro occurrit *ad ki* nec aliud quàm *donec*, potest significare. 2° Idem sensus astruitur regulis Massorethicis accentuum, prout eas proponit ipse R. Elias Levita, libro de accent. cap. 2, et cum eo omnes grammatici. Nam non aliâ de causâ quos hìc impugnamus voces *ad ki* divellunt, et *in æternum postquàm*, seu *quia*, interpretantur; quàm quòd velint accentum *Jetib*, quo particula *ad*, eò loci afficitur, esse de se disjunctivum; atqui ea ratio falsa est. *Jetib* enim de se non esse disjunctivum liquet, vel ex ipso versiculo immediatè præcedenti, ubi prima vox גור *gour*, *catulus*, afficitur illo accentu, nec tamen, ut est evidens, à sequentibus divelli potest. Pariter Gen. 51, v. 15, et Exod. 9, v. 25, *Jetib* pingitur sub syllabâ את *eth*, quæ nota est accusativi casûs, nec proindè separari potest à sequenti vocabulo. Similia exempla suppeditant singulæ ferè paginæ, vide Exod. 4, v. 26, et cap. 5, v. 2 et 4, et cap. 7, v. 24, et cap. 9, v. 4, etc. Deindè vox רגלו *raglau*, quæ in vaticinio nostro immediatè præcedit particulas *ad ki*, notatur majori distinctione, scilicet accentu *Athnach;* atqui *Jetib* post majorem distinctionem nihil separare apud omnes hebraisantes certum et inconcussum est, constatque ex omnibus exemplis quæ Biblia suppeditant, vide Exod. 4, v. 26, et cap. 5, v. 2, et cap. 9, v. 31; Jud. 2, v. 24, et cap. 4, v. 24; et 1 Reg. 22, v. 3; et Ruth. 1, v. 12, in quibus omnibus *Jetib* subsequitur vocem accentu *Athnach* notatam, neque ullus in contrarium afferri potest locus. Et verò cùm *Athnach*, afficiens *raglau*, omnium accentuum, *Silluck* excepto, sit maximus, ac duobus punctis æquivalens colon seu membrum efficiat, sicut *Silluk* periodum; nonne post vocem *ad*, interpunctio aliqua absurdè collocaretur? Ergo ibi *Jetib* non est disjunctivus. Præterea, inter loca à nobis laudata plura sunt in quibus *Jetib* non reperitur nis. post *Zakeph-Katon*, ut Gen. 51, v. 15, etc. Exod. 5, v. 4, etc., cap. 9, v. 4, vel post *Rebia*, ut Exod. 9, vi 25, qui accentus sunt longè minoris virtutis quàm *Athnach*, nec efficiunt nisi semicolon aut comma; ergo, cùm post eos accentus non distinguat *Jetib*, à fortiori nec post *Athnach* potest distinguere. Denique Gen. 41, v. 49, ubi eædem leguntur voces *ad ki* quas nunc expendimus, vox מאד *mehod multum*, immediatè antecedens, habet *Athnach*, sicut רגלו *raglau* in vaticinio Jacobi; et *ad* notatur accentu *Tebir*, qui non minoris, imò majoris potentiæ est, quàm *Jetib*. Atqui tamen accentus *Tebir* ibi non distinguit; ergo à fortiori nec *Jetib*, Gen. 49, v. 10, debet distinguere. Sed in hisce Judæorum nœniis confutandis nimiùm immoramur.

3° Tandem hunc eumdem sensum invictissimè confirmant, imò demonstrant tum Targumistæ, et veteres interpretes, 70 scilicet, Aquila, Theodosion, Syriacus, Arabs, Pers. Samar. Vulgatus, etc.; tum auctores Thalmudis Babylonici æqualis cum Scripturâ sacrâ apud Judæos auctoritatis, qui non uno in loco Jacobæum vaticinium ita explicant, ut vocibus *ad ki* nihil aliud quàm *donec* ab iis intellectum fuisse liquet (1); tum denique doctorum Judæorum multitudo, quorum plurimos nobiscum consentientes refert ipse Menasseh

(1) Ità quoque nonnulli Rabbini quibus malè concinit Samuel Basnagius Flottemanvillæus in Annalibus ecclesiastico-politicis ad ann. 40 ante Christum, n. 24.

(1) Vide inprimis *Midras Miste*, seu expositionem mysticam super proverbia, folio 71, col. 3, et *Gemarum* ad caput 11, *tractatus Sanhedrin;* verba inferiùs laudabuntur.

ben Israel in *Conciliatore*; ad quæst. 65 super Genesim, in exposit. sententiarum 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10 et 11. Alios videre est apud Morinum in Appendice de locis hebræi textûs restitutis, cap. 1, 2 et 3. Horum sanè omnium tam unanimis eà de re consensio peremptoria prorsùs est. Cùm enim ii loco, tempore, moribus longè à sese invicem essent dissiti, atque alii ante ortam de eo textu controversiam scripserint, ut 70 et fortè Onkelos, etc., alii, ut Aquila et Theodotion Judæorum proselyti, auctores Thalmudis, nec non Rabbini Christianis infensissimi essent, non potuerunt in eamdem sententiam conspirare, nisi cogente vi manifestissimæ veritatis. Ergo, sive hebræum textum nudè spectemus, sive regulas Massoretharum observemus, sive varias versiones et interpretationes consulamus, manifestum est *ad ki* nihil aliud quàm *donec*, *usquequo*, significare posse.

Hæc de primo quorumdam Judæorum effugio. Jam verò quod alii contendunt in vaticinio Jacobi nomine שבט *schebet* posse significari virgam tribulationis, afflictionis, ac castigationis non minùs perspicuè confutatur. 1° Ex usu vocis *schebet*. Sextuplex illius vocabuli acceptio in Scripturis deprehenditur. Juxta primam, *schebet* significat solummodò virgam simplicem, seu baculum, cui innititur quis inter ambulandum, vel quo utitur ad greges in pascua deducendos, ad percutiendum, etc. Sic Exod. 21, v. 22, Levit. 27, v. 32, 2 Reg. 23, v. 21, 2 Paralip. 11, v. 23, Psal. 22 (hebr. 23), v. 4, Isai. 10, v. 15, etc.; atque hæc est primaria, propria, et naturalis illius vocis significatio; aliæ analogicæ tantùm sunt et metaphoricæ. Juxta secundam itaque acceptionem, *schebet* analogicè significat hastam, lanceam, telum, quæ nihil sunt aliud quàm baculus cuspide ferreâ armatus, ita 2 Reg. 18, v. 14, nec alibi hoc sensu ea vox usurpatur. Juxta tertiam, vi ejusdem analogiæ sonat scriptoris calamum, stylum, qui olim erat baculus ex uno extremo acutus, ex altero planus et teres. Hoc sensu non legitur nisi Jud. 5, v. 14. Juxta quartam, significat metaphoricè auctoritatem, principatum, imperium, jurisdictionem, dominationem, quorum virga seu sceptrum insignia sunt et symbola, ut Psal. 44 (hebr. 45), v. 7, Isai 14, v. 5, Ezech. 19, v. 11 et 14, Amos. 1, v. 5 et 8, et Zach. 10, v. 11, et vix alibi reperitur. Juxta quintam, metaphoricè pariter tribum vel etiam familiam designat, quæ acceptio in Scripturis frequens est, inde ducta, vel quòd unicuique tribui sua foret virga specialis, quâ distinguebatur, vel quòd tribus et familiæ in arbore genealogicâ sint veluti totidem rami ex eodem communi stipite orti. Juxta sextam denique acceptionem, *schebet* est tribulatio, afflictio, oppressio et castigatio, cujus instrumentum sæpiùs est virga vel fustis. Sic sumitur 2 Reg. 7, v. 14, Job 9, v. 34, et cap. 21, v. 9, Psal. 88 (hebr. 89), v. 33, Prov. 22, v. 8, Isai 10, v. 5, Thren. 3, v. 1, et aliis fortè in locis. Maximè autem observandum est *schebet* significationem hanc postremam nunquàm induere, nisi quodam addito ad eam determinetur, ut *virga ferrea*, *virga iræ*, *furoris*, *virga Dei*, *visitare in virgâ*, *etc.*

Apud omnes constat in vaticinio Jacobi vocabulum *schebet* primo, secundo vel tertio sensu non adhiberi, quippe quos vel ipsa sola oraculi majestas manifestè excludit. Utrum verò quartæ, an quintæ acceptioni insistendum sit, jam non expendimus; quia, cùm et principatus ac imperium in tribu Juda, et ipsa ejusmodi tribus omnisque ejus regiminis forma jamdudùm, ut dictum est, reipsà defecerint; utràque acceptione efficaciter revincuntur Judæi. Quartam tamen meritò veriorem hactenùs supposuimus, majorique rationum ac auctoritatum pondere firmatam loco suo ostendemus. Unum duntaxat, ex illis circa usum vocis *schebet* observationibus, hic colligendum, nempè hæc vocabulum in prophetiâ Jacobi secundum ultimam acceptionem, nimirùm pro virgâ tribulationis, afflictionis et castigationis, non posse sumi. Quod sic conficitur: *schebet*, ut notandum est, afflictionem et castigationem nunquàm significat, nisi quodam addito ad sensum hunc determinetur ac restringatur; atqui in vaticinio nostro *schebet* legitur sine ejusmodi addito; ergo ex usu *schebet* manifestum est illo vocabulo hic non designari virgam castigationis.

2° Ex antecedentibus et consequentibus illud idem astruitur. Esto, vox *schebet*, non sceptrum et auctoritatem potiusquàm virgam tribulationis de se exhibeat, inde sequeretur illius vocabuli significationem ex antecedentium et consequentium inspectione determinandam esse. Atqui in vaticinio Jacobi nec antecedentia nec consequentia patiuntur vocem *schebet*, intelligi de virgâ castigationis et tribulationis. Non antecedentia; siquidem fausta Judæ prænuntiat Jacob, ipsumque præ cæteris fratribus extollendum ac laudandum prædicit, adductâque leonis, quem accubantem nemo suscitare ausit, comparatione, victorias cum de hostibus reportaturum vaticinantur. *Juda*, inquit, *te laudabunt fratres tui*, *manus tua in cervicibus inimicorum tuorum... Catulus leonis Juda... requiescens accubuisti ut leo*, *et quasi leœna*, *quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Judâ.* Quid ibi afflictionem, tribulationem et castigationem vel tantillùm redolet? Neque consequentia: additur enim statim: Et *dux de femore ejus*, seu et *legislator de inter pedes ejus*. Versiculo sequenti sermo fit de feracitate regionis, quam in terrâ Chanaan inhabitaturi erant Judæ posteri. Num tribui Judæ calamitates maximas minari censendus est Jacob, dùm ejus inter cæteras tribus præeminentiam extollit, dùm ipsi victorias de hostibus promittit? etc.

3° Ex simili Scripturæ loquendi modo Zach. 10, v. 11, habetur: Veschebet Misraim iasour: *Et sceptrum Ægypti recedet*, vel ut reddunt 70 Interpretes, καὶ σκῆπτρον Αἰγύπτου περιαιρεθήσεται, *Et sceptrum Ægypti auferetur*. *Schebet* eò loci significat imperium ac potestatem regiminis; atqui eadem loquendi ratio deprehenditur in vaticinio Jacobi; ergo.

4° Argumento ex Scripturis ducto. Auctor lib. 1. Paralip., cap. 28, v. 4, alludens procul dubio ad benedictionem Judæ datam à Jacobo, Davidem inducit sic loquentem: *Elegit Dominus Deus Israel me.. ut*

essem rex, etc. DE JUDA ENIM ELEGIT PRINCIPES, (Hebr. chi bihouda bachar lenagghid : *nam in Juda elegit in principem* vel *Judam elegit in principem); porrò de domo Juda, domum patris mei, et de filiis patris mei placuit ei ut me eligeret regem*, etc. Unde patet huic auctori *schebet* idem esse ac *nagghid*, quo princeps certò designatur. Hinc 70 vertunt, καὶ ἐν Ιουδᾳ ἡρέτισε τὸ Βασιλειον, *et in Juda elegit regnum*, et Josephus, lib. 8, Antiq. cap. 10, scribit Davidem expressis verbis pronuntiare, Judam Jacobi filium præ cæteris electum fuisse qui rex designaretur.

5° Ex eventu. Nomine *schebet* in vaticinio Jacobi non potest intelligi virga castigationis et tribulationis, nisi tribus Juda peculiari modo castigetur, et præ cæteris tribubus affligatur, quippe cùm Prophetiæ verba solum Judam spectent, non cæteros Jacobi filios. Atqui tribus Juda speciali modo non fuit afflicta; omnibus Israelitis quarumlibet tribuum communis est virga tribulationis quâ percutiuntur; imò et diu floruit tribus Juda post aliarum dispersionem; ergo.

6° Ex translatione 70 Seniorum, qui ἄρχων vertunt, item ex aliis versionibus, et ex paraphrasibus chaldaicis; quam auctoritatem Judæi refugere nequeunt. Nam 70 vim vocum apprimè callebant. Aliarum versionum plurimæ à Judæis adornatæ sunt. Porrò paraphrastæ chaldaici, qui et Judæi fuerunt, et doctissimi apud ipsos perhibentur, vel ante Christum natum et proindè ante exortam quæstionem (quod multis placet, et de Onkelos saltem valdè probabile est) scripserunt, vel ut aliis videtur, non nisi pluribus à Christo seculis. Si prius, summam hìc esse eorum adversùs Judæos auctoritatem nemo non videt. Si posterius, adhuc majorem obtinere debent, quia tunc solius veritatis perspicuæ lumini tribui possunt, quæcumque religioni christianæ faventia ab ipsis prolata sunt.

7° Pauci tantùm Rabbini, quam refellimus interpretationem sequuntur. Cæteri omnes plerumque nomine *schebet* fatentur principatum designari. (Vide Manassen in *Conciliatore*, pag. 89 et seq. Morinum *Append. de locis Hebr. textûs restitutis*, cap. 1, 2 et 3, et alios.)

Itaque hebræa vaticinii à nobis accuratè reddita; *ad ki* significat *donec*, *usquedùm*, *quoadusque; schebet* denotat sceptrum, principatum, auctoritatem regiminis, jurisdictionem; ac proindè qui in vaticinio Jacobi prædicitur venturus, jamdudùm venit.

2° *Qui in eâdem Prophetiâ prædicitur venturus est Messias.* — Secunda hæc nostra propositio triplici potissimùm argumento evincitur. Primum petitur ex naturâ et propriâ vi ac significatione grammaticâ nominis *Schiloch*, à quâcumque radice Hebraicâ illud derivetur; nam qui venturus hìc prædicitur, simpliciter et sine addito appellatur *Schiloch;* ergo si omnes hujus nominis simpliciter et sine addito sumpti significationes Messiæ soli apprimè competunt, sequitur eum quem Jacob venturum prænuntiat esse Messiam. Atqui soli Messiæ apprimè congruere varias illius vocis significationes grammaticas, brevi inductione liquet.

Itaque 1° vocabulum illud alii interpretantur *mittendus*, à Themate שלח, *Scalach*, *misit* (1). Hanc interpretationem sequuntur ex veteribus Eusebius, Demonstrationis evangelicæ lib. 7, et S. Hieronymus in Vulgatâ nostrâ latinâ, et inter recentiores Steuchus Eugubinus in veteris Testam. ad hebraicam verit. Recognitione, Grotius in annotatione ad hunc locum, et alii. Ab eâ non revocatur Huetius Demonst. evang., nisi unius samaritani exemplaris auctoritate. Eamdem tribuunt Judæis quibusdam Galatinus, lib. 4 Arcan. catholicæ veritatis, cap. 3, Lyra in glossâ ordinariâ, Huetius loco citato.

Alii 2°, cum codice samaritano ejusque versione *Schiloh* interpretantur *pacificum*, seu *pacificantem*, *pacis auctorem*, à verbo שלה, *Schala*, quod est *quiescere* (2); ita Hieronymus, Oleaster Commentario in Pentateuchum, Huetius ubi supra, Vatablus in hunc locum, et ex Protestantibus Fagius et Castalio apud criticos Sacros, Amama et Cartwrightus in supplemento eorumdem criticorum. Alii 3° vocem hanc deducunt à nomine שלה *Schilia*, quod est secunda, vel secundina, id est, pellicula illa, quâ partus involutus, ex utero prodit; unde fit, inquiunt, שיל *Schil*, quod semen vel filium sonat, ut docet Rabbi David Kimchi in libro Radicum. Istis igitur *Schilo*, idem est ac *filius ejus*, nempe Judæ (3). Illa Davidis Kimchi expositio Rabbi Bechai, Aben-Ezræ et aliis celebribus Rabbinis probatur apud Morinum, Hoornebeck, etc. Galatinus, pag. 138 et 144, Helvicus apud Crit. Sac. etc., eamdem suam faciunt. Juxta plures 4°, vox *Schiloh* conflata est ex litterâ *Sckin* contractè, ut sæpè fit, positâ loco relativi pronominis אשר *ascher*, et ex demonstrativo לו vel לה *Loh*, quasi scriptum esset שלו, vel שלה *Scheloh*, masculino affixo in femininum mutato. Unde vertunt, *donec veniat* ILLE CUI (supple, *repositum est regnum*); vel QUOD EI, nempe Judæ, aut Messiæ (supple *repositum est*); vel QUI EI (supple *promissus est*); vel denique, *donec veniant* QUÆ EI, Judæ scilicèt (supple *reposita* seu *reservata sunt*). Quæ omnia in idem quoad substantiam recidunt. Hæc est interpretatio 70 Seniorum, Arabis, Syr. Pers. Targum Onkelos et Jerosol. Rabbinorum Aben Ezræ, Jarchi, Aben Me-

(1) Sivè transumptoris vitio in codice suo pro שילה *Schiloh* scriptum repererint שלוח *Schalouach*, quod est participium pahul, vel שילוח *Schillouach*, quod est nomen verbale à radice שלח *Schalach misit*, sicut *Siloe* (hebraicè שילוח *Schiloach*) Joan 9, v. 9, exponitur *missus*, sive errante oculo et litterarum similitudine decepti ח *Heth* pro ה *He* in fine vocis legerint, sive litteras illas in se invicem mutari posse crediderint. « Quid enim facilius, ait Grotius in hunc locum, quàm aut variante dialecto, aut scripturâ aberrante, mutari inter se litteras tam vicinas et soni et figuræ? »

(2) Vel ii vocem *Schiloh*, sine litterâ, *Jod*, ut habent codex et versio samarit. legerunt, vel cum litterâ illâ, ut jam in hebraeo extat, legentes, putaverunt esse nomen formæ nominis קיטוד *Kitor*.

(3) Adeò ut affixum femininum ה, fit loco masculini ו, quod sæpè contigit, et bis hoc ipso in capite factum reperitur.

lech, etc., et cum iis Turretini, Simonii, Hist. crit., vet. Test. lib. 2, cap. 6, pag. 219, etc. Nonnulli tandem *Schiloh* dividunt in duas voces שילו ; vel שילה *Schaloh*, hoc est *munus* sive *donum ipsi*, nempe Judæ promissum, cujus interpretationis mentionem facit ex antiquo Midrasch R. Salomo Jarchi apud Morin. vide etiam Manassen in *Conciliatore*, pag. 89.

Itaque hæc vaticinii verba, *donec veniat Schiloh*, idem sonant ac si dictum fuisset sine addito et antonomasticè, *donec veniat qui* MITTENDUS est, vel *donec veniat* PACIFICUS, vel *donec veniat* FILIUS ille insignis promissus Judæ, vel *donec veniat* ILLE CUJUS EST REGNUM, vel *donec veniant quæ promissa sunt Judæ*, aut *quæ ei reposita sunt*, sive Filio ejus reservata, vel *donec veniat* MUNUS EI concedendum. Atqui singula illa hocce modo enuntiata soli Messiæ competunt. 1° Solus Messias dici potuit simpliciter et sine addito mittendus, Exodi 4, v. 13: *Mitte quem* MISSURUS *es*, Isaiæ 16, v. 1 : EMITTE *agnum dominatorem terræ*. Et certè cùm Messias esset liberator à Deo Patriarchis promissus, Geneseos 12, v. 3, cap. 18, v. 13, cap. 22, v. 18, cap. 26, v. 4, cap. 28, v. 14, num alter potuisset in vaticinio Jacobi simpliciter per excellentiam à Deo MITTENDUS appellari? 2° Solus etiam Messias potuit nomine PACIFICI sine addito et per excellentiam in vaticinio designari, si quidem solus veræ *pacis* est auctor. Hinc Isaiæ 9, v. 6 et 7, *vocabitur*, inquit Propheta, *nomen ejus* (Messiæ).... *princeps* PACIS. Ps. 71, v. 7 : *Orietur in diebus ejus... abundantia* PACIS, et Micheæ, 5, v. 5, ipse *pacis* nomine adumbratur : *Et erit iste* PAX, ait sacer contextus. 3° FILIUS Judæ per antonomasiam dictus procul dubio est Messias, qui ex Judâ fuit oriundus fatentibus Judæis, et quo nullus inter posteros Judæ illustrior sanè esse potuit. 4° Manifestum est sive illo *cujus est regnum*, simpliciter et antonomasticè denominato, sive illo *qui Judæ promissus* sine addito dicitur, sive eximiè *repositis ei et reservatis*, non alium quàm Messiam in oraculo Jacobæo designari. Enimverò regnum in Scripturis sæpè dicitur Messiæ repositum : POTESTAS EJUS, inquit Daniel cap. 7, v. 14, POTESTAS *æterna quæ non auferetur, et* REGNUM *ejus, quod non corrumpetur*. Paria leguntur Psalmis 2 et 71, Isaiæ 9, v. 6 et 7, Jerem. 23, v. 5. Secundùm easdem Scripturas omnia illi filio Judæ subjicienda sunt, ipse futurus est cunctorum Dominus ; atque in eo etiam omnes prophetiæ et promissiones, non inficiantibus Judæis adimplendæ. 5° Solus Messias per excellentiam appellari potest MUNUS EI (Judæ) *concedendum*, quia scilicet ipse solus erat semen illud Patriarchis promissum in quo benedicendæ essent omnes gentes. Omnes igitur vocabuli *Schiloh* significationes soli Messiæ congruunt, proindeque is est Messias quem venturum Jacob prænuntiavit.

Secundum argumentum desumitur ex characteribus, quibus Jacob designat quem venturum prædicit. Is enim juxta vaticinium tantum stirpi Judæ decus erat allaturus, ut futurus esset gentium expectatio, seu quod idem est, ad ipsum congregandi forent populi, et gentes ei libenter obedituræ. In hunc sensum conspirant textus hebræus et Samaritanus, omnesque versiones ac paraphrases. Atqui ejusmodi character ita Messiæ proprius est, ut nulli alteri competere possit. Quod certissimè probari potest : 1° ex Scripturis quæ multis in locis Messiam hisce proprietatibus manifestè designant ; Gen. 22, v. 18 et alibi : BENEDICENTUR IN SEMINE TUO OMNES GENTES *terræ*. Psal. 71, v. 11 : OMNES GENTES SERVIENT EI. Isaiæ 11, v. 10 : *Stat in signum populorum*, IPSUM GENTES DEPRECABUNTUR, et cap. 49, v. 6 : *Dedi te in lucem gentium ut sis salus mea usque ad extremum terræ*. Micheæ 4, v. 1 : ET FLUENT AD EUM OMNES POPULI ; denique Aggæi 2, v. 8 : *Veniet* DESIDERATUS CUNCTIS GENTIBUS. 2° Enumeratione eorum omnium de quibus Judæi explicare conati sunt illud vaticinium ; facilè enim ostenditur characteres de quibus agitur, iis nullo prorsùs modo congruere, ut ex vitiligationum Rabbinicarum solutione patebit.

Tertium argumentum ducitur ex consensu Judæorum, præsertim veterum. 1° Paraphrastæ *Schiloh* expressè *Messiam* interpretantur. 2° Talmudistæ in Gemarâ capitis 11 tractatus Sanhedrin, ad quæstionem, *quod illi* (Messiæ nomen)? sic respondent : *Familiares Rabbi Silæ aiebant : Schiloh nomen ejus, quia dicitur : Donec veniat Schiloh.* In Midras Misse fol. 71, col. 3, Israel dicitur (5, v. 7) vinea vocatus, comparatione factâ, *cum plantatione regni in tribu Judæ usque dùm progerminet Rex Messias, quia scriptum est : Non recedet sceptrum de Judâ*, etc. Ibidem ex Rabbi Hunâ referuntur octo Messiæ nomina quorum unus est *Schiloh*. 3° Idem tradunt Judæorum doctores, nam *Schiloh* esse Messiam sentiunt Rabbini in *Beresith Rabba* seu magno Commentario in Genesim jam laudato, auctor libri *Jalcuth* apud Judæos celeberrimi, RR. Salomo Jarchi, Bechai, Aben Melech, Moses Alsich, Arama, Moses Ben Nacman, auctor libri *Arbaturim*, et alii apud Huetium Demonstr. evangel. prop. 9, cap. 4, n. 16 ; Helvicum, n. 6 ; Morinum, Append. sæpiùs citatâ, etc. His præiverant veteres illi Judæi, de quibus Origenes, lib. Περὶ ἀρχῶν seu *de principiis*, cap. 1, qui non aliter vim Prophetiæ declinare conabantur, quàm fingendo imperium quoddam tribûs Judæ in locis remotioribus et incognitis ; sed et plerique Judæi hodierni vaticinium Jacobi de Messiâ intelligunt, adeò clara est et manifesta. Hinc in versione hebræo-germanicâ, quam in suorum usum adornari curârunt, habetur expressè : *Bis dar er kommt Maschiach*, id est : *Donec veniat Messias ;* ergo.

Hactenùs demonstratæ sunt ambæ propositiones argumenti conclusionis istius initio propositi, nempe quem venturum prædixit Jacob jamdudùm advenisse, atque hunc esse Messiam ; ergo juxta Jacobi oraculum jamdudùm Messias venit.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.— Objicies 1° : Non constat voce *Schiloh* Messiam designari in vaticinio Jacobæo. 1° Enim illa vox potiùs designat Moysen, vox enim שילה *Schiloh*, et vox משה *Moses* litteris secundùm valorem arithmeticum acceptis, numerum eumdem, nempe 345, conficiunt, ac proinde juxta cabalæ leges

in se invicem possunt commutari; ergo. Hæc est una ex interpretationibus quas refert R. Manasse in Conciliatore, q. 65 in Gen., ubi eam tribuit Rabbi Bechai, qui tamen Moysen ut Messiæ typum duntaxat habuit, adeò ut vaticinium utrique competere, et in utroque adimplendum censuerit. Probat autem in Moyse illud jam completum fuisse, tum ratione mox allatâ ex valore litterarum arithmetico desumptâ; tum quia Deut. 33, v. 5, Moyses rex dicitur, unde concludit sceptrum à tribu Juda ad tribum Levi fuisse translatum. 2° *Schiloh* potest intelligi de Saûle, qui unctus est in Silo, et qui imperium è tribu Juda ad tribum Benjamin ex quâ erat oriundus transtulit. Sensus ergo vaticinii esse potest: *Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat unctura Siloensis, seu donec veniat Saül rex ungendus in Silo.* 3° Eadem vox potest intelligi de Davide, nam *Schiloh* potest significare *filium.* David autem fuit insignis Judæ FILIUS *sub cujus imperium multi venerunt.* Ita RR. Aben Esra et Levi Ben Gerson apud Manassen loco cit. Quod confirmant alii, quia cùm vox סור *Sour* significet motum ad aliquem locum, ac proinde possit accipi pro *accedere,* Prophetia hoc modo reddi potest: *Non accedet sceptrum ad Judam, donec veniat David insignis filius Judæ.* 4° Vox *Schiloh* fortè designat urbem *Siloh,* seu tabernaculum in urbe Silo positum uti Massorethis visum est, nam vox *Sour* potest sumi pro *accedere,* ut mox dictum est. Verbum autem בּרא *bo,* idem esse potest ac *occidere, occumbere;* nihil ergo vetat quominùs Prophetiam hoc modo interpretemur: *Non accedet sceptrum ad Judam, donec occidat,* seu *desinat Silo,* id est, *tabernaculum in urbe Silo positum.* Atque hæc interpretatio comprobatur eventu, quippe destructum est tabernaculum Silo, cùm regno potitus est David; unde dicitur Psal. 77, v. 60: *Repulit tabernaculum Silo,* et additur, v. 70: *Et elegit David servum suum.* Ita R. Bechai (Vide etiam Manassen.) 5° Salomon rex fuit maximè pacificus; atqui vox *Schiloh* potest significare *pacificum;* ergo potest significare Salomonem. 6° Nihil vetat quominùs eâdem voce designari dicatur Jeroboam, qui decem tribus à Salomonis filio abductas sibi devinxit, earumque rex creatus est in Silo; vel saltem, ut R. Ezechias observat, *Siloh* esse potest Ahias Silonites qui Jeroboamo sceptrum prædixit, 3 Reg. 11. R. Manasses ubi supra. 7° Nomine *Schiloh* fortè intelligendus Nabuchodonosor, Babyloniorum rex; *Schiloh* enim idem est ac *mittendus;* atquī Nabuchodonosor missus à Deo templum evertit, et tunc temporis defecit auctoritas in Judâ. Ita Julianus Apostata apud S. Cyrill. Alex., libro octavo in ipsum. Eamdem sententiam nonnullis Judæis tribuunt Galatinus, Nicolaus de Lyra, etc. 8° Tandem *Schiloh* verisimillimè est Cyrus, rex Persarum, quem Deus apud Isaiam 45, v. 1, *Christum suum* appellat, populique è captivitate Babylonicâ liberatorem futurum esse prænuntiat.

Nego ant. et dico generatim, 1° ex illâ opinionum oppositarum, à recentioribus quibusdam Rabbinis excogitatarum, multitudine et diversitate manifestum fieri, nihil solidi ab eis posse Christianorum argumentis reponi. 2° Ejusmodi interpretationes arbitrarias penitùs convelli auctoritate paraphrastarum Talmudis, antiquorum nationis Judaicæ magistrorum, etc., juxta quos, ut diximus, *Schiloh* est *Messias.* Atque hoc unum sufficeret ad propositas opiniones refellendas. 3° Adeò esse perspicuum nomine *Schiloh* intelligendum esse *Messiam* in vaticinio Jacobæo, ut illud negare non audeant etiam plerique Rabbini à quibus variæ illæ expositiones objectæ proferuntur.

Ad singula in probationem antecedentis allata respondeo sigillatim. Ad primum, nego antecedens. Nam 1° juxta Prophetiam sceptrum à Juda auferendum erat versùs tempora illius qui venturus prædicitur: atqui sceptrum versùs Moysis tempora à Judâ dici nequit ablatum, quandoquidem ante Moysem Israelitæ vix in populum coaluerant, et sub durissimæ servitutis jugo semper vixerant oppressi. 2° In Moysen non cadunt verba sequentia: *Et ipse erit exspectatio gentium;* seu ut habent hebræa: *Et erit ei obedientia,* aut *aggregatio populorum;* cùm Moyses gentilium dux et legislator non fuerit, sed solius populi Israelitici. 3° Moyses ante ingressum in terram Chanaan obiit, nec tempore ab ætate Jacobi longè dissito vixit; atqui filiis suis eventura in *novissimis diebus,* præsertim post ingressum in terram Chanaan Jacob, Geneseos 49, vaticinatur, vers. 1, 13, 14, etc.; ergo ad probationem, neg. conseq. Arte cabalisticâ quæ in numerandis et ponderandis litteris tota incumbit, nihil futilius. Methodo illâ, ut notat Huet. Demonstr. evang. prop. 9, cap. 4, n. 15, *ex hoc Jacobi oraculo, et ex quocumque Scripturæ loco sexcenta ejusmodi figmenta quivis queat extundere.* Hic autem seipsâ revincitur; nam auctor libri celebris *Arba turim, in notulis marginalibus ad Biblia,* observat יבא שילה *veniet Schiloh,* idem esse ghematricè quod משיח *Messias,* utrumque enim numerum 358 componit. Quod addit Bechai Moysem assumpto sibi regno sceptrum à tribu Juda ad tribum Levi transtulisse, duplici momento evidenti refellitur. 1° Falsum est ab ævo Jacobi ad Moysen sceptro potitam esse tribum Juda, cùm toto illo tempore et ipsa hujusmodi tribus, et tota gens Israelitica durissimâ apud Ægyptios servitute oppressa jacuerit. 2° Pugnantia loquitur Bechai, dùm Mosis tempore ablatum è Judâ statuit sceptrum, quod ipse in eâdem tribu usque ad adventum Messiæ docet esse perseveraturum.

Ad secundum, nego pariter antecedens. Siquidem falsum est, 1° Saûlem in urbe *Silo* regem unctum fuisse. Consecratus est in Ramataimsophim, ut manifestè colligitur ex I Reg. cap. 8, 9 et 10. Rex solemniter renuntiatus fuit in Masphâ, et confirmatus in Galgalis. Falsum est 2° Saûlis consecratione ablatum fuisse à Judâ sceptrum. Nam si sceptrum interpretemur regiminis et reipublicæ formam in tribu Juda usque ad *Schiloh* perseveraturam, profectò illud Saûl à Judâ non abstulit. Si verò auctoritatem supremam quâ Judæ posteri erant potituri, sceptrum nonnisi post Saûlem in Judâ esse cœpit; nempè David fuit primus rex ex domo Judâ, proindeque, etc. Falsum est 3° imò absurdum, nomine urbis Silo potuisse appellari uncturam

seu consecrationem regis in cà celebrandam. Ejusmodi interpretationibus depravantur et corrumpuntur Scripturæ, non explicantur. Denique Saül non fuit populorum exspectatio, solus ipsi obedivit populus Hebræus.

Ad tertium, nego antecedens. Ad probationem 1° esto vox *Schiloh* possit *filium* significare; non ideò sequitur Davidem filium Judæ insignem illo nomine designari. Qui enim in vaticinio Jacobi antonomasticè et per excellentiam *filius Judæ* appellatur, clarissimus filiorum Judæ sit necesse est; atqui inter Judæ filios clarissimus futurus erat *Messias*, non David; ergo. 2° David fuit quidem rex potens, attamen apud exteras nationes imperium ejus nunquàm fuit ità diffusum, ut pronuntiari queat *ipsi fuisse populorum obedientiam*, seu *ad ipsum populos aggregatos*. 3° *Schiloh* non potest de Davide intelligi, nisi vox *Sour* in vaticinio *accedere* significet : atqui voci illi nequit ejusmodi significatio tribui. Vis enim primaria et nativa verbi *Sour* est recedere, ut innumeris exemplis constat, neque unquàm induit aliam significationem; quòd si aliquandò accessum secundariò designat, id ex eo oritur, quòd, cùm recessus ab uno loco non peragatur, quin ad alterum fiat accessio, vox illa ad exprimendum transitum ab uno statu in alium possit accommodari; tunc verò mentio fit termini *ad quem* fit transitus, quod in vaticinio Jacobæo non occurrit. Sed prætereà, vox *Sour* in illà prophetià habet adjunctam præpositionem מן *min*, לא יסור שבט מיהודה *lo iasour schebet mihoudah*; quæ præpositio nihil aliud quàm recessum, seu motum *ex* aliquo loco designare potest. Hinc antiquarum versionum, paraphraseon, etc., unanimis consensus in ejusmodi sensu voci *Sour* adscribendo.

Ad quartum, nego quoque ant. 1° Quia urbs *Silo* non potest in Jacobi prophetià nomine *Schiloh* designari, nisi vox *iasour* ibidem significet *accedet;* sed modò demonstratum est verbum *Sour* non posse illo sensu accipi; 2° quia verbum בוא *bo* semper significat *ire, intrare, adire;* nunquàm autem *desinere, destrui*. Idcircò usurpatur de solis occasu, quòd sol occidens terras subire videatur. Hinc non modò versiones et paraphrases nobis hìc consentiunt, sed et omnes Rabbini, uno aut altero excepto; 3°, quia si *Schiloh* in vaticinio Jacobæo intelligatur de urbe *Silo*, nullus erit ad quem verba sequentia : *Erit ei obedientia populorum*, referri possint. Adde falsò supponi Davidem fuisse regem creatum statim à translatione Arcæ ab urbe Silo : imò tunc temporis nondùm Saül in regem unctus fuerat; de quâ re videndum 1 Regum, capitibus 7, 8 et seq.

Ad quintum, nego consequentiam, tum quia qui antonomasticè et per excellentiam *pacificus* in vaticinio dicitur, is esse debet, cui maximè et præ cæteris competat illa appellatio; atqui Messiæ longè excellentiùs quàm Salomoni competit appellatio *pacifici*, ut patet ex locis Scripturæ suprà citatis in quibus nuncupatur *pax nostra*, etc., tùm quia versùs tempora Salomonis non ablatum est sceptrum à Judâ; tum quia verba ultima vaticinii *et ipse erit expectatio gentium*, seu *erit ei obedientia, aggregatio populorum*, Salomonis imperio non congruunt.

Ad sextum, nego antecedens. 1° Jeroboam non in Silo, sed in Sichem rex creatus fuit, ut ex 3 Reg. 12, versibus 1 et 2, manifestè infertur; 2° abductis decem tribubus quæ secutæ sunt Jeroboam, non ablatum est sceptrum à Judâ, imò post hanc defectionem regum Judæ, imperantibus Roboam et aliis Davidis posteris per 492 annos floruit; 3° Jeroboam vir pessimus, Judæ infensissimus, nefandi schismatis auctor, qui decem tribus à veri Numinis cultu ad idololatricos ritus transtulit, fuitne *expectatio gentium?* atque isne esse potest, de quo intelligendus Jacob filio suo Judæ fausta et prospera prænuntians? Quod additur de Ahiâ Silonite non minùs adsurdum est; nec ipsi obediverunt populi, nec ejus ætate sceptrum in Judâ defecit, nec magis potuit *Silo* denominari, quòd fuerit *Silonites*, quàm posset *Romæ natus* Roma appellari.

Ad septimum, nego etiam antecedens. Nabuchodonosor à Deo ad plectendum populum missus, Dei flagellum cognominari potuisset, sed simpliciter et sine addito *mittendus* à Deo aut *missus* dici non potuit. Messias ab origine mundi promissus, à patriarchis expectatus, eximia hominibus dona allaturus, solus potuit in vaticinio Jacobæo, ut in aliis Scripturæ locis, tanto nomine insigniri. Prætereà, qui à Jacobo *mittendus* appellatur, futurus erat gentium expectatio, ad ipsum aggregandi populi; atqui hæc non competunt Nabuchodonosori, qui populos in irâ suâ percussisse, et in furore suo subegisse legitur in Scripturis, qui ipsis fuit horrori, et in eorum suppliciis et calamitatibus est lætatus. Ad hæc, Jacob, uti non semel observatum, prospera filio suo prænuntiat; non ergo respicit ejus prophetia Nabuchodonosorem, qui templum destruxit, Jerusalem combussit, et posteros Judæ in captivitatem transtulit. Tandem falsum est captivitate Babylonicâ sceptrum à Judâ fuisse ablatum. Captivitas enim populi non diuturna, quâ durante captivorum animis carissima, Deo ipso auctore, injicitur spes in pristinum statum post breve tempus redeundi, est interruptio tantùm, non defectio sceptri; sed de eo inferiùs.

Ad octavum, nego antecedens. Licet Cyrus *Christi* nomine apud Isaiam insignitus fuerit, seu quòd futurus esset Christi liberatoris typus, seu quia erat auctoritate regiâ, quæ sacra est, decorandus; attamen variæ suprà annotatæ significationes vocis *Schiloh* ipsi antonomasticè nequaquàm competunt. Deindè Cyrus non fuit *gentium expectatio*. Demùm tantùm abest, ut ejus tempore sceptrum à Judâ recesserit, ut potiùs Judæorum rempublicam in integrum restituerit, factâ captivis potestate in patriam revertendi.

Instabis. Non semel supposuimus sceptrum juxtà Jacobi prophetiam auferendum à Judâ versùs tempora adventûs *Schiloh;* atqui gratis statuitur, vox enim *donec* non semper sumitur definitivè, aliquandò accipitur extensivè; id est, non sempèr cessationem rei de quâ agitur, indicat; ejus continuationem quandoque non excludit; v. g., cùm Genes. 8, v. 7, de corvo ex Arcâ

emisso dicitur : *Et non revertebatur donec siccarentur aquæ* : sensus non est siccatis aquis corvum hunc esse reversum ; sed cùm non reverteretur, intereà siccatas aquas. Aliud exemplum post Aben Ezram refert Manasses ex Genes. 28, v. 15, ubi Deus Jacob alloquens, ait : *Non deseram te donec fecero quod locutus sum tibi* ; id est, quamdiù fecero.

1° Respondeo id à nobis ita positum, ut aliis compluribus argumentis Judæorum evasiones occluserimus. *Donec* sumi possit extensivè, parvi refert. Messiæ tempora præterita sunt, cùm Sceptrum Judæ jamdudùm desierit. 2° Nego minorem. Nam 1° particulæ *ad hi*, quas vulgatus interpres voce *donec* reddidit, nunquàm in textu hebræo quidquam aliud significant quàm cessationem rei ; 2° ipsa vox *donec* nativâ suâ virtute eò tendit, ut cessationem indicet, præsertim ubi sermo fit de futuro. Quapropter si rarioribus quibusdam in exemplis continuationem rei non excludit, et idem sonat ac *intereà* aut *quamdiù*, id fit quasi per vim, ac subjectâ cogente materiâ, tuncque plerumque agitur de præterito, aut de præsenti ; atqui oraculum Jacobi futura respicit ; res porrò ipsa exigit, ut in eo *donec* accipiatur desitivè ; si enim accipiatur extensivè, adventûs *Schiloh* tempora indeterminata manerent, quod vaticinii scopo non esset consentaneum. Exempla etiam allata non sunt ad rem. Nulla Genes. 8, v. 7, negatio legitur in Hebræis, quæ ad litteram habent : *Ibat et revertebatur donec siccarentur aquæ*. Capite autem 28, v. 15, de notâ rei futuræ assignandâ non agitur, ac subjecta materia exigit vocem *donec* desitivè non sumi, cùm ibi divinum auxilium promittatur. Adde quòd sermo sit de conditione in æternum adimplendâ, nempe de benedictione gentium in semine Jacobi, seu in Messiâ futuro.

Objicies 2° Sceptrum non deficit in tribu Juda. Nam 1° Talmud. in Gemarâ tractatûs Sanhedrin, cap. 1, sic habet : *Traditur :* non recedet sceptrum à Judâ. *Hi sunt æchmalotarchæ Babylonici, qui dominantur Israeli sceptro.* Et legislator de medio pedum ejus. *Hi sunt posteri Hillelis qui docent legem publicè*, ergo, etc. Confirmatur quia in Seder-olam-Zutta, seu in Chronico parvo Judæorum quod anno 1124 scriptum est, illorum æchmalotarcharum, seu captivitatis principum genealogia à Jechoniâ rege, quem Nabuchodonosor captivum abduxit, ad usque generationem 86 exhibetur. Benjamin Tudelensis qui seculo 12 fratres suos invisurus, cunctas Orientis partes peragravit, captivitatis principem Bagdadi sedem habere commemorat in itineris sui Historiâ. Nec dissimilia narrantur in Peregrinatione R. Petachiæ, qui eodem seculo Ratisbonâ profectus, universas regiones ad fluvium usque Sabbation circuivisse fertur ; ergo, etc. 2° Rex Chosar, seculo 8, cum universis suis subditis à R. Sangari ad religionem Judaicam conversus est. Situm est autem potentissimum regnum Chosar versùs mare Gargan. Multi orientales populi ejus sunt tributarii. Hæc constant ex Epistolâ quam ad Rabbi Cusai scripsit Josephi rex Chosar duodecimus ab illo qui ad legem Judæorum traductus fuerat. Rabbi Petachia in suâ Peregrinatione dicitur 8 diebus eo in regno commoratus. Ejusdem Josephus hebraicus, qui verus et genuinus est Joseph, mentionem facit in Historiis Judaicis. 3° Iidem mox citati Benjamin et Petachias multa eximia à se conspecta narrant de potestate Judæorum, ac supremo eorum variis in regionibus dominio. 4° Abrahamus Petitsol, Judæus Ferrariensis, in *itineribus mundi*, seu *dictis Cosmographiæ*, anno 1523 editis, testatur multis in regionibus potestatem supremam esse penès Judæos, nempe inter regionem Sinarum et Gangem ; in deserto Cabor, in desertis Arabiæ, juxta Gangis littora, in variis maris Indici insulis, etc. Flumen Sabbation ultra Gangem collocat, et versùs montes quibus iste fluvius terminatur, decem tribus deportatas esse, illarumque imperium ibi florentissimum esse asserit. 5° Saltem negari nequit summam rerum à Judæis in Abyssiniâ occupari. Non pauci recentiores Rabbini eâ in parte Africæ flumen Sabbation et sceptrum Judæ reperiri existimant. Denique vastum à Judæis possideri imperium in Americâ ponè montes altissimos quibus Chile versùs occasum cingitur, refert Rabbi Manasse Ben Israel fratrum suorum spei erigendæ et fovendæ causâ, in Opere cui titulus *Spes Israelis*, quod Amstel. anno 1650 edidit, et Cromwello dicavit.

Nego ant. Ad ea verò quæ in ejus probationem objecta sunt, respondeo generatim : 1° his confirmari sensum quo vaticinium Jacobæum Christiani explicant. Nisi enim hunc esse genuinum existimâssent Rabbini, tot non excogitâssent commenta, ut sceptri in tribu Judâ continuationem ostenderent ; 2° ab eis tamen perperàm supponi auctoritatem summam, quam Judæi è patriâ abducti in regionibus exteris possiderent, loco sceptri Judæ promissi esse posse, siquidem observatum jam fuit Jacobi oraculum de terrâ alienâ et captivitatis statu intelligi non posse, sed ad terram promissam manifestè referri. Vide Petavium lib. 16 de Incarnatione, cap. 6, n. 6. 3° Insignes Rabbinos non diffiteri ad populi solamen multa de Judæorum, diversis in locis, auctoritate conficta fuisse. Expressè id asserit Rabbi Akrisc ; supponunt verò R. David Kimchi, cujus testimonium supra retulimus, Maimonides celebris 12 seculi Rabbinus, juxta quem neque Babylone, neque alibi, sed in solâ terrâ Israel supremum mortis judicium exerceri potest, ac pœna sanguinis infligi ; Abravanel qui illius juris defectionem ab Isaiâ esse prædictam censet, R. David Ganz Judæorum historicus in *Tsemach David*, Rabbi Bechai, etc.

Deinde respondeo ad singula. Ad primum neganda sunt consequentia et antecedens : 1° consequentia ; nam esto extiterint captivitatis principes in Babyloniâ et Assyriâ, atque ipsis et Hillelis posteris quodcumque jus tribuatur, tandem desierunt jamdudùm ejusmodi æchmalotarchæ, posteritas Hillelis ignoratur, illorum principum auctoritas periit. Scilicet ex ipso Rabbinorum testimonio certum est 11 seculo versùs annum 1039 æræ vulgaris, imperante Bagdadi Sultano Gelâ Ledoullta, Judæos gravissimâ vexatione exagitatos fuisse, celebres eorum academias destructas, profes-

sores expulsos, ipsumque captivitatis principem, et innumeros fratres occisos, atque exinde nullum in Oriente captivitatis principem à Judæis creatum fuisse. Ex quo adversùs Judæos cum Bartoloccio tom. 2 Bibliot. Rabbin. pag. 385, argumento ad hominem colligere licet, debuisse igitur ex Talmude saltem à pluribus seculis Messiam advenire. Quòd si Rabbini urgeant, Benjamini Tudelensi, et Petachiæ seculo sequenti asserentibus à se repertos Bagdadi captivitatis principes, fidem esse adhibendam, nihil quidquam inde consequetur; illorum namque peregrinatorum relationes erunt necessariò intelligendæ de ita obscuris ducibus, ut de iis tacendum censuerint ipsi Judæorum historici. Sed prætereà Nasser Ledonillah, Bagdadi califa seculo 13, ita crudeliter in Judæorum perniciem incubuit, ut plerique Mahumetismum simulatè profiteri, vel ex illis regionibus exire compulsi fuerint. Testis est Abulpharag, dynastiâ 9, p. 532; quocirca non diffitentur se illis in terris, etsi non pauci sint, nullo tamen jamdudùm loco videri. Idem ergo argumentum ad hominem adversùs Talmudistas recurrit.

Negandum 2° antecedens, nempe Judæis Babylone summos ex illorum gente præfuisse principes. Ii enim non sunt principes summi, qui jure vitæ et necis non fruuntur, nec nisi accersitam ab aliis auctoritatem precariò exercent; atqui æchmalotarchis nullum erat jus vitæ et necis, nulla nisi ab aliis accersita auctoritas. Etenim illâ seculorum serie, quâ æchmalotarcharum in Assyriâ principatus collocatur, vastæ huic regioni successivè Romani partim, Parthique, Persæ et Califæ dominati sunt. Romani autem populis victis jus vitæ et necis semper adimebant. A Parthis verò et à Persis Judæos gravissima identidem perpessos fuisse narrant ipsimet Rabbini (1) qui suæ gentis historiam scripserunt. Califæ tandem et Sultani auctoritatis suæ adaugendæ et conservandæ fuerunt studiosissimi. Quòd igitur Judæi extra patriam detenti sub ejusmodi dominatorum jugo jure vitæ et necis ac supremâ auctoritate potiti essent, mira sanè ac stupenda res foret, quæ, ut fidem habeat, gravissimis saltem momentis indigeret astrui. Jam verò quâ auctoritate id prodigii suaderent Judæi? Talmudis? Sed præterquàm quòd fabulis refertus est Talmud, ne illius quidem testimoniis summus æchmalotarcharum principatus fulcitur. Dicti sunt quidem dispersionis principes dominari Israelitis sceptro, sed nemo nescit solemnem Talmudistis et Rabbinis morem cum esse, ut quotquot apud eos virtute, scientiâ, opibus aut quâvis auctoritate pollunt, insignibus titulis decorentur, ac etiam *Melachim-reges* cognominentur. Certè quidem Synagogarum coryphæi in Germaniâ et in Italiâ, quamvis sæpè pauperes, ac omni auctoritate destituti, principes ac duces appellari solent; nec rarò Synagogæ judex gestare sceptrum à Judæis dicitur. Itaque prægrandia illa, quibus delectantur Talmudistæ nomina, neminem in errorem inducant. Metaphorica illa sunt et hyperbolica, nec tituli plerùmque nomenclationibus respondent.

Accedit etiam 1° quòd potestas principum dispersionis à Benjamine Tudelensi coloribus auctoritati precariæ, et ab alio accersitæ propriis depingatur; 1° quòd jam à nobis laudati sint Maimonides, Kimchi aliique celeberrimi Rabbini juri vitæ et necis principibus captivitatis concesso minimè suffragantes; 3° quòd Origenes, lib. 4 de principiis, S. Epiphanius in hæresim Ebionitarum, Theodoretus, Dialogo 1°, fabulam similem à Judæis primis Ecclesiæ seculis jam contextam olim deriserint. Vide Huetium Demonstrationis evangelicæ propositione 9, cap. 4, n. 12 et 14.

Nec dicas in Talmude extare leges quibus judicum Babylone sedentium judicia dirigebantur. Nam inde ad summum sequitur Judæis factam fuisse potestatem inter se juribus suis utendi quantùm ad res civiles et ordinarias, quam nec ipsis denegant principes Christiani, à quibus tolerantur. Facultatem hanc populis bello partis concedi solitam Judæi speciali de causâ postulare potuerunt, nempe propter multa ad eorum religionem pertinentia, motis inter eos litibus sæpè admixta. Porrò concessio ejusmodi nec jus vitæ et necis, nec ullum principatûs characterem involvit.

Ad secundum, nusquàm gentium reperitur regnum Chosar, quod tamen ita describitur in Epistolâ laudatâ, ut, si alicubi extaret, non posset latere. Epistola illa Josephi Regis Chosar et quæ ad ipsum à R. Cusai scripta refertur, suppositæ sunt, quod et alii demonstrant, ut videre est apud Bartholoccium, tomo 2 bibliot. Rabbin. pag. 852 et seqq. Petachias autem de regno Chosar, ut et de aliis quàmplurimis, omnium viatorum testimonio falsi convincitur. Idem dicendum de Josepho Gorionis filio, cujus historia cùm ex hâc ipsâ regni Chosar mentione, tum ex innumeris quibus scatet fabulis, ac novitatis evidentibus signis manifestissimè fraudis agitur; quod à Scaligero, Drusio, Casaubono et aliis, ac præsertim à Joanne Gagnerio in præfatione ad editionem Londinensem Pseudo-Josephi, et in Epistolâ ad Bretauptum tom. 25 Bibliot. Selectæ pag. 38, plenissimè demonstratum est.

Ad tertium, nego consequentiam. Quæcumque de supremâ Judæorum pluribus in regionibus potestate, necnon de aliis complurimis enarrant illi peregrinatores, falsissima sunt. Neque in toto orbe habitabili sæpiùs variis de causis lustrato ulla unquàm ejusmodi rerum comperta sunt vestigia.

Ad quartum, idem respondendum; eruditus ille Judæus multas finxit regiones et imperia, quæ, etsi eorum limitis assignet, imò viam quâ ad illa tendatur, aliquando declinet, nullibi tamen possunt reperiri.

Ad quintum, nego antecedens. Judæi in montibus et rupibus latentes, ex quibus expelli facilè non poterant, quasdam provincias Abyssiniæ seculo 16 vastaverint, vel etiam per aliquod tempus occupaverint, quis ibi agnoverit sceptrum Judæ promissum donec veniat Messias? sed et citò evanuit illa sceptri umbra. Sultanus Æthiopiæ Saghedus ineunte seculo sequenti

(1) Salomon ben. Virgæ, in *Schebet Juda*, p. 307.

eos debellavit, et è montibus præruptisque rupibus expulsos per totum regnum dispersit. Circa Judæorum in Abyssiniâ, Æthiopiâ et Ægypto fortunam et conditionem consuli possunt Historia æthiopica Ludolfi, et Comment. ad eamdem.

Ad ultimum, hæc doctus Manasse conscripsit præpostero Montesini delirantis hominis testimonio deceptus. Vastum Judæis imperium in Andibus nullum extare jampridem extra controversiam positum est.

Instabis. Etiamsi nullo in loco Judæi supremam potestatem exercerent, adhuc tamen apud eos reipsâ manet spes sceptri in Judâ aliquando futuri, saltem cùm venerit Messias; atqui ab eis sceptrum omninò ablatum non est apud quos manet spes ejus recuperandi; ergo, etc.

Dist. maj.: Spes inanis manet, etc., concedo; spes legitima, nego. Quid inanius spe, nulli divinæ promissioni innixâ, quæ à decem et octo ferè seculis Judæos frustrata est? cujus nullus est fixus et determinatus exitus? Ergone irrita ejusmodi spes sceptri, diræ multorum seculorum captivitati conjuncta, idipsum est, quod Jacob nomine sceptri ante Messiæ adventum à Judâ non auferendi, intellexit? Interrumpiturne solummodò sceptrum, quod per tot annorum centurias desinit? Postremò eatenùs manet apud Judæos spes sceptri à Judâ aliquando recuperandi, quatenùs ex Judâ nasciturum Messiam regem expectant; atqui inanis est illa expectatio, cùm tribus et genealogiæ jamdudùm confusæ sint, ut diximus; nec Judæ posteri ab aliorum Patriarcharum filiis possint certò secerni.

Objicies 3°: *Schebet* nomine intelligi potest tribus, siquidem non semel illa vox in Scripturis tribum designat. Sensus ergo vaticinii esse potest. *Non tolletur tribus Juda..... donec veniat Messias;* atqui tribus Juda reipsâ sublata non est, seu *ex oculis et commerciis ac notitiâ hominum* non ablata; ergo. Ita quosdam sensisse refert R. Manasse in Conciliatore, loco cit.

1° Nego majorem; nam etsi *schebet* in hæbræo codice non semel ad tribum designandam usurpatur, attamen in vaticinio Jacobi de sceptro, quod auctoritatis insigne sit, accipiendum est; tum quia illa acceptio magis propria est, ac proinde alteri anteponenda, ubi ad hanc alteram ex subjectâ materiâ non restringitur, tum ob auctoritatem versionis samaritanæ, 70 Interpretum, veterum paraphrastarum, ac omnium versionum, ipsorumque ferè omnium Rabbinorum, qui *schebet* eò loci principatûs notam interpretati sunt. Vide inferiùs de hoc argumento dicenda ubi de significatione vocis *sceptri*, concl. 1. 2° Nego minorem, nempe Judæ tribum manere superstitem. Illa enim tribus defecisse dicenda est, quæ tribûs benè constitutæ non ampliùs habet speciem et formam, quæ per totum orbem apud omnes dispersa nationes, earum juribus obedire cogitur, in unum reipublicæ corpus institutis et legibus propriis temperatum nusquàm terrarum compacta; cujus genealogiarum series confusa et incerta est nullo instrumento consignata: atqui hæc est Judæ tribûs conditio, ut jam inter probationes dictum; ergo.

Objicies 4°: Falsò supponitur Judæorum confusas esse genealogias et tribus. Nam in Talmude sic legitur: *Babylon sana est, Mæson est mortua, Media ægrotat, Persis expirat*, quibus significatur Judæos omnes Babylone commorantes ex puro Judæ sanguine esse ortos, nullos in Mæson, plures in Mediâ, paucissimos in Perside. Additur: *Cunctas regiones, si Judææ conferantur, massam esse impuram, sed Judæam ipsam Babyloni comparatam, corruptam esse et adulteratam.* Hæc Talmud. Babyl. tract. *Kiduschin*, fol 71. Deinde, secundùm R. Abravanelem, 50 millia familiarum ex tribu Judæ in Hispanias à Vespasiano deportatæ sunt, quarum duæ cæterarum duces ex domo Davidicâ erant. Idem ille Abravanel ex istarum unâ ortum trahebat. Alii ejusmodi familiarum Judæ 40 tantùm millia computant. Reliqua decem millia ex Benjamine progenita fatentur, sed ea in Galliis collocant; ergo.

Nego antecedens. Ad probationem, nego consequentiam duplici de causâ. Prima est, quòd etiamsi hæc Talmudis et Rabbinorum dicta fidem mererentur, illa tamen utpote generatim prolata, ad generationes singulas in ipsâ Judæ tribu à se invicem distinguendas non sufficerent; neque, quod præcipuum est, Judæ tribum à cæteris certò valerent discernere; siquidem, ex quo recitata Talmudis verba scripta sunt, tot effluxère secula, totque revolutiones in Oriente Judæi sunt perpessi, ut, dato olim Judæ posteros ab aliis Israelitis Babylone distinctos fuisse, jamdudùm quæri possit ubinam illi sint Judæi Babylonii, de quibus Talmud tam præclarè prædicat. Idem de Judæis Hispanis statuendum, quibus alii multi variis seculis subinde commixti sunt; ergo, quamvis vera forent quæ ex Talmude et ex Rabbinis Hispanis objecta sunt, nulla tamen esset consequentia. Verùm illa falsa sunt, atque hæc est secunda negandæ consequentiæ causa; namque ad Talmudistas quod spectat, dùm Babyloniorum Judæorum genus ita extollunt, falsissimo nituntur fundamento, nempe aiunt solas plebis Judaicæ quisquilias et fæces in Palæstinam cum Esdrâ rediisse; nobiliores Babylone manere voluisse; verùm hæc non modò non sunt verisimilia, sed etiam ex libro Esdrâ, quem ut canonicum habent Hebræi, falsissima esse planè colliguntur. Deinde qui supponi potest quotquot Babylone manserunt ex Judæ posteris fuisse, nullos ex aliis tribubus? Quantùm verò ad 50 millia familiarum Judæ in Hispanias à Vespasiano deportatarum, 1° altum de prodigiosâ ejusmodi deportatione silentium cùm apud omnium gentium historicos, tum apud ipsum Josephum, qui rem tanti momenti certo certiùs non omisisset; 2° non fortuitò, nec nisi editâ operâ tot familiarum millia ex unâ tantùm tribu absque ullâ permixtione tam accuratè seligi potuissent. Nam, etsi Judæ tribus inter alias emineret, attamen multos ex tribu Benjamin et ex tribu Levi, non paucos ex aliis tribubus cum Judæ posteris in Palæstinâ et in urbe Jerusalem tunc temporis exstitisse, nemini dubium est; atqui cùm Jerusalem capta est, nullus Judæorum adhibitus est delectus. Omnes quarumlibet tribuum eodem loco indiscriminatim Romanis habiti, omnes dispersi,

sine discretione in foris instar belluarum veno positi; ergo. Adde quòd Judæis Hispanis Talmud hîc adversetur, et vice versâ; nam si sola Babylon pura fuerit, ut legitur in Talmude, ergo Judæi Hispani non possunt esse omnis corruptionis expertes. Pariter, si Judæi Hispani omnes ex Judâ oriundi, ergo non sola Babylon est pura. Exhibeant itaque genealogiæ suæ instrumenta Judæi, quotquot se ex Judâ progenitos contendunt; ipsis non sufficiat quòd v. g. Hispaniâ nati sint ex parentibus jamdudùm in illâ regione commorantibus; aut potiùs cùm instrumenta ejusmodi ipsis nulla esse possint, fateantur ita confusas esse genealogias et tribus, ut nullo charactere distingui queant. Cæterùm, etsi distinctionis familiarum et tribuum ordo servatus esset, argumento ex sceptri defectione petito, Messiam jam venisse nihil minùs efficaciter probaretur, ut ex dictis manifestum est.

Objicies 5°: Oraculum Jacobi conditionatè accipiendum est; nempe propter frequentes populi Israelitici in legem Mosaicam prævaricationes, Deus promissionum suarum executionem distulit; ergo. Ita Talmud in Gemarâ capitis 11 tract. Sanhedrin, R. Salemo Jarchi in Glossâ ad locum mox citatum et Rabbini sæpè.

Nego antecedens. Nam 1° ubi nullam Scripturæ conditionem indigitant, ibi nulla debet subintelligi. Si enim conditiones ubi voluerimus, apponere liceat, jam nullius prophetiæ eventus certò cognoscendus aut expectandus erit; à fingendis pro arbitrio conditionibus nemo impediri poterit. Atqui nusquàm Scripturæ ullam in vaticinio Jacobæo supplendam conditionem indigitant; ergo. 2° Ibi saltem subaudiendum non est observationem legis esse conditionem tacitam, quâ non impletâ eventus prædictus differri debeat, ubi et ipsæ prævaricationes futuræ sæpiùs aliunde prædicuntur: atqui sæpiùs futuræ prævaricationes Judæorum in Scripturis prædicuntur; imò prædicta sunt iniquitatis opera adversùs ipsum Messiam à populo Judaico perpetranda, Danielis 9 et alibi; ergo. 3° Similis conditio minùs adhuc supplenda, cùm vaticinii eventus iniquitates perpetratas supponit; atqui eventus Jacobæi oraculi iniquitates perpetratas supponit; illud enim vaticinium iniquitates perpetrandas supponit, quo liberatoris iniquitates deleturi, et prævaricationes consummaturi prænuntiatur adventus: atqui Messias, cujus adventus vaticinio Jacobæo prænuntiatur, futurus erat liberator, iniquitates deleturus, Isaiæ 63, Danielis 9, et totis passim in Scripturis; ergo. 4° Versiones antiquæ, textus, paraphrases, necnon prisci Judæorum doctores, nullam in Jacobi oraculo conditionem innuunt; imò à plerisque recentioribus Rabbinis absolutè accipitur. 5° His consonat Talmud; in gemarâ mox citati tract. Sanhedrin cap. 11, hæc Dei verba Isai 60, v. 22, de Messiâ loquentis, *tempore suo et accelerabo illud*, sic committuntur: *si mereantur* (Judæi), *accelerabo; si non mereantur, tempore suo.* Unde liquet juxta Talmudistas accelerari potuisse Messiæ adventum, sed non retardari.

Instabis. Propter peccata posterorum Davidis, sceptrum in domo Davidicâ post captivitatem solutam non remansit, etsi Deus illud in ejus familiâ perpetuò mansurum promisisset; ergo à pari; etc.

1° Nego paritatem, quia promissionis Davidi factæ conditio discrtè à Deo non semel expressa est. 3 Reg. 8, v. 25: *Non auferetur de te vir coram me qui sedeat super thronum Israel.... Ita tamen si custodierint filii tui viam suam, ut ambulent coram me, sicut tu ambulâsti in conspectu meo.* Et Psalmo 131: *Si custodierint filii tui testamentum meum, etc.* Prophetiæ ac promissiones de duratione æternâ solii Davidici, in Christo Jesu vero Messiâ, spirituali quidem, sed germano ac eximio sensu adimpletæ sunt. *Hic erit magnus*, inquiebat Angelus Gabriel, Lucæ 1, v. 32 et 33, ejus conceptionem annuntians, *et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus; et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.*

Objicies 6°: Si Messiæ tempora adeò perspicuè determinat Jacobi oraculum, quare eo vaticinio Christus et Apostoli non usi sunt ad revincendos Judæos?

Respondendum censet illustrissimus Huetius, Demonst. evang. prop. 31 cap. 4, n, 25, Christo et Apostolis non fuisse in animo singula Prophetarum oracula in Christo adimpleta referre; ipsis satis fuisse, quòd non pauca, pro datâ occasione, laudarent, Judæosque ad Scripturas et ad Moysen generatim provocarent. Quamvis hæc responsio, quam solam Huetius legitimam judicat, reverà sufficiat,

Respondeo tamen 2° duplicem ob rationem à Christo et Apostolis vaticinium Jacobi adversùs Judæos meritò non allatum: 1° quia sceptrum in Judâ penitùs defecisse nondùm tunc temporis erat planè evidens; 2° quia ex illo vaticinio id unum Christi ætate colligi poterat, Messiæ tempora instare, de quo eâdem ætate non ambigebant Judæi.

At, inquit Huetius, scriptores sacri vaticinia varias vitæ Christi circumstantias spectantia quandoque ipsi applicant, quibus non magis, quàm oraculo Jacobi, ipsum esse Messiam evinci poterit; v. g. istud Oseæ 11, 1: *Ex Ægypto vocavi filium meum.*

Respondeo nullam esse paritatem. Namque id unum ex Jacobi oraculo poterat Christi ætate concludi, nempe Messiam tunc venturum; atqui id Judæos non latebat, ut ex historiâ compertum est; frustra ergo illud vaticinium ipsis fuisset objectum. At non omnes pariter cognoverant Messiam ex Ægypto vocandum, nec proinde incassùm illa vitæ Christi circumstantia fuit ab Evangelistis observata.

Objicies 7°: Ablatum est sceptrum à Judâ tempore captivitatis Babylonicæ, nec tamen tunc venit Messias; ergo, etsi iterùm ablatum fuerit, cùm destructum est secundum templum, non sequitur Messiam jam advenisse.

Nego antecedens. Aliud est sceptri exitium et finis, aliud est interruptio ejus, ac veluti interregnum. Spatio 70 annorum, quibus duravit captivitas Babylonica, vel, ut accuratiùs loquar, illis 59 annis qui à deportatione regis Sedeciæ usque ad libertatem restitutam effluxerunt, sceptrum Judæ interruptum est

sed non desiit, neque potuit tunc ablatum dici; tum quia breve illud fuit temporis intervallum habitâ ratione longæ seculorum seriei quâ stetit imperium Judæ: tum quia de ejusmodi dierum captivitatis brevitate, ac proximo suo in patriam reditu, Judæi, testimonio Dei ipsius, certiores facti fuerant. Jeremiæ cap. 25, v. 11, et cap. 29, v. 10.

Instabis. Redintegratum non est sceptrum Judæ post captivitatem Babylonicam; siquidem nec regia dignitas tunc temporis instaurata, nec summa rerum Judæ tribulibus plerumque concredita; per multum tempus penès Assamonæos ex tribu Levi oriundos principatus extitit; ergo.

Nego antecedens. Nam Judæi in patriam reversi post captivitatem Babylonicam propriis legibus usi sunt, in unum reipublicæ corpus coaluerunt, jure vitæ et necis aliunde non accersito potiti sunt; quotquot apud eos usque ad Herodis tempora principatûs participes facti sunt, auctoritatem suam ex consensu et electione populi hausêre primitùs; quod de Assamonæis expressè legitur 1° Machab. 9, v. 28, 29 et seqq., idque regiminis aristocratici tum vigentis veluti consectarium fuit. Jàm porrò quidquid reipublicæ Judæorum post captivitatem restauratæ competit, illud verè et propriè de tribu Juda intelligendum, quippe cui tanquàm præstantiori, aliarum tribuum reliquiæ superstites ita conjungebantur, ut ejus solius ratio tunc habita fuerit, ac etiam natio integra nomen suum ab eâ sit sortita; ergo statim à captivitate Babylonicâ restauratum est sceptrum Judæ; sed de eodem argumento mox uberiùs.

Ad probationem dico *sceptrum* esse summæ auctoritatis insigne, ac proinde ibi sceptrum continuari, ubi sub quâcumque regiminis formâ perseverat summa potestas. Pariter ut stet alicujus nationis sceptrum, necesse non est omnes principatum tenentes esse ex illâ natione, satis est quòd ex spontaneâ ejus consensione origo eorum auctoritatis deducatur; atqui post captivitatem respublica Judæorum quæ tribu Judâ potissimùm constituebatur, supremâ auctoritate fruita est, atque ex eâ auctoritatis suæ originem ducebant qui principatum apud eam tenebant; ergo. Cæterùm hæc ultima objectio controversiam adversùs Judæos non spectat, quippe qui sceptrum in suâ gente post captivitatem stetisse confidentiùs affirmant quàm Christiani.

§ 2. *Nonnulla de Jacobæi oraculi exitu inter theologos controversa discutiuntur.* — Messiæ adventu adversùs Judæos ex prophetiâ Jacobi demonstrato, nonnulla investiganda supersunt ad exitum illius vaticinii pertinentia, quæ non uno modo ab eruditis explicantur.

Quæstio est quâ ratione cum multiplici regiminis formâ quam populus hebræus successivè induit, et cum variis, quibus obnoxius fuit, vicissitudinibus, Jacobi oraculum cohæreat. Scilicet 1°, Hebræi ex Ægypto egressi statim ducibus paruêre, Moysi nimirùm et Josue, quorum prior ex tribu Levi, alter ex tribu Ephraim originem ducebat. Judices autem qui deinde trecentis vel quadringentis annis eorum reipublicæ præfuerunt, duobus exceptis Othoniele et Abesane, nulli fuerunt ex Judâ progeniti. Nullam porrò tribum eorum ætate in alias auctoritatem exercuisse; judices quos Deus suscitabat, aut tribus eligebant, merè monarchicâ auctoritate potitos non fuisse; sed penès optimates summam rerum tunc extitisse, ex Josepho (1) habetur, et ex quibusdam Scripturæ locis inter se collatis (2) videtur colligendum. Deus tamen per illud tempus ita visus est omnia moderari, ut ipse tunc speciali modo regnâsse dictus fuerit, 1 Reg. 8, v. 7, unde, quod tunc floruit regimen, solet theocraticum appellari. 2° Monarchicar egiminis forma annis 508, in eâ gente postea obtinuit. Nam judicibus successêre reges, quorum primus Saül ex tribu Benjamin, secundus David ex Judâ natus. Istius posteri per 428 annos, nempe ad Sedeciam usque à Nabuchodonosore Babylonem deportatum, regiâ auctoritate fruiti sunt. 3° Post 59 ab illâ deportatione annos, populus, duce Zorobabele Davidis nepote, è captivitate in patriam revertitur; tota gens à Judâ populus Judaicus appellatur, teste Josepho, lib. 11 Antiq. cap. 5, n. 7; non restauratur statim monarchica potestas; aristocratia diu viget democratiæ mixta (3): præcipui nationis duces fuêre ex tribu Levi, inprimis Assamonæi, seu Machabæi, quibus, ut reipublicæ subvenirent, præcipua auctoritas concredita. Ii versùs annum 106 ante vulgarem æram, dignitatem regiam affectare orsi sunt. Interim ab omni servitutis jugo Judæi immunes non fuêre. Persis tributa solveri coacti sunt, 2 Esdræ 9, v. 36 et 37. A Syris, Ægyptiisque (4) non semel fuerunt exagitati. Pompeius, anno ante æram christianam 63, Jerosolymâ expugnatâ, eos Romanorum vectigales fecit. Viginti tribus post annis Herodem alienigenam regem Judææ Romani constituunt. Post hæc, anno Christi 7, Judæa in provinciam Romani imperii redacta est, ac tandem anno 70, Jerusalem et templum à Tito funditùs evertuntur, et respublica Judæorum penitùs extinguitur.

Cùm ejusmodi fuerit Hebræorum et præsertim Judæ tribûs varia conditio et fortuna, quomodò rerum eventus vaticinio respondeat inquiritur. Quapropter quatuor aperienda sunt: Primum, quid nomine *Judæ* in oraculo Jacobæo intelligendum sit, an omnes tribus Israelis, an sola Judæ tribus? Alterum, an *schebet* in eodem vaticinio regiam auctoritatem designet, an tribum, an supremam potestatem, quæcumque foret regiminis forma? Tertium spectat initium, continuationem et sceptri finem in tribu Judæ. Quartum significationem horumce verborum, *et dux de femore ejus*. Antequàm hæc sigillatim pertractentur, diversæ referendæ sunt opiniones, nec enim illæ possunt commodè in partes resecari.

VARIÆ THEOLOGORUM OPINIONES. — Alii verba Jacobi:

(1) Antiq. lib. 6, c. 3, n. 3.
(2) Judic. c. 1, v. 1, c. 2, v. 7, c. 5, v. 9 et 10, c. 19, v. 36, c. 20, v. 1, 18; 1 Reg. 8, v. 4 et 5.
(3) Ibid. c. 4, n. 8, p. 559; Mach. cap. 1, v. 16, cap. 10, v. 46, c. 12, v. 6, c. 13, v. 8.
(4) Joseph. Antiq. lib. 11, cap. 2, lib. 12, cap. 13, lib. 14, cap. 13.

Non auferetur sceptrum de Judâ, ad solam Judæ tribum referunt; alii de totâ natione hebræâ prophetiam interpretantur, servatâ tamen tribui Judæ speciali aliquâ prærogativâ.

Istorum sententia, juxta quam *sceptrum est* suprema auctoritas, hoc potissimùm fundamento nititur, quòd ab egressu ex Ægypto ad Davidem usque, et à captivitate ad Herodem, supremi reipublicæ Hæbræorum duces, judices scilicet, plerique ex aliis tribubus, non ex tribu Judæ extiterint. Quòd si quæras quâ igitur de causâ Jacob solùm Judam nominet, et ad ipsum solùm verba Prophetiæ dirigat, respondent prophetico spiritu à Jacobo prævisum 1° sceptrum penès posteros Judæ per 500 annos et ampliùs continenter futurum; 2° fore ut aliquando, nempè statim à solutâ captivitate, universus populus à Judâ nomen accipiens, Judaicus appellaretur; 3° futurum etiam per idem tempus ut, licet persona tenens sceptrum non esset ex Judæ tribu, attamen *ipsum regnum*, ut ait Pererius, *et ditio regni, civitas regni, et subditi ei regno ad tribum Judæ pertinerent.* Atque in his tribus specialem tribui Judæ promissam prærogativam constituunt. Non paucos habet illa opinio defensores. Illam tuentur mox laudatus Pererius ad caput 49 Geneseos in primâ suâ hujusce loci interpretatione, Tournely in Prælection. de Incarn. quæst. 3, art. 1, Casaubonus inter Protestantes, exercitatione 1 in Baronium, etc.

Qui autem solam Judæ tribum vaticinio respici existimant, in sex classes distribuendi.

Prima eorum qui cum Eusebio Cæsariensi, lib. 8 Demonstrationis evangelicæ, *sceptrum* explicant de præstantiâ honoris et dignitatis quâ cæteras tribus semper antecelluit tribus Juda, etiam cùm penès illas imperium extitit; quasi dictum esset : Tribus Juda cæteris tribubus præesse non desinet seu imperio et jurisdictione, seu honore et dignitate, donec veniat Messias. Lib. 9. Hist. Eccles. videtur Eusebius aliam tradidisse interpretationem, de quo infra.

Secunda est eorum qui *sceptrum* supremam potestatem, seu regiam, seu ducalem interpretantes, illud in Judâ usque ad Herodem eatenùs perseverâsse autumant, quatenùs in Zorobabele Judæ et Davidis tribuli, et ejus successoribus permansit. Ita opinati sunt S. Cyrillus Alexandrinus lib. 8, in Julianum imperatorem, Genebrardus in Chronico, ubi de Machabæis; Baronius in Apparatu. 4; Lyranus, Tostatus Carthusianus, Tirinus. Hæc verò opinio in duas tresve alias subdividitur. Nam 1° Cyrillus de successoribus Zorobabelis generatim solùm loquitur neque expressis definiit verbis, num paterno, aut materno genere illi ex Davide orti fuerint. 2° Genebrardus ipsos etiam Machabæos ex Judæ tribu paterno genere fuisse asserere non dubitat. 3° Baronius et alii ex adverso Machabæos paterno genere fuisse ex tribu Levi sacerdotes fatentur, rati solummodò eos materno genere ex Judâ prognatos; quocirca opinantur Judæ sceptrum in lineâ fœmininâ per Assamonæos ad Herodem usque stetisse. Sensu isto Baronius S. Cyrillum videtur intelligere. Harumce opinionum fundamenta subindè referentur.

Tertia nonnullos complectitur qui cum cardinali Cajetano ad v. 10, cap. 49 Genes.; illustrissimo Huetio, Demonstrat. Evangel. propos. 9, cap. 4, n. 7; Melchiore Cano, lib. 2 de Locis Theologicis, cap. 11; Juenino, instit. Theologicarum de Deo incarn., quæst. 2, cap. 1, art. 3, conclus. 6, inter usumfructum supremæ potestatis et ejusdem proprietatem, seu inter usum sceptri et jus ad sceptrum hìc distinguendum putant; aiuntque ideò in tribu Judæ usque ad Messiam supremam mansisse potestatem, quia, etsi illa tribus post captivitatem ab usu principatûs diu impedita fuerit, jure tamen ad illud sibi ex Dei institutione concesso, ac certâ ejus recuperandi spe, quocumque casu, privari non potuit, quousque veniret Messias imperium spirituale in æternum instituturus.

Cæterùm nonnihil inter se differunt illi auctores. Cajetanus vaticinium his reddit verbis : *Non auferetur* PENITUS *principatus, usquequò veniat Messias.* Quod exponens, « ablatus siquidem est, inquit, principatus ante (Messiæ tempora), sed non PENITUS... quia semper remansit certitudo nasciturі Messiæ de tribu Jehudæ. » Aliter loquitur Melchior Canus; nam instar depositi sceptrum tribui Judæ reddendum, concreditum Machabæis fuisse ait. Alii distinctionem inter usum sceptri et ejus proprietatem expressè adhibent, ut diximus. Illa porrò discrimina ad substantiam rei nihil attinent. Illustrissimus verò Huetius Cajetani sententiæ quam aliàs approbat, nonnulla existimat adjicienda. Quatuor ille partes in vaticinio distinguit; istis prophetiæ verbis : *Non auferetur sceptrum*, docet æternam sceptri possessionem Judæ sponderi, quod in Messiâ adimpletum; istis verbis, *et dux de femore ejus*, humanum quid et caducum præsignificari, nempè temporarium Judæ imperium, cujus ususfructus fuit aliquando penès sacerdotes, proprietas verò usque ad Messiam penès Judam solum. Istis, *donec veniat qui mittendus est*, temporarii regni finem et Messiæ adventum prænuntiari; istis denique, *et ipse erit expectatio gentium*, denotari Messiæ regnum non Chananææ terræ claudendum finibus, sed quaquaversùs per orbem diffundendum, utpote quod spirituale futurum sit. Hæc doctissimus præsul. Ubi illud singulare occurrit advertendum, voci *donec* ab eo tribui simul duplicem significationem: nempe quatenùs illa vox refertur ad temporale regnum Judæ, ex illustrissimi auctoris mente indicat ejus finem, et significat *usquedum*; quatenùs verò regnum Judæ non auferendum respicit, rei continuationem denotat, idemque sonat ac *interea*.

Irritum porrò fieri Cajetani interpretatione argumentum quod ex Jacobæâ prophetiâ in Judæos Christiani contorquent, non satis accuratè à quibusdam post Pererium videtur dictum. Enimverò, juxta hanc interpretationem, usquequò Messias esset venturus, remanere debuit in Judæ tribu jus ad sceptrum, et spes Messiæ ex illâ tribu nasciturі; atqui jamdudùm nullum jus proprium sibi potest vindicare tribus Judæ,

nec legitima remanet spes Messiæ ex illâ nasciturî. Quid ita? quia jamdudùm tribus Juda ab aliis tribubus secerni nequit, cùm nullus, ut supra probavimus, jampridem servetur, nec servari possit ordo distinctionis tribuum et familiarum. Proindeque in sententiâ etiam Cajetani ex oraculo Jacobæo comprobari potest præterita jam esse Messiæ adventûs tempora. Non tamen inficiabimur illâ opinione quædam causæ christianæ certissima argumenta eripi.

Quarta quorumdam est qui penès Judæorum Sanhedrin seu senatum, quem ex solis Judæ tribulibus coalitum censent et à Moyse institutum, Num. 11, sceptrum Judæ promissum opinantur permansisse usque ad Herodem, à quo omnes illius concilii judices, uno excepto, interfecti sunt. Ita Galatinus, lib. 4 de Arcanis catholicæ veritatis, Paulus Burgensis in Genesim, et alii.

Quinta aliorum est opinantium nomine *schebet*, non *sceptrum*, sed *tribum* designari, adeò ut sensus prophetiæ iste sit : *Non deficiet* TRIBUS *Juda*, seu *quæcumque ad tribum benè constituendam requiruntur, à Judâ non recedent donec veniat Messias*. Primus illam expositionem excogitâsse videtur Hieronymus Oleaster doctus hebraicè è Dominicorum familiâ theologus, et sacræ Scripturæ interpres, qui missus à Lusitanorum rege, concilio Tridentino interfuit. Hanc amplexi sunt aliqui Protestantes, nempe Junius et Tremellius in versione latinâ Bibliorum communi utriusque studio adornatâ ; Joncurtius in secundâ è suis Criticis epistolis Amstelod. editis 1715; Sherlockius, episcopus Anglicanus, in Dissertatione de benedictione à Jacobo datâ filio suo Judæ, Geneseos 49, et alii quidam. Eamdem opinionem Basnagius in Historiâ Judæorum lib. 5, cap. 4, n. 9, edit. Hag. 1716, proponit et lectoris forè relinquit arbitrio. Sed prætermittendus non est modus specialis quo res à Sherlockio explicatur. Is contendit in singulis tribubus particularem aliquam viguisse auctoritatem uniuscujusque constitutivam. *Quid enim tribus*, inquit, *nisi multitudo hominum regimine aliquo coadunata?* Hanc auctoritatem in tribu Juda penès optimates, ut et in aliis tribubus, à Jacobo institutam probare nititur, atque de ejusmodi auctoritate non supremâ, ad cujusque tribûs constitutionem pertinente, et in solâ Judæ tribu usque ad Messiam perseveraturâ, vaticinium esse intelligendum pronuntiat. Eòdem ferè recidunt quæ obiter et aliud agens egregius auctor libri cui titulus, *Histoire du Ciel*, eâ de re annotavit.

Porrò præcipua defensorum illius sententiæ momenta ista sunt : sæpè in Scripturis nomine *schebet* tribum significari ; hanc interpretationem mirum in modum eventui concinere ; ejusque ope omnibus Judæorum vitiligationibus facillimè, ut putant, obviam iri.

Sexta tamen majorem comprehendit theologorum partem, qui *schebet* nomine supremam intelligunt potestatem, unicuique tribui non essentialem ; quam, rejectis modò relatis expositionibus, à Davide tamen ad Messiam usque non obstante brevi captivitatis tempore aut Assamonæorum regno, in tribu Juda vero sensu stetisse arbitrantur. Ita Petavius lib. 16 de Incarnat. capit. 6 et 7 ; Cornelius à Lapide ad hunc locum, Pererius in secundâ ejusdem loci interpretatione, pag. 345 ; Calmetus in suo Commentario, edit. Paris. in-4°, tom 1, p. 813 ; Witassius in tract. de Incarn., quæst. 3, art. 1, sect. 1, cap. 2, et alii benè multi. Ha sententia cui adhæremus, plura continet de quibus sigillatim jam dicendum, variisque explicatur modis, ut statim etiam patebit.

Quid nomine Judæ in vaticinio Jacobæo designetur? — Conclusio. Nomine *Judæ* in vaticinio Jacobæo sola intelligenda est hujusce nominis tribus. Probatur 1° ex vaticinii circumstantiis et contextu. Jacob enim iis in circumstantiis vaticinium illud emittit et ad Judam dirigit, in quibus singulos filios suos seorsim alloquens, eisque *benedictionibus propriis* (v. 28) benedicens, eorum posteris eventura sigillatim prænuntiat. Quemadmodùm igitur verba à Jacobo ad alios filios suos ibidem directa, non universam gentem, sed singulas tantùm tribus spectant, ita et quæ ad Judam eò loci diriguntur, ad eum solum ejusque posteros attinere dicenda sunt. Contextus prophetiæ illud idem non minùs evidenter ostendit. Nam vaticinii initio et fine solam Judæ tribum respici omnes fatentur ; atque *Judæ* nomen alio sensu in medio prophetiæ, quàm ejus initio et fine accipi nequit, siquidem nihil quidquam sensum ejusmodi diversum indigitat ; ergo.

Deinde his vocibus : *Et dux* DE FEMORE EJUS, seu, *de inter pedes ejus*, designari ducem generatione ex Judâ ortum, manifestum fit ex Deut. 28, v. 57, ubi similia usurpantur verba ; ergo et illa : *Non auferetur sceptrum de Judâ*, ad solum Judam, seu ad solos ejus posteros possunt referri.

Probatur 2° ex SS. Patribus, S. Justino Apologiâ 1, aliàs immeritò 2, edit. Paris. 1742, T. I, pag. 63 ; Origene, Homiliâ 17 in Genesim, n. 6, edit. Paris. 1733, T. II, pag. 108 ; S. Cyrillo Hierosol. Cath. 12 de Christo Incarnato, n. 17, edit. Paris. 1720, pag. 171 ; S. Epiphanio in hæresi Ebionitarum ; S. Hieronymo, in cap. 1 Sophon. edit. Martianæi, T. III, col. 1649 ; S. Aug., lib. 12 contra Faustum, cap. 47, T. VIII, col. 247 ; S. Cyrillo Alex. lib. 8 contra Julianum, T. VI, edit. Par. 1636, p. 260 ; Ruffino de benedictionibus Patriarch., Theodoreto in Genesim, Isidoro Hispalensi, etc., qui omnes unanimiter tradunt à Davide usque ad Messiam sceptrum in Judæ tribu juxta Jacobi vaticinium permansisse. Nonnullorum testimonia referenda sunt. *Prædictum est à Spiritu prophetico per Mosem*, inquit S. Justinus, *non defecturum è Judæis principem, donec veniret ille cui repositum erat regnum ; Judas enim auctor generis Judæorum extitit, à quo etiam ut Judæi vocarentur, habuerunt*. Origenes sic habet : *Constat usque ad nativitatem Christi non defecisse principes ex genere Judâ, nec duces de femoribus ejus, usque ad Herodem regem. Sic habent* (Judæi), inquit S. Cyrillus Hieros., *principem ex genere Judæ et Davidis, necdum venit qui expectabatur, etc.* Similia alii proferunt, quibus adde quotquot (ii autem sunt multi) ex hoc loco colligunt Messiam è Judæ tribu esse debuisse.

Probatur 3°, quia hæc est Judæorum traditio communis, ut videre est apud Helvicum; unde sententia quam amplectimur, præterquàm quòd ex Scripturis manifesta et SS. Patrum auctoritate munita sit, id etiam habet commodi, quòd Judæis refellendis magis sit accommodata.

Solvuntur objectiones. — Objicies 1°. Interpretatio juxta quam Juda in vaticinio Jacobi totam nationem Israeliticam designat à pluribus Ecclesiæ Patribus adversùs Judæos adhibetur. S. Justinus, in Dialogo cum Tryphone 52, totam Judæorum gentem alloquens, sic habet : *Illud etiam à Jacobo patriarchâ prædictum est.... Postquàm advenerit* (Christus) *nec prophetam, nec regem in vestro genere futurum.... porrò in genere vestro ex quo initium accepit, usque ad illud tempus, quo hic Jesus Christus natus ac passus est, prophetam aut principem esse unquàm desiisse, nec imprudenter dicere audebitis, nec habetis demonstrare.... At postquàm Jesus Christus noster in vestro genere apparuit, et morti traditus est, nusquàm extitit aut extat propheta; sed et proprio regi parere desiistis.* Eusebius, lib. 1 Hist., cap. 6 et 7, hanc explicationem datâ operâ confirmare nititur, unde à Moyse deducit initium sceptri. S. Anastasius, Orat. de Incarnatione Verbi divini, n. 40, ait, usque ad ipsum (Christum scilicet) permansurum esse Judæorum regnum his verbis à Jacobo prænuntiatum fuisse : *Non deficiet*, etc. Adde S. Ambrosium de Benedictionibus Patriarcharum, cap. 4, n. 21; S. Chrysost. in Oratione quòd Christus sit Deus, n. 3, et Homiliâ 67 in Genesim, n. 2; S. Augustinum, lib. 18 de Civit. Dei, 45, n. 3, et alios quos Pererius et Casaubonius citant.

Nego antecedens; nam, si Eusebium excipias, cui Patrum mox laudatorum auctoritatem opponimus, cæteri diligenter expensi nostræ sententiæ adversi non reperientur. Duo enim duntaxat significant: primum in Judâ usque ad Christum stetisse sceptrum, quia ad illud usque tempus principes suos populus Judaicus habuit; alterum, tempore Christi omnem principatum fuisse in totâ natione extinctum. Atqui ex his duobus non sequitur vaticinium Jacobi de omni gente Israeliticâ juxta illos Patres intelligendum. Non ex priori, quippe iisdem et nos verbis uti possumus. Addimus quidem de modo quo principes suos post captivitatem natio Judaica habuit, explicationem quam omittunt ii SS. doctores, sed hanc scopus eorum non postulabat. Cùm enim ætate, quâ scribebant, nullum jam superesset in totâ gente hebræâ principatûs vestigium, nec Judæi de sceptri usque ad Christum permanentiâ litigarent, illi SS. doctores, ad vaticinium illud applicandum Christo, quâ ratione ad ejus usque tempora sceptrum steterit, exponere præposterè et supervacaneè suscepissent. Jam verò multò minùs ex posteriori; qui enim docent sceptrum defecisse in totâ natione Judaicâ, simul docent illud in Judâ defecisse; cùm istud in alio includatur. Sceptri autem in universâ gente defectio ab eis eâdem de causâ observari potuit, propter quam à nobis et ab aliis annotatur, scilicet ob majorem vim argumenti, et ad Judæos efficaciùs urgendos; et undequàque revincendos.

Summa responsionis est, triplici modo prophetiam Jacobæam posse applicari Christo, vel ita ut maximè id prematur, soli tribui Judæ hoc competere vaticinium, quâ methodo usi sunt SS. Patres inter probationes laudati; vel ita ut sermo Jacobi ad Judam de omnibus tribubus disertè explicetur, quo pacto illum Eusebius, quem deserimus, intellexit; vel verbis utendo generalibus, scopo specialiorem expositionem non exigente; ita arbitramur locutos plerosque in objectione citatos, qui ideò, quam agitamus quæstionem, nobis non videntur attigisse.

Objicies 2°. Prophetia quævis eventui consentiat, et ex illo explicetur necesse est; atqui si omnis populus Israeliticus, servatâ tribui Judæ peculiari suâ prærogativâ, in vaticinio nomine *Judæ* designetur, eventus planè vaticinio respondet; sin verò prophetia de solâ Judæ tribu intelligatur, illi non cohæret exitus : siquidem ab egressu de Ægypto usque ad Davidem, quâdam præeminentiâ tantùm inter cæteras tribus, non sceptro potita est tribus Juda; à captivitate verò usque ad Christum, tenentes sceptrum plerique fuerunt ex tribu Levi.

Neg. min. Ex modò dicendis patebit, prophetiam, ut sonat, sensu naturali et obvio de solâ Judæ tribu intellectam cum historiâ planè conciliari. Cùm enim sceptri Judæ initia vaticinio non figantur, manifestum est à Davide illud posse inchoari. A Davide porrò ad captivitatem Babylonicam, Davidis posteros Judæ tribules regnâsse omnes nôrunt. De tempore captivitatis si qua sit difficultas, illa utrique opinioni perindè communis. Demùm quantùm ad tempora captivitatem subsecuta, Pererius opinionis quam refellimus præcipuus auctor, Comment. in Genes. ad hunc locum, p. 244, ipse modum explicat approbatque, quo sceptrum tunc in Judâ perseverâsse propriè dici possit; sed de his mox ex professo.

Quid in vaticinio Jacobi significetur nomine Schebet. — Conclusio I. Nomine *schebet* intelligi non potest ipsa hujus nominis tribus. Probatur. Illa rejicienda interpretatio vocis *schebet*, quæ omnibus antiquis versionibus et paraphrasibus, omnibus tum Judæorum, tum Christianorum interpretationibus adversatur, textui hebræo nequaquàm innititur, Judæisque convincendis multùm obesse potest, nullo modo prodesse; atqui sic se habet interpretatio de quâ agitur.

1° Ex supra dictis, omnibus antiquis versionibus et paraphrasibus, priscis omnibus tum Judæorum, tum Christianorum interpretationibus adversatur; neque ic diffitetur auctor Litt. criticarum, p. 151, 171, et seqq.

2° Textui hebræo non innititur eadem interpretatio; nam, etsi *schebet* sæpiùs in Scripturis tribum significet quàm sceptrum et auctoritatem supremam; attamen, ut ad hanc vel illam significationem in Jacobæo vaticinio determinetur, inspiciendum præsertim quæ acceptio ad propriam magis accedat, quæ loco explicando magis congruat, quæ sit hujusce loci cum aliis in quibus eadem vox legitur affinitas; atqui horumce trium accurata circumspectio, *schebet* in vaticinio Ja-

cobi *tribum* significare non suadet. Nam primò acceptio *schebet* ad *tribum* designandam non magis quàm altera ad propriam hujusce nominis significationem accedit. *Schebet* enim sensu proprio significare baculum et virgam, traductumque esse illud nomen ad regimen auctoritatemque significandum, quia *schebet* utuntur qui imperant, omnes consentiunt hebraicè periti. Porrò acceptionem *schebet* pro *tribu* esse pariter metaphoricam non ambigitur, sed de origine ejusmodi metaphoræ duæ sunt sententiæ. Alii cum Kirchero in Concordantiis, aiunt *schebet* esse *tribum*, quia tribus est ex patre, ut ramus, seu virga ex arbore. Alii ut Menochius, lib. 1 de Republ. Hebræorum, cap. 4, metaphoram inde ducunt quòd unicuique tribui, in signum auctoritatis sibi propriæ, sua esset peculiaris virga, quam principes tribuum gestare consueverant, ut ex Numerorum 18, v. 2, colligere est. Ex his duabus sententiis utramlibet eligas, planum est acceptationem *schebet* ad significandam *tribum* non magis alterâ esse naturalem, nec minori intervallo à propriâ distare.

Eadem acceptio verbis vaticinii secundò minùs congruit. Nam si *schebet* interpreteris *tribum*, hæc tautologia admittenda erit : *Tribus non recedet è tribu Judâ.* Non inficior in Hebræis frequentes esse redundantias quæ vocantur Hebraismi, sed fasne est ejusmodi redundantias in sacro contextu pro libito fingere, nullâ cogente necessitate, contradicentibus omnibus versionibus et Scripturæ interpretibus, seu Judæis, seu Christianis? Deinde sic argumentari licet : qui prædictis, Judæ fortitudine, numerositate ac victoriis, contextè ait *schebet* à Judâ non auferendum, neque ducem seu legislatorem usque ad Messiam, nonne *schebet* seu virgæ nomine censendus est *sceptrum* et auctoritatem, potiusquàm *tribum* intellexisse? atqui prædictis Judæ fortitudine, numerositate et victoriis, Jacob contextè ea protulit : *Non auferetur schebet è Judâ, nec dux*, etc.; ergo. Denique loca in quibus *schebet* tribum designat cum vaticinio affinitatem non habet. Nam *schebet* in vaticinio pronuntiatur absolutè et in iis circumstantiis in quibus agitur de fortitudine et victoriis Judæ, et de duce ex femore ejus. Ubi verò *tribum* significat ad hunc sensum restringitur aliquo addito, præsertim verò adjectione appellationis propriæ tribuum, v. g. Genes. 49, v. 16 et 28 ; Num. 32, v. 33, et cap. 36, v. 3 ; Deuteron. 3, v. 13, item 10, v. 3, etc., 18, v. 1 ; Josue 4, v. 5, et 7, v. 18 ; lib. 1 Regum 10, v. 21, et lib. 3, cap. 12, v. 21; Paralip. 1, cap. 27, v. 16, et alibi sæpiùs. Itaque non imititur hebræo contextu, imò eo refellitur recens illa interpretatio vaticinii Jacobæi.

3° Judæis convincendis non prodest illa interpretatio. Mirum sanè illam haberi ab adversariis tanquàm omnium adversùs Judæos controversiarum finem. Ergone ignorârunt de tribuum et familiarum omnimodâ confusione Judæos Christianis non consentire, atque hanc ipsam de quâ agimus, nominis *schebet* interpretationem inter excogitatas à recentioribus Rabbinis numerari? *Dicere possumus*, inquit Rabbi Manasse in Conciliatore, quæst. 65 in Genes., exponens undecimam sententiam, *mentem patriarchæ fuisse, quamvis decem tribus captivas abducturus esset Assyriorum rex in terras nobis incognitas, tribum Jehuda tamen nunquàm sublatum iri, hoc est, ablatum ex oculis et commerciis ac notitiâ hominum ; sed semper fore ei legislatores in medio pedum, hoc est, sapientes à quibus doceatur usque ad Messiæ adventum, per quem imperium sit resurrecturum. Hæc si placet sententia, vertes :* « *Non tolletur tribus Judæ, nec legislator è medio pe-* « *dum ejus donec veniat Silo, et illi congregatio popu-* « *lorum.* » Reponent nullum esse Rabbinorum effugium, neque id negabimus ; verùm id effugium, quodcumque sit, num tantâ præcluditur facilitate, quantâ commonstratur sceptri Judæ defectio? num Judæi Hispani se ex Judâ non prognatos faciliùs concedent, quàm nullum posse à se orbis locum assignari, in quo Judæi summâ rerum potiantur? ergo convincendis Judæis non prodest illa expositio.

4° Imò plurimùm obest. Nam quisque cum Rabbinis de religione velitatus est, arbitrariis eorum textûs hebraici interpretationibus sese potissimùm expertus est retardari. Magnoperè igitur ad eos convincendos interest ne versionum antiquarum, paraphraseon chaldaicarum, et interpretationum à veteribus eorum Rabbinis traditarum rejiciatur auctoritas. Ergo cùm juxta ejusmodi versiones et interpretationes vox *schebet* in vaticinio Jacobæo tribum non designet, non potest ejusmodi vox pro tribu ibi accipi, quin controversiis adversùs Judæos finiendis magnum impedimentum afferatur.

Solvuntur objectiones. — Objicies 1° (1). Auctoritas veterum translatorum, paraphrastarum, Rabbinorum, ipsorumque Ecclesiæ doctorum, hìc nullius est momenti. Nam non agitur de facto quod hominum testimonio probari indigeat, nec de voce cujus sensus in dubium revocetur. Omnes consentiunt nomine *schebet* in Scripturis baculum designari quinquagies, tribum duodecies quindeciesve, sceptrum ter aut quater ; ergo auctoritate et testimoniis dirimenda non est quæstio quam tractamus, sed rationum numero et pondere.

Nego ant. Nam quomodò ad nos usque transmissæ sunt vis et potestas verborum quibus sermo hebræus à bis mille et ampliùs annis in solis Bibliis superstes constat? nonne traditione, ac inprimis hujusmodi translatorum ac veterum scriptorum? quî ergo eorum testimonii unanimis pondus hìc spernceretur?

Ad probationem, respondeo misceri vera falsis in antecedente. Quærimus quid in Jacobi vaticinio voce *schebet* designetur, seu quamnam ideam illi voci, prout in hebræo legitur, alligaverint Hebræi? num tribum eo nomine intellexerit Jacob, num sceptrum et auctoritatem supremam? atqui idipsum est quæstio facti de quâ sanè ratio suadet audiendos antiquos translatores et paraphrastas unanimiter sentientes, ipsisque suffragantes Rabbinos veteres, necnon docto-

(1) Joncourt, Lettres crit., p. 156 et suiv.

res Ecclesiæ præsertim hebraicè peritos. Non nego tamen suas etiam esse rationi partes in ejusmodi quæstionibus de facto dirimendis. Ad eam pertinet inter varia loca in quibus vox eadem legitur, et quorum sensus aliunde notus est, instituenda comparatio. Ipsius est expendere undenam vox originem ducat, quot exprimendis nata sit, quis ejus sensus loco exponendo magis congruat. Verùm hæc non semper in hebræis, uti in aliis idiomatibus, locum habere possunt; quia scilicet genuina hebræi idiomatis vocabula solis Bibliis suppeditantur, in quibus plurimæ voces semel tantùm occurrunt, vel saltem non eodem sensu repetuntur; v. g., vox *Schiloh* quam in eodem Jacobi vaticinio legimus, nullo alio in loco Scripturæ eodem sensu deprehenditur. Vox *schebet* ibidem usurpatur absolutè, ut diximus, et eâ ratione quæ cum iis textibus in quibus tribum designat, nullam similitudinem refert. Ergo hìc præsertim non licet solis velle ratiociniis certare, spreto omnium versionum antiquarum, omnium paraphrastarum et veterum Rabbinorum, omnium denique Ecclesiæ doctorum testimonio.

Inst. Quod attinet ad 70 Interpretes, 1° agitur de vaticinio eorum ætate nondùm completo, ac proinde de re obscurâ, ipsisque non compertâ. Deinde illi interpretes erant Judæi; Judæi autem nationi suæ maximè student; potuerunt igitur 70 Seniores *schebet* interpretari *principatum*, ut populi Judaici gloriæ apud nationes exteras consulerent. Tandem paraphraseos potiùs, quàm versionis accuratæ eo loci secuti leges, nomen *schebet* voce *principis* videntur astutiùs reddidisse, quia natio, quo scripserunt tempore, principibus ex genere sacerdotali, non regibus parebat; ergo 1° 70 Interpretum hìc posthabenda auctoritas. 2° Ex veteribus Judæis alii 70 Interpretum vestigia tenuerunt, re maturiùs non expensâ, et nomine *sceptri*, loco vocis *principis*, duntaxat adhibito, textûs ad litteram reddendi causâ; alii eamdem interpretationem libenter amplexi sunt, quia Christianis non minorem ferè quàm sibi difficultatem parit; alii denique *schebet* exposuerunt virgam tribulationis, ut illud vaticinium Christianis eriperent. Veterum igitur paraphrastarum, translatorum et Rabbinorum non etiam vetat auctoritas quominùs nomine *schebet* intelligamus tribum. 3° Ecclesiæ Patres, si Origenem, S. Hieronymum, et alios quosdam excipias, non fuerunt hebraicè periti; doctissimi verò Judæos in addiscendo hebræo sermone magistros habuerunt, et ab illis ejusmodi interpretationem acceperunt.

Respondeo ad singula paucis. Ad primum, imò maximi ponderis eò loci esse debet 70 Seniorum testificatio, quippe quibus ad cognoscendam vocum hebræarum potestatem multa procul dubio adfuêre instrumenta quæ hodiè desunt. Quæ verò opponuntur ad eorum infirmandum fidem nullius sunt momenti. Frustrà 1° objicitur actum de re obscurâ. Tum quia falsum est omnem prophetiam ante eventum esse obscuram; inprimis vaticinium Jacobi olim à Judæis intellectum fuisse ex eo colligitur, quòd deficiente eorum republicâ, Messiæ promissi tempora instare crediderint. Tum quia sequeretur alia sacrorum vatum oracula, 70 Seniorum ætate nondùm completa, non potuisse ab iis accuratè verti. Tum quia aliud est sensum verbis expressum reddere, aliud est sensum hunc aperire et explicare. Hoc posterius fieri nequit, cùm de rebus nondùm compertis sermo fit. Ad prius autem satis est, si interpres vim verborum ac linguæ indolem percalleat.

Frustrà 2° objicitur 70 Interpretes gloriæ nationis suæ fortè magis quàm veritati providisse, dùm *schebet*, *principatum* interpretati sunt. Ergone licet absque teste, absque ullo fundamento, in gravi ejusmodi suspicione illustres ac conspicuos viros ponere? Si famæ populi Judaici tantoperè 70 studuerunt, quî igitur quæcumque in Pentateucho et in aliis sacræ Scripturæ libris de ingrato animo, duritie cordis, et aliis nationis suæ vitiis, graphicè describuntur, gentium idiomate publici juris fecissent? Quod additur de calliditate 70 Virorum in usurpandâ voce *principis* loco *sceptri*, non contumeliarum minùs nec plus soliditatis habet. Num fidus interpres de verbo ad verbum reddere semper tenetur? Nonne vox *princeps* eo in loco æquivalet *sceptro* principatum seu auctoritatem supremam designanti?

Ad secundum, 1° gratis supponitur plurimos è veteribus Judæis 70 Interpretum solâ auctoritate ductos nomine *schebet* sceptrum intellexisse. 2° Saltem auctores Paraphraseon chaldaicarum de hoc plagio accusari non possunt. 3° Consultò exaggerantur difficultates, quæ in defendendâ sententiâ vulgari circa sceptri initia et continuationem occurrunt. Has esse nullas non contendo; sed, si non sine negotio, attamen dilucidè et accuratè solvuntur. Cæterùm ejusmodi difficultates à Judæis urgeri non possunt, quippe qui supremam auctoritatem, tum post captivitatem Babylonicam et regnantibus Assamonæis, tum durante illâ ipsâ captivitate penès Judam permansisse unanimiter arbitrantur. Consule Helvicum apud Criticos sacros t. 8, p. 127. 4° Sensu vaticinii semel fixo et determinato, difficultates illæ ad defendendam Judæorum causam usui esse non possunt, quia Judæo jam solvendæ sunt, et iis prætermissis ab illo inquiri potest, ubinam extet Judæ sceptrum quod ex vaticinio usque ad Messiam erat permansurum? 5° Quis dixerit tam esse manifestum auctoritatem supremam nullo vero sensu in Judâ usque ad Christi tempora permansisse, quàm liquidò constat nullibi jam extare Judæos in unum reipublicæ aut imperii nomen coadunatos? eò tamen propè recidunt quæ in objectione dicuntur, acceptione *schebet* ad designandum principatum, non minorem ferè Christianis quàm Judæis difficultatem pari. 6° Acceptio vocis *schebet* pro virgâ tribulationis, Rabbinorum recentiorum commentum est.

Inst. iterùm. Nomen *schebet* in prophetiâ Jacobi pro *tribu* esse accipiendum suadent tum Scripturæ usus, tum abyssus difficultatum in quas alterius interpretationis defensores coguntur præcipites abire; ergo, etc.

Nego antecedens, in quo falsum supponi ex dictis facilè colligere est.

Objicies 2° Fatendum est *schebet* in vaticinio Jacobæo significare *sceptrum* et auctoritatem; verùm hæc auctoritas illa ipsa est quæ secundùm Jacobi institutionem, et ex nativâ rei conditione unicuique tribui propria fuit. Nimirùm spectari debent duodecim filii Jacob, ut totidem tribuum principes ab illo Patriarchâ constituti; proindeque, cùm Judæ promittitur *sceptri* continuatio usque ad Messiam, *sceptrum* explicandum est de illâ auctoritate tunc Judæ in suam tribum concessâ. Auctoritas ejusmodi, quâ tribus Juda in ratione tribûs constituebatur, in eâ usque ad Messiæ tempora, uti prædictum fuerat, permansit, aliis tribubus simili potestate, quam pariter acceperant, jam longè antea spoliatis. Ita Scherlock in Dissertatione sup. citatâ ad calcem operis, cui titulus : *De usu et scopo Prophetiæ*, etc., qui ipse observat hanc suam opinionem, quantùm ad substantiam, non differre ab eâ quam expendimus.

Nego antecedens. Nam auctoritas singulis tribubus propria, quâ unaquæque in ratione tribûs constituebatur, non erat potestas suprema. Num enim potestate supremâ fruitæ sunt tribus singulæ sub durâ Ægyptiorum servitute, sub regimine Moysis, Josue, et plurimorum judicum, sub absoluto regum imperio? Auctoritas igitur unicuique tribui propria, erat supremæ inferior, atque potestati summæ quâ variis temporibus diversâ regiminis formâ rectus est integer Hebræorum populus, subordinata; neque id inficiantur, quorum hic expendimus interpretationem.

Atqui nomine *schebet* in Jacobi oraculo non designari potestatem tribuum constitutivam supremæ inferiorem, iis ferè omnibus argumentis probatur, quibus conclusionem confirmavimus. 1° Enim exiguum ejusmodi imperium, ac inferiorem potestatem nomine *schebet* in vaticinio Jacobæo intelligi, non modò Paraphrases chaldaicæ ac veteres Judæorum Christianorumque interpretationes, non patiuntur, sed neque etiam versiones antiquæ. Nam vox Ἀρχων, *princeps*, quâ utuntur septuaginta Interpretes, et voces *virga*, *sceptrum*, quas aliæ versiones adhibent, sine addito prolatæ auctoritatem supremam designant, non verò potestatem supremæ inferiorem. 2° Cùm *schebet* in hebræo codice hìc legatur absolutè et sine addito; cùmque ubi tribum, vel auctoritatem tribui specialem designat, ad hunc sensum aliquo restringatur addito, ut diximus; sequitur interpretationem, de quâ agimus, hebræo non consentire. 3° Eadem interpretatio contra Judæos nulli usui esse potest, siquidem tribum Juda non omni imperio spoliatam contendunt Judæi; nempe *schebet* de jurisdictione quâdam exiguâ nonnulli insignes Rabbini recentiores spontè explicant : Abravaneles ex Davide ortos in captivitate Hispaniæ Galliæque Israelis capita fuisse tradunt; ac tandem aiunt etiamnum conspici multis in locis quamdam jurisdictionem habere tribu Juda ortos, et reliquorum capita esse : *Quod exiguum imperium*, inquit Manasse, Conciliatoris p. 92, *usque ad tempora Messiæ duraturum tunc augebitur; nam illi parebunt nationes.* Jam verò non me latet hæc nec solida esse, nec opinioni quam expendimus, in omnibus consona. Sed id unum observare animus est, responsiones, quas, positâ ejusmodi sententiâ, ex illis Rabbinorum suorum dictis Judæi possunt depromere, non tantâ facilitate iis eripi, quantâ adversùs eos evidentiâ commonstratur verum Judæ *sceptrum* et imperium nullibi terrarum existere. Proinde, etc. 4° Causæ Christianorum nocere potest. Quia cùm repugnet Paraphrasibus, ac Judæorum veterum interpretationibus, imò et versionibus, ut dictum est et ampliùs mox patebit, arbitrariis Judæorum recentiorum expositionibus ansam præbet.

Inst. 1°. Non adversatur illa interpretatio versioni 70 Interpretum, vox enim Ἀρχων ab iis solet usurpari ubi de principibus tribuum agitur. Num. cap. 2 et 4, etc.; ergo.

Dist. Solet ab iis usurpari cum addito, concedo; sine addito, nego. Aliud significat *princeps* sine addito, aliud significat *princeps tribûs*. Non aiunt 70 Seniores *principem tribûs* non defuturum in Judâ usque ad Messiam, sed simpliciter *principem* non defuturum. Iis autem in locis in quibus ἄρχοντος nomine *principem tribûs* designant, semper vox ipsa *tribûs*, aut aliquid æquivalens adjungitur; proindeque, etc.

Inst. 2°. Jacob filios suos, Genes. cap. 48 et 49, principes tribuum constituit. Nam 1° illius institutionis nullum aliis in locis Scripturæ vestigium deprehenditur. Num Moyses fundamentalem regiminis Israelitici constitutionem silentio prætermisisset? 2° Vel auctoritas Jacobi post ejus mortem ad singulos ipsius filios tacitè transmissa est, vel ii ab ipso principes tribuum singularum sunt constituti. Atqui non prius, alioqui duo filii Joseph non fuissent duarum tribuum capita, sed unicam tantùm tribum, duce suo patre Josepho adhuc vivente, efformâssent; ergo. Hinc Jacob, Gen. 48, expressè Josepho duplicem assignat portionem, aitque v. 5 : *Ephraim et Manasses sicut Ruben et Simeo reputabuntur mihi.* 3° Duodecim filios suos, ut totidem referentes ac repræsentantes tribus, Jacob alloquitur Geneseos 49, quod et Moyses, v. 28, ipse annotavit. 4° Ibid. v. 16, Jacob ait : *Dan judicabit populum suum sicut et alia tribus in Israel.* Unde colligere est quæ fuerit potestas à Jacob principibus tribuum collata. Nempe unumquodque earum caput tribui suæ peculiari jus dicebat. Hàc autem auctoritate statim à morte Jacobi principes tribuum fungi cœperunt; ad seniores Israel, quibus commissa rerum administratio, jussa Dei pertulit Moyses Exodi cap. 5, v. 15, cap. 12, v. 21, cap. 19, v. 7; populusque, Exodi 34, v. 31 et 32, à suis ducibus manifestè distinguitur. Porrò, si Jacob duodecim filios suos totidem tribuum principes constituit, nonne asserere pronum est *sceptro*, quod in Judâ continuandum sanctus Patriarcha vaticinatur, hanc ipsam auctoritatem Judæ in proprios tribules concessam adumbrari? ergo.

Nego antecedens, nempe Jacob filios suos constituisse principes propriè dictos tribulum suorum; neque id probant quæcumque in probationem afferuntur. Enimverò, si filii Jacob tribuum principes veri, et judices constituti fuissent, si ejusmodi auctoritate penès

se consistente statim à morte patris fungi cœpissent, si seniores, ad quos Moyses et Aaron verba direxisse referuntur in Exodo, hoc principatu essent potiti; num Moyses, Jethro socero suo auctore, Exodi 28, ejusmodi regiminis ac judiciorum formam, quæ in populo Israelitico deinceps servata est, instituisse legeretur? Ipsa sacri contextûs verba audiamus loco mox laudato v. 24 et seq.: *Moyses fecit omnia quæ ille* (socer ejus) *suggesserat, et electis viris strenuis de cuncto Israel* CONSTITUIT EOS PRINCIPES POPULI, *tribunos, et centuriones, et quadragenarios, et decanos qui judicabant plebem omni tempore; quicquid autem gravius erat referebant ad eum, faciliora tantummodò judicantes.* Itaque 1° Moyses omnem auctoritatem, omne judicium penès se primùm retinuerat, et quidem nemine obmurmurante. 2° Potestatis judicialis, suggerente socero suo, alios participes fecit. 3° Quibus hujus auctoritatis partem conferat, ipse *elegit de cuncto Israel, constituitque principes populi*, etc., *qui judicarent populum omni tempore.* 4° Electis ejusmodi, pro arbitrio, de illâ potestate impertit: *Quidquid autem gravius erat referebant ad eum, faciliora tantummodò judicantes.* Ergo cùm egressus est populus ex Ægypto, et ante ejusmodi egressum, complures ex cuncto Israel cæteris præerant quidem, virtute, sapientiâ, ætate, necnon auctoritate paternâ; at verò judiciali potestate, ac propriè dicto principatu nemo præter Moysem.

Ad primum, loco Exodi mox citato et Deuteron. 16, v. 18, item 17, v. 8 et 9, et alibi constitutio regiminis quod in populo Israelitico observari debuit, enarratur. Ad secundum, Jacob, Gen. 48, id solum instituit, futurum ut Ephraim et Manasses filii Joseph haberentur ut duarum tribuum capita, quibus singulis proinde portio propria terræ promissæ esset tribuenda. Hæc imaginem referunt ultimæ Jacobi voluntatis, qui terræ patribus suis sibique, in hæreditatem à filiis suis possidendam à Deo concessæ, duplicem partem Joseph charissimo filio suo assignat. Adduntur prophetiæ de populis ex utroque fratre nasciturus. Verùm nihil quidquam illa habent commune cum institutione filiorum Jacob in veros ac propriè dictos tribuum principes. Joseph ac deinde Ephraim et Manasses, quemadmodùm et alii filii Jacob in terrâ alienâ peregrini eamdem in suos post patris sui mortem, auctoritatem habuêre, quam in illos omnes sanctus Patriarcha, dùm viveret, exercuerat.

Ad tertium, si filii Jacob, Geneseos 49, tribus suas singuli referebant, ergo verba quæ ad ipsos Jacob dirigit, intelligenda sunt de eorum futurâ posteritate, nec ullo pacto cogimur *sceptrum* in vaticinio commemoratum de principatu jam tum Judæ collato explicare.

Ad quartum, hæc verba, *Dan judicabit populum suum*, etc., significant, ut Vatablus observat, futuros judices ex tribu Dan, ex quibus Samson; illa verò, *sicut et alia tribus in Israel*, intelligenda sunt, annotante eodem, quasi dictum esset: *Si quæ alia sit quæ judicet, et illa judicabit.*

Quæ adduntur de seniorum administratione et principatu, dùm servitute durissimâ in Ægypto populus premebatur, miror prolata fuisse. Si quis de magni momenti negotio totam, v. g. Metensium Judæorum Synagogam spectante, cum iis colloqui vellet, num ad plebem eorum, infantes, mulieres, idiotas verba faceret? nonne seniores, ac majoris ponderis viros adiret? ergone illi Judæorum Metensium coryphæi principatu propterea potiuntur? Itaque, etiamsi Moyses ad seniores Israel jussa Dei pertulerit, nullo pacto sequitur, etc.

Instabis 3°. Omnes versiones in hunc sensum conspirant: *Non deficiet*, seu: *Non auferetur sceptrum de Judâ;* atqui illa verba sceptrum penès Judam jam existens supponunt. Etenim dicine potest non auferendum, quod nondùm possidetur? Ad hæc, oraculum Jacobi nullam sceptri concessionem sonat, ejus confirmationem solummodò continet; atqui confirmatio privilegii non existentis nulla esse potest; ergo.

Nego minorem. Illa verba, *Non deficiet, non auferetur sceptrum*, propheticè dicta, supponunt duntaxat sceptrum penès Judam aut existens aut extiturum, non verò illud jam extitisse necessariò arguunt.

Ad primam probationem, distinguo: non auferendum dici nequit quod nec possidetur, nec possidendum est, concedo; quod actu non possessum, aliquando possidendum est, nego. Jacob eventura novissimis diebus (Genes. 49, v. 1) filiis suis prænuntiat. Judæ numerosam posteritatem futuram, ejus fortitudinem, victorias vaticinatur; deinde addit sceptrum ab eo non auferendum, donec Messias veniat; planum est ejusmodi Prophetiâ supponi ac prædici sceptro Judam aliquando potiturum; sed cum, dum vates divinus loquebatur, in sceptri possessionem jam venisse quo pacto ex oraculi verbis colligi queat, hoc me fugit.

Ad secundam probationem, negari potest major. Nam sceptrum à Judâ aliquando possidendum manifestè supponit Jacob, ac proinde sceptri promissio et concessio verbis prophetiæ implicitè comprehenditur; propriè dictam verò ullius prærogativæ confirmationem, seu ratihabitionem, et iteratam approbationem oraculum non continet; illo tantùm enuntiatur futurum ut Judas sceptro quondàm donandus, eo nunquàm ante Messiæ tempora excideret.

Hinc minor sic potest distingui: confirmatio, id est, ratihabitio et iterata approbatio privilegii non existentis nulla est, concedo; confirmatio, id est, assertio continuationis privilegii prædicti et aliquando habendi, seu diuturnitas privilegii quondàm exstituri divinitùs pronuntiata, nulla est, nisi antea privilegium possideatur, nego. Quis unquàm dixerit sceptri olim penès Judam futuri continuationem ad usque tempus Messiæ, non posse prædici, nisi expressis verbis observet Propheta se de sceptro futuro sermonem habere? Quasi verò res ipsa ejusmodi animadversionem postularet, vel conditio Judæ in terrâ alienâ tunc existentis, vaticiniorum indoles, ac verba Patriarchæ se de novissimis diebus loqui advertentis, non satis admonerent initia sceptri cujus duratio prædicitur, ad tempus futurum referri.

Cæterùm, cur tanta hìc fiat in privilegii notione commoratio, non facilè perspicitur. Juxta opinionem quam refellimus, nullo potuit Judas privilegio frui, dùm eum Jacob allocutus est. Dicitur quidem potitus sceptro, at eo pariter fruebantur alii Jacob filii. Privilegium speciale Judæ non in sceptro sibi concesso præcisè, sed in ejus diuturnitate singulari usque ad Messiam, totum repositum est. Nullum ergo privilegium sibi vaticinio confirmatum possidebat Judas, dùm Jacob vaticinatus est.

Inst. 4°: Ad Jacobæi oraculi explicationem satis est *sceptro* auctoritatem ejusmodi designatam fuisse, quâ reges et principes Jacobi ætate pollebant; atqui regibus illis procul dubio auctoritate pares erant principes tribuum. Neque enim horumce regum auctoritas supremæ potestati, quâ majestatem regiam hodiè potiri conspicimus, æquiparanda; Abraham legitur Genes. 44, v. 14, cum 318 servis suis, ac amicorum suorum quibusdam auxiliaribus copiis quatuor reges vicisse; terra quam inter se tribus partitæ sunt, triginta duobus regibus parebat; num istis regibus potestate inferiores fuerunt tribuum principes? Ergo, etc.

Nego minorem. Fatendum multos eâ ætate reges extitisse quorum imperia arctissimis finibus erant conclusa. Sed illorum potestatem supremam fuisse ex antiquis monumentis colligitur, et præsertim ex Scripturâ sacrâ quæ iisdem verbis ejusmodi principum dignitatem designat, quibus regnum Ægypti et aliorum potentissimorum conditionem exprimit. Nempe eos perinde *reges* vocat, eorum ditiones *regna* appellat, pares eos facit dominatione in subditos. Igitur cùm detur et planum sit ex dictis auctoritatem principum tribuum fuisse inferiorem supremæ, sequitur, etc

Ad probationem, solutio ex dictis patet : supremam regum auctoritatem in iisdem, in quibus nunc sita est, olim quoad substantiam constitisse, Scripturis et veteribus antiquæ historiæ instrumentis edocemur; quamvis non eodem semper apparatu emicuerit, nec eædem semper fuerint tum ditionum amplitudo, tum numerus opesque subditorum.

Conclusio II. Nec præstantia tribûs Judæ supra cæteras tribus, nec Synedrii auctoritas, nec jus et proprietas sceptri ab ejus usu separata, nec æterna potestas à Messiâ possidenda, nec regia dignitas in vaticinio Jacobæo nomine *sceptri* designantur; benè verò potestas suprema, quæcumque futura esset forma regiminis.

Sex sunt conclusionis partes. Probatur prima pars, nempe præstantiam Judæ supra cæteras tribus in Jacobi prophetiâ *sceptro* non designari. Nam vox hebræa *schebet* prout hìc adhibetur, voces *virga*, *sceptrum*, quas usurpant aliæ versiones, vox *princeps* quâ utuntur septuaginta Viri, quidquam amplius merâ honoris præstantiâ significant, nec nisi de supremâ potestate explicandæ videntur. Hinc paraphrastæ et veteres Judæi, nec non ferè omnes christiani interpretes summum principatum eò loci designatum intellexerunt; ergo.

Probatur secunda pars, nempe auctoritatem Synedrii in Jacobi vaticinio *sceptro* non adumbratam. Nam 1° senatus ille 70 Seniorum à Moyse Num. 11 institutus, nullo titulo ad tribum Judæ magis quàm ad alias tribus pertinuit. Quippe ex omnibus tribubus eos elegit Moyses, à quibus in regimine totius populi Israelitici adjuvaretur. Manifestissimè id sacro contextu expressum est : *Congrega mihi*, inquit Deus, v. 16, *septuaginta viros de* SENIBUS ISRAEL, *quos tu nôsti quòd* SENES POPULI *sint*, et v. 24, Moyses refertur congregâsse *septuaginta viros de* SENIBUS ISRAEL. Audis illos 70 fuisse de *senibus Israel*, de *senibus populi;* sed ante separationem ducem tribuum constat nomine *Israel* omnes tribus fuisse designatas; idem etiam nomine *populi* tunc significatum, innumera exempla indubitatum reddunt; ergo non magis ex tribu Judâ quàm ex aliis tribubus constitit concilium 70 Seniorum. Hoc confirmatur ex praxi Moysis, qui quotiescumque ad negotia quævis pertractanda certum aliquem prudentûm voluit numerum assumere, toties eos selegit ex cuncto populo, sapienter sanè, ut scilicet unicuique tribui satisfieret. Sic Exodi 18, principes et judices elegit *de omni plebe*, *de cuncto Israel*. Sic Numer. 13, duodecim exploratores in terram Chanaan missurus, ex singulis tribubus Israel singulos deligere curavit. Atque hanc œconomiam deinde à Judaico populo observatam ex historiâ novimus; referunt enim Aristæus, Josephus et Eusebius Sapientes 72, quos ad Philadelphum Ægypti regem ut in græcum sermonem sacra Biblia converterent, misit Eleazarus, magnus Judæorum Pontifex, senos ex singulis tribubus assumptos fuisse.

2° Factane fuit à Moyse in perpetuum ejusmodi cœtûs institutio? magnus ille Judæorum senatus cujus cunctos judices, uno excepto, Herodes interfecit, ab istâ Moysis constitutione sumpsitne exordium? de his maximè controvertitur.

Fatendum quidem plerosque tum ex Catholicis, tum ex Protestantibus de magni Judæorum Synedrii antiquitate, auctoritate, continuâque saltem usque ad Herodem duratione nullos dubitâsse quos inter præsertim notandi, præter Galatinum suprà laudatum, Tostatus, quæst. 31 et 32 in cap. 11 Numer. : Cornelius à Lapide ibid. Grotius in Commentariis passim, et lib. 1, de Jure belli et pacis, cap. 3, art. 20. Seldenus de Synedriis; Sigonius, de Republ. Hebræorum lib. 6, cap. 7. Verùm stant ex adverso insignes etiam eruditi. Doctissimo Petavio, lib. 2 de Doctrinâ temporum, cap. 26, Synedrii origo *à Gabinio manâsse videtur, qui Pompeii legatus Hircano restituto, ut auctor est Josephus lib.* 14 *Antiq., cap.* 10, *populum in quinque partes distribuit, totidemque* συνέδρια *constituit.* Pererius ad caput 49 Geneseos, pap. 340, de Synedrio Jacobæum vaticinium intelligi non posse probans, ait neque ex Scripturis, neque ex probatis fidei historicis ostendi *talem fuisse unquàm in populo Hebræo Senatum qualem ipsi depingunt, et permansisse eum usque ad Herodem.* Calmetius in Dissertatione de politiâ Hebræorum initio Commentarii in librum Num. pag. 11 et 19 post Basnagium lib. 6 Hist. Judæorum, cap. 1, art. 13 edit. 1716, Judæ Machabæi, vel Jonathanis fratris ejus principatui initia Synedrii alligat.

Isti porrò his præcipuè rationibus pugnant. 1° Synedrii defensores meris indulgere conjecturis, solàque Rabbinorum auctoritate ferè inniti, quorum tamen eâ de re narrationes tot absurdis ac figmentis scatent, ut in multis ac præcipuis circumstantiis debeant emendari. 2° Josephum, Philonem, Origenem, Eusebium et S. Hieronymum, rerum Judaicarum peritissimos, de illo Synedrio prorsùs silere. 3° Sub judicum, regum, ducumve post captivitatem imperio, seu de pace, seu de bello, seu de civilibus, seu de religione, seu de abusibus tollendis, seu de novis ordinationibus constituendis actum fuerit, Senatum ejusmodi ante Machabæorum tempora semper siluisse; aut saltem tam diuturno tempore, totque in diversis circumstantiis, nullam septuaginta Seniorum concilii, tanta, ut putant, auctoritate prædíti, expressam in Scripturis reperiri mentionem. Addi potest Moysen, Deuter. 16 et 17, ordinem judiciorum in terrâ promissâ reddendorum instituentem, non ad 70 viros de tribu Judâ, aut de omnibus tribubus selectos, causas majores ac difficillimas ultimò cognoscendas referre, sed, c. 17, v. 1, *ad sacerdotes levitici generis et judicem*, seu summum sacerdotem, ut Vatablus ex Judæis explicat, vel judicem supremum aut regem ut aliis placet, *qui fuerit illo tempore; nolens obedire sacerdotis imperio*, inquit v. 12... *et decreto judicis, morietur homo ille*. Multis ergo incertum Numer. 11, in perpetuum instituerit.

3° A Moyse ad Herodem Synedrium steterit, sanè ejus auctoritas non fuit suprema. Volunt Rabbini ipsosmet reges senatûs ejusmodi judiciis fuisse subjectos; vel unum igitur regem Juda appellent, qui ad ejus disquisitionem fuerit vocatus. Peccavêre Saül, David, Salomon; complures regum Judæ in crimina gravissima lapsi sunt; seu pœnitentiam egerint, seu illos non pœnituerit, nullus eorum coram Synedrio ad vadimonium venisse legitur. Imò magistratus et judices etiam supremos, ubi opus fuit, à regibus Judæ sunt constituti; non semel Judices, ipsique summi nationis pontifices dignitate suâ nullo intercedente senatorum concilio, à regibus dispoliati; bella gessêre, ac fœdera pacis inivêre illi principes, nullo senatu convocato; uno verbo reges Judæ more aliorum regum omnia moderati sunt; nec Synedrium, nimiam eorum potestatem reprimere, vel effusam populorum vivendi licentiam coercere, aut pravas in imperio inductas consuetudines præcidere unquàm, auctoritate suâ interpositâ conari visum est. Itaque, si Judæorum Sanhedrin perpetuò extiterit, ejus auctoritas supremæ potestati longè inferior fuit, proindeque nomine sceptri in vaticinio Jacobi designari non potuit.

Probatur tertia pars, nempè proprietatem sceptri ab ejus usu separatam nomine *sceptri* à Jacobo non præsignificari, quia si nullus fuerit in Judâ sceptri usus à captivitate Babylonicâ usque ad Christum, nulla etiam per id temporis spatium, sceptri proprietas Judæ competivit. Nam jus ad sceptrum, seu sceptri proprietas à quocumque ejus usu separata nulla esse potest, ubi nulla spes legitima in hujusce usûs possessionem aliquandò redeundi; quocirca Cajetanus aliique sententiæ, de quâ agimus, defensores existimant Judæ certò affulsisse ejusmodi spem usûs sceptri per Messiam olim recuperandi. Atqui nulla spes ejusmodi legitima Judæ esse potuit. Ut enim aliqua ejusmodi spes Judæ manere potuisset, vel principatus in Judâ usque ad Messiam ex vaticinio permansurus, debuisset non esse temporalis, vel in Christo quoddam temporale sceptrum Judæ redditum dicendum esset. Atqui primò sceptrum quod usque ad tempora Messiæ in Judâ permansurum Jacob vaticinatus est, de principatu temporali duntaxat intelligendum esse liquet ex ipso vaticinii contextu, et modò probatur. Secundò, Christus nullum sceptri temporalis usum tribui Judæ reddidit, cùm regnum ejus sit merè spiritale, ipseque monuerit illud non esse de hoc mundo; ergo nulla spes legitima Judæ esse potuit sceptri à Jacobo sibi promissi usum per Messiam recuperandi; proindeque si omni ejus usu privata est tribus Juda à captivitate, omni jure ad illud etiam caruerit necesse est; ergo.

2° Juxta omnium populorum loquendi morem et æstimationem, *sceptrum* auferri censetur, cùm auferitur ejus usus, solo jure ad illud relicto, maximè verò si ille usus per plures seculorum revolutiones ablatus maneat, nec unquàm recuperetur; ergo, cùm sentiant adversarii omnem sceptri usum per annos plusquàm 500 ante Christi nativitatem Judæ ereptum fuisse; imò nec in Christo recuperatus sit, nec aliâ ratione unquàm sit recuperandus; nonne sequitur absolutè pronuntiandum esse, longè antè Christum natum, defecisse *sceptrum* Judæ, in hypothesi quòd manserit sola proprietas ab ejus usu separata. Frustra observat Jueninus nullam adversùs decreta ac constitutiones Dei quibus jus an sceptrum tribui Judæ collatum fuerat, præscriptionem dari posse. Id fatendum : sed primò illa responsio supponit aliquandò principatum Judæ per Messiam fuisse recuperandum, quod jam falsum esse diximus. Secundò verba vaticinii, quo possessio ac permanentia sceptri prænuntiatur, accipi nequeunt sensu ab omnium populorum usu et acceptione alieno; atqui hæc verba : *Non auferetur sceptrum de Judâ... usque ad Messiam*, de nudâ sceptri proprietate, à quovis ejus usu pluribus seculis sejunctâ intelligi ab omnium usu et acceptione alienum est; ergo.

3° Positâ eâ, quam refellimus, opinione, eatenùs contra Judæos probatur Messiam advenisse, quatenùs confusis eorum genealogiis, nulla ipsos tenet spes legitima Messiæ ex Davide aliquandò nasciturí, ac principatum Judæ restituri; atqui licet illud argumentum, uti jam notatum est, peremptorium sit; attamen 1° argumento ejusmodi, in nostrâ sententiâ, aliud splendidius adjungitur desumptum ex defectione *sceptri*, quo Judæos è patriâ exules, ac toto orbe sparsos non potiri ita perspicuum est, ut de eo Rabbini faciliùs, quàm de tribuum et genealogiarum suarum permixtione convincantur. 2° Tempora adventûs Messiæ insigni quodam eventu tanquàm charactere proprio Jacob signâsse dicendus est; id autem locum habet si *sceptrum* accipiatur de principatu Judaico, quem ver-

sùs Christi tempora reverà defecisse notum est; character verò ille evanescit, si de proprietate sceptri ab ejus usu separatâ, de jure insensibili, de spe in animis legitimè infixâ, prophetia explicetur; quid ità? quia horumce omnium defectio sensus animumque minus commovet, nec nisi post aliquod à destructâ Judæorum republicâ temporis intervallum, tribus et genealogiæ ita commisceri potuerunt, ut jam nihil certi prorsùs de iis haberi compertum foret. Igitur hâc etiam de causâ negandum est sceptrum in vaticinio Jacobæo esse merum jus ad sceptrum sine ullo ejus usu, quòd hæc sententia causæ christianæ certissima argumenta eripiat.

Probatur quarta pars, nempe æternam potestatem à Messiâ possidendam nomine *sceptri* in prophetiâ Jacobeâ non designari. Nam ab hâc doctissimi et illustrissimi Huetii singulari opinione tria mentem avocant, 1° auctoritas veterum seu Judæorum, seu Christianorum, qui omnes *sceptrum* eò loci principatum temporalem interpretati sunt, non potestatem spiritualem Messiæ æternùm permansuram; 2° contextus vaticinii, nam antecedentia, Judæ posterorum numerositatem, regionis ab eis incolendæ ubertatem, eorum fortitudinem et triumphos spectantia, nihil nisi caducum et temporale sonant. Pariter consequentia, nempè: *Et dux de femore ejus*, annotante illustrissimo auctore, de temporaneo imperio Judæ explicanda; ergo illa intermedia: *Non auferetur sceptrum*, de æternâ et spirituali potestate non possunt intelligi; 3° duplex significatio quam voci *donec* hìc alligat doctissimus præsul: nempe quatenùs *donec* refertur ad illud prophetiæ membrum: *Non auferetur sceptrum de Judâ*, hanc particulam vult sumi extensivè, et significare *interea*; quatenùs ad istud, *et dux de femore ejus*, relationem dicit, eamdem vocem desitivè accipit, ac cessationem principatûs temporalis Judæ indicare arbitratur. Atqui præterquàm quòd vox *donec*, ut suprà dictum est, nativâ suâ virtute ad rei cessationem significandam tendat, adeò ut nunquàm extensivè accipiatur, nisi materiâ subjectâ cogente, quod rarum est, neque hìc habet locum; fatendum insuper nullum reperiri exemplum unius ejusmodi vocis quæ semel tantùm posita duplici simul donetur sensu, cujus alter alterum excludat. Ergo æterna Messiæ potestas in vaticinio Jacobæo nomine *sceptri* non adumbratur.

Probatur quinta pars, nempe nec dignitatem regiam illo *sceptro* designari. Quippe sensui prophetiæ respondere debet eventus; cùm ergo non permanserit dignitas regia in Judâ usque ad Messiam, si quidem post captivitatem aristocraticum regimen democratico temperatum pluribus seculis apud Judæos viguit; sequitur regiam dignitatem *sceptro* in Judâ usque ad Messiam perseveraturo designatam non fuisse.

Probatur ultima pars, nempe Jacobum *sceptro* significâsse potestatem supremam, quæcumque futura esset forma regiminis. Nam illa genuina est sceptri interpretatio, quæ non modò illius vocis significationi planè respondet, sed et veterum expositionibus consentanea est, ac cohæret cum eventu. Atqui 1° interpretatio juxta quam *sceptrum* in vaticinio Jacobæo est suprema potestas, sub quâcumque regiminis formâ, significationi *sceptri* planè respondet; etenim *sceptrum* sine addito, ut in vaticinio legitur, auctoritatis regiæ, aut potestatis regali æqualis, id est, supremæ juxta omnes insigne est. 2° Veterum interpretationibus consentanea est; quippe cùm veteres interpretes tùm Judæi, tum Christiani, ut ex dictis passim liquet, nomine *sceptri* hìc intellexerint potestatem, quæ regibus ac principibus summis propria est, id est, potestatem supremam. 3° Eadem interpretatio cum eventu cohæret; mox enim ostèndemus potestatem supremam ex quo penès tribum Judæ esse cœpit, ad Messiam usque in eâ propriè et accuratè loquendo perseverâsse.

De initio, continuatione ac cessatione sceptri in tribu Judâ. — Conclusio I. Tunc *sceptrum* cœpit esse in tribu Judâ, cùm regno potitus est David.

Duas partes complectitur propositio. Probatur prima pars, nempe antequàm David regnaret, *sceptrum* in Judâ non fuisse. Nam ex modo dictis, *sceptrum* quod prænuntiavit Jacob, est suprema potestas; atqui ante Davidem suprema potestas non fuit in tribu Judâ. Priusquàm enim populus egrederetur ex Ægypto durâ captivitate oppressus nullo potiebatur principatu. Nec Moyses Israelis dux et liberator, nec ejus successor Josue fuerunt ex tribu Judâ. Ætate Judicum, qui ex aliis tribubus plerique ortum duxerunt, penès Israelis optimates summa rerum præcipuè extitit; nec proinde magis ad tribum Juda, quàm ad alias tribus auctoritas suprema pertinuit. Saül erat tribulis Benjamin. Ante Davidis regnum, tribus Juda, etsi tribubus singulis numero, fortitudine, atque etiam aliquâ honoris prærogativâ superior, pars tamen duntaxat, ac veluti provincia fuit imperii Israelitici. Intra eam urbs sedes regni et sanctuarium religionis non consistebant. Ergo nullâ ratione dici potest tribum Juda ante Davidem supremâ potitam esse auctoritate, nec proinde *sceptrum* in eâ tunc fuisse.

Probatur secunda pars, nempe à regno Davidico ducenda esse *sceptri* Judæ initia. Enimverò non modò *sceptrum* tenens cunctaque in regno Israelitico regiâ auctoritate moderans tunc fuit tribulis Judæ, sed præterea Jerusalem urbs Judæ facta est civitas regia, sedes regni, ac totius religionis centrum. In hanc civitatem arca translata fuit, et à Deo præceptum est templum in eâ ædificari.

Dices. Illud verbis ac scopo vaticinii consonare non videtur, quòd tamdiù, nempe usque ad Davidem, Juda sceptro caruerit; ergo, etc.

Nego antecedens. Vaticinii verbis exprimitur *sceptrum* à Judâ non auferendum usquequò veniat Messias. Ex quo patet eum fuisse vatis sacri scopum, ut spectatiori quodam eventu, nempe cessatione *sceptri* temporalis Judæ, Messiæ tempora signarentur. Prophetiâ igitur *sceptrum* in Judâ exoriturum, nec modicam ejus futuram durationem præsignificat; sed ejusdem initia non præfinit, statimque ab oraculo emisso ea figi nullo pacto postulat. Imò cùm expressè adver-

terit Jacob se ea prædicere quæ *novissimis diebus* erant filiis suis *eventura*, Juda non debuit *sceptri* possessionem illicò sibi concedendam expectare. Undenam igitur *sceptri* Judæ initia dignoscere poterimus? non ex vaticinio, sed ex eventu; proindeque, etc.

Conclusio II. Captivitas Babylonica non fuit cessatio et abolitio *sceptri* Judæ, sed tantùm ejus intermissio, et veluti interregnum.

Probatur. *Sceptrum* deficit et aboletur, cùm spe ejus recuperandi natio destituta per tempus diuturnum illo spoliata manet, et alienis legibus obtemperat. Tunc verò solùm interrumpitur, cùm respublica seu vi et potestate exterorum, seu bellis intestinis oppressa, pristini statûs recuperandi spem conservans, illum, datâ occasione, post breve tempus reverà consequitur. Itaque, si post captivitatem Babylonicam tribus Juda in patriam reversa *sceptro* iterùm potita sit; si illud captivitatis tempus habitâ ratione durationis imperii Judaici, diuturnum non fuerit; si durante illâ captivitate, spem certam habuerint Judæi in statum pristinum præfixo ac brevi elapso tempore redeundi; si denique, quantùm sibi licuit, quantùmque opus erat ut possent in hunc statum reverti, propriis legibus interea vixerint; fatendum erit illam captivitatem fuisse tantùm intermissionem *sceptri* Judaici, non ejus cessationem et abolitionem.

Atqui 1°, post captivitatem Babylonicam, tribus Juda, duce Zorobabele Davidis postero in patriam reversa, iterùm *sceptro* potita est; siquidem ut probabitur sequenti conclusione in veri nominis rempublicam coaluit. 2° Habitâ ratione durationis imperii tribus Juda, diuturnum non fuit captivitatis tempus. Nam à Davidici regni initio usque ad Herodem à Romanis regem declaratum effluxêre plusquàm mille anni; ad quam seculorum seriem anni captivitatis Babylonicæ comparati (juxta consuetum loquendi morem ubi de imperiorum duratione agitur) ut mera intermissio habendi sunt. V. g., etsi Lusitania annis circiter sexaginta nempe ab anno 1580 usque ad 1640 regum Hispaniæ ditioni adjuncta fuerit et eorum legibus coacta parere; nemo tamen initia regni Lusitaniæ ab anno millesimo sexcentesimo quadragesimo ducenda censuerit. Quid ità? quia, ut imperium illud quod ab anno 1139, cœptum est, et etiamnum floret, olim desiisse et penitùs abolitum fuisse meritò diceretur, non sufficit sexaginta annis Lusitaniam legibus alienis subditam fuisse; ergo pariter Babylonica desolatio comparata ad durationem *sceptri* Judaici, tanquàm brevi intervallo temporis conclusa censenda est. 3° Judæis captivis certissima, Deo ipso auctore, spes affulsit de proximo suo in pristinum statum reditu. Nempe ejusmodi reditum Prophetæ vaticinati fuerant; inprimis Jeremias, c. 25, v. 12, et c. 29, v. 10, expressis verbis asseruerat futurum ut post septuaginta annos (ab anno 4 Joachim computandos) captivi liberarentur. Hinc Daniel, cap. 29, v. 2, exhibetur attendens ad *numerorum annorum de quo factus* fuerat *sermo Domini ad Jeremiam Prophetam, ut complerentur desolationis Jerusalem septuaginta anni*. Et lib. 1 Esdræ, cap. 1, dicitur liberatio populi facta à Cyro Persarum rege *juxta sermonem Jeremiæ*. Ergo de proximo suo in statum pristinum reditu, etc. 4° Judæi quantùm sibi licuit, et quantùm opus erat ut possent in pristinum statum reverti, propriis legibus durante captivitate vixerunt. Nam 1° in decreto Artaxerxis, Esther. cap. 16, v. 15, Judæi dicuntur *justis utentes legibus*. Quisquis autem fuerit ille Artaxerxes seu Assuerus, planum est inde colligendum Judæos durante captivitate legibus suis esse usos. 2° Ex historiâ Susannæ, Daniel, 13, v. 5, 34, 41, 50 et 62, manifestum fit aliquam in suos jurisdictionem, ipsâque mortis pœnâ plectendi auctoritatem Judæis Babylone captivis relictam fuisse. 3° Denique, quod maximè necessarium fuit, genealogiis suis accuratè conservandis, iisque in acta referendis cautissimè invigilârunt, ut ex libris Esdræ et Paralip. perspicuum est; ergo legibus suis usi sunt, etc., proindeque tempore captivitatis solummodò intermissum est *sceptrum* Judæ. Adde quòd regem Joachin, cujus caput anno 37 transmigrationis sublevâsse Evilmerodach rex Babylonis refertur 4 Reg. 25, v. 27 et 28, etsi captivum, Judæi ut verum regem suum habuerint. Adde etiam meritò conjici posse Judæos Babylonem instar coloniæ fuisse deportatos, quibus urbs hæc recens ædificata frequentaretur. Certè apparet ex Scripturis eos, ut cives potiusquàm ut servos in terrâ alienâ habitos fuisse. Jeremias cap. 29, v. 5 et 6, à captivis domos ædificari, hortos plantari, ac civitatis pacem inquiri præcipit, quæ conditionem servilem videntur excludere.

Cæterùm, neque ex his, neque ex aliis quæ Rabbini fabulantur, fas est subtiliùs contendere Judam durante captivitate usu *sceptri* non caruisse. Nam 1° quæ retulimus à *sceptri* usu valdè differunt; 2° Rabbinorum historiis plus æquo non fidendum; 3° etsi Judæi è patriâ exules aliquo *sceptri* usu potiti essent, illud tamen non fuisset *sceptrum* de quo Jacob vaticinatus est; quippe vaticinium, ut non semel advertimus, terram promissam totum respicit.

Conclusio III. Post captivitatem Babylonicam Judaica natio in unam veri nominis rempublicam coaluit; populi Judaici cognomen à Judâ meritò tunc sortita; ab ejusmodi republicâ auctoritatem suam habuêre quotquot in eâ usque ad Herodem principatu usi sunt; atque ex his redintegratio *sceptri* Judæ post captivitatem, et ejus permanentia explicandæ.

Probatur prima pars, scilicet populum Judaicum post captivitatem in unam veri nominis rempublicam coaluisse: 1° ex Prophetarum oraculis; nam juxta vaticinia Jeremiæ cap. 25 et 29, captivitas populi 70 tantùm annis erat duratura; atqui, nisi populus Judaicus post 70 annos in patriam reversus veri nominis rempublicam efformâsset, ejus captivitas verè et propriè non potuisset dici soluta; ergo.

2° Ex decreto Artaxerxis apud Esdram cap. 7, ubi sic habetur: *Tu autem, Esdra, secundùm sapientiam Dei tui, quæ est in manu tuâ, constitue judices et præsides ut judicent omni populo, qui est trans flumen; et omnis, qui non fecerit legem Dei, et legem regis* (id est, consti-

tutum istud) *diligenter, judicium de eo erit, sive in condemnationem substantiæ ejus, vel certè in carcerem.* Ubi tria annotanda sunt : primum, quæcumque ad rempublicam administrandam requiruntur, nempe facultatem suis vivendi legibus, auctoritatem juris dicendi, pœnisque capitalibus in contumaces animadvertendi nationi Judaicæ illâ regis Persarum constitutione esse concessam; alterum, hanc potestatem Judæis non fuisse factam precariò et ad tempus, siquidem nulla hujusce generis limitatio in eo regio diplomate deprehenditur; tertium, gentem Judaicam, ut sibi præficeret principes, et in unum reipublicæ corpus coadunaretur, non expectâsse donec laudato Artaxerxis edicto id sibi fieret licitum. Jurium sibi à Deo concessorum non inscia natio in patriam redux, Zorobabelem ducem, et alios agnoscebat principes; atque illud ipsum permisisse censendus est Cyrus, dùm captivitatem solvit. Remansit quidem, ut præceperat Deus addicta Persarum regibus respublica Judæorum iisque vectigalia pependit, sed ita tamen eorum imperii sese judicabat reipsà immunem, ut intermissam ex illorum regum jussu extructionem templi, ante impetratam ab eis novam facultatem, suadentibus prophetis Aggæo et Zachariâ denuò adoriri non dubitaverit, ut refertur lib. 1 Esdræ cap. 5.

3° Ex Machabæorum libris, in quibus Judæi in unum florentissimæ reipublicæ nomen coagmentati exhibentur.

4° Ex Josepho, qui lib. 11. Antiq. cap. 4, n. 8, ait Judæos ex captivitate reversos *Jerosolymâ incoluisse, institutâ eâ reipublicæ formâ quæ optimatum est paucorum potestate mixta; nam pontifices summæ rerum præfuerunt donec Assamonæorum genus regnum obtinuit.* Et lib. 20, cap. 19, olim 8, addit hanc reipublicæ formam fuisse democratiâ aliquâ temperatam.

5° Ex SS. Patribus. S. Hieronymus lib. 1 in Isaiam cap. 1, ad hæc verba v. 6 : *A plantâ pedis usque ad verticem*, etc., ait *post Babylonicam captivitatem sub Zorobabel et Esdrâ ab Nehemiâ Israel reversum esse in Judæam, et antiquum recepisse statum.* Eadem est aliorum Patrum sententia, ut ex eorum locis supra laudatis manifestum est.

6° Ex Judæorum testimonio. Observat. S. Hieronymus loco mox citato voluisse Judæos *post captivitatem Babylonicam, Zorobabelem, Esdram et Nehemiam et cæteros principes usque ad Hyrcanum populo præfuisse.* Thalmudici in Gemarâ Jerosol. ad titulum Mergilla, cap. 3, folio 74, col. 3 in Gemarâ Babylonicâ ad tit. *Joma*, cap. 7, fol. 69, verso, et in libro Juchasin, fol. 13, Israelis *magnificentiam*, legis *coronam in pristinum statum* ab Esdrâ et viris Synagogæ magnæ redintegratam tradunt, apud Seldenum de Synedriis lib. 2, cap. 16, n. 6, edit. Amst. 1679, pag. 411.

Probatur secunda pars, nimirùm nationem Judaicam cognomen Judaici populi à Judâ tunc meritò sortitam fuisse. Ac primò quidem quòd illud sortita sit, testis locupletissimus est Josephus lib. 11 Antiq. cap. 5, n. 7, satisque colligitur ex libris Esdræ in quibus nomine *Judæorum et Judææ*, populus è captivitate redux, ac regio quam incolebat, passim (1) designantur.

Quòd autem meritò illud sortita sit cognomen, sic ostenditur. Natio ex insigni et numerosâ Judæ tribu ferè tota constans, cujus nonnisi veluti accessiones erant parva tribus Benjamin et quædam aliarum tribuum reliquiæ, jure cognominata fuit *Judaica*, id est, ex Judæ tribulibus potissimùm consistens. Etenim præterquàm, quòd res de se manifesta est, Scripturarum etiam confirmatur usu. *Cùm enim*, ut egregiè disserit Petavius lib. 16, de Incarn. cap. 6, n. 8, *de tribubus decem ab Assyriorum rege Salmanasaro longè extra fines Judææ deportatis loquitur Scriptura, 4 Reg.* 17, *v.* 18, sic illud expressit : « *Iratusque est Dominus vehementer Israeli, et abstulit eos à conspectu suo, et non remansit nisi tribus Juda tantummodò.* » *Atqui in hâc tribu regnoque Ezechiæ sacerdotes et levitæ remanserant, necnon Benjaminitæ, tum ex aliis tribubus complures ibidem hæserunt.* Similiter ergo; etc.

Atqui populus qui è captivitate reversus est, ex insigni et numerosâ tribu Judæ ferè integer constitit. Nam ex libris Esdræ et Nehemiæ apparet ferè solam Judæ tribum, cum parte aliquâ exiguâ tribûs Benjamin, paucissimos ex aliis tribubus in Judæam è captivitate rediisse.

Idem testatur Josephus, Antiquit. lib. 11, cap. 1, n. 3 : *Ista Cyrus cùm Israelitis dixisset*, inquit, DUARUM TRIBUUM PRINCIPES JUDÆ ET BENJAMINIS, *simulque levitæ et sacerdotes properè se Jerosolymam transtulerunt. Multi verò apud Babylonem manserunt.* Et cap. 3, postquàm, n. 9, dixit, *delectos fuisse ad profectionem Jerosolymitanam patriarum tribuum principes cum suis uxoribus, et liberis, et jumentis*, addit, n. 10 *Atque isti quidem ita profecti sunt è singulis cognationibus numerus certus et definitus...* EX TRIBU JUDÆ ET BENJAMINIS... *myriades* 462 *et millia octo. Porrò levitæ erant* 74; *promiscuæ verò multitudinis puerorum ac mulierum numerus erat* 40742, etc. Tandem cap. 5, n. 2 *Cùm Esdras has litteras accepisset... omnis multitudo Israelitarum in eâ regione mansit. Quapropter* DUÆ TANTUM TRIBUS, *per Asiam atque Europam sub Romano degunt imperio; decem autem reliquæ tribus usque in hodiernum diem loca trans Euphratem colunt, infinito hominum millia nec numero comprehendenda.*

Probatur tertia pars, nempe ab illâ republicâ auctoritatem suam esse mutuatos quotquot in eâ à captivitate usque ad Herodem principatu usi sunt. Namque 1° in Machabæorum libris tria de reipublicæ Judæorum regimine observare est, quibus constat ipsosmet Assamonæos à natione auctoritatem suam accepisse. Scilicet primò à Judâ Machabæo et Jonathâ ejus fratre ac successore, sacerdotibus summis et belli ducibus res maximæ, bella gerenda, fœdera ineunda ad populi judicium delata fuerunt, lib. 1 Mach. 5, v. 16, et c. 10, v. 7 et 46. Secundò nomine sacerdotis summi, senatûs nationis, sacerdotum, et reliqui populi negotia publica fuerunt administrata. Quippe illorum omnium nomine

(1) Lib. 1, Esdr. cap. 5, v. 5 cap. 6, v. 7 et 14; Lib. 2, cap. 6, v. 18, cap. 12, v. 31 et 43, cap. 13, v. 12, 15 et 16.

scripta est Epistola ad Spartiatas quæ ibidem legitur cap. 12, v. 6. et seqq. Item consociantur etiam eodem libro, cap. 14, v. 20 in Epistolâ Spartianorum; tum v. 27 et 28 in Epistolâ Judæorum ad Romanos; denique 2 Machab. 1, v. 10, in Epistolâ eorumdem ad Aristobulum. Tertiò Simon ab universo populo Judaico electus est, qui Judæ et Jonathæ fratribus suis succederet. *Responderunt voce magnâ*, inquit divinus contextus, 1. Mach. 13, 8, 9, *tu es dux noster loco Judæ et Jonathæ fratris tui; pugna prælium nostrum, et omnia quæcumque dixeris nobis faciemus.* Ipse verò Jonathas ab amicis Judæ Machabæi, vigente post ejus obitum tribulatione magnâ in Israel, in principem belli assumptus fuerat. *Congregati sunt*, ait auctor sacer ibid. cap. 9, v. 30 et 31, *omnes amici Judæ, et dixerunt Jonathæ... Te hodiè eligimus esse pro eo* (Judâ) *nobis in principem et ducem ad bellandum bellum nostrum. Et suscepit Jonathas tempore illo principatum, et surrexit loco Judæ fratris sui.* Assamonæi igitur electionis viâ assumpti sunt in principes, atque à natione Judaicâ suam mutuati sunt auctoritatem. Porrò ex eo quod de illis habetur expressum, judicare licet quid de aliis Judaicæ gentis ducibus sentiendum sit, nempe eos vel electionis viâ, vel nationis accedente consensu esse principatu potitos.

2° Ejusdem rei fidejussor est Josephus lib. 12 Antiq. cap. 6, n. 2: *Multi è speluncis evaserunt et cùm Mathathiæ sese adjunxissent, eum sibi ducem constituerunt.* Et n. 4: *Postquàm autem à populo universo planctu magno deploratus est, rerum administrationem in se suscepit filius ejus Judas cognomine Machabæus.* Et lib. 13, cap. 1, n. 1: *Qui reliqui erant ex Judæ* (Machabæi) *sociis... Jonathâ ejus fratre addito, eum rogabunt ut fratrèm suum sibi in exemplum proponeret, ejusque de popularibus suis curam et providentiam... imitaretur... Tum Jonathas, cùm dixisset se pro illis mortem obiturum esse, atque existimaretur nihilo inferior esse quàm frater, Judæorum dux declaratur.* Lib. 20 Antiq. cap. 10, aliàs 8: *Posteri filiorum Assamonæi, postquàm illis mandata esset gentis præfectura et bellum contra Macedones gessissent, Jonathan pontificem creant, qui septem annis præfuit.* Tandem lib. 1 de Bello Judaico, c. 1, n. 3: *Mathathias Assamonæi filius, unus è sacerdotibus... ad magnam potentiam provocatus, suisque volentibus principatum nactus, quòd ab alienigenis eos liberâsset, post hæc moritur imperio Judæ relicto filiorum natu maximo.*

3° Hoc ipsum suadetur etiam, quia ea est regiminis aristocratici et democratici indoles, ut, ubi illud viget, quotquot principatûs fiunt participes à republicâ id consequantur; atqui habetur ex Josepho, ut dictum est, et ex Machabæorum historiâ, regimen populi Judaici post captivitatem aristocratico-democraticum fuisse; ergo, etc.

Probatur ultima pars, scilicet ex modò probatis redintegrationem *sceptri* Judæ post captivitatem, et ejus permanentiam explicandas. Illa enim exponendæ *sceptri* continuationis via plana est et facilis; aliæ difficultatibus interclusæ videntur et obstructæ. 1° Quam amplectimur viam plana est et facilis; si quidem positis, quæ modò probavimus, tribus Juda à captivitate ad Herodem supremâ auctoritate, ac proinde *sceptro*, potita verè et propriè dicenda est. Namque ad id satis est, quod redux natio Judaica in rempublicam coalita manserit; quòd illa respublica, illud imperium, pluribus de causis supra allatis, tribûs Judæ verè fuerit quòd ab illâ auctoritatem suam hauserint qui apud ipsam, per id tempus, principatum tenuêre; quæ tria ex mox probatis constant; ergo, etc. Accedit quòd non modò ratione personarum rempublicam hanc constituentium, sed etiam ratione loci et ditionis, sedis regni, sitûs templi, cultûs religionis, legum denique seu moralium et cæremonialium, seu judicialium, intercesserit omnimoda convenientia Rempublicam Judæorum à captivitate restitutam inter et regnum Judæ, quod ante captivitatem florucrat. Enim verò ubi de *sceptrorum*, seu coronarum ac regnorum continuatione ac permanentiâ agitur, ad illa modò enumerata magis attendi solet, quàm ad originem et genus gerentis principatum. Sic, v. g., potens Poloniæ regnum semper idem florere censetur licet ipsi sæpè imperent reges ex nationibus exteris accersiti et electi. Sic plures meritò computantur seculorum periodi, ex quibus immota stat corona Hispanica, licet hunc dudùm gestaverint principes Austriaci, atque etiamnum gerat ex regio Borboniorum sanguine rex prognatus. Ergo si principatum tenens in Judæorum republicâ, auctoritatem suam ex eâ habuerit, sequitur, etc., modò tamen ejusmodi princeps ex Israeliticâ stirpe fuerit; specialis enim illius populi constitutio à Deo stabilita Deuteron. 17, v. 15, omnem alienigenam à principatu excludebat.

2° Quævis alia explicandæ *sceptri* continuationis via difficultatibus interclusa videtur et obstructa. Nam ex variis superiùs expositis sententiis duæ tantùm supersunt quas nondùm attigimus Juxta primam ponitur Machabæos paterno genere ex Judâ ortos esse. Atqui id falsum est. Nam constat eos fuisse ex tribu Levi, tum quia Mathathias, Assamonæorum parens, 1 Mach. 2, v. 1, dicitur *sacerdos ex filiis Joarib*, cujus familiam fuisse leviticam, ex 1 Paralip. 24, v. 7, indubitatum est. Tum quia Assamonæi sacerdotii summi muneribus functi sunt. Atqui Num. 16, v. 39 et 40, Deus gravissimè prohibet, *ne quis accedat, qui non est de semine Aaron, ad offerendum incensum Domino.* Tum quia Josephus (1) Machabæos fuisse pontifices non semel asserit. Tum denique, quia ex Josepho lib. 20 Antiq. cap. 10, olim 8, T. 1, p. 979; Eusebio lib. 8 Demonstr. evang. p. 361, edit. 1618; S. Ambrosio, lib. 2 in Lucam n. 40, T. 1, col. 1529, et ex Judæis apud Huetium Demonst. evang. prop. 9, n. 2, præcipui Judæorum duces post captivitatem plerique fuerunt sacerdotes ex tribu Levi; ergo prior hæc sententia quâ statuitur Machabæos paterno genere ex Judâ ortos fuisse nullo pacto defendi potest.

(1) Joseph. Antiq. lib. 12, cap. 6, n. 1, t. 1, p. 614; et de bello Jud. lib. 1, cap. 1, n. 3, t. 2, p. 52.

Hinc Baronius, qui in Apparatu ad annales ecclesiasticos primæ edit. n. 5, *aliquando senserat ex paterno etiam genere Mach. ex tribu Judâ descendere*, in posterioribus tamen editionibus hanc suam emendavit opinionem, ut ipse testatur ad calcem tomi 1 Annal. post indices, edit. Rom. 1593.

Dices. Lib. 1 Mach. 15, v. 63, dicuntur *viri Juda magnificati valdè ;* sed ii erant Machabæi ; ergo, etc.

Nego cons. Fratres et socii Judæ Machabæi, ibi appellantur *viri Juda*, quòd essent ejus comites, non quòd ex tribu Judâ essent progeniti. Jam verò juxta opinionem alteram Machabæi materno genere ex Judâ prognati supponuntur. Sed 1° hoc incertissimum est, si quidem de eo altè silet tota retrò antiquitas ; profertur quidem Exod. 6, v. 23, et 4 Reg. 11, v. 1, unum aut alterum matrimonii à sacerdotibus cum filiabus Juda inniti exemplum. At inde non sequitur ejusmodi connubia fuisse frequentia, et à patribus Machabæorum contracta. Proferuntur quoque nonnulla Rabbinorum testimonia, quæ diserta non sunt, et aliunde non magni ponderis ; ergo incertissimum est, etc. 2° Etsi illud concederetur, nulli tamen usui esse posset ad explicandam continuationem *sceptri*, si quidem constat apud Judæos maternum genus nullo loco habitum. *Matris familia non est familia*, aiunt Thalmudici in *Bavâ bathrâ* cap. 8, quod et confitentur Rabbini omnes. Et verò num filii Herodis ex ejus conjuge Mariamne Assamonæorum filiâ nati, ab adversariis dicerentur ex sacerdotali familiâ fuisse, vel etiam ex tribu Judâ duxisse originem, quòd Mariamnes, ut ipsi putant, ex illâ tribu maternum genus duceret ? Nùm Christus dici potuit ex tribu Levi, ex quâ Beata Virgo maternum genus traxit ?

Perperàm objicitur, inquit Petavius de hoc argumento disserens lib. de Inc. cap. 7, n. 2, *Christum solo materno genere Judæ contingere. Hoc enim inusitati et extraordinarii est exempli ; quod ad ordinariam legem et institutum trahi non debet. Ut si dicenti cuipiam, neminem mortalium nisi ex utroque parente nasci ; Adamum ex neutro, vel Christum ex matre solâ prognatum opponeret.*

Objicies adversùs primam conclusionis partem : Tempore quod effluxit à captivitate usque ad Herodem primùm Persis tributum solvit natio Judaica, ut refertur lib. 1 Esdræ 7, v. 24, et lib. 2, c. 9, v. 37. Deinde à Græcis, Syris et Ægyptiis gravissimè exagitata, iis etiam referente (1) Josepho vectigalia pependit, ut se ab eorum vexationibus redimeret. Tandem anno ante æram vulgarem 63, Pompeius captâ Jerosolymorum urbe, ac Judæâ integrâ armis subactâ, Hyrcanum regem restituit quidem, sed simul eum Romanorum vectigalem fecit ; ergo natio Judaica veri nominis rempublicam supremâ auctoritate potientem per id tempus non constituit.

Nego consequentiam. Aliud est nationem ab omni jugo alieno esse undequàque liberam, aliud est eam supremâ auctoritate frui. Respublica cui inest vis propria, seu aliunde non accersita, suis utendi legibus, lites privatorum dirimendi, negotia publica administrandi, constitutionumque suarum infractorum pœnâ etiam capitali puniendi, supremâ potestate frui dicenda est. Hæ porrò cum tributo ab aliis populis seu jure, seu injuriâ imperato consistere posse res ipsa loquitur, et ex historiâ compertum est.

Inst. Artaxerxes, Persarum rex, solemni decreto, quod lib. 1 Esdræ cap. 7 refertur, statuit futurum ut Judæi legibus suis viverent, ducemque populi Esdram constituit, qui judices ac magistratus institueret, legem observari curaret, etc., ab eodem pariter concessa Nehemiæ potestas muros Jerusalem suscitandi ; ergo.

Respondeo ex his duntaxat sequi Judæos præsidio regum Persarum indiguisse, atque ad illud non semel confugisse quò magis ac magis eorum respublica constabiliretur, et à vi hostium imminentium, quorum mentio fit in libris Esdræ, tuta redderetur. Nec sanè mirum quòd summi nationis Israeliticæ viri Esdras et Nehemias, litteris regiis in gratiam Judæorum concessis muniti, et reipublicæ saluti solummodò consulentes, Judæis acceptissimi fuerint, ac inter præcipuos gentis duces libentissimè computati.

Conclusio IV. Herode alienigenâ summam rerum occupante, *sceptrum* à Judâ ablatum est.

Tria conclusione continentur de quibus non una est eruditorum sententia. Primum est, ante Herodis regni tempora *sceptrum in Judâ* non defecisse. Alterum est, ubi Herodes summam rerum occupavit, defecisse illud *sceptrum*. Tertium est, Herodem fuisse alienigenam.

Circa primum duplex opinio. Nam initia defectionis *sceptri* Casaubonus et alii repetunt ab anno 63 ante æram vulgarem, quo Pompeius in Aristobulum iratus, Judæam ingressus est, urbeque et templo captis Judæos Romanis tributarios fecit. Plurimi contra sentiunt ante Herodis regnum *sceptrum* propriè non cœptum deficere, quæ opinio probabilior videtur. Cùm enim Pompeius Hyrcano, quem è solio Aristobulus deturbaverat, pontificatum simul et principatum gentis restituerit, ac proinde principes Assamonæi ad Herodem usque populo Judaico præfuerint ; ad propriè dictam defectionem et abolitionem *sceptri* pertinere non videntur, quæ à Romanis tunc temporis passa est respublica Judæorum.

Circà secundum, in duas etiam abeunt eruditi oppositas sententias. Non pauci gradatim et per partes *sceptrum* concidisse arbitrantur, adeò ut nonnisi in ultimo Jerosolymorum excidio penitùs defecerit. Ita Petavius lib. 16 de Incarn. cap. 6, n. 15 ; Huetius Demonst. evang. prop. 9, n. 5 et 8 ; Tournely quæst. 3, art. 1, p. 146 ; Witasse quæst. 3, art. 1, sect. 1, p. 219, et ex Protestantibus Grotius in Matth. ad v. 22, cap. 5 ; Casaubonus in Baronium, etc., qui tamen initia et varios ejusmodi graduum casus non omnes eodem modo explicant.

Docent ex adverso cum plerisque Ecclesiæ doctoribus Pererius in caput 49 Genes. n. 105, versùs finem,

(1) Joseph. Antiq. lib. 12, cap. 8, n. 3, et lib. 12, cap. 3, n. 3, et cap. 4, n. 4 ; edit. Haverc. t. 1, p. 579, 580, 589, 602, etc.

Baronius in Apparatu, Pagi, Criticâ in Annal. Baronii, n. 80, Appar. Galatinus, lib. 4 de Arcanis catholicæ veritatis, Helvicus de Vaticinio Jacobi, membro 3, n. 4, apud Crit. sac. et alii, sceptrum à Judâ semel fuisse ablatum, simul atque regno Herodes potitus est.

Ad vaticinii consensionem cum eventu parùm interest, utra ex his duabus opinionibus eligatur. Juxta priorem advenit Christus Dominus, verus Messias, post cœptam defectionem sceptri, et paulò antequàm penitùs extingueretur. Juxta posteriorem statim ab illâ defectione natus est, eo scilicet regnante ad quem sceptrum è tribu Judâ primò translatum fuit. Utrumque autem vaticinio perindè cohæret; moraliter enim, non mathematicè res ejusmodi perpendi debent.

Posteriorem porrò sententiam alteri anteponendam ducimus, 1° quia illa fuit omnium Patrum (1); 2° hoc argumento nixi : Tunc sceptrum in Judâ defecit, cùm ad alienigenam, quem leges reipublicæ Judæorum fundamentales à regno excludebant, potestas suprema ab extraneis, invitâ natione, ita translata est, ut genti Judaicæ nunquàm restituta sit; quippè *sceptrum*, ut diximus suprà, nihil aliud est, quàm suprema potestas.

Atqui 1° Herodem fuisse alienigenam mox ostendetur. 2° Omnem alienigenam fundamentalibus reipublicæ Judæorum constitutionibus à regno exclusum fuisse planum est ex verbis Moysis Deuter. 17, v. 14 et 15 : *Cùm ingressus fueris terram*, inquiebat is sapientissimus legislator,... *et dixeris : Constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes; eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem facere regem, qui non sit frater tuus.* 3° Potestas suprema ad Herodem ab extraneis translata est nempe à Romanis, uti refert Josephus lib. 14 Ant. cap. 14, aliàs 26, n. 4, et lib. 20, cap. 10, olim 8, cui concinunt Judæorum doctores, ut R. David Ganz. in *Tzemach David* ad an. 724, millenarii 4 : *Istum* (Herodem) inquit, *creârunt regem senatores romani, loco Hyrcani Domini sui anno* 724. 4° Herodes regnum adeptus est, invitâ natione, quod ex iis manifestè apparet, quæ ipse molitus est ut regnum sibi à Romanis concessum adipisceretur, et armis partum conservaret. Namque adversùs Antigonum ultimum ex Assamonæorum familiâ Judæorum regem bellum non sine magno discrimine per triennium gessit; Jerosolymam expugnavit; infelicem eumdem Antigonum jussu Antonii Antiochiam securi percuti erogatis pecuniis effecit; magni Judæorum concilii senatoribus, quorum judicium olim cædis accusatus vix effugerat, uno excepto, interemptis viros ex fæce plebis substituit; veritus ne quis insignium ad summum sacerdotium eveheretur, Hananelem obscuri generis sacerdotem, quem pontificatu decoraret, Babylone arcessivit; Aristobulum fratrem Mariamnes uxoris suæ interfecit, et alia complurima facinora edidit subditos dominationis suæ impatientes præsentiens, et regnandi cupidine compulsus.

Dissimulandum non est, quod Josephus narrat lib 17 Antiq. cap. 3, n. 3, universam Judæorum nationem, exceptis Pharisæis, sùb finem vitæ Herodis jurâsse se ejus partes esse foturos. Verum solâ vi et metu imperata fuit illa fidelitatis promissio, quâ ergà Cæsarem simul et Herodem esse Judæi obstrinxerunt

5. Suprema auctoritas deinceps non fuit Judæis restituta; nam post Herodis mortem Archelaus aliique ejus filii eodem jure quo pater principatum adepti sunt, Archelao ob tyrannidem de quâ ab optimatibus Judæorum accusatus fuerat, Viennam Galliæ anno 7 æræ vulgaris in exilium amandato, Judæa in provinciam imperii Romani ab Augusto redacta est. Atque versùs id tempus jus gladii genti Judaicæ ademptum; quod enim Lingfoot in caput 26 Matth. v. 3, in caput 18 Joan. v. 31, et alii nonnulli sentiunt, jus illud penès magnum senatum nationis usque ad excidium Jerosolymitanum stetisse, ita tamen ut præ nimiâ judicum facilitate et rerum multitudine non exerceretur; quod pariter conjicit Pater Lami (1) facultatem eo jure utendi fuisse à præfecto romano impetrandam; hæc, inquam, non levibus momentis refelluntur, quæ à Grotio (2) Drusio et aliis collecta sunt. Primum petitur ex Pilati et Judæorum verbis Joan. cap. 18, v. 31 : *Accipite eum* (Christum) *vos*, inquiebat Pilatus, *et secundùm legem vestram judicate.* Quæ verba jure gladii in occasione utendi facultatem sonarent, si ejusmodi facultatis postulandæ et impetrandæ sola lex senatui Judæorum fuisset imposita. Pergit tamen sacer contextus : *Dixerunt ergo ei Judæi : Nobis non licet interficere quemquam;* ergo nullum jus gladii tunc Judæorum concilio à Romanis relictum. Secundum desumitur ex his Christi verbis Matth. 10, v. 17 : *Tradent enim vos in conciliis, et in Synagogis suis flagellabunt vos, et ad præsides et ad reges ducemini, in testimonium illis et gentibus.* Igitur hoc unum in Christi discipulos potuerunt, scilicet flagelli pœnam in synagogis suis iis infligere, et eos ad reges et ad præsides ducere; jure gladii proinde non potiebantur. Tertium eruitur ex iis quæ Actuum cap. 21, 22, 23 et 24, in motâ adversùs S. Paulum concitatione gesta narrantur. Nam tribunus cohortis ante interpositam à Paulo appellationem ad Cæsarem, de manu Judæorum illum eripuit, easque in toto hoc negotio sustinuit partes quæ potestatem gladii penès Judæos tunc non extitisse planè ostendunt.

Quartum subministrat Talmud Jerosolymitanum

(1) Ita S. Just. in Dialogo cum Tryph. n. 52, p. 148, edit. Paris. 1742; Origenes, Hom. 17 in Genes. n. 2, t. 2, p. 108, edit. Paris. 1733; Eusebius lib. 1 Hist. Eccles. cap. 6; S. Hieron. in cap. 3 Oseæ edit. Martianæi, t. 5, col. 1257; S. Aug. lib. 18. de Civit. cap. 45, n. 3, edit. Benedictin. t. 7, col. 529; S. Cyril. Alex. lib. 7. Glaphyrorum in Genesim ad v. 9. capitis 49, edit. Paris. 1638, t. 1, part. 2, p. 223; et Commentario in Oseam. t. 3 ejusdem. edit. p. 22, et alii plurimi.

(1) Concord. evang. appar. ad chron. part. 2, c. 3.
(2) Grot. in Matth. 5, 22, et in Joan. 18, 31.

quod Tractatu Sanhedrin in capite Dine Mamonoth apud Raym. Martinum Pugionis fidei parte secundâ cap. 4, n. 6, sic habet : *Tradiderunt Rabbini nostri, quòd cùm adhuc templum destructum non esset, per 40 annos ablata sunt judicia animarum* (id est, judicia mortis) *ex Israel.* Item docuerunt auctor Juchâsin apud Drusium, Maimonides, etc., propter Talmudis auctoritatem. Non contemnetur autem illa Rabbinorum veterum traditio, si, quâ curâ gloriæ Synedrii et nationis suæ cæteroqui consulant, attendatur.

Quintum desumitur ex Romanorum politiâ et praxi, quos constat populis victis antiquum religionis cultum duntaxat permisisse, omni de rebus civilibus sibi potestate reservatâ. Atque hinc conjicimus jus vitæ et necis tunc Judæis ereptum fuisse, ubi, Archelao in exilium misso, ejus ditio in formam provinciæ versa est. Cùm enim potestas gladii ante Christi mortem adempta comprobetur, nec ejusmodi abolitionis initia aliàs determinari possint, pronum sanè est ut ad hanc referantur epocham. Neque obstat quòd paulò seriùs collocari deberent, si Talmudistis fides ; nemo enim nescit quàm parùm Rabbini in temporum præsertim calculis accurati deprehendantur.

Dices 1° : Act. cap. 7, v. 57, Stephanus lapidatus est à Judæis ; ergo, etc.

Dist. ant. A Judæis *impetum facientibus unanimiter in eum*, ut habet auctor sacer, concedo ; lapidatus est à Judæis, post observatas judiciorum formas ac pronuntiatam à concilio sententiam mortis, nego. Mors inflicta S. Stephano in exemplum hìc afferri non potest. Nam auditâ ejus in concilio Judæorum oratione æmulatores legis ita commoti sunt, ut non expectatâ judicum sententiâ, quippe de quâ in Actibus nulla mentio, magno in eum irruerint impetu, atque extra civitatem educentes tumultuosè interfecerint. Haud secùs S. Paulum, Act. 21, v. 31 et 32, occidissent, nisi ex eorum manibus illum Tribunus cohortis eduxisset.

Dices 2° : S. Jacobus frater Domini occisus fuit à Judæis anno 63 æræ vulgaris christianæ ; ergo.

R. Duplici modo illud factum narrari : aliter ab Hegesippo apud Eusebium lib. 2 Hist. eccles. cap. 24, aliter à Josepho. Si Hegesippo fides, nulla difficultas, cùm ex ipso tumultuosè, et nullo concilii præcedente judicio, S. Jacobus à fullone occisus sit ; si Josephum, lib. Antiq. 20, cap. 9, sequamur, aliquam judiciorum observatam formam reperiemus, sed simul advertemus pontificem Ananum qui præfecto romano absente illam Jacobi cladem meditatus et executus fuerat, ab eodem reduce de eâ fuisse vituperatum, et ob eamdem ab Agrippâ pontificatu privatum.

Circa tertium quod conclusione contineri notavimus, nempe Herodem fuisse alienigenam, non una etiam eruditorum sententia.

Torniellus in Annalibus sacris ad annum mundi 4018, n. 7 et 8, Nicolai Damasceni testimonio nixus, censet Herodem à primatibus Judæorum, qui ex captivitate redierant, genus suum duxisse. Alii cum Scaligero (1), Henrico Valesio (2), Huetio (3), Casaubono (4), Herodem ex Idumæis proselytis prognatum statuunt, ac simul tamen hunc definiunt verè Judæum fuisse, quia proselyti, aut saltem ex proselytis nati Judæorum numero erant ; ac ante annos centum circiter Idumæi ab Hyrcano Simonis Machabæi filio debellati circumcisionem aliosque ritus Judaicos acceperant. Plerique theologi et ecclesiastici scriptores Herodem, seu Idumæus, seu Ascalonita fuerit (quod hìc nunc expendimus), alienigenam pronuntiant, licet eum proselytum fuisse, aut ex proselytis originem traxisse non dissimulent. Ita post Judæos et veteres Ecclesiæ doctores Galatinus lib. 4 De Arcan. cathol. verit. cap. 6. edit. Basil. 1561, pag. 140 ; Baronius in Apparatu n. 5, t. 1, p. 3, edit. Rom. 1593 ; Serarius in Herode t. 1, opuscul. theolog. edit. Moguntiæ 1611, pag. 229 et seq. ; Natalis Alexander, Hist. Ecclesiast. veteris Test. t. 2, p. 408, edit. 1699 ; Tournely, Witass., etc. Ut hanc, cui adhæremus, postremam probemus sententiam, ostendendum est 1° Herodem non fuisse Judæum genere et origine ; 2° eum proinde, etsi religionis Mosaicæ proselytum aut ex proselytis ortum, fuisse tamen populo Judaico alienigenam.

Probatur itaque adversùs Torniellum Herodem non fuisse Judæum genere et origine 1° ex Josepho qui lib. 14 Antiq. cap. 15, olim 27, n. 2, Antigonum de Herode, quocum de regno contendebat, inducit *dicentem Siloni et Romanorum exercitui, præter ipsorum institiam facturos, si Herodi regnum dederint, homini privato et Idumæo, hoc est semi-Judæo, cùm id regii generis hominibus præberi deberet, ut est eorum consuetudo.* Ibidem. cap. 1, aliàs 2, n. 2 : *Erat Hyrcano amicus quidam Idumæus, nomine Antipater, homo quidem multâ abundans pecuniâ, quamvis Nicolaus Damascenus hujus genus à primoribus Judæorum, qui ir Judæam venerunt Babylone, deducat. Verùm hoc dicit in gratiam Herodis ejus filii quem fortuna ad Judæorum regnum evexit.* Cap. 16, aliàs 28, n. 4 : *Principatum amiserunt* (Assamonæi), *isque ad Herodem translatus est Antipatri filium hominem Plebeiæ familiæ, et generis privati, et egibus subjecti.* Cap. 7, olim 12, n. 3 : *Uxorem duxit* (Antipater) *ex nobili Arabiæ familiâ, nomine Cypron, ex quâ liberos quatuor sustulit, Phasœlum et Herodem eum qui postea rex erat*, etc. Et lib. de Bello Judaico cap. 6, aliàs 5, n. 2 : *Erat Antipater genere Idumæus, et nobilitate et opibus et aliâ potestate gentis princeps.* Ex quibus sic arguitur : Is non fuit Judæus genere qui fuit *Idumæus, hoc est, semi-Judæus*, cujus pater Idumæus à primoribus Judæorum originem duxisse à Nicolao Damasceno falsò dicitur, cujus denique mater Arabs, et pater genere Idumæus ; atqui ex Antigono apud Josephum Herodes fuit Idumæus, hoc est semi-Judæus, ex Josepho pater ejus Idumæus, etc. ; ergo.

(1) In Animadv. ad Chronicon Euseb.
(2) In Annotat. ad lib. 1, Hist. Eccles. Euseb. c. 6.
(3) Demonst. Evang. prop. 9, cap. 4, n. 4.
(4) Exercit. ad Apparat. Baronii, n. 3.

2° Ex veteribus doctoribus Ecclesiæ et aliis scriptoribus ecclesiasticis quorum eâ de re testimonia triplicis generis proferuntur. Nam plurimi Herodem fuisse extraneum et alienigenam generatim tantùm affirmant. Ita Origenes, *homiliâ* 17 *in Genesim de Benedict. Patriarch.* n. 2 : *Constat,* inquit... *non defecisse principes... usque ad Herodem regem, qui secundùm historiæ fidem, quam Josephus scribit, alienigena fuisse et per ambitionem in regnum Judæorum dicitur irrepsisse.* S. Hieronymus in caput 3 Oseæ, sic ait : *Postquàm defecit princeps ex Judâ, et dux de femoribus ejus, et Herodes alienigena et proselytus suscepit imperium, intelligimus venisse cui regnum repositum est.* Similia habent S. Aug. lib. 18 *de Civit. Dei,* cap. 45, n. 3, et alii. Nonnulli, ut Hegesippus junior, de *Excidio urbis Jerosol.* lib. 1, cap. 14, Bib. PP. Lugd. t. 5, p. 1127, cap. 29; Theophylactus *in Matth.* cap. 2, edit. Paris. 1635, pag. 11; Photius in *Bibliothecâ* cod. 238, edit. Rothom. 1653, col. 967 et seqq.; Rupertus l. 9 *in Genesim,* edit. Paris. 1638, t. 1, pag. 145, et alii, Herodem fuisse Idumæum pronuntiant. *Herodes,* inquit Theophylactus, *non erat Judæus, sed Idumæus Antipatri filius, ex uxore Arabe;* et Photius : *Hic Herodes filius fuit Antipatri Idumæi, et Arabyssæ cui nomen Cypris;* et infrà : *Herodis hujus qui primus externorum Judæis imperavit, pater fuit Idumæus natione et Ascalone, filius Antipæ, etiam Antipas priùs vocatus, deinceps Antipater.* Alii tradunt eum fuisse origine Ascalonitam, nativitate Idumæum. Narrat scilicet Africanus, vetustissimus ac diligens scriptor, in Epistolâ ad Aristidem apud Eusebium, lib. 1 Hist. ecclesiasticæ, cap. 7, à cognatis Salvatoris nostri traditum, *latrones scilicet Idumæos cùm Ascaloni Palæstinæ civitati supervenissent, ex delubro quodam Apollinis... Antipatrum Herodis cujusdam Hieroduli filium simul cum reliquâ sacrâ prædâ captivum duxisse. Cùm verò pro redemptione filii minister templi pretium solvere non valeret, Antipater Idumæorum more institutoque educatus, postmodùm Hircani summi Judæorum pontificis amicus effectus est.* Africanum secuti sunt Eusebius (1) sanctus Epiphanius (2) sanctus Cyrillus Alexand. (3), sanctus Ambrosius (4), etc.

Jam verò circa tot Patrum, ac veterum scriptorum testimonia, quibus alia multa addi possent, advertendum 1° nullum posse auctorem ecclesiasticum proferri, qui Herodem genere Judæum fuisse tradiderit; 2° Josepho prorsùs consentire quotquot Herodem fuisse alienigenam, vel Idumæum duntaxat pronuntiant; 3° quod attinet ad relationem Africani quam nonnulli recentiores (5) ut Josepho adversam rejiciunt, singularem, de quâ agimus, Tornielli opinionem ejusmodi pugnâ non juvari. Quippe Africanus, et quotquot ei adhærent, saltem in eo quod præcipuum est, Josepho et aliis patribus consentiunt, nempe Antipatrum Herodis patrem, seu Idumæus genere fuerit, seu Idumæorum duntaxat more educatus, Judæum origine non fuisse. Cæterùm iis (1) libenter assentimur, qui Josephum cum Africano, quibusdam immutatis, quantùm ad rei substantiam conciliant. Josephus quidem de Antipatro Herodis patre duo scribit : 1° eum fuisse genere Idumæum et opibus potentem; 2° ejus patrem Antipam, seu Antipatrum ab Alexandro Jannæo creatum fuisse Idumææ præfectum. Juxta Africanum ex adverso Antipater fuit filius Herodis cujusdam Ascalonitæ pauperis, et *ex numero servorum templi Apollinis,* isque à latronibus Idumæis captus, more Idumæo institutus fuit. Quas narrationes inter se maximè opponi nullus inficiabitur. Verùm liceat quæ de Antipatro ab Africano narrantur, ea ad Herodis avum Antipam transferre, jam omnia cohærent. Antipas filius servi Sacerdotum Apollinis in Idumæam puer deportatus ac more Idumæorum enutritus, inter eos animi fortitudine, et aliis dotibus illustris factus (cujus rei non pauca exempla historiis subministrantur), ab Alexandro Jannæo genti Idumææ armis Judæorum recens subactæ præficitur. Ex eo nascitur Herodis genitor Antipater, à Josepho Idumæus appellatus quòd ex patre institutis Idumæorum addicto, et apud eos jura indigenarum assecuto natus esset. Leve porrò est quod observatur, avum Herodis à Josepho Antipam, ab Africano Herodem appellatum fuisse. Quemadmodùm enim Herodis filius Galilææ tetrarcha ad quem Christus missus est, Herodes Antipas vocatur, ita et ejusdem Herodis avus potuit utroque simul nomine donari. Sic itaque, unius à nobis explicatæ suppositionis ope, Josephus et Africanus concordes fieri possunt. Hanc autem ineundæ inter eos concordiæ viam libenter amplectimur multis rationibus ducti : 1° Quia tum Josephi nationis suæ historiam ex professo scribentis, tum Africani testes magnâ veneratione dignos laudantis tanta hìc auctoritas, ut neutrius relatio quantùm ad substantiam rejici posse videatur. 2° Quia sæpè contingit ut factum quoad substantiam verissimum, in nonnullis tamen circumstantiis eodem ferè modo emendandum sit, quo à nobis relatio Africani castigatur. 3° Quia veteres Judæi apud S. Justinum in Dialogo *cum Tryphone* n. 52, Herodem *Ascalonitam* fuisse dicunt. 4° Quia in Ascalonitas maximè propensum Herodem fuisse constat. 5° Quia juxta Josephum *Antiq.* lib. 14, cap. 16, olim 28, n. 4, Herodes fuit *plebeiæ familiæ et generis privati et regibus subjecti,* eodemque teste lib. 15, cap. 7, olim 11, n. 4, *vilitatem*

(1) Lib. 1 *Hist. Eccles.* cap. 6, edit. Valesii, p. 13, et lib. 8, *Demonst. Evang.* edit. Paris. 1628, p. 374.
(2) In *Hæresi Herodianorum,* edit. Paris. 1622, t. 1, p. 45.
(3) *Comment. in Oseam* t. 3, edit. Paris. 1638, p. 22, et lib. 7 *Glaphyrorum in Gen.* t. 1, part. 2, p. 223.
(4) Lib. 3 *in Lucem,* edit. Paris. 1686, t. 1, col. 1329.
(5) Scaliger *in animadvers. ad Euseb. chron.* Valesius in annotat. ad Hist. Eccles. Euseb. Natal. Alex. Hist. vet. Test. t. 2 PP. Benedictini in notâ ad locum S. Ambrosii citatum.

(1) Lancelot in Append. ad Chronolog. sacram, ad calcem Bibliorum Vitræan. p. 91, Basnag. Hist. des Juifs, lib. 1, cap. 2, edit. 1715, p. 47 et seqq. Witasse de Incarn. t. 1, p. 227.

generis *ac ignobilitatem* exprobravit ipsi uxor ejus Mariamnes. Hæc saltem refellunt quas de Herodis generis claritate Scaliger obtrudit conjecturas. 6° Quia Eusebius lib. 1 *Hist. eccles.*, cap. 6, Josephum et Africanum laudans neutri fidem detrahit. S. verò Epiphanius, *hæresi* 20, quæ est *Herodianorum*, utriusque conciliandi viam, quâ incedimus, videtur aperuisse. Verba Eusebii ejusmodi sunt : *Primus ex alienigenis Herodes regnum Judææ à Romanis adeptus est, cùm, ut à Josepho quidem traditum est, paterno genere Idumæus, Arabs materno esset. Ut autem scribit Africanus non ignobilis et ipse scriptor, qui de illo accuratiùs scripserunt, Antipatri filium fuisse tradunt; huic verò Herodem quemdam Ascalonitam unum ex numero servorum templi Apollinis*, etc. Ex quibus manifestum est relationem Africani ab Eusebio plurimi factam, ita tamen ut quod à Josepho traditum non prorsùs rejecerit.

Atque hæc sunt præcipua momenta propter quæ emendandam aliquantisper, non è medio tollendam Africani narrationem judicamus, Herodemque origine Ascalonitam, nativitate Idumæum fuisse statuimus. Quæ obiter perstrinxisse sufficiat.

3° Herodem origine Judæum non fuisse Gorionides, Talmudici et Rabbini consentiunt, nec in re adeò manifestâ necesse est eorum testimonia congeri. (Consule Serarium in *Herode* cap. 9 et 15.) Omni igitur testium genere ostensum est Herodem non fuisse naturâ et origine Judæum.

Probatur alterum adversùs Scaligerum et alios, scilicet Herodem etsi proselytis ortum, fuisse tamen alienigenam. Is enim alienigena fuit qui, utpote extraneus genere, Judæorum juribus quantùm ad civilia et dignitates non potiebatur. Nec enim quæstio est de religione et sacris, in quibus non modò proselytorum posteri, sed etiam primùm circumcisi à Judæis natis non discriminabantur, uti præscriptum fuerat Num. 15. De civilibus tantùm controvertitur. Atqui Herodes seu proselytus fuerit, seu ex proselytis oriundus, attamen utpote extraneus genere, juribus Judæorum quantùm ad civilia et dignitates non potiebatur; cunctorum quippe ejusmodi jurium participes non erant extranei seu proselyti, seu ex proselytis oriundi. Enimverò quod attinet ad recens controversos et primùm circumcisos, quos solos Scaliger proselytos appellat, illorum aliam, ac Judæorum, fuisse conditionem constat ex lib. 1 Paralip. 22, v. 2, ubi refertur Davidem *præcepisse ut congregarentur omnes proselyti de terrâ Israel, et constituisse ex eis latomos ad cædendos lapides et poliendos, ut ædificaretur domus Dei;* et ex lib. 2, cap. 2, v. 17, 18, in quibus sic habetur: *Numeravit igitur Salomon omnes viros proselytos qui erant in terrâ Israel, post dinumerationem quam dinumeravit David pater ejus, et inventi sunt centum quinquaginta millia et tria millia sexcenti. Fecitque ex eis septuaginta millia qui humeris onera portarent et octoginta millia, qui lapides in montibus cæderent; tria autem millia et sexcentos præpositos operum populi.* Jam verò an proselyti à Davide et Salomone hocce modo censiti fuissent, et ad onera portanda, aliaque gravia opera omnes destinati, si par eorum fuisset, ac Judæorum natorum conditio? Constat præterea ex Act. 1, v, 11, ubi proselyti distinguuntur à Judæis. Constat denique ex modò afferendis argumentis. Sed in re à Scaligero concessâ diutiùs immoramur.

Porrò eos etiam qui ex proselytis erant nati, cunctis juribus Judæorum civilibus potitos non esse, multa suadent, nulla momenta impugnant. Multa quidem id suadent : nam 1° Salomon, ut modò relatum est, sexcentos supra centum quinquaginta tria millia recensuit proselytos. Atqui hoc numero multos proselytorum nepotes, abnepotes, etc., comprehensos fuisse probabilissimum est. Num enim verisimile esse potest tot millia gentilium intra unam generationem Judaicos ritus recepisse? Proselyti igitur et proselytorum posteri eodem nomine designantur in Scripturis, et conditione æquales perhibentur. 2° « Si proselyti filius, inquit Serarius pag. 238, eo ipso quòd proselyti filius erat, nullo ampliùs modo vel proselytus, vel alienigena fuit, ad quam è duodecim tribubus, tribum spectabat? » 3° Institutæ à Scaligero distinctionis proselytos inter et filios proselytorum, nullum nec in Scripturis, nec apud Judæos, nec apud veteres Ecclesiæ scriptores vestigium reperire est. Imò Herodem et ab ipso prosatos Herodiadas à Judæis proselytos denominari ostendit idem Serarius ibidem. 4° Antigonus apud Josephum jam citato cap. 15, aliàs 27, lib. 14 Antiquit., Herodem vocat *Idumæum, hoc est, semi-Judum*, undè colligit non nisi injustè ad ipsum à Romanis posse regnum transferri; additque: « Quòd si nunc sibi (Antigono scilicet) succensent (Romani) et à se regnum auferre.... statuerunt, esse quidem multos sui generis in regnum jure successuros, qui cùm neque quicquam contra Romanos peccâssent, et sacerdotes essent, indignè paterentur honore isto privari. » 5° Antiqui Ecclesiæ doctores, inprimis Origenes et S. Hieronymus, rerum Judaicarum peritissimi, quos Herodis conditio profectò non latuit, unanimiter tradunt Herodem extraneum fuisse. Origenes ex iis quæ de illo rege Josephus scribit, ipsum fuisse alienigenam colligit. S. verò Hieronymus illum proselytum fuisse observat, et simul dicit *alienigenam*, ut suprà vidimus. Ergo multis non levibus momentis suadetur eos qui ex proselytis nati erant, ac proinde Herodem, cunctis Judæorum juribus civilibus ascitos non fuisse.

Jam verò, quàm parùm solidis adversùs tot momenta et testimonia conjecturis certent adversarii, ex solutione objectionum patebit.

Solvuntur objectiones. — Objicies adversùs primam conclusionis partem cum Casaubono Exercit. 1 ad Apparatum Baronii n. 3, « falsum esse et dictu absurdum alienigenæ imperium Judæos in Herode primùm esse expertos. Romani enim (pergit idem) indigenæ, credo, non erant. » — Resp. à Pompeio graviora expertam non esse rempublicam Judæorum, quàm à regibus syris olim passa fuerat. Imò Pompeius cum eâ multò leniùs egit, cultûs proprii ac legum usu relicto, ac statim legitimo principe Judæis restituto. Non negamus Judæos ante Herodis tempora à Romanis victos ipsis paruisse,

sed cùm illicò ac sine morâ victores à jugo ipsos exsolverint, contendimus initia propriè dictæ desitionis *sceptri* ad aliam epocham referenda.

Instabis cum aliis. Pompeius Judæis tributum imperavit; id verò oneris reipublicæ undequàque liberæ non imponitur; ergo.

Nego consequentiam. Aliud est rempublicam ad solvendum tributum cogi, aliud est supremam potestatem ipsi cœptam auferri. Jam observavimus Judæos, etsi post captivitatem fuerint Persarum, Græcorum, Syrorum, necnon Ægyptiorum tributarii, nihilominùs in veri nominis rempublicam tunc coalitos fuisse.

Objicies adversùs secundam partem. Cùm Herodes regnum adeptus est, Judæorum respublica non statim penitùs labefactata fuit. Stabat ejus regni initio Judæorum senatus, cujus judices ille tyrannus interfecit, jus vitæ et necis non nisi post Archelai exilium nationi ademptum; denique Judæi in unum corpus coadunati terram promissam incoluerunt, ritibusque suis ac legibus usi sunt usque ad excidium urbis et templi. Præterea, ut observat Petavius, lib. 16 de Incarn. cap. 6, n. 15, inchoationes et initia desitionum suarum, necnon progressus et terminos habere solent prophetiæ: ergo.

Resp., quod attinet ad possessionem *sceptri* seu auctoritatis supremæ, rempublicam Judæorum fuisse penitùs labefactatam, ubi primùm Herodes regno fuit potitus. Siquidem tunc tenens sceptrum nec fuit natione Judæus, nec à Judæis ullo modo suam auctoritatem hausit; prætereaque, quod notandum maximè, nunquàm exindè suprema auctoritas penè Judæos rediit; ergo, licet, etc. Cæterùm non inficiamur ratione circumstantiarum mentem sensusque commoventium, defectionem sceptri gradatim, si ita loqui fas est, auctam fuisse. Ante ultimam consumptionem regni reparatio fortè adhuc poterat in desperatis non omninò haberi; sed nihilominùs verum est, à quo tempore Herodes solium est consecutus, Judaicam nationem imperio alieno esse subjectam, nec in possessionem supremæ potestatis unquàm reversam fuisse.

Objicies adversùs tertiam conclusionis partem cum Torniello. Nicolaus Damascenus Herodi familiaris, eo adhuc vivente, scripsit ipsum è primatibus Judæorum qui è captivitate Babylonicâ redierant, genus suum duxisse; ergo, etc.

Nego consequentiam. Hæc mendaciter et assentationis causâ à Nicolao Damasceno dicta fuisse observat Josephus jam citato cap. 1, aliàs 2, lib. 14. Antiq. n. 2. Nec sanè id creditu difficile videbitur, si ex unâ parte, quanta Herodes regnandi cupiditate molitus sit, perpendatur; et ex alterâ, quanti Judæorum regis interesset, ut ex Judâ satus crederetur.

Instabis. Josephus ex regiâ Assamonæorum familiâ quam Herodes extinxerat, maternum genus ducens, privatis odiis indulgere potuit, dùm circa Herodis originem Nicolao Damasceno auctori coætaneo contradixit; ergo.

Nego ant. In cæteris quæ de Herode Josephus narrat nullum ejusmodi odii vestigium. Quid ergo ille historicus privatis odiis indulsisse conjicitur cùm tradidit Herodem Judæum genere non fuisse? Dùm scripsit Nicolaus Damascenus, Herodes ægrè tulisset sibi genus ascribi quod rebellandi ansam Judæis potuisset præbere. Dùm scripsit Josephus, vera Herodiadum originis declaratio nihil quidquam poterat ejusmodi principibus prodesse aut nocere; ergo.

Objicies, iterùm cum eodem. 1° Si Herodes Idumæus fuisset, ad priscam Idumæorum religionem voluisset Judæos trahere; 2° Herodes templum amplificavit et mirum in modum decoravit, ac religionis Judaicæ zelatorem sese exhibuit acerrimum; ergo.

Nego consequentiam. Religioni Judaicæ addictus necne fuerit Herodes, regnum tot laboribus partum conservare cupidus planè concipitur hisce modis sese gerere debuisse.

Obj. 3° cum eodem. 1° Alexander Jannæus Antipæ, seu Antipatro Herodis avo, Idumæo totam non credidisset Idumæam regendam. 2° Hyrcanus rex simul et pontifex Herodi Mariamnem neptem suam in uxorem dedit; atqui hanc non tradidisset alienigenæ. 3° Inter Judæos fuêre qui Herodem ut Messiam agnoverunt; unde nomen *Herodianorum* sortiti; ergo eum spectabant ut Judæ tribulem; noverant enim Messiam ex Judâ oriundum.

Ad primum nego suppositum. Antipas, ut diximus, non fuit Idumæus nisi moribus et institutione. Ascalonita porrò Idumæis moribus informatus, et apud eos jam potens, nonne maximè fuit idoneus, qui Idumææ bello partæ præficeretur? Hâc agendi ratione suis commodis consulebat Alexander, ac Idumæorum simul sibi conciliabat animos. Ad secundum nego min. Leges quibus, ne matrimonia cum alienigenis contraherentur præscriptum fuerat, sæpè violatas fuisse extra controversiam positum est. Nihil ergo mirum quòd Mariamnes Hyrcani neptis in uxorem data fuerit Herodi, cujus pater summam rerum sub Hyrcano administraverat, quique ipse pariter illi principi ferè solam regiæ dignitatis speciem reliquerat. Ad tertium, dato antecedente, quod tamen incertum est, à multis enim alia Herodianorum assignatur origo, nego consequentiam. Nonne errantes quæcumque perspicua suis erroribus adversa solent nubibus obtegere? Num Josephus arbitratus est Vespasianum esse Judæ tribulem, cùm eum ut Messiam habuit?

Obj. 4° cum eodem. Cùm Judæi de civitatis jure apud Cæsarem cum Syris contenderent, illud præcipuè urserunt, Herodem conditorem urbis Judæum fuisse, quod non inficiati sunt Syri. Testis est Josephus lib. 20 Antiq. 8, olim 6, n. 7; ergo.

Nego conseq. Nam 1° id à Josepho tantùm recitatur, non approbatur. 2° Ut Judæi in suæ causæ momentum afferre possent Herodem fuisse Judæum, satis erat illum ratione religionis, et latiori sensu hanc meruisse appellationem. In ejusmodi negotiis peragendis cuncta exiliter ad calculos non revocantur. 3° Herodem esse Judæum Syri non inficiati sunt, seu quòd Herodis genus, legesque Judæorum de alienigenis haud satis ipsis essent perspecta; seu

quia, simul ut constabat Herodem fuisse ex Judæorum republicâ, eorumque legibus et ritibus addictum, parùm ad causam referebat, an esset origine Judæus, cunctisque Judæorum natorum juribus frueretur.

Objicies 5°: Quemadmodùm Act. 2, v. 9, plures ratione habitationis appellantur Parthi, Medi, et Ælamitæ, et Cretes et Arabes, etc., quos tamen fuisse Judæos v. 5, indicatur; ita Herodis pater et avus, etc., appellari potuerunt Idumæi, ratione scilicet commorationis in Idumæâ. Nego conseq. Nam cap. 2 Act. occurrit ratio specialis cur omnes ii Judæi, nomine regionum quas incolere solebant, designarentur, scilicet ut explicaretur miraculum insigne de dono linguarum Apostolis concesso. Quæ verò ratio Herodem vocari Idumæum coegisset, si fuisset natione Judæus? Sed appellatur Antipater genere Idumæus à Josepho, appellatur Herodes apud eumdem Idumæus, hoc est, Semi-Judæus, appellatur à Patribus alienigena; ergo.

Obj. 6° cum eodem. 1° Nemo ex Patribus difficultatem hanc ex proposito discutiendam suscepit. 2° In his quæstiunculis ab iis dissentire possumus; ergo. Ad primum, nego ant. Quantum opus erat, ab ipsis inquisitum est de Herodis origine. Josephi testimonium ab Origene, Eusebio et aliis multis laudatur; pariter Africani narratio eos non latuit; quâ ratione Herodes Idumæus simul et Ascalonita potuerit appellari S. Epiphanius explicat; quid suâ ætate de Herodiadum stirpe Judæi sentirent, perspectum habuerunt. Ex his omnibus ab ipsis deductum est Herodem alienigenam fuisse. Ad secundum, fatemur perinde sacram non esse sanctorum Patrum auctoritatem ubi de ejusmodi quæstionibus agitur, ac circa res fidei. Quæ ab ipsis credita sunt fide divinâ, hæc eâdem fide teneamus necesse est. Quidquid verò de quæstiunculis ad historiam spectantibus tradiderunt, id sapientis critici judicio obnoxium. Verùm, ut in rebus fidei ab eorum unanimiter sentientium auctoritate ne latum unguem recedere unquàm licet; ita sine graviori momento posse eorum testimonium, in rebus etiam merè historicis deseri, nemo sapienter dixerit. Sed quæ hìc exaggerat momenta Torniellus, nulla sunt; ergo.

Obj. cum Scaligero in *Animadv.* ad *Eusebii chronicon.* Herodes, etsi Idumæus genere, verè tamen indigena censendus est: *Ex quo enim tempore*, inquit, *Hyrcanus Idumæos subegit, non ampliùs Idumæi, sed Judæi vocati sunt, et pro veris Judæis habiti. Ergo Herodes, qui patre et avo Idumæis ac proinde Judæis prognatus erat*, verus Judæus fuit, non alienigena. Idumæos autem pro veris Judæis habitos probat Scaliger, 1° allatis in testimonium Josepho, lib. 13 Antiq. cap. 17, Strabone, Ammonio Grammatico, et Stephano. 2° Quia nemo « vetustissimos προσηλύτους un- « quàm legit *alienigenas* vocari. »

Nego antecedens. Ad probationem dist.: Judæi vocati sunt, et pro veris Judæis habiti religione, concedo; genere, et quantùm ad omnia jura civilia, nego. Cæterùm negari potuisset antecedens; quippe nullum laudabit Scaliger veterem scriptorem qui Idumæos appellaverit veros Judæos. Imò Antigonus apud Josephum loco citato Idumæum hominem interpretatur *semi-Judæum*, id est, Judæum religione, advenam in multis aliis. Nego præterea ex testibus à Scaligero adductis id confici quod ipse intendit. Hoc unum testatur Josephus lib. 13 Antiq. Idumæos ab Hyrcano debellatos circumcisionem et ritus Judæorum accipere compulsos. Strabo pariter eosdem tradit ad ejusmodi ritus accessisse; quòd si Herodem *virum indigenam* vocet lib. 16 Geographiæ, verba ejus ad litteram urgenda non sunt. Cæteroqui Strabo vir exoticus circa genus Herodis tam facilè potuit falli, quàm manifestè deceptus est dùm ei summum sacerdotium ascribit. Stephanus porrò nihil habet quod ad rem attineat. Tandem Ammonius disertè exprimit Idumæos cognomen Judæorum sortitos esse tantùm propter religionem Judaicam à se receptam. *Idumæi*, inquit, *origine non sunt Judæi, sed Phœnices ac Syri. Victi autem à Judæis et ad circumcisionem compulsi, et eidem regno contributi, eademque sacra amplexi, Judæi quoque cognominati sunt.* Nego denique vetustissimos proselytos non fuisse vocatos alienigenas. Nam 1° ostendimus proselytorum, seu peregrinorum et advenarum, à Salomone, lib. 2 Paralip. censitorum, plurimos procul dubio fuisse proselytorum nepotes et abnepotes, ac proinde *vetustissimos* προσηλύτους. 2° Judæi cunctos Herodiadas proselytos appellant, et in *Pirke avoth* sermo fit de proselyto usque ad decimam generationem. 2° Inquiro ego, ubinam legatur vetustissimos proselytos desivisse esse proselytos, seu peregrinos et advenas? Sanè qui ex gentibus ad ritus Judaicos accedebant, non appellabantur peregrini, advenæ, et alienigenæ, nisi propter genus à genere Israelitico diversum, quo à pluribus Judæorum natorum juribus prohibebantur. Cùm igitur lege nullâ cautum esset, futurum ut post aliquod tempus haberentur ut indigenæ, et tribubus insererentur; cùm ex adverso tribuum et familiarum populi Israelitici genealogiæ maximâ diligentiâ conservandæ essent, ne generis Abrahæ ulla fieret cum alieno genere commixtio; sequitur ex speciali populi Israelitici constitutione proselytos etiam vetustissimos debuisse semper manere proselytos, seu advenas, peregrinos et alienigenas. 4° Origenes, Eusebius et multi Patres suprà laudati, ex ipsâ Josephi Historiâ, Herodem ex patre et avo Idumæis prognatum supponentes, ipsum nihilominùs alienigenam fuisse scribunt; ergo, etc.

Inst. 1° cum eodem. Josephus non vocavit Herodem ἀλλόφυλον, ut Eusebius. Dist. ant.: Non vocavit expressè, concedo; non significavit æquivalenter, nego. Josephus planè declaravit Herodem alienigenam fuisse dùm ex patre Idumæo et matre Arabe illum progenitum scripsit. Atque in hunc sensum Origenes, Eusebius, S. Hieronymus, Photius, et alii veteres scriptores ecclesiastici historiarum Judaicarum peritissimi Josephum interpretati sunt.

Inst. 2° cum eodem. Proselyti filius nunquàm vocatus est proselytus. *Quemadmodum libertini filius no-*

men non est libertinus, ita nec proselyti nepos rectè proselytus vocatur. Quantò minùs pronepos aut abnepos proselyti! Ergo Idumæi ab Hyrcano ad Circumcisionem compulsi appellari quidem proselyti debuerunt, sed eorum posteri non fuerunt proselyti.

Nego ant. propter rationes jam adductas. Proselyti porrò libertinis absque fundamento comparantur; nam hæc sunt juris positivi, diversæque sunt de iis diversorum populorum consuetudines. Præterea particulares à Deo Israelitis datæ constitutiones de distinctione tribuum et familiarum, de rebus civilibus de rege eligendo, etc., eis interdicebant de multis usibus apud alias nationes observatis; ergo, etc.

Obj. cum Casaubono: *Quemadmodùm hodiè Judæum, aut Turcam, aut Tartarum, postquàm sacro lavacro fuerit tinctus, Christianum et esse et dici rectè ac vel maximè nemo sanæ mentis negaverit, sic olim alienigenæ, postquàm erant circumcisi..... veri Judæi esse censebantur;* ergo cùm Herodes, etc. Nego anteced. et paritatem. Dispar ratio est, quia nomen Christiani, nomen est religionis duntaxat, non originis; Christianus siquidem fit, non nascitur. *Omnes*, inquit Apostolus Gal. 3, v. 6, *filii Dei estis per fidem..... non est Judæus neque Græcus, non est servus neque liber*, etc. At verò Judæi appellatio erat tùm religionis, tùm generis et originis; Judæi quippe nascebantur et fiebant. Hinc, Act. 2, v. 11, Judæi veri seu nati à factis distinguuntur, istique proselyti, seu advenæ et peregrini sæpè cognominantur. Advertas obiter Casaubonum hic ipso Scaligero longiùs esse progressum; quippe non tantùm proselytorum filios, ut Scaliger, sed etiam primùm judaicis ritibus adscitos pronuntiat indigenas fuisse.

Objicies 3° cum eodem. Scribit Philo in Monarchiâ, *Mosem..... æquabilitatem juris omnibus advenis, sive proselytis tribuisse, eademque omnia ipsis concessisse quæ indigenis;* ergo. — Resp. Philonem explicandum esse de juribus ad sacra et religionem pertinentibus.

Objicies denique. Josephus, lib. 14 Antiquit. cap. 14, refert Antipatrum Judæos in Ægypto degentes facilè ad Cæsaris partes traxisse, quòd esset *ex eâdem gente*. Idem lib. 15, c. 14, Herodem inducit Judæos appellantem *viros contribules*. Ad primum, distinguo: Ex eâdem gente ac Judæi, id est, ex eâdem republicâ et religione, concedo; ex eodem genere, nego. Antipatrum fuisse genere Idumæum expressis verbis Josephus tradit. Cùm autem Judæorum ritus ac religionem amplexus esset, atque eorum regno et reipublicæ esset subjectus, faciliùs potuit à Judæis in Ægypto degentibus secundis auribus accipi, eosque ad suscipiendas Cæsaris partes adducere. Ad secundum eadem est responsio. Herodes Judæos sibi devincire studens, quam cum iis habebat societatem verbis amplificabat, et in majus extollebat. Eamdem ob causam sese religionis Judaicæ cultorem observantissimum exhibuit. Unde Augustus, cùm filium Herodis à patre morti traditum accepisset, fertur dixisse: *Melius est Herodis esse porcum quàm filium*; apud Macrob. Saturnal. cap. 4.

Quid alterâ vaticinii parte: Et dux de femore ejus, *significetur?* — Sceptri à Jacobo prænuntiati significatione assignatâ, ejusque initio, duratione, ac fine explicatis, facilè intelligi potest ista prophetiæ pars: *Et dux de femore ejus.*

1° Nomen מחקק *Mekokek*, quòd *ducem* vertit Vulgatus Interpres, alii verò *legislatorem* interpretantur, non significat legislatorem propriè ac strictè dictum. Siquidem solus hoc sensu legislator Israelitarum fuit Moyses, ad cujus legem res civiles et ecclesiasticæ perpetuò et religiosè exigendæ fuerunt et disponendæ. 2° Idem vocabulum non significat quemvis judicia exercentem, quemlibet judicem infimum ac legis interpretem; voces enim *ducis, dominatoris, legislatoris*, quibus illud nomen redditur, necnon ejus affinitas cum primâ prophetiæ parte et voce sceptri, magnificentius quid sonant, et altiorem sensum ingerunt. 3° Nec recipienda videtur sententia Pererii in cap. 49 Genes. n. 10, versùs finem, hâc voce opinantis designari principes ex Judâ satos, penès quos extitit supremæ auctoritatis usus. Quippe *dux* seu *legislator*, ex vaticinio Jacobi, haud secùs ac sceptrum, usque ad Messiam erat perseveraturus; sed post captivitatem Babylonicam, non principes ex Judâ sati, sed sacerdotes ex Levi tribu præcipuæ auctoritatis usu potiti sunt; ergo.

At, inquit eruditus interpres, *hoc ita solvitur: illud*, DONEC VENIAT QUI MITTENDUS EST, *refertur ad illud prius:* NON AUFERETUR SCEPTRUM DE JUDA, *non autem ad illud posterius:* ET DUX DE FEMORE EJUS; ergo. Nego antecedens, quia vox *lo lasour, non auferetur*, ad illa duo *sceptrum* et *ducem* ex æquo refertur; fieri ergo nequit ut illa vox semel tantùm posita sceptrum usque ad Messiam esse permansurum significet, et simul ducem non tamdiù permansurum designet.

Instabis. *Solet Scriptura, cùm plura conjunctè præmisit, extremo loco ponere aliquid quod non ad omnia illa præcedentia, sed ad unum aliquod eorum tantùm referatur, cujus rei exemplum in promptu cap. 15 Genesis: Dixit Deus Abrahæ: Peregrinum erit semen tuum in terrâ non suâ et subjicient illud quadringentis annis. Hoc extremum,* QUADRINGENTIS ANNIS, *tantùm refertur ad illud primum:* PEREGRINUM ERIT, etc. Nego consequentiam et paritatem. Ubi, loco in exemplum allato, aut in alio quovis extremum aliquod non ad immediatè præcedentia, sed ad aliud refertur; non ideò coguntur uni et eidem voci semel tantùm positæ duas simul tribuere significationes oppositas; quod in opinione Pererii occurrit.

4° Doctissimi Petavii sententia lib. 15 de Incarn. cap. 6, n. 13 et 14, juxtà quam legislatoris nomine verisimilius est sacros et ecclesiasticos magistratus hic intelligi, ita ut Jacob prædicere voluerit utramque potestatem, civilem et ecclesiasticam, quâ Judæ regnum administrabatur, illi tribui non auferendam ante Messiæ adventum; hæc, inquam, sententia, etsi dictis superiùs de significatione, continuatione et fine sceptri, necnon eventui maximè cohæreat; attamen minùs probabilis videtur. Nam ut hanc tueatur opinionem,

dicere cogitur post R. Aben Esram, his verbis, *de inter pedes ejus*, naturalem à Judâ propagationem non significari, sed iis alludi ad leonem prædâ potientem, cui paulò ante Judas fuerat comparatus; quasi dictum esset: Quemadmodùm leo captam à se prædam inter pedes constringens, hanc sibi eripi non patitur; ita constantiùs ac pertinaciùs cæteris et usque ad Messiæ adventum, tribus Juda civilem et sacerdotalem, quibus regetur, juridictionem conservabit. Atqui probabilius videtur his verbis, *de inter pedes ejus*, designari duces ex Judâ naturali propagatione orituros. Nam 1° Deuter. 28, v. 57, vocibus iisdem naturalis propagatio exprimitur, quod jam alicubi annotavimus; 2° versio septuaginta Seniorum, tresque Paraphrases chaldaicæ, ac veteres doctores interpretationi illi suffragantur; 3° sensum hunc Vulgata nostra etiam refert; nam, etsi vocabula *de femore*, in se spectata, mox explicatæ metaphoræ leonis accommodari queant, attamen quominùs id fiat, prohibet usus Vulgati interpretis simili locutione aliis in locis propagationem naturalem exprimentis, Genes. 46, v. 26; Exod. 1, v. 5; Judic. 8, v. 30; ergo probabilius, etc.

5° Qui eidem interpretationi Aben Esdræ adhærentes, *ducem* simili modo explicant, quo *sceptrum* exposuimus, quasi dictum esset: Suprema auctoritas semper manebit in Judâ, atque proprios sibi principes seu ex se, seu ex fratribus suis progenitos, auctoritatem ejusmodi exercentes, constanter ac pertinaciter retinebit Judæ tribus, donec Messias veniat; ii à superiùs stabilitis etiam non dissonant, sed probabiliori vocum *de inter pedes ejus* expositione mox traditâ etiam refelluntur.

6° Denique illud, *Et dux de femore ejus*, videtur significare semper futuros in republicâ Judaicâ usque ad Messiam, dùces seu judices ex Judâ prosatos, in aliquod usûs potestatis supremæ consortium vocatos. Illa enim dictæ vaticinii partis interpretatio videtur præ cæteris eligenda, quæ probabiliori versioni simul et eventui consonat; atqui allata interpretatio, etc. Consonat quidem probabiliori versioni, juxta quam, ut diximus, verba *de inter pedes ejus*, naturalem propagationem significant. Consonat quidem eventui; nam ante captivitatem Babylonicam reges fuêre tribules Judæ. Post captivitatem porrò, usque ad Judæ Aristobuli tempora, qui anno ante æram vulgarem sexto suprà centesimum Assamonæorum primus, referente Josepho, regium diadema nomenque sibi imposuit, aristocraticum regimen oligarchiâ mixtum, et democratiâ aliquâ temperatum apud Judæos obtinuit, ut ex Machabæorum libris, Josephique expressis testimoniis superiùs probatum est. Itaque per id tempus summa rerum administrabatur, supremaque exercebatur auctoritas præsertim ab optimatibus, etsi non omninò æqualiter à singulis; quippe nonnullis illorum, scilicet summis sacerdotibus primæ deferri solebant. Adeòque, cùm dubitari nequeat quin ex illis optimatibus plurimi semper fuerint ex tribu Juda, quæ fere sola redierat; sequitur post captivitatem, ad usque Judæ Aristobuli tempora, perpetuò extitisse duces ex Judâ prosatos, in quoddam usûs supremæ potestatis consortium vocatos.

A quo tempore autem principatus in formam regni ab Aristobulo translatus est, non ideò defuêre ejusmodi duces ex Judâ orti. Etenim magnam sibi in judiciis ferendis auctoritatem retinuêre optimates regnantibus Assamonæis. Senatus Judæorum, de quo non semel sermo fit in Machabæorum libris, ab eorum stirpis regibus non fuit abolitus; tantâque illius concilii judices auctoritate valuerunt, ut Herodes ipse, Galilææ tunc præfectus, atque Antipatri illo tempore cuncta sub Hyrcano moderantis filius, quòd Ezechiam Judæum cum latronum agmine Syriæ fines infestantem, nullâ ab Hyrcano acceptâ potestate interfecisset, in judicium vocatus ac venire coactus, nonnisi fugâ sententiam potuerit declinare. Ex quibus patet potestatem summam judiciorum ferendorum penès illum senatum constitisse; proindeque per id temporis fuisse etiam duces seu judices tribules Judæ, atque usûs supremæ auctoritatis aliquâ ratione consortes. Confirmatur ex testimoniis doctissimorum Judæorum, quos laudat Helvicus membro 3, n. 4. *In templo secundo*, inquit R. Abraham in chronico Cabala, *hæc fuit consuetudo, ut rex è familiâ Assamonæorum et servis eorum filiis Herodis, educeret ac reduceret exercitum, curaretque omnia quæ ad regnum pertinerent; verùm quæ ad legem spectabant statuta ac judicia, ad os principis de domo David fuêre facta, et juxta mandatum pontificis Synedrii.* Et R. David Ganz Judæorum historicus in Germine David: *Is mos erat Hierosolymis*, inquit, *quamdiù esset regnum ex familiâ Assamonæorum, et post eos familiâ Herodis; ecce semper fuit princeps de domo David. Nam rex curabat exercitum et res bellicas; verùm quæ ad legem pertinebant, statutaque ac judicia, ad nutum pontificis et principis è familiâ David administrabantur.*

Dices. Jeremiæ cap. 22, v. 30, de Jechoniâ hæc leguntur: *Scribe virum istum sterilem.... nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultra ex Judâ;* ergo post captivitatem Babylonicam nullus erat futurus princeps è tribu Judâ. Nego consequentiam: 1° quia familia Jechoniæ erat tantùm una ex tribu Juda; non ergo sequitur nullos esse potuisse principes ex illâ tribu, quòd nulli esse debuerint ex Jechoniæ posteris; 2° quia verba Domini apud Jeremiam intelligenda sunt in ordine ad dignitatem regiam, quasi dictum esset, nullos Jechoniæ filios regno ampliùs potituros, quod reipsâ evenit. Cæterùm Jechoniæ filios Scriptura commemorat 1 Paralip. 3, v. 17, ac Zorobabel, quo duce populus è captivitate rediit, fuit Jechoniæ nepos.

Quæres utrum *duces* seu *legislatores è femore Judæ*, simul ac sceptrum, cessaverint? — Respondeo, etsi defecissent paulò seriùs sceptro, quod à Judâ tempore Herodis ablatum fuisse docuimus, ejusmodi discrimen, quod ad vaticinii exitum spectat, nullius esse momenti. Quippe ejusmodi res, ut jam notavimus, et apud omnes in confesso est, ad rigorem mathematicum

non exiguntur, sed ad prudentem æstimationem conferuntur; etsi ergo judices summi et interpretes legis *è femore Judæ* non desiissent, priusquàm Judæis verùs annum septimum æræ vulgaris, ut diximus, jus gladii fuerit à Romanis ademptum; vel, etiamsi eorum totalis defectio usque ad urbis et templi ultimam consumptionem esset differenda; istud perinde staret, versùs Messiæ tempora, tum sceptrum, tum duces ex femore Judæ penitùs esse extinctos. Quòd si quis minutorum calculorum rationem habere velit, nihil obest quominùs duces illos seu legislatores tunc defecisse dicat, cùm Herodes cunctos concilii Judæorum senatores, uno excepto, neci tradidit, eisque suffecit plebeios, ut scilicet omnem auctoritatem ad se unum raperet.

Superest ut Jacobæi vaticinii genuinam expositionem ex dictis hactenùs colligamus. Sensus illius est: Ubi primùm Juda auctoritate supremâ potietur, ab illâ non excidet, vel quia tenentes sceptrum erunt ejus tribules; vel quia, quotquot in ejus tribum summo principatu utentur, si non ex illâ nati, saltem ex eâ suam haurient auctoritatem. Pariter duces ex ejus sanguine orti aut summam rerum soli administrabunt, ut tempore regum; aut minimùm, potestatis supremæ in judiciis exercendis erunt participes, uti post captivitatem contigit. Hâc ratione, inquam, permanebit summa auctoritas in Judâ, et dux de femore ejus, usque ad tempora Messiæ, qui est expectatio Gentium.

ARTICULUS II.

De insigni vaticinio Danielis, 9, v. 24 et seqq.

Cùm Daniel ex Jeremiæ prophetiâ captivitatem Babylonicam brevi desituram esse intelligens, Dominum deprecaretur, ne promissam populo suo libertatem differret; ipsi sub specie viri Angelus Gabriel apparuit, indicaturus post solutam captivitatem eventura. *Ego veni*, inquit Angelus, *ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es. Tu ergo animadverte sermonem, et intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt, super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. Scito ergo et animadverte, ab exitu sermonis, ut iterùm ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem et hebdomades sexaginta duæ erunt, et rursùm ædificabitur platea et muri in angustiâ temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus qui eum negaturus est. Et civitatem et Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomadâ unâ, et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium; et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.*

Quæritur 1° utrum ex illâ prophetiâ adversùs Judæos demonstrari possit Messiam jamdudùm advenisse. 2° Undenam ducendum sit initium septuaginta hebdomadum de quibus eo in oraculo sermo fit. Istud posterius multa circa chronologiam difficillima, variasque in partes ab interpretibus et theologis agitata, continet, sed à quibus prioris nequaquàm pendet disquisitio. Utrumque paragrapho duplici complectemur.

Antequàm autem in rem ipsam ingrediamur, ut dîcendis major lux affulgeat, operæ pretium ducimus brevi commentario insigne illud vaticinium illustrare.

Septuaginta hebdomades, hebraicè *Schabuhim schibhim;* hebdomas duplicis generis apud Hebræos nempe annorum et dierum, utraque usitatissima. Septimanæ dierum memorantur Levitici cap. 23, v. 15 et 16: *Numerabitis ergo ab altero die Sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies.* De annorum verò hebdomadis sermo fit ibid. 25, v. 3: *Sex annis seres agrum tuum, et sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus ejus, septimo autem anno sabbatum erit terræ requietionis Domini.* Et v. 8: *Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta novem.* Vide etiam Genes. 29, v. 27. Apud ipsos auctores profanos, Aristotel. Politic. lib. 7, versùs finem, et Varronem in Gellio, Noct. Attic. 3, 10, ejusmodi hebdomadum annorum mentio reperitur. Itaque cùm Danielis hebdomadas de septimanis dierum intelligi subjecta non ferat materia, eas consequens est de annorum hebdomadis esse accipiendas. Conficiunt proinde summam annorum nonaginta supra quadringentos. Porrò consentiunt etiam omnes Rabbini vaticinium de dierum hebdomadis hon esse explicandum. Quas autem eorum quidam ad eludendam oraculi vim commenti esse referuntur hebdomadas decadum, aut seculorum, inferiùs explodemus. — *Abbreviatæ sunt:* hebraicè *nechtach;* quæ vox est græcæ versioni, συνετμήθησαν, *concisæ sunt:* Buxtorfio in Lexico Hebraico et Chaldaico, *decisæ;* nonnullis *determinatæ, definitæ.* Quibus omnibus una et eadem hìc subjicienda notio. Sensus est, tempus fuisse *decisum, abbreviatum, decurtatum*, adque ad septuaginta hebdomadas redactum; vel, quod eòdem redit, illud tempus fuisse constitutum, fixum ac definitum; vel denique, ante hebdomadas 70 omninò elapsas eventurum, quod prædicitur. Itaque perperàm in Vulgatum interpretem invehuntur Protestantes (1) aliqui, quòd verterit *abbreviatæ sunt*, non *definitæ*. Græcæ versioni et Buxtorfio Vulgata eò loci consona, quodad rem ab aliâ interpretatione non differt. Cùmque, ut omnes concedunt, hebræum *nechtach*, illâ tantùm vice occurrat in Bibliis, nec ullum in iis aliud extet verbum ex eâdem ductum radice, cùmque Paraphrasis chaldaica in Esther. 4, v. 5, quâ *nechtach*, pro *definitum* accipitur, ab omnibus habeatur in levi; nullus sanè hìc locus erat litis Vulgato interpreti intentandæ.

(1) Pridæus T. 2, lib. 5. *Hist. Jud.* edit. Paris. 1742, p. 199 et seq., et alii.

Ut consummetur prævaricatio; hebraicè *lecalle happescha*, id est, ut Christum occidendo Judæi iniquitates suas cumulent. — *Et deleatur iniquitas :* hebraicè *oulecapper haon; et ad expiandum iniquitatem.* Ista cum præcedentibus non pugnant, Christus enim mortem subiit ut iniquitates deleret. — *Et adducatur justitia sempiterna : oulehabhi tsedek olamim;* id est, religio sanctificans, veram justitiam conferens ac semper duratura, neque, instar legis Mosaicæ, aliquando abroganda. Alii, *justitiam sempiternam* interpretantur *Christum* ipsum, victimam jugem et perpetuam, qui essentialiter justus est, et nomine *justi* ac justitiæ non rarò in Scripturis designatur. — *Ut impleatur visio et prophetia : velachtom hhazon venabhi, ad sigillandum visionem et prophetiam :* hoc est, ut omnia Prophetarum vaticinia adimpleantur, quæ, cùm spectent Christum, non potuerunt ante ejus adventum ad exitum perduci. — *Et ungatur Sanctus sanctorum;* hebraicè *kodesch cadaschim : sanctitas sanctitatum.* Hebræi neutro carent, et ejus loco usurpant femininum. Potuissent proinde hebræa de verbo ad verbum reddi : *Et ungatur Sanctum sanctorum;* id est, verum templum, vera Arca, scilicet Christi humanitas, quæ unione cum Personâ Verbi ungitur et sanctificatur, quamque arca et templum præsagiebant et figurabant. Neque enim his verbis, *Sanctum sanctorum*, Judæis licet ipsummet templum intelligere, quippe quod, non ungendum, et consecrandum, sed polluendum et funditùs destruendum ab Angelo prædicitur versib. 26 et 27. Ex quo colligere est accuratum esse Vulgatum interpretem, dùm vertit, *Sanctus sanctorum.* — *Ab exitu sermonis ut iterùm ædificetur Jerusalem.* Vox illa *min motza dabar*, *ab exitu sermonis*, duplici præsertim modo accipitur. Plerique sentiunt illâ significari patefactionem et egressum sermonis, quasi dictum esset *à sermone edicto;* quia scilicet vox *exire* sæpè in Scripturis promulgationem et declarationem significat. Isaiæ 11, v. 4 : *Attendite, quia lex à me exiet.* Danielis 6, v. 7 : *Decretum imperatorium exeat.* 2 Machab. 6, v. 18 : *Decretum autem exiit in proximas gentilium civitates.* Lucæ 2, v. 1 : *Exiit edictum à Cæsare Augusto.* Attamen Turneminius è Societate Jesu, presbyter, magni, dùm viveret, in litteris nominis, Dissertatione 16, Menochii suppletii anno 1719, à se editi, vult hebraicas voces *min motza debar*, esse reddendas, *à completo et perfecto sermone;* ac proinde falli eos *qui* 70 *hebdomadum initium aliunde ducunt quàm à perfecto muro Jerusalem; quippe*, inquit, *tunc solùm effectum habuit sermo sive Dei, sive regis Persarum de Jerusalem reædificandâ.* Estius Annotat. in difficil. Script. loca, ad caput 9 Danielis, eamdem interpretationem indicat. *Ut iterùm ædificetur Jerusalem :* hebræa *lehaschid velibnoth*, de verbo ad verbum : *Ad reverti faciendum, et ædificandum;* quæ juxta hebraici sermonis indolem idem valent ac ista : *Ad iterùm ædificandum.* — *Jerusalem : Ierouscalaim.* Igitur non solummodò templum, aut ædiculæ et domus circùm constructæ, sed urbs Jerusalem, ac proinde mœnia ejus. — *Usque ad Christum ducem : ad Maschiah naghid.* His verbis Messias designatur, ut aliquando ostendemus. — *Hebdomades septem et hebdomades sexaginta duæ erunt : schobuhim schibah veschabuhim schischim ouschnaïm;* id est, 69 hebdomades annorum erunt quorum summa 483, annis constat. Quæritur quid causæ sit, cur hebdomades sexaginta novem ita computentur divisim, ut primò ponantur septem, ac deinceps sexaginta duæ. Alii quoddam ibi latens arcanum suspicantur, quod sedulò investigandum censent; alii rectiùs videntur existimare, nihil forsitan in eo mysterii inesse, atque hanc Hebræis esse potuisse non insolitam rationem computandi; haud secùs ac numerus brevior à Latinis loco priori collocatur. In exemplum usûs Hebræorum affertur illud Ezech. 45, v. 12 : *Viginti sicli et viginti quinque sicli, et quindecim sicli mnam faciunt.* — *Et rursùm ædificabitur platea et muri in angustiâ temporum.* Hebraicè, ut suprà, *taschoub venibnetha, redibit et ædificabitur*, etc. Ait Turneminius in citatâ Dissertatione, verba, *in angustiâ temporum*, idem esse ac, *in tempore angusto*, seu, *brevi;* hæcque ad 7 hebdomadas anteà memoratas refert, atque *plateas* et *muros* explicat de ædificiis ad urbis ornatum et defensionem conducentibus. Istud proinde vaticinii membrum sic ex ipso exponendum est; iterùm platea ædificabitur, muri propugnaculis munientur, urbsque ornatum suum recipiet in tempore angusto, id est, septem hebdomadarum spatio, quod est pars angustior temporis in duo ab Angelo distracti. Hâc explicatione rationem reddit cur 69 septimanæ bipartitò secatæ sint, ac primùm positæ fuerint septem, et postea sexaginta duæ. Sed cùm is decor intra annos 49 Jerosolymis restitutus, mera sit conjectura, quam nulla firmat auctoritas, satiùs videtur *angustias temporum* interpretari vel breve tempus quo muri urbis extructi sunt, 2 Esdræ 6, v. 15, vel angustias et ærumnas quibus interea Judæi fuêre coarctati, ibid. cap. 4. — *Et post hebdomades sexaginta duas :* quæ nimirùm fluent post alias septem, cum quibus in unam summam conflatæ sunt. — *Occidetur* (hebraicè *exscindetur*) *Christus, ikkareth Maschiach*, nempe Messias, ut deinde probabitur. Eumdem sensum, sed imperfectiùs, exprimit græca visio, quam S. Hieronymus præfatione Comment. in Danielem Theodotioni tribuit; in eâ non legitur, χριστὸς, *Unctus*, sed χρίσμα *Unctio.* Symmachus et Aquila apud Euseb, Demonst. evangel. pag. 397, meliùs legunt, ut Vulgata, *Unctus*, seu *Christus.* Nam hìc occurrit eadem vox hebræa *maschiach*, ac versiculo præcedenti; cùm igitur illo in versiculo, sumatur adjectivè, *Christum ducem;* in isto adjectivè etiam, non substantivè sumenda est. — *Et non erit ejus populus qui eum negaturus est.* Hebræum *veen loh* his respondens, tria significare potest. 1° *Non sibi*, quasi diceretur : Christus *non sibi*, non propter sua peccata et propriam utilitatem occidetur, sed pro aliis. 2° *Non ei*, supple *judicium*, alioqui manca esset oratio. Id quoque competit Christo, qui injustè damnatus est. Postremò, *et non ejus*, ubi Vulgatæ auctor supplendum censuit, *erit populus, qui eum negaturus est*; quod etiam in Christo Domino adimpletum. Quævis igitur adhibeatur versio, sensus eò loci expressus

in Christum quadrat aptissimè. — *Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo.* Hebræa *ham naghid habba* reddi possunt *populus ducis venturi;* perinde est. Hæc ad ultimam Jerosolymorum consumptionem planè referenda. Observa vocem *jaschchit, dissipabit,* hìc ab Angelo adhibitam eamdem esse quà Moyses Genes. cap. 13, v. 10, cap. 18, v. 28 et 31, et cap. 19, v. 14, Sodomæ et Gomorrhæ excidium expressit. — *Et finis ejus vastitas :* hebraicè, *bascheteph, in diluvio,* id est, universitate malorum ingruentium obruetur civitas et natio Judaica. — *Et post finem belli statuta desolatio;* in hebræo habetur, *vead ketz milchamach, et usque ad finem belli.* — *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una : vehigbir berith larabbim schabouah hechad.* Illud pactum est ipsum fœdus novum à Deo olim patriarchis promissum et à Prophetis prænuntiatum. Hebdomada autem quæ illud *confirmatura* dicitur, septuagesima est ex iis quas Angelus initio vaticinii dixerat super populum *abbreviatas* et definitas. Intra eam Christus munere *ducis* functus est, Evangelium promulgavit, religionem justificantem ac usque ad mundi finem duraturam instituit, mortemque pro redimendis hominibus oppetiens legis Mosaicæ sacrificia et cæremonias abrogavit. — *Et in dimidio hebdomadis :* hebræum *hhatsi haschaboua,* significare potest *dimidiatam* seu *divisam hebdomadam,* hoc est, aliquam ejus partem. — *Deficiet hostia et sacrificium, iaschbith zebach ouminchah :* nempe necessitas, utilitas et valor sacrificiorum evanescet morte Christi, quam illa sacrificia adumbrabant. — *Et erit in templo abominatio desolationis* : hebraicè *veal kenaph schikhoustsim meschomen; et super alam abominationum desolans.* Ista ad ultimi excidii tempus spectant. — *Et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.* Versio Vulgata à nonnullis immeritò hìc redarguitur. Hebræa enim *vead kelah venecharatsah tittak al schomem,* re idem sonant. Sic habent de verbo ad verbum : *et usque ad consummationem determinatam, effundetur* (ira Dei) *super desolatum.*

His de celeberrimi vaticinii intellectu in antecessum missis, sit :

§ 1. *Ex Danielis vaticinio demonstratur Messiam jamdudùm advenisse.*

Non modò cum Judæis nobis hìc res est, sed etiam cum quibusdam Christianis, qui tametsi Messiam venisse confitentur, Danielis tamen oraculum vel nullo pacto, vel non nisi typicè ad Messiam referunt; sicque argumentum ex illâ prophetiâ in Judæos depromptum, tollunt è medio aut saltem plurimùm labefactant. Contra Judæos sit

Conclusio. Ex Danielis oraculo planè astruitur Messiam jamdudùm advenisse. Probatur 1° ex priori vaticinii parte. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt,* inquit Angelus,... *ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et aeleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et ungatur Sanctus sanctorum.* Unde sic argumentari licet : Ex illo oraculo jamdudùm Messias venit, juxta quod septuaginta hebdomades, quæ plus quàm sexdecim seculis præterierunt, olim constitutæ, et definitæ fuerant ut veniret Messias. Enimverò, ubi certa hebdomadum periodus, ut aliquid fiat, dicitur constituta, nempe manifestum est significari, saltem paulò post elapsas ejusmodi hebdomadas, rem eventuram esse? quidve absurdius, quàm velle in longissimas et indeterminatas seculorum series rem ejusmodi procrastinandam? Atqui ex Danielis oraculo septuaginta hebdomades quæ à plus quàm sexdecim seculis præterierunt, olim constitutæ et definitæ fuerant, ut veniret Messias.

1° Septuaginta hebdomades Danielis à plus quàm sexdecim seculis præteritæ sunt. Non possunt enim esse hebdomades annorum diuturniores, cùm apud Hebræos non aliæ quàm dierum aut annorum hebdomades usu venerint. Hebdomades igitur septuaginta conficiunt 490 annos. Porrò *exitus sermonis ut iterùm ædificetur Jerusalem,* à quo earum initium Angelus ducit, tardiùs centesimo post solutam captivitatem anno collocari non potest, siquidem intra illud tempus Jerusalem iterùm ædificata fuit. Itaque, cùm ab illâ Jerosolymorum restauratione usque ad hodiernum diem effluxerint anni plus quàm bis mille et ducenti, liquet septuaginta septimanas à plus quàm sexdecim seculis esse præteritas. Deinde à plus quàm sexdecim seculis urbs Jerusalem et templum dissipata sunt et funditùs destructa; sed ultra ultimum ejusmodi excidium septuaginta hebdomadas protendi non sinunt vaticinii verba, ut modò dicemus; ergo à plus quàm sexdecim seculis elapsæ sunt septimanæ Danielis.

2° Juxta vaticinium illæ hebdomades constitutæ et definitæ sunt ut veniret Messias, siquidem de solo Messiâ intelligi possunt quæ in illâ priore vaticinii parte recitantur. Quis enim, nisi Messias solus, ex Scripturis iniquitates deleturus est? quis præter ipsum justitiam sempiternam adducturus, seu religionem sanctificantem ac perenniter duraturam instituturus? quis alter nomine *Sancti sanctorum* designari potuit? Sanè vel Messias, vel templum hoc nomine insigniuntur; non templum, tum quia secundum templum ex Rabbinis ipsis unctione caruit; tum maximè quia tantùm abest ut Danielis oraculo templum ungendum præsignificetur, ut potiùs diruendum et dissipandum prænuntietur; ergo his vaticinii verbis, *ut ungatur Sanctus sanctorum,* necesse est intelligatur Messias, qui sanctitate speciali ac sibi propriâ unctus, fatentibus Rabbinis, non semel in Scripturis dicitur. Psal. 45 : *Unxit te Deus, Deus tuus;* ubi habet Targum : *Et tu, rex Messia, eò quòd amâsti justitiam,* etc., *propterea unxit te Deus,* etc., et Isaiæ 61 : *Eò quòd unxerit Dominus me;* ad quæ verba Rabbi David Kimchi in lib. Radicum ad radicem *Maschach,* ait *locutum esse Prophetam in personâ Messiæ, quasi Messias dixerit ipse : Ideòque Deus unxit me.* Itaque prior, de quâ agimus, vaticinii pars ad Messiam tota debet referri. Atque id quidem adeò evidens est, ut à Rabbinis non negetur, etsi vaticinii vim, quæsitis undequàque diverticulis, ipsi conentur eludere. In *Bereschith Rabbâ* ad versic. 18, cap. 14 Genes. illud Isaiæ 56, v. 1 : *Proxima est*

sanatio mea ad veniendum, et justitia mea ad salvandum; dicitur designare *regem Messiam*, de quo *scriptum est: Et ad adducendam justitiam seculorum vel sempiternam.* Sed ista nullibi scripta sunt nisi in oraculo Danielis. Rabbi Moseh ben Nachman Gerundensis, Commentario in Danielem : SANCTUARIUM SANCTUARIORUM, inquit, *est Messias sanctificatus de filiis David.* Rabbi Salomo Jarchi in suâ celebri apud Judæos Expositione, accommodat quidem nomen *sancti sanctorum* templo quod à Messiâ aliquando restaurandum et cum vasis esse sanctificandum comminiscitur; sed etsi vaticinium Commentario suo adulteret, primum tamen illius membrum ad alium quàm ad Messiam non audet transferre. Nec porrò illa eadem pars ab Aben Ezrâ, Orobio, etc., aliò detorquetur.

Igitur ex se et ex Rabbinorum consensu certissimum est, hæc vaticinii verba : *Ut deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna*, etc., ad Messiam et ejus tempora referri. Proindeque cùm à sexdecim et ampliùs seculis præteritæ sint hebdomades, ut hæc omnia contingeret, *abbreviatæ* et *constitutæ*, consequens est jamdudùm advenisse Messiam.

Probatur 2° hoc argumento quod reliqua prophetia subministrat : *Christus dux* qui apud Danielem venturus prædicitur, jamdudùm venit; atqui is est Messias; ergo ex Danielis vaticinio jamdudùm Messias venit.

Major et minor sigillatim demonstrandæ sunt. Ac major quidem triplici momento evidenter astruitur; nam 1° ille *Christus dux* ante elapsas, quas Angelus memorat, hebdomades septuaginta, venire debuit. *Scito ergo et animadverte*, inquit Angelus : *Ab exitu sermonis ut iterùm ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem et hebdomades sexaginta duæ erunt*, etc.; sed modò ostendimus hebdomades septuaginta ante secula sexdecim jam esse elapsas; ergo. 2° *Christus* ille *dux* venire debuit priùs quàm Jerusalem et templum destruerentur et dissiparentur, et ante maximam populi Judaici cladem, statutamque calamitatem et desolationem. *Post hebdomades sexaginta duas*, pergit Angelus, *occidetur Christus... et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio.* Atqui jamdudùm templum incensum est, et penitùs destructum à Romanis; jamdudùm urbs dissipata, Judæorum tanta clades peracta, quanta nusquàm legitur alteri populo contigisse, ac tandem super eis desolatio statuta; tempus ergo adventûs *Christi ducis* jamdudùm præteriit. 3° *Christus dux* venire debuit antequàm cessarent sacrificia mosaica; antequàm videretur abominatio desolationis in templo; antequàm eveniret desolatio in consummationem et finem permansura : *Et in dimidio hebdomadis*, ait Daniel, v. 27, *deficiet hostia et sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.* Sacrificia autem non modò quoad valorem et necessitatem à multis seculis defecerunt, sed etiam quantùm ad usum; quippe cùm extra templum, anno 70 æræ communis destructum, non possint offerri. A multis pariter seculis abominatio desolationis visa est, et desolatio in consummationem inchoata; ergo *Christus dux* à multis seculis venit.

Jam verò minor propositio, hunc nempe *Christum ducem* esse Messiam, probatur 1° ex illo ipso *Christi ducis* nomine. Nam etsi sacerdotes in Scripturis, ipseque Cyrus rex Persarum, Isaiæ 35, nomine *Christi* insigniti fuerint, attamen non sine addito. Solus Messias potuit antonomasticè, et per excellentiam *Christus dux* in Scripturis nominari; solus potuit illius nominis solitariè sumpti appellatione designari, quia hunc solum populus Hebræus ducem et legislatorem sanctissimum, et liberatorem potentissimum expectabat. 2° Ex voce hebraeâ *Naghid*, quam vulgata versio interpretatur *ducem*. Nihil quippe significat illa vox, quod in Messiam aptissimè non quadret. Significat 1° præcipuum principem; 2° idem ac commonstratum, manifestatum; 3° redarguentem, posito ex adverso, obviàm factum; 4° annuntiantem, evangelizantem; atqui illa omnia Messiæ competunt ex Scripturis. 5° Ille *Christus dux* in vaticinio etiam appellatur simpliciter *Christus*. Nam nominis identitas, ac contextûs series ad illum exigunt referri hæc Angeli verba : *Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur* Christus. Is itaque de quo ibi Angelus vaticinatur, antonomasticè *Christus* est ita ut sola Christi appellatio eum satis designet; sed quem sola *Christi* appellatio satis designat, is alius esse non potest quàm Messias, qui præ cæteris unctus est, sanctificatus et Deo consecratus; ergo. 6° *Christus*, de quo Propheta, characteribus juxta Scripturas propriis Messiæ insignitur; nam prædicitur *occidendus*, seu *exscindendus, et non ei*, vel *non sibi*. Prænuntiatur etiam pactum confirmaturus multis. Cùm enim hebdomas quæ juxta prophetiam pactum multis confirmatura erat, ex numeratis ab Angelo septuagesima sit, *Christus* intra eam, necesse est, munere *ducis* functus fuerit, *et non sibi occisus;* proindeque pronum est ut ad eum confirmatio pacti referatur. Denique intra eamdem hanc hebdomadam, quâ Christus occidi, et ducis munus sustinere debuit, sacrificia fuerunt abolenda : *Et in dimidio hebdomadis*, ait sacer contextus, *deficiet hostia et sacrificium.* Atqui hæc tria sunt ex Scripturis totidem Messiæ characteres manifesti. Morti enim tradendus prædicitur, non propter se, sed propter iniquitates delendas, Isaiæ 53 : *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, etc.*, et apud Jeremiam lamentat. 4, v. 3.

Pactum, non qualecumque, sed novum illud insigne fœdus à Deo Patriarchis promissum confirmaturus asseritur, Jerem. 31, v. 31 : *Ecce dies venient, dicit Dominus; et feriam domui Israel et domui Judæ fœdus novum, non secundùm pactum quod pepigi cum patribus eorum, etc.*

Demùm vetera sacrificia aboliturus significatur Malachiæ 1, v. 10 : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestrâ; ab ortu enim solis, usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.*

Et Psalmo 39, v. 8 : *Holocaustum et pro peccato non postulàsti ; tunc dixi : Ecce venio ;* ergo.

5° Tanta est inter duas, quas methodi causâ sigillatim consideravimus, vaticinii partes, habitudo et affinitas, ut posterior nihil aliud videatur quàm major declaratio prioris ; nempe, quas statim enumeraverat Angelus hebdomadas septuaginta, deinde ait ab exitu sermonis de reædificandâ Jerusalem inchoandas. His verbis primæ vaticinii partis : *Ut ungatur Sanctus sanctorum*, respondet in posteriori : *Christus dux* qui post 69 hebdomadas annuntiatur venturus. Illis : *Et adducatur justitia sempiterna*, respondent ista : *Confirmabit autem pactum multis hebdomadâ unâ, et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium.* Iis tandem : *Ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas*, respondet injusta Christi occisio quâ iniquitates delendæ, quâ sacrificia ejus figurativa abolenda ; cujusque fons et auctor populus Judaicus tantum facinus luiturus prædicitur templi et urbis dissipatione, malorum inundatione, atque in finem perseveraturâ desolatione. Cùm igitur pars prior vaticinii à Rabbinis ipsis Messiâ de explicetur, planum est et alteram ad ipsum referendam; ergo.

Solvuntur objectiones Judæorum.— Objicies 1°: Nihil vetat quominùs septuaginta hebdomades Danielis ex annorum decadibus ponantur coalescere ; ita fertur fabulatos esse Judæos quosdam, quibus consentit Origenes, tractatu 29 in Matth. Alii apud Galat. lib. 4, et Nicolaum de Lyrâ perhibentur consuisse ex quinquagenis annis, vel etiam ex annorum centuriis illas hebdomadas conflari ; ergo nondùm præteriit tempus intra quod, juxta vaticinium, venturus est Messias.

Nego antecedens : 1° Hebdomades ex annorum decadibus, sive ex quinquagenariis, aut ex centuriis conflatas nusquàm ulla gens usurpavit, nec earum vel minima in Scripturis mentio ; atqui de septimanis aliquando usurpatis intelligendum oraculum. 2° Is fuit vaticinii scopus, ut certum definiretur tempus intra quod res prædictæ contingere deberent ; sed, si ex annorum decadibus illas septimanas componere liceret, jam nihil fixum et determinatum in iis haberetur. Nam quo jure de annorum decadibus eas qui acciperet, eodem alter has ex seculis, aut ex decadibus seculorum vellet et constitui. 3° Post hebdomadum finem civitas et templum ex vaticinio erant dissipanda, atque in loco sancto futura erat abominatio desolationi statutæ et usque in finem et consummationem perseveraturæ conjuncta. Atqui à seculis septemdecim urbs et templum eversa sunt, abominatio in loco sancto visa est, et ex quo hæc contigerunt, jugiter perseverat desolatio populi Judaici ; ergo. Quod ad Origenem attinet, septuaginta hebdomades loco citato Christi temporibus terminat ; nec nisi ut earum initium à mundo condito repetere posset, has ex annorum decadibus composuit.

Obj. 2° : Argumentum quod ex Danielis oraculo eruimus, totum subvertitur interpretatione R. Salomonis Jarchi celebris Judæorum, 12 seculo, Lunæ in Occitaniâ doctoris. Is censet 70 hebdomadibus concludi tempus universum, quod à dirutè primo templo ad usque secundi destructionem effluxit. Has voces, *min motza dabar* contendit malè reddi *ab exitu sermonis ;* vertendum putat, de exitu, seu, *circa exitum sermonis ;* quasi dixisset Angelus : *Animadverte quæ tibi indico circa sermonem de reædificandâ Jerusalem ;* seu *scito quid de urbis Jerusalem restauratione à Deo sancitum sit.* Uno verbo non initium hebdomadum, sed sermonis prophetici materiam ibi ab Angelo designari statuit. Deinde hebdomadas sexaginta duas, quas cum hebdomadis septem græcus et vulgatus interpretes in summam colligunt, ipse à septem illis separat interpunctione, ac casu diverso positas sequentibus connectit, adeò ut sensus sit : *Usque ad Christum ducem hebdomades septem erunt. Et hebdomadis sexaginta duabus revertetur populus è captivitate et ædificabitur platea*, etc.

Jam verò quæ in primâ vaticinii parte, de fine peccati, de justitiâ sempiternâ adducendâ, de visione et prophetiâ adimplendis, de ungendo Sancto sanctorum Angelus præsignificat, hæc ad Messiæ tempus refert R. Salomo, et post elapsas hebdomades septuaginta ab Angelo prænuntiari eventura existimat. Sic verò illa interpretatur : Judaica natio tot vexata calamitatibus aliquando peccatis imponet finem, justitiæ perpetuò addicta erit ; in Messiâ tunc exitum suum consequentur omnes Prophetiæ, templumque et vasa ab eo restaurabuntur et sanctificabuntur. His autem verbis : *Usque ad Christum ducem hebdomades septem*, opinatur designari Cyrum quem Deus ipse Isaiæ 45, v. 1, Christum suum appellavit ; atque significari, septem hebdomades ab excidio templi per Nabuchodonosorem, usque ad Cyrum liberatorem numerandas esse. Quæ sequuntur porrò, ut dictum est, reddit : *Et hebdomadibus sexaginta duabus revertetur*, etc., vultque his exprimi populum per 62 septimanas è captivitate reversurum, seu successivè perrecturum reverti, et Jerusalem tempore adverso extruendam. Ista : *Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus*, ad regem Agrippam Juniorem transfert, quem in ultimo Jerosolymorum excidio periisse ponit. Bello Romanorum adversùs Judæos, Jerosolymorum subversioni, ac Adriani statuæ, in eodem loco in quo Arca, stante templo, existebat collocatæ, reliquam prophetiam accommodat, his exceptis tamen : *Et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio*, quibus ait prædici populum Romanum à Messiâ aliquando vincendum et profligandum, et desolationem populi Judaici tunc desituram. Hactenùs Rabbi Salomo cujus interpretationem Judæi hodierni libenter amplectuntur ; ergo

Nego ant. Nam ut præcipua tantùm illius interpretationis vitia perstringam, 1° à veris calculis chronologicis enormiter aberrat centum septuaginta annis integris. Nam computat R. Salomo solùm annos 490, ab excidio primi templi usque ad secundi subversionem atqui 660 numerandos esse certissimum est ; ergo annis septuaginta supra centum à vero deviat, proindeque, etc.—Cæterùm hæc R. Salomonis aberratio omnibus Judæis communis est, atque ex eo oritur quòd

monarchiam Persarum à Cyro sub quatuor regibus non ampliùs 52 annis stetisse sentiant; dùm tamen ex historiâ veteri indubitatissimum est hanc sub regibus 13 per annos plus quàm ducentos floruisse. 2° Voces hebraeæ, *min motza dabar*, malè redduntur *circa exitum sermonis*, quasi rem de quâ verba faciebat, non initium hebdomadum Angelus indicare voluisset. Enimverò præpositio *min*, terminum, à quo proceditur, semper exprimere nata est; nunquàm accipitur pro *circa*; nunquàm rem de quâ oratio instituitur, indigitat. Et certè supponi nùm potest hebdomadibus nullum ab Angelo esse assignatum initium? Vulgatæ versioni concinit græca ἀπὸ ἐξόδου λόγου, *ab exitu sermonis*. Concinunt et cæteræ versiones, nec non alii Rabbini. 3° Hebdomades sexaginta duæ ab hebdomadibus septem nequeunt divelli, ac diverso casu poni. Si enim illæ sexaginta duæ hebdomades præcedentibus septem adjungantur, tunc quò pertineant perspicuum est, ac cuncta inter se connexa sunt. Sin autem ab iis separentur, nihil ad quod possint referri, apparet. Non enim ad ista : *Et revertetur et ædificabitur platea et muri in angustiâ temporum*. Nam in Jerosolymorum reædificatione non tot annorum septimanæ consumptæ sunt. Perperàm supplet Rabbi Salomo, revertetur *populus è captivitate*. Ducibus quidem Zorobabele, Esdrâ et Nehemiâ successivè rediit populus. Quòd autem alii dein reverti perrexerint nullibi habetur. Sed quid necesse est aliqua suppleri, ubi omnia apertè enuntiantur? Nonne ibi agitur de Jerusalem reædificandâ? Nonne istud : *Et redibit et ædificabitur*, juxta sermonis hebræi indolem quo verbum prius hoc modo sæpè loco adverbii ponitur, ad secundam exstructionem significandam maximè idoneum est? Nonne verbum *redibit*, cùm ejusdem ibi sit generis feminini ac verbum ædificabitur, sicque in omnibus cum voce *rechob*, *platea*, conveniat, ad eam potiùs referri debet, quàm ad *populum* ibi nec expressum, nec indicatum? ergo.

Frustra observat Rabbi Salomo *hebdomadas septem* ab hebdomadis sexaginta duabus accentu *Atnach* voci *schibah*, *septem*, affixo sejungendas ostendi. Nam puncta Massorethica recentiùs inventa sunt quàm ut ab iis magis quàm à nativâ verborum vi et connexione sensus sacræ Scripturæ pendeat. Deinde etsi *Atnach* duobus punctis æquivaleat, juxta Massorethicæ grammatices regulas, attamen certum est hunc accentum aliquando ibi collocari, ubi ne commatis quidem vim habet, v. g., Geneseos versu 1 : *In principiis creavit Deus cœlum et terram;* nomen *Elohim*, *Deus*, accentu *Atnach* afficitur, nec tamen à subsequentibus verbis vel minimo commate divellitur.

4° Illud nos juvat R. Salomonem rei evidentiâ victum ad Messiæ tempora revocare iniquitatem delendam, justitiam sempiternam adducendam, visionem et prophetiam implendam, Sanctum sanctorum ungendum, et alia quæ in illâ priori parte vaticinii continentur, tametsi commentario suo illa non parùm adulterat. Sed inquiro quid causæ sit cur in tempus longissimum et indeterminatum illa velit differri, quæ ut contingerent, abbreviatas ac constitutas esse septuaginta hebdomadas, à seculis septemdecim jam prætoritas, Angelus annuntiat?

Nec moras injiciant Rabbini quòd templum à Messiâ nondùm fuerit restauratum. Quippe tertiam templi redintegrationem à Messiâ peragendam gratis et falsò comminiscuntur, imò sacrificiorum terminus ac consummatio futurus est Messias ex Scripturis. Nec quidquam aliud, quàm ipsei Messias, ut jam observavimus, hìc nomine *Sancti sanctorum ungendi* intelligendum venit.

5° Nomen *Christi ducis*, Cyro Persarum regi non congruit. Nam aliud est Cyrum appellatum esse *Christum* cum addito ab Isaiâ, aliud est ipsum designari potuisse nomine *Christi*, aut *Christi ducis* simpliciter et antonomasticè dicto, prout in Danielis prophetiâ reperitur. Vide superiùs dicta.

6° *Christus* post hebdomadas 62, ex vaticinio *occidendus*, præposterè à *Christo duce* antea memorato distinguitur, cùm in toto vaticinio nullum ejusmodi distinctionis indicium reperire sit. Et verò, quemadmodùm nomen *Christi ducis*, sine addito ipsum est Messiæ nomen, ita et vox *Christus* eodem modo posita ad neminem alium, quàm ad Messiam potest detorqueri.

7° Sed Christum hunc interficiendum post 62 hebdomadas interpretari de rege Agrippâ Juniorem, tam absonum est quàm quod maximè; nec enim Junior Agrippa ullo pacto *Christus* seu *unctio* fuit respectu Judæorum, nec post 62 hebdomadas interemptus. Quâ enim ratione ille Agrippa diceretur unctus Judæorum respectu? Non propter unctionem corporalem, quæ ipsi etiam templo secundo, Judæis fatentibus, impertita non fuit. Non propter auctoritatem; quippe Chalcidis (1) quidem tum (2) Trachonitidis rex extitit, sed non Judææ, quæ post Agrippæ Senioris obitum in provinciæ formam (3) denuò à Romanis versa fuerat. Templi custodia Agrippæ Juniori à Romanis credita est; pontificum eligendorum destituendorumque facultas eidem concessa; nihil ampliùs in Judæos potuit. Postremò non propter auxilium, quod Judæis Dei nutu præstiterit, siquidem cùm Judæos à bello in Romanos gerendo deterrere non potuisset, ipse se Romanis adjunxit, ac Tito copias auxiliares subministravit, uti refertur à Tacito, lib. 5 Hist.

Jam porrò, ut Rabbini Agrippam Juniorem post 62 hebdomadas occisum dicant, supponere coguntur ipsum in ultimâ subversione interemptum fuisse. Atqui id esse falsum testis locuples est Josephus lib. de Vitâ suâ, n. 65, et lib. 1 contra Appionem, n. 6. Is narrat in hoc posteriori loco historiam de Bello Judaico à se scriptam illi regi probatam fuisse. Eumdem Agrippam urbis excidio superfuisse ex nummis antiquis ostendit etiam Harduinus p. 332 et 334, de nummis Herodiadum, edit. Amstelod. oper. Harduini 1709. Quæ de reliquo vaticinio R. Salomo adjicit necesse non est ut expendamus. Mala Judæis ingruentia prædici his ver-

(1) Confer. Joseph. lib. 20. Antiq. cap. 1, n. 3, cum cap. 5, n. 2, T. 1, I, edit. Haverc. p. 957 et 965.
(2) Ibid. cap. 7, n. 1, p. 969.
(3) Ibid. lib. 19, cap. 9, n. 2, p. 952.

bis, *et finis ejus vastitas*, jam diximus, et ex contextûs serie manifestum est. Horumce verborum : *Et post finem belli statuta desolatio*, genuinus sensus etiam declaratus fuit.

Instabis. R. Salomonis interpretatio facilè defendi poterit, si in quibusdam ad mentem Aben Ezræ corrigatur. Inchoentur hebdomades septem ab anno primo Darii Medi, seu à sermone quem Angelus protulit; perducantur ad annum Artaxerxis vicesimum, quo Nehemias Susis profectus est, ac Judæis præesse cœpit et urbem ædificavit; nomine *Christi ducis* is Nehemias intelligatur; ab eodem Artaxerxis anno ducantur 62 hebdomades cum dimidio in ultimâ templi et civitatis conflagratione terminandæ; *Christus* post illas hebdomades 62 exscindendus significet regiam potestatem quæ Judæis periit simul atque urbs et templum deleta sunt. Hæc omnia cohærent prophetiæ. Atqui his positis ruit argumentum quo Messiæ adventus ex vaticinio astruitur; ergo.

Nego antecedens. Ad probationem, 1° nego majorem, nempe ea vaticinia consentire, quæ à docto Aben Ezrâ supponuntur. Nam 1° in calculis insigniter fallitur Aben Ezra. Hebdomades 70, id est, 490 annos à primo Darii Medi anno ad ultimam conflagrationem ducit : atqui certissimum est inter utrumque hunc terminum plus quàm 600 annos effluxisse; à primo anno Darii Medi ad vigesimum Artaxerxis numerandi sunt plus quàm 80 anni; et à vigesimo Artaxerxis usque ad ultimam subversionem, plus quàm 520; ergo, etc. 2° Ante ultimam cladem Jerosolymitanam potestas regia Judæis perierat. Agrippa Junior, ut modò dictum fuit, regali auctoritate in Judæos nunquàm est potitus. Priusquàm bellum sub Nerone inciperet, Judæa jam facta fuerat iterùm Romani imperii provincia. Imò, ut olim diximus, à quo tempore Herodem alienigenam Romani regem Judæorum constituerant, sceptrum defecerat in tribu Juda. 3° Momenta, quibus tum inter probationes, tum adversùs R. Salomonis interpretationem, evidenter ostendimus unicum Christum in vaticinio designari, hunc que esse Messiam, in propositam Aben Ezræ hypothesim etiam militant, illamque penitùs subvertunt. 2° Nego minorem. Nam, etsi quæcumque de duorum Christorum distinctione et interpretatione, de hebdomadarum separatione et fine fingere amant rabbini, ipsis concederentur, attamen quamdiù id quod evidentissimum est fatebuntur, priori nempe vaticinii parte Messiam respici, tamdiù in illos stabit certum et inconcussum argumentum quo ex hâc eâdem parte evincitur Messiæ tempora jamdudùm esse præterita.

Instabis iterùm. Non desunt aliæ Rabbinorum interpretationes, ad quarum normam hypothesi R. Salomonis modus adhiberi potest. R. Saadias posteriorem *Christum* de sacerdotio in ultimâ consumptione extinto exponit. Juxta R. Josephum Ben Jachiæ idem *Christus* designat ipsummet templum Jerosolymitanum. Abravanelli prior *Christus* est Zorobabel. R. Levi Ben Gerson posteriorem Christum, ut R. Saadias, de Sacerdotio interpretatur; priorem verò putat esse Josue, seu Jesum filium Josedek, sacerdotem magnum, 1 Esdræ 3, et Zachariæ capitib. 3 et 4 memoratum, qui è captivitate unà cum Zorobabele reversus est.

Respondeo has omnes expositiones iisdem convelli argumentis, quibus antea expositæ confutantur. Nempe in illis hypothesibus calculi non sunt accuratiores. Nomine *Christi ducis* simpliciter et sine addito, non magis Josue filius Josedek, aut Zorobabel, quàm Cyrus, vel Nehemias potuerunt designari. Pariter nomen *Christi* per antonomasiam, neque sacerdotio, neque templo Jerosolymitano competit. Non sacerdotio, nam *Christorum* seu *unctorum* nomine simpliciter et sine addito nunquàm sacerdotes appellantur; nec templo, tum propter eamdem rationem, tum etiam quia templum secundum unctione caruit, fatentibus Rabbinis.

Objicies 3° cum Ishac Orobio Judæo Hispano, qui diù in Hispaniâ, ac dein Tolosæ simulatâ professione christianâ, tandem Amstelodami circumcisus, in collatione cum Philippo à Limborch (1) Arminianorum professore, in hunc modum subtiliter disputat : *Daniel non ibi* (cap. 9) *agit de Messiâ filio David, sed clarè et apertè de primo summo sacerdote, qui cum et post Nehemiam regnavit, utrumque jus et ecclesiasticum et quasi regium in populum exercens. Hoc fuit in fine septem hebdomadum, quo sacerdotum mixto regimine populus per sexaginta duas septimanas, variis cum fortunis, perseveravit. Tandem in medio septuagesimæ ultimo sacerdote occiso Ananeo,* ET NON EI, *id est, non ampliùs successor aliquis fuit : qui jam ab angelo non appellatur princeps unctus, sed simpliciter unctus; quippè regiam potestatem ab aliquibus annis Herodiana domus usurpaverat.... Nihil aliud ab angelo prædicitur, nisi quòd totum id tempus Israeli concedebatur ut resipisceret, ut peccato finem imponeret, ut prævaricatio finiretur, et sic Scriptura prophetica de universali populi redemptione adimpleretur. Prædixit etiam quòd, cùm populus aliter facturus est ac Deus exigebat, aliter etiam ei debebat contingere, quod per capitis seriem usque ad extremam ruinam depinxit;* ergo, etc.

Nego antecedens. Tota hæc interpretatio ad tria capita revocatur. Primum spectat chronologiam circa quam à vero in immensum Orobio discedit. Etsi enim acutus ille Judæus initium septuaginta hebdomadum non definiat expressè, cùm tamen eas interpretetur tempus concessum populo, ut resipisceret, necesse est ut eas à sermone Angeli, aut saltem à regressu ex captivitate oriri statuat. Ultimam autem Jerosolymorum cladem medio septuagesimæ alligat; proindeque juxta non semel annotata, à genuinis calculis distat annis circiter decem supra centum. Diximus etiam ab anno vigesimo Artaxerxis seu à Nehemiâ usque ad extremum excidium computandos esse 520 annos; sed Orobio inter utrumque terminum numerat duntaxat 62 hebdomadas cum dimidio, id est, 437 annos et sex menses; ergo. Alterum ea complectitur quæ de duobus Christis et eorum significatione tradit; in quibus

(1) Limborch. De verit. Relig. Christ. amica collatio cum erudito Judæo. edit. Basil. 1740, pag. 161 et 165.

refellendis non immorabimur. Hùc enim redeunt momenta quibus adversùs alios Judæos jam usi sumus. Addam tantùm planè colligi ex Josepho lib. 11 Antiquit. cap. 4, nullum summum pontificem ante Machabæos potestate quasi regiâ esse fruitum. Imò ex lib. 1 Mach. cap. 14, n. 41 et seq., manifestum est in Simonem Machabæum à Judæis et sacerdotibus primùm collatam fuisse hanc quasi regiam auctoritatem, anno ante æram vulgarem 141, plus quàm seculis tribus post Nehemiæ tempora; ergo.

Tertium ad ista attinet quæ subtiliter ab Orobio sunt adjuncta, nempe septuaginta hebdomades annorum initio prophetiæ annuntiari constitutas, ut populus resipisceret, sicque impleretur Scriptura de Messiæ adventu; simul verò prædictum etiam ad meliores fruges sese populum non recepturum, et ideò calamitatibus summis et ultimâ clade puniendum. Quæ nihil aliud sonant, nisi prophetiam Danielis quatenùs Messiam respicit, esse conditionatam, ita ut ejus sensus sit: Messiam post 70 hebdomades venire debuisse, si peccare desivisset populus Judaicus, sed propter peccatorum continuationem adventum ejus esse differendum, et Jerusalem destruendam. Atqui nulla ejusmodi conditio in vaticinio Danielis subintelligenda.

Nam 1° si prophetia hocce modo foret conditionata, grande illud scelus in cujus pœnam Messiæ tempora tot seculis procrastinata vult Orobio, esset illud idem quod Judæis ultimam cladem et usque in finem perseveraturam desolationem peperit. Proindeque maximum esse debuisse illud facinus, nec ex hominum memoriâ delendum. Enimverò crimen, quod populus selectus tot horrendis calamitatibus luit, nec privatum esse potuit, nec idololatriâ minus. Populus namque Judaicus quem Deus præ cæteris elegerat, nunquàm ab extraneis oppressus, aut in captivitatem abductus est, nisi ob insigne aliquod idololatriæ crimen. Quoties verò ad unius Dei cultum revertebatur, toties Deus misso liberatore eum ab hostibus eripuit. Hæc ex sacrâ Judicum et Regum historiâ liquidò constant. Nec ampliùs 70 annis duravit captivitas, cui propter abominandos gentilium ritus sub impiis regibus effrænatè frequentatos gens Judæa tradita est. Itaque si velint Judæi vaticinium Danielis de futuro post 70 hebdomades Messiæ adventu conditionatum fuisse, ita ut ob eorum iniquitates is adventus usque modò retardatus fuerit; dicant ergo quod nationis suæ crimen tot ipsis mala horribilia creaverit. Atqui ejusmodi malorum causam afferre nequeunt. Sanè in idolatricis abominationibus id criminis positum non fuit, quippe ab omni idololatriæ specie ætate Christi, et longè ante Christum Judæi maximè abhorrebant, ut ab eâ etiamnum abhorrent; ergo, etc.

2° Si prophetia sumatur absolutè, jam facilè deprehenditur quid Judæis hæc mala pepererit: in ipso enim vaticinio perspicuè indigitatur tot infortuniorum causa et origo, scilicet occisio *Christi* post hebdomadas sexaginta novem; quo crimine effectum est, juxta Christi Domini verba Matth. 23, ut, cùm essent *filii eorum qui Prophetas occiderunt*, implerent *mensuram* patrum suorum, et veniret *super eos omnis sanguis justus qui effusus est super terram.*

3° Patet ex contextûs serie duas vaticinii partes ad se invicem referri, atque jam perspicuè ostensum est posteriorem esse meram prioris explicationem. Ergo de rebus planè oppositis eas perperàm Orobio explicat; cùmque secunda pars absolutè accipienda sit, ut liquet ex eventu, prima etiam, quæ nullam perinde conditionem sonat, debet absolutè sumi.

4° In hypothesi Orobii sic exponenda esset prima vaticinii pars: Septuaginta hebdomades præstitutæ sunt, ut si populus resipuerit et desierit peccare, unguatur Sanctus sanctorum, et impleatur visio et prophetia de adventu Messiæ. Atqui hæc interpretatio vaticinio repugnat. Etenim sacer vaticinii contextus uno tenore, et sine ullâ modi diversitate sic de verbo ad verbum reddendus est: *Ut consummetur*, seu *obsignetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, ut ungatur sanctitas sanctitatum.* Ubi jugis ejusdem *modi* continuatio in singulis periodi partibus, eas diversimodè accipi, et in unam propositionem conditionatam conflari non patitur; ergo vaticinii textu omnis excluditur conditio.

5° Si in vaticiniis, quibus res fixo ac statuto tempore annuntiantur eventuræ, liceret pro arbitrio apponere ejusmodi conditiones, nonne omnis illorum eo ipso evanesceret fides? Atqui gratis et pro mero arbitratu contendit Orobio in primâ vaticinii parte subintelligendam conditionem de fine peccatis imposito a Judæis. Neque enim vaticinii textu, neque aliis Scripturæ locis ejusmodi conditio hìc supplenda indicatur; nullam quoque indigitat ipsa rei natura et indoles; quippe agitur de Liberatore à Natione expetato, ac Judæis eò magis necessario, quò ipsi ad peccatum proniores.

6° Ex ipso Danielis vaticinio Messias iniquitates erat deleturus; et apud Isaiam cap. 53, v. 5, livore suo nos sanaturus, iniquitates nostras portaturus, ac scelera expiaturus prædicitur; similia habent alii prophetæ.

Ergo antequàm Messias adveniret, scelera, ex Prophetarum oraculis, erant perpetranda, et iniquitatibus homines contaminandi; ergo præposterè contenditur vaticinium Danielis de Messiâ intra septuaginta hebdomades venturo, tacitam hanc involvere conditionem, si Judæi à peccato interea abstinuerint.

Objicies 4° cum eodem Orobio: *Caput hoc* (Danielis) *ita difficile intellectu est, ut Hieronymus id explicare non ausit; aliorum sententias recenset, sed suum sensum omninò declinat exprimere, suamque etiam de aliorum sententiis censuram. Augustinus, epistolâ* 80 *ad Hesychium* (nunc 199, tom. 2), *nullatenùs sibi persuadere ab aliquibus passus est, ut hoc Danielis caput explicaret, rei difficultate deterritus; quòd sic ut vulgò intelligendum esset, satis clarè ibi et mors et passionis Christi tempus depicta jacent. Reinoldus, Scaliger, Junius, et plurimi non credunt has hebdomadas in morte Christi finiri, sed in destructione templi per Titum. Eusebius de Christo*

in his hebdomadis tractari haudquaquàm concedit, oppositum mordicùs sustinet, et in ultimo ex Machabæis pontifice penultimam hebdomadam claudi constanter asseverat, ultimam ad captam Jerosolymam per Pompeium extendit, annis centum ante Christi adventum. Videat ergo doctissimus vir quomodò Judæi possent ex hoc capite Messiæ mortem prænoscere, cùm à Christianis doctoribus plurimis nec nunc ibi contineri credatur. Hæc Orobio.

Addi potest non modò Marshamum, sed etiam Sixtum Senensem lib. 8 Biblioth. hæresi 12, p. 644, Estium in cap. 24 Matth., Calmetum in Dissert. de 70 hebdomadis Danielis, ad Antiochi tempora vaticinium Danielis referre; ac Harduinum illud idem de ætate Antiochi Epiphanis et Judæ Machabæi atque de morte Oniæ litteraliter esse interpretatum; nonnisi verò typicè de morte Christi.

Respondeo 1° generatim, duo in vaticinio Danielis esse distinguenda, nempe ejus substantiam, et modum quo circumstantiæ ejusdem exponuntur. Substantiam vaticinii intelligo, quòd ad Messiam intra 70 hebdomades, seu certo tempore jamdudùm effluxo venturum absolutè referatur. Ad modum verò quo circumstantiæ ejus exponuntur, pertinent quæcumque de 70 hebdomadum initio ex exitu, ad amussim minutiorum chronologiæ calculorum inquiri solent. Jam verò constat 1° illud prius certò posse ab eo cognosci, qui posterius ignorat, aut minùs accuratè explicat. Quid ita? tum quia, sepositâ temporum ratione, characteribus soli Messiæ propriis, quosque in Christo deprehendere est, Angelus eum designat, quem venturum prædicit; tum quia simul stupendis ac manifestis eventibus jamdudùm præteritis finem 70 hebdomadum insignit. Eò applicari possunt nervosa hæc illustriss. Bossuetii verba, Discoùrs sur l'Hist. univers. c. 9: *Dieu a tranché la difficulté, s'il y en avait, par une décision qui ne souffre aucune réplique. Un événement manifeste nous met au-dessus de tous les raffinements des chronologistes; et la ruine totale des Juifs, qui a suivi de si près la mort de Notre-Seigneur, fait entendre au moins clairvoyant l'accomplissement de la prophétie.*

Constat 2° cunctos interpretes christianos, si paucissimos excipias, circa vaticinii substantiam omni ævo consensisse, quod ipse Orobio non diffitetur. Proinde, saltem quantùm satis est ad Judæos invictè refellendos, vaticinium Danielis perspicuum non esse, propositâ objectione nequaquàm evincitur. Opinionum autem de nonnullis ejusdem prophetiæ circumstantiis explicandis varietas, non tam ex ipsius vaticinii verbis, quæ clara sunt, oritur, quàm ex eo quòd alii accuratâ historiæ profanæ et chronologiæ notitiâ caruerint; alii ejusdem historiæ difficultatibus irretiti et impediti fuerint, pugnantibus scilicet non rarò secum invicem scriptoribus profanis; alii tandem conjecturis plus æquo indulgere amaverint. Cæterùm is nodus inextricabilis non est. Quò magis historia regum Persarum elucidatur, eò clariùs perspicitur 70 hebdomadum finem Christi temporibus accommodari; atque in eum locum provecta res est, ut de sex octove annis tantùm tota jam consistat hæc inter plerosque eruditos controversia quam varii diversis modis dirimunt. Nec sanè mirum si quædam in Chronologiâ ejusmodi regum extet ambiguitas; annorumque tam paucorum discrimen, ubi de annis 490 agitur, aliquam magni momenti quæstionem non constituit.

Constat 3° singularem quorumdam Christianorum opinionem ad alium quàm ad Messiam, seu irreligiosè, seu imprudenter Danielis verba detorquentium, nullum causæ christianæ præjudicium afferre posse. Nam 1° singulares illæ opiniones facillimè ac evidenter refelluntur. Deinde, cùm tot apud Christianos extiterint scriptores, mirum esse non debet, quòd eorum unus aut alter absonam insignis vaticinii interpretationem protulerint. Mirum potiùs tantam de re ipsâ inter variarum communionum interpretes consensionem hìc reperiri; atque is universalis consensus ad vaticinii perspicuitatem maximo argumento esse debet.

Respondeo 2° ad singula. Ad sanctum Hieronymum, dùm suam in Commentario super Daniele non vult sanctus doctor sententiam de 70 hebdomadis expromere, intelligendus est de modo quo illius oraculi circumstantiæ exponendæ sunt, de initio et fine septuaginta hebdomadum accuratè fingendo; cæterùm, in præfatione ejusdem Commentarii expressè monet *nullum prophetam tam apertè dixisse de Christo. Non enim*, inquit, *solùm scribit eum esse venturum, quod est commune cum cæteris; sed etiam quo tempore venturus sit docet, et reges per ordinem digerit, et annos enumerat, ac manifestissima signa prænuntiat.* Ad sanctum Augustinum, docet conceptis verbis sanctus doctor in Epistolâ ad Hesychium laudatâ vaticinium Danielis de Christo Domino accipiendum esse, ac in eo manifestè impletum, nec posse hanc prophetiam *contra tot expositores* ac sensum sacri contextûs, ad ultimum Christi adventum referri. Ad Eusebium, falsum est ipsum *mordicùs sustinere* in vaticinio *de Christo non tractari.* Namque primam vaticinii partem integram de solo Messiâ explicat. Ad eumdem refert istud secundæ partis: *Confirmabit autem pactum multis hebdomadâ unâ*, ac morte Christi *hostiam et sacrificium defecisse* asserit; ex iis tandem efficaciter et confidenter probat Messiam jam venisse, eumque esse Christum Jesum. Vide lib. 8 Demonst. evangel. edit. Paris. 1628, p. 385 et seqq., item pag. 400, 401, 402, 403, 404.

Fatendum tamen ab eodem Eusebio ibidem conjici *Christum ducem*, et *Christum exscidendum*, in secundâ vaticinii parte memoratos, debere exponi de sacerdotio. Nimirùm præter Africani interpretationem duas affert conjecturas. Juxta primam, 7 hebdomades à Cyro cœptæ ad annum Darii sextum quo sacerdotium, templo reædificato, restauratum est, perducuntur; sexaginta duæ autem morte Alexandri Jannæi terminantur, cujus filiùs Hyrcanus Assamonæorum ultimus, ipso regni sui initio exagitatus, ab Herode interfectus est. Juxta alteram, anno 2 Darii Hystaspidis Olympiade 66, urbs Jerusalem ædificata ponitur; inde fluunt septem et sexaginta duæ hebdomades ad *Christum ducem.* id

est, per illas 69 hebdomadas principatu potiti sunt sacerdotes; iisdem verò elapsis exscissa est unctio, seu sacerdotium Judæis periit, Hyrcano jussu Herodis interfecto. Hanc posteriorem interpretationem Eusebius iterùm probat Hist. lib. 1, cap. 6, et in Chronico, pag. 41, edit. Amstel. 1658.

At verò utraque hæc conjectura, cùm apertè falsa sit, Judæorum causæ nullo pacto prodesse potest. 1° Inde orta videtur quòd Eusebius, minùs accuratâ versione usus, legerit, *peribit* UNCTIO, ubi legendum fuisset *peribit*, seu *occidetur* UNCTUS; uti ipse observat Aquilam et Symmachum transtulisse. Quanquàm, ut suprà animadversum est, hoc ipsum, *peribit unctio*, de Messiâ debuisset explicari. 2° Falsum est nece Hyrcani sacerdotium fuisse extinctum : ejus quidem splendor maximè tunc obscuratus et imminutus, sed postea tamen veros fuisse sacerdotes Judæi tradunt, ac ex ipso Evangelio videtur colligendum (1). 3° Quam in posteriore suâ conjecturâ tradit Eusebius expositionem horumce verborum : *Usque ad Christum ducem hebdomades septem et hebdomades sexaginta duæ*, rejiciendam esse apertum videtur. Hæc enim ejus interpretatio est, 69 hebdomadibus principatu potituros sacerdotes; ergone voces *usque ad Christum ducem*, idem sonant ac *usque ad finem Christi ducis ?* 4° Quæcumque ad evincendum nomine *Christi* et *Christi ducis* solum Messiam in vaticinio designari inter probationes attulimus, Eusebii conjectationem subvertunt.

Itaque immeritò hìc opponitur Eusebii auctoritas, qui magnà suæ commentationis parte Judæos validè expugnat, alterâ autem quâ ipsis favere videri posset, apertissimè fallitur.

Ad Scaligerum, Reinoldum, Junium, singularis eorum sententia suo loco expendenda, substantiam vaticinii de quâ solùm impræsentiarum disputamus non spectat.

Ad cæteros, Marshamo hìc contigit, quod et alibi sæpè. Doctus, sed audacior interpres, genuino Scripturarum sensui levissimas conjecturas opponere assolet. Harduinus conjectationem suam ipse damnavit teste Turneminio in Menoch. suppl. pag. 943. Calmetus novæ suæ, ut habet, hypothesi parùm confidit.

Sed, ne ejusmodi scriptorum opiniones ad Judæorum causam usui esse posse videantur, necesse est ut Marshami, Harduini et Calmeti systemata eo loci expendamus et confutemus.

DE SYSTEMATE MARSHAMI. — Joannes Marshamus, eques Anglus, historiæ veteris et rerum chronologicarum peritissimus, in Chronico Ægyptiaco ad seculum 18, oraculum Danielis de iis explicat, quæ partim sub Cyro Persarum rege, partim sub Antiocho Epiphane Judæis contigerunt.

Ponit itaque sermonem propheticum Angeli, anno primo Darii Medi, simulque anno 21, captivitatis Babylonicæ alligandum. Quod probat, quia initium Darii Medi *incidit procul dubio*, inquit, *in tempus hujus visionis. Visio autem hæc obtigit Danieli* POST ORATIONEM ET JEJUNIUM. *Orationis atque jejunii sui diuturnitatem testatur ipse Daniel* (cap. 10, v. 3), LUGEBAT DANIEL DIES TRIUM HEBDOMADARUM, id est, *orare et jejunare solebat à desolatione Jerosolymorum usque ad diem hujus visionis, per tres integras annorum hebdomadas, sive per annos* 21, *ab anno scilicet Nabonassari* 141, *quo conflagravit templum, ad annum Nab.* 162, *quo angelus Danieli apparuit, quo etiam Darius Medus Susiano Chaldæorum territorio potitus est.*

Ponit præterea à templi primi per Nabuchodonosorem eversione quam Babylonicæ captivitatis exordio alligat, usque ad initium regni Anthiochi Illustris efluxisse sexaginta duas annorum septimanas, hoc est, annos triginta quatuor supra quadringentos, quod sic conficit : *Templum excisum est anno Nabon.* 141, *sive periodi Julianæ* 4107... *Regnavit Antiochus Epiphanes anno Græcorum* 137, (lib. 1 Machab. cap. 1, v. 11)... *annus Græcorum* 137 *est periodi Julianæ* 4540. Porrò ab anno per. Jul. 4107, ad annum ejusdem periodi 4540, sunt anni 434.

Statuit etiam hunc Antiochum, *non statim regno inito, profanâsse templum*, et fœdera pacis cum Judæis fregisse, *sed post annos penè septem;* tribus verò annis sequentibus et mensibus sex, eosdem vexâsse, altare diruisse, ac cætera egisse quæ ab auctore lib. 1 Mach. cap. 1, et à Josepho lib. 12 Antiq., cap. 5, n. 4, narrantur.

Observat denique loqui Prophetam de hebdomadibus septem, de sexaginta duabus, et de unâ dimidiatâ, quæ in summam collectæ septuaginta hebdomades cum unius dimidio constituunt; etsi, inquit, primum Angelus hebdomades septuaginta *rotundè, dicit, omisso hebdomadis dimidio.* Totum istud temporis intervallum in duas partes secat Marshamus. Prior septem hebdomades continet seu annos 49; altera reliquas complectitur, id est, annos 444 cum dimidio anni.

Jam verò facilè prænoscere est quâ ratione totam Prophetiam Marshamus interpretetur. Istud : *Ab exitu sermonis, ut iterùm ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem*, etc., ita exponit : scilicet has *septem hebdomadas* seorsim accipit, et à *sexaginta duabus* divellit. Deinde ait *sermonem ut iterùm ædificetur Jerusalem*, hunc ipsum esse sermonem, quem tunc proferebat Angelus; septem proinde hebdomades ab illo sermone angelico, hoc est, juxta dicta superiùs, ab anno 21 captivitatis Babylonicæ incipiendas pronuntiat. Demùm *Christus dux*, de quo Propheta, Marshamo est Cyrus rex Persarum, à quo populus à captivitate liberatus est. Atque hæc calculis chronologicis consonant. Nam septuaginta annis duravit captivitas, proindeque, à 21 captivitatis anno usque ad ejus finem, hebdomades septem elapsæ sunt, id est, 49 anni.

Hanc verò oraculi partem : *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus*, vel ut ipse legit cum versione græcâ, *peribit unctio*, etc., referendam censet ad Antiochi Illustris in Judæos desævientis tem-

(1) Vid. Joan. 11, v. 49, et cap. 18, v. 14, etc.

pora, quibus sacerdotes amoti sunt, sacrificia intermissa, altare destructum, sanctuarium profanatum, idolum Jovis Olympii in templo erectum. Ut autem constent calculi; non à Cyro, seu non à septem aliarum hebdomadum fine; sed ab anno 1 captivitatis Babylonicæ, quocum eversionem templi connectit, duarum supra sexaginta hebdomadum repetit initia. Ex ipso igitur tres ex illis sexaginta duabus hebdomadis jam elapsæ erant, cùm aliæ septem cœptæ sunt effluere.

Hæc porrò : *Confirmabit pactum multis hebdomada una;* intelligit Marshamus de septennio, quo primùm regnavit Antiochus pacis fœdera cum Judæis, ut putat, non disrumpens.

Ista tandem : *Et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium*, etc., de iis explicat quæ idem Antiochus adversùs Judæos et Judaïcam religionem, tam immaniter quàm impiè, trium annorum, sexque mensium, et aliquot dierum spatio, juxta Daniel, 12, v. 11, molitus est.

Huc usque opinionem Marshami, auctoris sui nomine apud Anglos celebrem, exposuimus; quid de eâ sentiendum sit, aperiendum.

Conclusio. Marshami interpretatio plurimis gratuitò positis nixa, ipsi vaticinio et chronologiæ repugnat.

Ac 1° quidem plura gratis statuit Marshamus. Nam gratuitò ponit 1° tres hebdomadas, quibus cap. 10, v. 2, Propheta jejunâsse dicitur, fuisse septimanas annorum. Imò additio vocis *diebus*, subjecta materia, et versus 12 et 13, ejusdem capitis satis admonent illas hebdomadas diebus duntaxat, non annis constitisse. Hinc Pagninus vertit eo loci, *tribus hebdomadibus dierum*, et græca pariter, τρεῖς ἑβδομάδας ἡμερῶν. Gratis ponit 2° jejunium Prophetæ capite 9 memoratum ab initio captivitatis incœpisse : non enim ipsa præcisè captivitas fuit illius jejunii causa et occasio juxta sacrum contextum. Sed, cùm attentè consideràsset Daniel liberationis tempus à Jeremiâ præfixum instare, ac metueret vehementer ne propter peccata populi promissio illa retardaretur, ideò sese ad orationem et jejunium convertit. Vid. v. 2 et 3, cap. 9. Gratis ponit 3° jejunium Danielis cap. 9, idem esse quod memoratur cap. 10. Confer utrumque caput : nullam rerum similitudinem referunt. Quæ gesta narrantur capite 9, contigêre anno Darii Medi Babylone Chaldæis imperantis; quæ cap. 10 ad annum tertium Cyri regis Persarum Babylone regnantis attinent : ergo. Gratis ponit 4° anno 21 captivitatis Danieli apparuisse Angelum cap. 9 futura indicantem. Nam ex versu illius capitis patet *anno primo regni Darii filii Assueri de semine Medorum, qui imperavit super regnum Chaldæorum*, hanc visionem obtigisse; atqui annus ille non potest esse captivitatis vigesimus primus. Anno à captivitate 21, Chaldæorum regnum occupabat Nabuchodonosor, cujus anno 19 eversum est templum, et quem annis 43 à morte patris regnâsse ex Josepho (1), ex Beroso (2) apud eumdem Josephum et Eusebium, et ex canone Ptolemaico compertum est; quod ex Scripturis etiam, Jerem. 52 et 4 Reg. 25, planè colligitur. Gratis ponit 5° sermonem à quo 7 hebdomades inchoandæ sunt, esse ipsum sermonem, quem tunc Angelus emittebat. Nam tantùm abest, ut illa Angeli verba : *Ab exitu sermonis, ut iterùm ædificetur Jerusalem*, etc., designent ab his eisdem verbis hebdomadas esse incundas, ut potiùs ad alium de urbe instaurandâ sermonem vel prolatum, vel proferendum, vi suâ nativâ mentem convertant. Gratis ponit 6° in hoc vaticinii membro : *Ab exitu sermonis... usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt :* sexaginta duas hebdomadas ab hebdomadis septem esse dissociandas. Quippe, ut jam diximus, si conjungantur, omnia secum cohærent; si separentur nihil invenire est ad quod possint illæ 62 hebdomades referri. Gratis ponit 7° ducendas esse 62 septimanas à templi primi eversione, seu quod idem est apud ipsum, ab initio Babylonicæ captivitatis. Ipsi enim concessis etiam cæteris, nullum ejusmodi epochæ fundamentum afferret.

Hoc primum itaque certum manet, Marshami interpretationem pluribus gratis et falsò positis niti.

2° Eadem interpretatio ipsi vaticinio repugnat. Namque 1°, ex dictis superiùs adversùs Judæos, *Christus dux* quem Angelus ait post certam hebdomadum revolutionem venturum, ipse est *Messias;* ergo vaticinio repugnat interpretatio juxta quam nomine *Christi ducis* intelligitur Cyrus. 2° Ubi habet Vulgata : *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus;* legit Marshamus cum versione græcâ, quæ Theodotionis est, *peribit unctio.* Sed illam versionem ibi esse imperfectam jam probavimus. 3° Etsi legendum esset : *Peribit* seu *exscindetur unctio :* adhuc vaticinio repugnaret Marshamus. Is enim *unctionem* interpretatur sacerdotium, hunc que locum exponit de Antiochi tempore quo amoti sunt sacerdotes. Atqui aliud est sacerdotium *perire* et *exscindi;* aliud est sacerdotes duobus tribusve annis tantùm amoveri et à suis functionibus impediri, quod unum, furente in Judæos Antiocho, contigit. Nemo nescit post breve illud tempus à Judâ Machabæo repurgatum fuisse templum, atque exinde sacerdotium maximè floruisse, et plus quàm duobus seculis permansisse; ergo. 4° Prænuntiantur post hebdomades elapsas; dissipatio urbis et templi, vastitas et desolatio statuta; quæ eversionem templi et civitatis, ac perennem desolationem sonant. Pariter ista : *Deficiet hostia et sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio;* significant etiam defectionem sacrificiorum perpetuam, et abominationem desolationi non desituræ conjunctam; atqui hæc intelligit Marshamus de cessatione sacrificiorum per aliquod tempus, de persecutione et desolatione temporaneâ, de violatione templi post breve tempus ex-

(1) Joseph. lib. 20 Antiq. cap. 11, n. 1 edit. Haverc. t. 1, pag. 536.

(2) Joseph. lib. 1, contra App. n° 20 edit. Haverc. t. 2, p. 441; Euseb. lib. 9 Præpar. Evang., cap. 40 edit. Paris. 1628, p. 455.

purgandi; non ergo consentit vaticinio interpretatio Marshami.

3° Repugnat chronologiæ. Nam in chronologicis si quid certum est, istud maximè, tempora, quæ sibi invicem in summam adjiciuntur, distincta esse debere. Nimirum non ineptè quidem duas, v. g., annorum diversas periodos ab eâdem epochâ deducis, sed ejusmodi duæ annorum periodi ab eâdem deductæ epochâ, absurdè omninò in unum ita conflarentur, ut eorumdem annorum in summâ bis haberetur ratio; aliàs, eosdem annos addendo iisdem annis, quodlibet breve tempus in ingentem summam annorum excresceret. Atqui tamen hanc portentosam annos computandi rationem lectoribus exhibet Marshamus. Ex ipso enim sexaginta duæ hebdomades fluunt ab initio captivitatis Babylonicæ usque ad Antiochum Epiphanem: ex eodem 7 hebdomades fluere incipiunt à 21 captivitatis anno, ac proinde intra 62 includuntur. Attamen juxta ipsum et ex vaticinio, illæ hebdomades septem cum sexaginta duabus, et alterâ pactum confirmaturâ, conficiunt 70 hebdomades. Ergo in summam colligit Marshamus tempora à se invicem non distincta, quod chronologicis principiis repugnat. Ut verbo dicam, 70 hebdomades post Danielem enumerat Marshamus, ubi reverà ex ejus systemate sexaginta tres solùm deprehenduntur; ergo. Sed et alio modo à verâ temporum ratione hìc aberrat Marshamus. Nam à quo templum à Nabuchodonosore eversum est, quod, anno 607 ante æram vulgarem, juxta ipsum contigit, usque ad primum Antiochi regnantis annum, Marshamus numerat 62 hebdomadas, id est, annos triginta quatuor supra quadringentos. Igitur juxta ipsum, Antiochi regnantis initia anno ante æram vulgarem 173 alliganda sunt. Atqui saltem duobus antea annis regnare incœpit Antiochus Illustris. Nam, lib. 1 Mach. cap. 1, v. 11: *Regnavit* (Antiochus) *in anno centesimo trigesimo septimo anni Græcorum*; porrò incœpit æra Græcorum sive Seleucidarum juxta omnes chronologos anno 312 ante æram vulgarem; ergo duobus ut minimùm annis tardiùs quàm par est, Marshamus regnantis Antiochi initium collocat. Circa ipsam porrò eversionis templi epocham, in graviorem errorem lapsus est; nam anno 607 ante æram vulgarem hæc eversio templi ab eo ponitur, quæ tamen nonnisi viginti post annis potuit contigere. Enimverò, cùm annus primus Evilmerodach, qui Nabuchodonosori successit, connectatur (4 Reg. 25, v. 27, et Jerem. 52, v. 31) anno 37 transmigrationis regis Joachim; templum verò à Nabuchodonosore eversum sit anno 11 post ejusdem Joachim transportationem, seu quod idem est anno 11 Sedeciæ in ejus locum suffecti; sequitur eversionem templi esse collocandam anno ante Evilmerodachum 27. Atqui primus annus Evilmerodachi ipse est annus 560 vel 561 ante æram vulgarem. Si quidem Nabopolassar, Nabuchodonosoris pater, ex canone Ptolemaico regnare desiit anno æræ Nabonassari 144, qui cum anno ante æram vulgarem 604 à doctis chronologis copulatur; ex eodem canone aliisque momentis suprà relatis Nabuchodonosor regnavit 43 annis à morte Nabopolassaris patris sui. Annus igitur primus Evilmerodach fuit 560 ante æram vulgarem; proindeque eversum est templum anno 587 vel 588 ante eamdem æram, non verò 607, ut voluit Marshamus.

Nota obiter Nabuchodonosorem, biennio ante obitum patris, fuisse consortem regni factum, atque ab illâ coronatione computandum esse decimum nonum ejus regni annum, quo Jerusalem et templum diruta dicuntur, 4 Reg. 25, v. 8.

Argumentis in Marshami opinionem hactenùs propositis manifestum fit, frustra Judæos et incredulos in eâ desperatæ suæ causæ præsidium quærere. Sed duo adhuc supersunt adversùs eam momenta, quibus ab eâ tenendâ homo christianus maximè deterreri debet. Primum est, quòd illâ opinione positâ evanescat argumentum quod in Judæos hæc prophetia subministrat. Nam licet alia non desint quàm plurima momenta, ad suadendam Judæis et aliis infidelibus religionem christianam aptissima; attamen Danielis oraculo ita urgentur fidei hostes, atque, ad eos impugnandos, singulis seculis Ecclesia adeò constanter illud adhibuit, ut non leve piaculum videri debeat, contortâ interpretatione, eniti causæ christianæ id præsidii eripere. Alterum est Christum Dominum ad se ipsum hanc prophetiam applicâsse, dùm Matth. 24, v. 15, de futurâ Judæorum clade, urbisque et templi eversione discipulos præmonens dixit: *Cùm ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele prophetâ, stantem in loco sancto, qui legit intelligat: tunc qui in Judæâ sunt fugiant ad montes... erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet.* Quæ ut pleniùs intelligantur, advertendum, Danielem triplici in loco prædixisse futuram in templo abominationem desolationis, nempe cap. 9, de quo agimus, capite 11, v. 31, et cap. 12, v. 11. *Abominatio* autem *desolationis* cujus mentio fit capitibus 11 et 12, brevi tantùm tempore, quod Propheta determinat, prænuntiatur duratura, et ad Antiochi tempus manifestè refertur. Ab illâ verò planum est prorsùs differre *abominationem desolationis*, quæ *usque ad consummationem et finem* perseveratura cap. 9, prædicitur, et de quâ contendimus exponenda esse verba mox laudata. Unde consequens est ad Christi tempora pertinere cætera omnia ante hanc desolationem ex vaticinio eventura. Sic igitur licet argumentari: Juxta Christum prædicta est à Daniele prophetâ *abominatio desolationis in loco sancto* tempore Antiochi non completa, quippe quæ necdùm ætate Christi contigerat. E contrariò vult Marshamus *abominationem desolationis* à Daniele prædictam seu capite 9, seu capitibus 11 et 12, eamdem esse, et ad tempora Antiochi pertinere, nec aliam ab illo Prophetâ memorari post Christi tempora eventuram; ergo Christi verbis repugnat Marshami interpretatio.

Respondet Marshamus, pag. 618, Danielis verba ad ultimam Jerosolymorum excidium à Christo applicata fuisse sensu typico, non historico, *cujusmodi allusiones apud Matthæum occurrunt plurimæ.* Sed 1°

sensus is typicus fuitne à Daniele intentus? id Marshamus non asserit, imò ibidem sic habet : *An ultra Epiphanem prospexerit Daniel viderint alii.* 2° Tam evidens est, quàm quod maximè, sensum vaticinii historicum quadrare optimè in res ad quas illud refert Christus. Ergo historicè non typicè Christi verba sunt accipienda. 3° Comparatio à Marshamo instituta cum aliis allusionibus apud Matth. frequentibus nulla est. Nam ejusmodi allusiones occurrunt in verbis Scripturæ historicis, seu rem præteritam aut præsentem exprimentibus, à Matthæo ad varias vitæ Christi circumstantias applicatis. Ubi sanè soli typico sensui locus esse potest. At, quando verborum propheticorum sensus immediatus et naturalis eventibus, ad quos à Christo referuntur, perfectè congruit, nonne illud religioni ducendum foret, ut aliorsùm non detorquerentur?

Quæ cùm ita sint, mirandum subit, Calmeto visum esse in Dissertatione de 70 hebdomadis Danielis, ipsum auctorem lib. 1 Machab. ad persecutiones Antiochi Illustris in Judæos 70 hebdomadum finem transtulisse. Dicitur quidem 1 Machab. 1, v. 67, *Antiochum idolum abominationis desolationis* super altare ædificâsse. Sed undenam habet Calmetus ibi alludi ad abominationem cap. 9 Danielis memoratam et cum desolatione totali et perenni conjunctam; non verò potiùs ad eam tantùm quæ capitib. 11 et 12 prædicitur, et cui Antiochi tempora planè respondent? Hæc eò minus cautè scripta sunt, quòd auctorem librorum Machab. esse canonicum vir catholicus existimet, ac simul systema Marshami graviter notet, fideique adversum supponat.

De conjecturâ Harduini. — Inter opiniones singulares, quæ variis in scriptis protulit eruditissimus Joannes Harduinus, non infimum eo locum obtinet, quam de 70 hebdomadis Danielis (1) excogitavit. Sermonem *à cujus exitu* hebdomadæ putandæ sunt, definit eum esse qui, Jerem. capitib. 25 et 29, anno 4 Joachim regis Juda, à Deo egressus est de populo è captivitate in patriam reducendo. Ab illo igitur anno 4 Joachim ante æram vulgarem 606, ducit vir doctissimus initium tum hebdomadum 7, tum 62, quas Marshamum imitatus separat. Hebdomades 7 ad annum perducit ante æram vulgarem 557, quo statuit Cyrum Medis imperare cœpisse; quippe Cyrum in Mediâ regnare incipientem nomine *Christi ducis* in Danielis vaticinio designari conjicit. Septimanas autem sexaginta duas numerat ab eodem anno 4 Joachim ad usque annum ante æram vulgarem 172, quo alterum *Christum ducem*, nempe Judam Machabæum, exortum esse ponit. *Christum* porrò quem post 62 hebdomadas occidendum Angelus annuntiat, interpretatur ipsum *Messiam*. Itaque statuit, illis 62 hebdomadis elapsis, *Christum* verum Messiam *occisum* fuisse, non in se quidem et reipsà, sed in typo, nempe in Oniâ summo sacerdote, quem vult interfectum anno ante æram vulgarem 171, hebdomade 63, quæ Harduino est etiam 70. Deinde intra hanc ultimam hebdomadam collocat templi et civitatis per Antiochum desolationem, sacrificiorumque tribus annis cum dimidio cessationem, etc., quibus existimat futurum sub Tito excidium præsignificatum fuisse et figuratum.

Ex his liquet Harduini opinionem, si substantia vaticinii consideretur, in eo potissimùm à Marshami sententiâ differre, quòd iste prophetiam Danielis de Antiochi temporibus historicè seu litteraliter explicans, non curet an ullo modo Christus eâ significetur; ille verò præter significationem vaticinii litteralem agnoscat quoque in eo sensum typicum, à Spiritu sancto directè et primariò intentum, qui ad Christum et subsecutam sub Tito consumptionem referatur. Cæterùm in utrâque hypothesi eadem ferè vitia occurrunt. Sit itaque

Conclusio. Harduini hypothesis tota in levibus et falsis conjecturis posita, nec cum verbis vaticinii, nec cum calculis chronologicis consonat.

Probantur sigillatim propositionis partes. 1° Exposita hypothesis Harduini, tota in levibus et falsis conjecturis posita est. Leviter enim et falsò conjicit 1° vir eruditus sermonem Dei ad Jeremiam capitib. 25 et 29 fuisse sermonem de quo Angelus. Nam sermo, in quo nihil habetur expressum *de reædificandâ Jerusalem*, falsò conjicitur esse sermo *de iterùm Jerusalem ædificandâ*, præsertim si alter sermo in promptu sit, in quo facultas ejusmodi urbis denuò extruendæ expressè habeatur; atqui capitibus Jeremiæ 25, 29, nulla deprehenditur mentio expressa Jerosolymorum reædificandorum; facultas verò civitatis Jerosolymitanæ denuò extruendæ expressè habetur in sermone egresso ab Artaxerxe Longimano ad Nehemiam lib. 2 Esdræ, cap. 2; ergo.

Leviter et falsò conjicit 2° ad Cyrum in Mediâ primùm regnantem, partem vaticinii referendam; nam regnum Cyri, Medis aut Persis, ante occupatam Babylonem imperantis, Judæos nihil contingebat. Præterea Danielis vaticinium versùs finem captivitatis meritò censet emissum Harduinus, atque anno 25 Cyri in Mediâ regnantis annectit; ergone his verbis : Scito ergo et animadverte : *Ab exitu sermonis.... usque ad Christum ducem, hebdomades septem;* angelus solummodò voluit Danieli rem à 25 annis præteritam declarare, quasi verò ipse Daniel nescivisset Cyrum non Medis solùm, sed et Persis, jam tum dominatum fuisse?

Leviter et falsò conjicit 3° hunc vaticinii fuisse scopum, ut Oniæ nece, urbisque et templi per Antiochum vastatione ab Angelo prædictis, mors Christi, et eam subsecuta desolatio totalis adumbrarentur et figurarentur, enimverò auctoritate non nititur hæc conjectura, cùm nec SS. Patres, nec ullus Scripturæ interpres Oniam, ut Christi typum habuerit; nec etiam ipsa rerum analogia ac similitudo ad sensum hunc typicum ducit, nulla siquidem mortem Oniæ inter et mortem Christi, quantùm ad præcipuos characteres, convenientia. Onias in terrâ gentilium ab Andronico pagano invitus neci datur; Christus verò pro homini-

(1) In Chronol. veteris Testamenti, p. 553, 558, 589, 592 et seqq. et in defensione Hard. de 70 hebdom. adversùs Bernardum Lami, p. 880 et seqq. edit. operum Harduini in-f° Amst. 1709.

bus redimendis, sese in victimam morti spontè objecit, et in terrâ promissâ interfectus est. Solus ex Judæis mortem Oniæ promovit pseudo-pontifex Menelaus: at pontifices ac natio universa Judæorum, suo et posterorum suorum nomine, neci Christi non modò consenserunt, sed etiam ejus auctores fuerunt. Non sanè Deus Judæos permisit tot mala ab Antiocho pati propter illatam Oniæ mortem, cujus rei non erant, quamque æquè ac gentiles detestati sunt; ex adverso urbs et templum funditùs à Tito deleta sunt, et tota gens excisa in pœnam criminis à natione in Christum commissi. Ergo sanctissimus inter Judæos Onias fuerit, et injustè interemptus; non ideò, ut insignis typus Christi morientis vaticinio Danielis prænuntiatus spectandus est. In levibus igitur et falsis conjectationibus posita est hypothesis Harduini.

2° Cum verbis vaticinii non consonat eadem hypothesis. Nam 1° Angelus 70 hebdomadas computat; atqui in hypothesi Harduini ab eâdem epochâ hebdomades *septem*, et hebdomades *sexaginta duas* deducentis, sexaginta tres duntaxat, non septuaginta essent computandæ. Hùc recurrunt superiùs in Marshamum dicta. Frustrà autem observat Harduinus 70 hebdomadas ab Angelo dici *abbreviatas;* quasi illâ voce significaretur è 70 hebdomadis demptas esse *septem*, ut superessent tantùm sexaginta tres. Sed nemo hactenùs illud versionis Vulgatæ vocabulum hoc modo intellexerat; nec quidquam sanè hanc longiùs accersitam expositionem postulat. Et verò si 70 hebdomades redactæ fuerint ad sexaginta tres; quarè ergo subindè Angelus uno contextu enumerat hebdomadas septem, tum sexaginta duas, ac indè unam, quarum summa sit septuaginta? Ergo cum vaticinii verbis quantùm ad illam partem non convenit hypothesis Harduini.

Non convenit etiam quantùm ad duos *Christos duces*, quos distinguit, et ad quorum unum hebdomades septem, ad alterum 62 perducit. Nam unius tantùm *Christi ducis* mentio fit in vaticinio. *Ab exitu sermonis, ut iterùm ædificetur Jerusalem*, inquit Angelus, *usque ad* CHRISTUM DUCEM *hebdomades septem et hebdomades sexaginta duæ erunt;* ergo. Deinde nomine *Christi ducis* Cyrus Medorum rex et Judas Machabæus ex Harduino significantur. Atqui nomen illud sine addito, prout in vaticinio reperitur, Messiam designare adversùs Judæos probatum est; cùmque, voce *Christi* versiculo sequenti simpliciter positâ Messiam exprimi Harduinus contendat, quidni appellationi *Christi ducis* sine addito eadem vis tribueretur? nomen enim ducis, quod ab Isaiâ Messiæ disertè tribuitur, Christi appellationem non restringit. Ad hæc, tam illa verba: *Et post hebdomades* 62 *occidetur Christus*, denotant veram occisionem, quàm verum Christum; nec magis typica occisio Messiæ ibi indicatur, quàm Christus seu Messias typicus. Ut vox *Christus* simpliciter posita exprimit verum Christum, ità verbum *occidetur*, ibi veram occisionem exprimat, necesse est. Prætereà, civitatem et sanctuarium dissipanda esse, id est, penitùs subvertenda Angelus prænuntiat. Futura *vastitas, desolatio* usque in consummationem et finem perseveratura, sacrificiorum quæ in solo templo offerri poterant abolitio perpetua eodem vaticinio prædicuntur. Hæc Harduinus explicat immediatè et litteraliter de spoliatione solùm templi et civitatis, de vastatione eorum per aliquod tempus, de sacrificiorum intermissione tribus annis et quibusdam mensibus, de brevi quorumdam annorum desolatione, cujus finem ipse Daniel alio in loco determinat. Atqui hæc non respondent verbis vaticinii; ergo à vaticinii verbis prorsùs dissonat Harduini interpretatio. Denique Danieli annuntiat Angelus futurum ut intra hebdomades 70 *consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum.* Quæ Harduinus sic interpretari cogitur: *Intrà has abbreviatas hebdomades septuaginta, complebitur prævaricationis antiquæ pœna, finem accipiet pœna peccati, delebitur prisca iniquitas; inducetur cultus religionis longo tempore duraturus; implebitur visio et prophetia oblata Jeremiæ de ædificandâ iterùm civitate, de ungendo sacerdote, de sanctuario restituendo.* Et alibi typicam horumce significationem evolvens: *Eo temporum intervallo ætas Messiæ adumbrabitur; delineatio quædam erit justitiæ sempiternæ, quæ sub Christo futura est, ac prophetiæ item omnis in Christo implendæ.* Observes velim quantùm à litterâ distet doctissimi viri contorta et longè petita interpretatio. Ait Angelus iniquitatem delendam, peccatum finem habiturum, justitiam sempiternam, seu religionem justificantem semper duraturam, instituendam. Hæc tanta, quæ Christus ad litteram implevit, de temporali pœnâ peccati, de religione Judæorum quibusdam adhùc seculis duraturâ, *de delineatione quâdam justitiæ sempiternæ sub Christo futuræ* solummodò Harduinus intelligit. In vaticinio habetur simpliciter: *visionem et prophetiam implendas;* hæc dicta generatim restringit Harduinus ad prophetiam Jeremiæ cap. 25 et 29, et ad *delineationem quamdam prophetiæ omnis in Christo implendæ.* Istud denique: *Et ungatur Sanctus sanctorum;* ut adversùs Judæos ostendimus, et ipsa res loquitur, solùm accipi potest de Christo, qui Spiritu Sancto unctus, et unione humanitatis suæ ad Verbi personam sanctus naturâ constitutus, tanto solus potuit præconio significari. Sed id ipsum, ex Harduino, sacerdotales functiones restitutas, templumque à Judâ Machabæo repurgatum, cum adumbratione quâdam ætatis Messiæ solummodò significat; ergo vaticinii verbis non consonat hypothesis Harduini.

3° Non consonat chronologiæ. Nam Judas Machabæus illo systemate statuitur *Christus dux* anno 141 æræ Græcorum, ante æram communem 172, quippè quo 62 hebdomades ex Harduino pag. 589 et 884 desinunt; sed ex eodem, pag. 592, nonnisi anno abhinc quinto Judas post obitum Mathathiæ constitutus est dux Judæorum et militiæ princeps, nempe anno Græcorum 146 ante ær. vulg. 167, quod ex lib. 1 Mach. cap. 2, v. 70, et cap. 3, v. 1, liquidò constat; ergo.

Quæres utrùm Danielis oraculo vis aliqua in Judæos superesset, positâ Harduini interpretatione?—Respondeo negativè, quia si semel concedatur, Judam Ma-

cnabæum, Oniæ mortem, persecutionem Antiochi ac templi repurgationem immediatè hoc vaticinio respici; frustrà contendetur alterum etiam esse ejusdem oraculi sensum, quo Christi mors et ultima urbis templique conflagratio præsagiantur. Reponent enim Judæi duplicem ejusmodi significationem verborum Danielis adversùm se non evinci; sibique satis esse sensum aliquem prophetiæ litteralem causæ suæ non aversum agnosci; hunc denique sensum à se teneri, et rejici alterum donec admittendus comprobetur. Quid porrò, interpretatione Harduini positâ, contrà hanc Judæi exceptionem opponi queat, non videtur. Diceturne duplicem sensum satis probari, cùm *Christus*, qui post 62 hebdomadas prædicitur in typo *occidendus*, sit ipse Messias? Sed urgebit Judæus, 1° non magis Christo significari Messiam, quàm *Christo duce*, qui tametsi in vaticinio simpliciter legitur, Messiam tamen ex Harduino non significat; 2° si verbum *occidetur* ibidem de typicâ occisione accipiendum sit, cur vox *Christus* propriè sumi debeat non perspici; 3° præposterè poni Oniam typum Christi fuisse, cùm nec Scriptura, nec rerum convenientia id astruant. Atqui, positâ Harduini interpretatione, quâ ratione hæc solvi possint non apparet; ergo.

Dices cum Harduino, pag. 596, col. 1 : « Qui Christum ducem de Servatore intelligunt, à veterum plerorumque opinione faciunt divortium. » — Nego antecedens. Contra nemo ex veteribus, si Eusebium excipias, nomine *Christi ducis* Messiam intelligendum non esse tradiderit. Observat Origenes, tract. 29 in Matth. utrisque nominibus simul, *Christum ducem*, Danielem esse usum ut *Christus* intelligeretur.

Instabis cum eodem in Dissertatione adversùs Bernardum Lami, pag. 894, col. 2 : Petrus Blesensis lib. contra perfidiam Judæorum, cap. 13, hæc verba, *usque ad Christum ducem*, istis reddidit, *usque ad Cyrum ducem*.

Nego antecedens. Sic habet Petrus Blesensis : *Ab exitu hujus sermonis usque ad Cyrum fuerunt septem hebdomades, sexaginta verò duæ à Cyro usque ad Titum, et una hebdomada obsidionis.* Aliud porrò est septem hebdomadum finem in Cyro constituere, aliud est velle Cyrum esse *Christum ducem* vaticinio prænuntiatum. Quod adeò verum est ut reipsà Petrus Blesensis loco citato totum vaticinium ad Christum Dominum immediatè applicet, ac speciatim *Christum ducem* conceptis verbis de eo uno interpretetur. Cæterùm, quî fieri potuit ut eruditus Harduinus in suî defensionem unicum proferret è veteribus Petrum Blesensem seculi 12 scriptorem, nisi quòd reipsà nulli eâ de re ipsi consentiant?

Instabis iterùm cum eodem, pag. 592, 595 et 885 : De vaticinio Danielis maxima apud veteres interpretationum varietas. Patres complures legerunt juxta versionem quâ utebantur, *exscindetur unctio*, non, *unctus;* proindeque nec istud ipsum quod de Messiâ solo intelligi potest, *Occidetur Christus*, ad Christum Dominum retulerunt.

Respondeo distinguendum ut suprà, substantiam vaticinii inter et quasdam ejus circumstantias. Circa primum omnes ferè veteres consentiunt, et Harduino adversantur; circa secundum variis de causis suprà enumeratis diversimodè opinantur ac conjectantur, quod etiamnum eruditis Ecclesia permittit. Quod autem attinet ad versionem græcam, *peribit unctio*, falsum est quotquot illâ versione usi sunt, hæc verba ad Christum non retulisse. Sanè Tertullianus, lib. adversùs Judæos cap. 8, legit : *Unctio exterminabitur;* attamen ibi designatam Christi passionem intelligit. Item dicendum de græcis Patribus qui mortem Christi hoc vaticinio prædictam intellexerunt, ii verò sunt multi; nec fortè (exceptis Eusebio et Theodoreto) ullum alium reperire est qui has voces de *Christo* accipiendas esse negaverit. Nec mirum; nam cùm verba præcedentia : *Ungatur Sanctus sanctorum*, et : *Usque ad Christum ducem;* de Christo Domino intelligerentur, proclive erat ista, *peribit unctio*, de eodem exponi, tum propter rerum affinitatem, ac contextûs seriem; tum propter eventûs convenientiam et consensionem; tum etiam quia post sexaginta novem hebdomadas sacerdotium adhuc aliquandiù perseveravit, vel si quantùm ad valorem et necessitatem pericrit, non nisi morte Christi extinctum est.

Instabis denique. Sixto Senensi lib. 8 Bibl., hæresi 12, Estio in Annotat. ad Matth. 24, licuit vaticinium Danielis de Antiochi temporibus explicare; ergo nihil vetat, etc. — Respondeo hos tantùm è catholicis scriptoribus à doctissimo viro citari potuisse qui hanc sententiam tenerent. Sixtus autem Senensis nec ex professo, nec de toto vaticinio disserit, idque unum obiter habet loco citato; abominationem à Daniele prævisam in Machabæorum libris legi completam tempore Antiochi, *qui abominandum idolum desolationis posuit super altare Dei*. Ubi sanè agi de abominatione prædictâ cap. 9 Danielis, non de alterâ quæ cap. 11 et 12 prænuntiata est nullus esset suspicandi locus, nisi hoc ipsum caput Danielis 9 è regione imprudenter citatum fuisset.

Quantùm ad Estium, fatendum est prædictam Dan. 9 abominationem desolationis ad Antiochi persecutionem, ad ultimam conflagrationem et ad ætatem Anti-Christi ab eo diversimodè loco objecto referri : at in Annotationibus ad caput 9 Danielis, vaticinium reliquum, ipsasque 70 hebdomadas ad solius *Christi* tempora disertis verbis accommodat.

De hypothesi Calmeti. — Calmetus in jam citatâ de 70 hebdomadis dissertatione commentario ejus in Danielem præfixâ, rejectis Marshami et Harduini hypothesibus, istam proponit, ut minoribus difficultatibus obnoxiam. Sermonem à quo 70 inchoandæ hebdomades, statuit esse prophetiam Jeremiæ de populi reditu, non eam quæ cap. 25 et 29 extat, sed alteram quæ cap. 50, v. 18, 19 et 20, legitur, quamque supponit emissam fuisse anno, quo Jerusalem à Chaldæis eversa est. *Christum ducem* interpretatur Cyrum Babylone regnantem, et in patriam revertendi facultatem Judæis solemni edicto concedentem; ad eumque septem hebdomadas perducit. Septimanas autem *sexa-*

qinta duas à fine illarum *septem*, seu à captivitate solutâ enumerat, illasque terminat morte Oniæ, quem conjectatur *Christo occidendo* designatum. Post hebdomades septem elapsas collocat quæ de peccati consummatione, de iniquitate delendâ, de justitiâ sempiternâ adducendâ, et de Sancto sanctorum ungendo in primâ vaticinii parte continentur. Tunc enim, inquit, iniquitatum populi sui Dominus est oblitus; cultus idolorum à Judâ et Israel eliminatus fuit; templum rursùs consecratum est, et sacrificia iterùm oblata sunt. Reliquum oraculum de Antiochi Epiphanis temporibus explicat Calmetus, censetque *pleno effectu* illud donatum tunc fuisse, cùm à Judâ Machabæo repurgatum est templum. Atque generatim pronuntiare non dubitat *hunc* UNUM *vaticiniorum Danielis* capitib. 7, 8, 9, 10, 11, 12, INSIGNEM ESSE SCOPUM (N'ONT QU'UN SEUL GRAND OBJET), *ut illi Prophetæ ostenderetur quid nationi Judaicæ ac totius Orientis populis, à regno Cyri usque ad Antiochum Epiphanem, contingere deberet.*

CONCLUSIO. Calmeti hypothesis à Marshami systemate, quantùm ad substantiam, non diversa, gravioribus adhuc vitiis laborat, ac ipsi Calmeto adversatur.

1° A Marshami systemate, quantùm ad vaticinii substantiam, diversa non est hypothesis Calmeti; cùm Calmetus, æquè ac Marshamus nullam vaticinii partem, nec ullum ejus sensum ad Christi tempora referat. Hinc præcipuis argumentis quibus non modò Harduinum, sed et Marshamum ipsosque Judæos confutavimus, hæc nova hypothesis subvertitur. 2° Hypothesis Calmeti gravioribus adhuc vitiis laborat, quàm Marshami systema. Nam quæ in Marshamo emendare sibi visus est Calmetus, hæc æqualibus, aut etiam majoribus vitiis compensavit. Non statuit quidem, ut Marshamus, septem hebdomades ab ipso Angeli sermone incipere, sed dùm eas inchoat à prophetiâ Jeremiæ cap. 50, duplici ratione fallitur. Primò enim vaticinium Jeremiæ cap. 50, nullam Jerosolymorum reædificationis expressam et specialem continet mentionem, proindeque non potest esse *sermo*, de quo Angelus; præsertim, cùm plures aliæ apud Jeremiam et Isaiam de futuro populi reditu, similes prophetiæ occurrant. Secundò idem Jeremiæ oraculum anno quo Jerusalem à Chaldæis subversa est, non potest alligari. Etenim ex ipso Jeremiæ cap. 51, v. 59, colligitur hoc vaticinium emissum fuisse anno quarto Sedeciæ, ante illam civitatis subversionem octavo. Unde sequitur à prolatâ ejusmodi prophetiâ, usque ad Cyrum Babylone regnantem computandos esse annos solidos septem supra quinquaginta, non verò novem et quadraginta tantùm. Non statuit etiam, quod in Marshamo et Harduino refutavimus, *septem hebdomadas* simul cum *sexaginta duabus* effluere; imò singularem hanc conjecturæ eorum partem ignoravit Calmetus, qui non semel ait, utrumque à captivitatis fine sexaginta duas deducere hebdomadas. Tritis itaque Marshami et Harduini vestigiis se insistere falsò arbitratus, atque idcò rationum chronologicarum expendendarum onus hìc in sese non suscipiens, à Cyro populum liberante, ad Oniæ mortem computat sexaginta duas hebdomadas, seu annos 434. Atqui juxta omnes accuratos chronologos, ipsisque judicibus Marshamo et Harduino, Oniæ mors anno ante æram vulgarem 170 vel 171 alliganda est, proindeque, cùm anno ante eamdem æram 536 aut 537 soluta sit captivitas, octo et sexaginta annis hìc aberrat Calmetus. Saltem annis septem et quinquaginta falli se fateatur necesse est, cùm ipse in tabulâ suâ chronologicâ captivitatem solutam ponat anno ante æram communem 543, mortem verò Oniæ ad annum ante eamdem æram 166 revocet.

Sed gravius est quod fingit, statim à solutâ captivitate, seu post hebdomadas septem, primam vaticinii partem completam fuisse. Nam, præterquàm quòd eventus rerum à vaticinii verbis, positâ illâ interpretatione, tam dissonet, quàm in jam subversis Harduini et Marshami hypothesibus; 70 hebdomades ait Angelus constitutas, ut ea eveniant quæ hoc vaticinii membro significantur. Porrò ubi 70 hebdomades dicuntur à Deo constitutæ ut aliquid fiat, licetne interpretari id post septem hebdomades eventurum? ergo.

3° Hypothesis Calmeti ipsi Calmeto adversatur: 1° enim suam ipse Calmetus hypothesim refellit, ac gravissimâ notat censurâ, dùm Marshamum confutat, ac erroris in fide et temeritatis accusat, quòd *Jesum Christum* esse Danielis oraculi finem non statuerit; 2° fatetur versùs disputationis finem, tutius et satius esse septuaginta hebdomadas ad Christi mortem referre, quia *nativâ* suâ vi eò ducunt vaticinii verba; ergo hypothesis quam refellimus, nativo verborum prophetiæ sensui, fatente Calmeto, non consentit, proindeque, etc.

§ 2. *De initio septuaginta hebdomadum Danielis.*

Quæstio integra eò tota reducitur, quis sit ille *sermo*, de quo loquitur Angelus v. 25, et à cujus exitu *usque ad Christum ducem hebdomades septem et hebdomades sexaginta duas computat.*

Is autem sermo non aliud quidquam esse potest, quàm aut prophetia aliqua de iterùm ædificandâ Jerusalem, aut decretum quoddam vel litteræ regis Persarum, quibus illa Jerosolymorum extructio imperata sit aut permissa.

Novem porrò extant in Prophetarum libris vaticinia, quibus iterùm extruenda Jerusalem, seu conceptis verbis, seu implicitè prædicitur. Hoc enim vaticinati sunt bis Isaias, nempe capitibus 44 et 45, ter Jeremias, cap. 27, 29 et 50; Baruch bis, nempe cap. 2 et 4; semel Habacuc in Cantico, et semel Angelus apud Danielem his ipsis de quibus agimus verbis: *Ab exitu sermonis ut iterùm ædificetur Jerusalem..... et rursùm ædificabitur platea et muri.* Quatuor verò à Persarum regibus data sunt edicta seu rescripta circa templi urbisve restaurationem. Primum est Cyri, qui anno primo quo Babylone regnavit, ante æram vulgarem 536, vel juxta alios 538, Judæis fecit potestatem in patriam revertendi et templi reædificandi. Legitur hoc diploma 1 Esdr. cap. 1, v. 2 et seqq. In eo mentio expressa non habetur restaurandæ urbis Jerusalem,

sed tantum extruendi templi. Secundum edidit Darius Hystaspis filius, post repertum Ecbatanis in tabulario regio edictum Cyri. Extat illud decretum 1 Esdr. 6, v. 1 et seqq. Eo confirmatur duntaxat edictum Cyri de templi reædificatione. Tertium decretum ab Artaxerxe Longimano anno regni sui septimo, Esdræ sacerdoti inscriptum est. Exhibetur 1 Esdr. 7, v. 11, 12, etc. Cultum Deo in templo adhibendum, politiam populi Judaici, et vectigalia ab eo Persis solvenda spectat; de restauratione mœnium urbis nihil expressè continet. Quartum denique edictum seu potiùs rescriptum, nec enim publici diplomatis videtur habuisse formam, ipsæ sunt litteræ regiæ, quas idem Artaxerxes anno imperii sui 20, mense Nisan, Nehemiæ concessit, ut narratur 2 Esdr. 2. Patet ex eodem Esdræ loco restaurationem mœnium Jerusalem illo sermone regio non modò discrtè permissam, sed et approbatam et confirmatam fuisse; atque ad id exequendum, missum à rege eumdem Nehemiam, qui, cùm hoc ipso anno Jerusalem venisset, tantâ diligentiâ operi institit, ut intra dies 52 muri fuerint reparati, 2 Esdræ 6, vers. 15.

Hæc porrò enumerando decreta supposuimus Darium de quo sermo fit 1 Esdræ 6, esse Hystaspidem, et pariter Artaxerxem capitis 7, esse Longimanum. Aliter censuit Scaliger. Priorem esse Darium Nothum opinatur, et ab ejus anno 2 septimanas Danielis inchoat; alterum esse Artaxerxem Memoriosum definit. Quæ unà cum singulari ejus de septuaginta hebdomadibus opinione expendemus.

Itaque quæstio est à quo ex illis sermonibus initium septuaginta hebdomadum sumendum sit, an ab aliquâ Prophetiâ, an ab edicto Cyri, an à decreto Darii Hystaspidis, etc., an ab eventu ipso, seu ab iterùm ædificatâ Jerusalem? cujus quidem quæstionis partes singulæ jam discutiendæ sunt. Ut autem dicendis major lux affulgeat, præmittendam ducimus tabulam chronologicam variis circa hebdomadum initium opinionibus expendendis concinnatam, circa quam duo annotari volumus. 1° Quæcumque minùs certa in eo indice occurrunt, aut ad expositionem variorum systematum spectant, ea litteris italicis exhibemus. Cætera ad Usserii aut Petavii, ac sæpè ad utriusque et accuratissimorum chronologorum probatissimos calculos exacta sunt. 2° Omittimus in hâc tabulâ calculos Periodi Julianæ ut inutiles et superfluos, quod demonstravit Salianus. Hoc ferè unum de hujusmodi periodo scire interest, nempe anno ejus 4714 alligari annum primum æræ vulgaris christianæ. Id enim satis est, ut facilè intelligi queant eruditorum scripta qui post Scaligerum hujusce periodi annos adhibent. Prætermittimus quoque annos mundi, ut incertos. Solis utimur annis ante et post æram vulgarem, quippe ad quos alii calculi referuntur. Æras tamen apud omnes chronologos indubitatas, atque historiæ tum sacræ tum profanæ explicandæ necessarias, obiter notavimus. Scilicet operæ pretium visum est, ut illæ, ubi opus esset, in promptu haberentur.

Index Chronologicus,

VARIIS CIRCA DANIELIS SEPTIMANAS EXPONENDIS SYSTEMATIBUS ACCOMMODATUS.

	Anni ante Æram vulgarem.
Initium Olympiadum.	776
Annus primus Romæ Varronianus.	753
Æra Nabonassari incipit mense Februario.	747
Captivitati Babylonicæ septuaginta annorum dat initium Nabuchodonosor anno 4 Joachim.	606
Templum à Chaldæis concrematur.	588
Cyrus Babylone regnare incipit, et captivitatem solvit. *Inde quidam arcessunt 70 hebdomades.*	536
Cambyses Cyro patri succedit.	529
Pseudo-Smerdis thronum occupat, regnatque mensibus septem.	522
Darius Hystaspis occiso Smerdi imperium auspicatur.	521
Edit decretum de templo perficiendo. *Ab hoc Decreto S. Clemens Alex., Euseb.* etc., *septimanas ducunt.*	519
Templum absolvitur anno Darii sexto.	515
Exercitus Darii in Marathoniis campis profligatur mense septembri.	490
Annis quatuor à Marathoniâ pugnâ expletis, moritur Darius. Succedit Xerxes.	485
Anno imperii sui quinto Xerxes exercitum Susis ducere incipit.	481
Hunc annum 481 Xerxis esse septimum contendit Turneminius in Menoch. suppl. p. 401 et 428, vultque hoc eodem anno, vere incunte, Xerxem trajecisse in Græciam, post censortem regni factum filium Artaxerxem.	
Eodem anno quinto regni sui, primo vere, Xerxes Sardibus, ubi hyemaverat, proficiscitur et in Græciam trajicit.	480
Hoc anno Xerxis 5 comitem regni electum Artaxerxem conjectantur Abramus, Tirinus, etc.	
Anno regni sui 6, ad Salaminam Xerxes vincitur die 23 septembris.	480
Xerxes anno 12 regni sui novam in Græcos expeditionem parat juxta Petavium, et Artaxerxem in regiam potestatem cooptat.	473
Xerxem ex adverso tunc ab Artabano necatum ponunt Usserius, Lancelotus, Bossuetius.	
Artaxerxes Longimanus secundùm Petavium simul cum patre jam à septem annis regnans, concedit Esdræ decretum quod 11 Esdr. 7, exhibetur.	466
Xerxes post viginti annos regni completos ab Artabano jugulatur.	465
Annus 7 Artaxerxis Longimani à morte patris juxta Turneminium concurrens cum anno ejus vigesimo à primâ coronatione.	460
Hoc anno Esdras et Nehemias, ex illo auctore, mense Nisan Jerosolyma adveniunt, murorumque ædificatio completur die 25 mensis Elul, à quo die currunt 70 hebdomades.	
Tirinus, Abramus, etc., *Nehemiæ adventum el-*	

dem anno attribuunt, duobus scilicet annis, ex eorum opinione, antequàm veniret Esdras.

Artaxerxis Longimani annus à morte patris verè septimus. 458

Capellus uterque, Pridæus, Ayrolus, Cornelius à Lapide, etc., *hoc anno 7 Artaxerxis censent decretum Esdræ concessum, atque ab hoc decreto septimanas accersunt.*

Incipit annus Artaxerxis Longimani à morte Xerxi illatâ vigesimus juxta Usser. Lancel. Bossuet. qui inde ducunt 70 hebdomades. 454

Annus Artaxerxis Longimani ab ejus primâ coronatione juxta Petavium vigesimus desinit. Hoc anno secundùm eumdem Petavium facultas muros suscitandi Nehemiæ concessa et hebdomades fluere incipiunt. 453

Annus verè vigesimus Artaxerxis Longimani à morte patris. 445

Isto anno Artaxerxis vigesimo desinente Septimanæ annorum lunarium ex Africano inchoantur, Nehemiæ factâ mœnium erigendorum potestate. 444

Ejusdem anni vigesimi finem, et rescriptum Nehemiæ datum alligat Huetius eidem anno quo etiam hebdomadibus initium assignat.

Bellum Peloponnesiacum incipit 7 anno ante Artaxerxis obitum. 431

Moritur Artaxerxes Longimanus, succedit Xerxes secundus. 425

Xerxes II, cùm uno anno regnâsset, interficitur à Sogdiano. Hic imperium tenet 7 mensibus. 424

Interempto Sogdiano, regnum auspicatur Darius Nothus *quem Scaliger interpretatur Darium, libri 1 Esdr. cap.* 5 et 6. 423

Darius Nothus moritur post annos regni 19, succedit Artaxerxes Memoriosus, *qui Scaligero fuit Artaxerxes Nehemiæ.* 404

Artaxerxi Mnemoni succedit Ochus. 360

Ochus à Bagoa occiditur; succedit Arses. 338

Arsen idem Bagoas interficit, ac ipsi Darium Codomannum substituit. 336

Jaddus Judæorum pontifex Alexandrum Magnum excipit. 332

Darius ab Alexandro ad Arbella vincitur mense Septembri. Desinit imperium Persicum. 331

Initium Æræ Græcorum seu Seleucidarum, quam scriptor primi libri Machabæorum à Nisan, posterioris verò auctor à Tisri præcedente inchoant. 312

Antiochus Epiphanes regnare incipit; Oniam summum pontificem exauctorat, et impium Jasonem ejus loco sufficit. 175

Oniæ mors. 171

Anno quinto regni sui Antiochus Jerusalem ingressus templum violat ac effundit furorem in Judæos. 170

Apollonius in Judæam ab Antiocho mittitur, legi addictos confodit, ac civitatem incendit. Matathias in montes secedit. 168

Anno regni sui 8, Antiochus gentes sibi subjectas jubet eosdem cum Græcis cultus adhibere. 167

Matathias moritur; succedit Judas Machabæus. 166

Templum repurgatur die 25 mensis Casleu. 165

Antiochus moritur. 164

Ad impii hujus regis tempora septimanas et vaticinium Danielis temerè à quibusdam Christianis referri, suprà declaratum est.

Initia Hyrcani Assamonæorum ultimi. 70

Pompeius obsidione Jerusalem capit. 63

Annus primus correctionis Julianæ. 45

Herodes, à Romanis rex Judæorum jam tribus annis antea renuntiatus, Jerosolymas armis occupat. 37

Pugna Actiaca. 31

Primus Augusti monarchiæ annus. Herodes occidit Hyrcanum. 30

Christus Dominus nascitur die 25 mensis Decembris. 5

Moritur Herodes. 4

Anni Æræ vulgaris.

Æræ vulgaris initium mense Januario. 1

Baptizatur Christus die 6 Januarii. 30

Patitur juxta Usserium, Pridæum, etc., atque accuratiores, ut videtur, calculos. 33

Annus Neronis 12, quo cœptum est bellum Judaicum. 66

Jerusalem et templum à Tito dissipantur. 70

Judæos duce Barchochebà rebelles Adrianus exterminat. 131

Utrùm ab aliquâ Prophetiâ ducendum sit septimanarum Danielis initium. — Qui ex recentioribus (ii autem paucissimi sunt) septuaginta hebdomadum exordia alicui Prophetiæ annectunt, ad aliud quàm ad Messiam, uti paragrapho præcedenti dictum est, vaticinium Danielis præposterè detorquent; de his proindè impræsentiarum non agimus. Ex veteribus autem Hippolytus senior septimanas videtur ab aliquâ Prophetiâ deduxisse, quippe cùm, referente S. Hier. in caput 9 Danielis, *Septem hebdomadas ante populi reditum supputaverit, et sexaginta duas post reditum usque ad nativitatem Christi. Quarum tempora non congruunt*, pergit S. doctor. Hebdomadas septem Cyro etiam terminat Petrus Blesensis loco suprà citato pag. 307; Tertullianus autem adversùs Judæos cap. 8, graviùs adhuc in chronologiam peccat. Ab anno Darii 1°, seu ab ipsâ, de quâ agimus, Danielis Prophetiâ hebdomadas auspicatur : eas in ultimo Jerosolymorum excidio desinere statuit; 62 cum dimidiâ, Christi nativitate terminat; reliquas septem cum dimidiâ alterâ à Christo nato ad ultimam subversionem computat. Ubi inter varia contra temporum rationem errata, illud præcipuum est, quòd Darius Medus qui ante Cyrum Babylone regnavit, et cujus anno 1° visio Danielis alliganda est, Tertulliano fuerit Darius Nothus, plus quàm annis centum posterior Cyro.

Conclusio. Septuaginta hebdomadum initium ab aliquâ Prophetiâ non potest repeti. Probatur 1°, quia de restaurandâ Jerusalem, novem, ut suprà dicebamus, Prophetiæ variis temporibus editæ sunt. Atqui

nulla earum ad hanc reædificationem præ cæteris habet specialem respectum. Non magis ergo ab unâ quàm ab alterâ, ac proinde à nullâ sumi potest initium septimanarum Danielis. Nisi enim ab aliquo fixo et determinato illud initium repetatur, jam non obscura tantùm, sed ambigua omninò et incerta erunt verba Angeli; ergo.

Probatur 2°, quia à quâcumque ejusmodi Prophetâ ducantur 70 hebdomades, non constabunt calculi. Etenim ejusmodi vaticiniorum ultimum emissum est oraculum Danielis. Atqui ab oraculo Danielis usque ad Christum, quo illas terminari septimanas parag. præcedenti ostendimus, certum est longè plures quàm 70 hebdomades effluxisse. Nam visio de quâ agimus, Danieli obtigit anno 1° Darii Medi, ac proinde saltem annis duobus antequàm Cyrus Babylone regnaret. Atqui annus 1 Cyri Babylone imperantis, ut modò ostendemus, alligandus est anno 536 ante æram vulgarem. Obtigit igitur Danieli visio anno 538 ante eamdem æram, cui si addantur ad minimum 29 anni illius æræ usque ad Christi mortem, summa erit 567 annorum; proindeque, etc.

An ab edicto Cyri septuaginta hebdomades computandæ sint? — In Cyri edicto septimanarum Danielis initium ponit Eusebius Cæsariensis in secundâ, quam affert lib. 8 Demonstr. evang., harumce hebdomadum interpretatione. Juxta ejusmodi expositionem, quam suprà jam rejecimus, quamque Eusebius videtur minùs probabilem judicâsse, 69 hebdomades initiis Hircani Assamonæorum ultimi desinunt; septuagesima verò à cæteris avulsa ad Christi mortem et prædicationem refertur. Idem septuaginta hebdomadibus principium aliquando etiam assignant Judæi. Quidam Catholici, atque inter Protestantes Calvinus, Prælect. in Danielem, Lightfoot in Chronico, et alii, de 70 hebdomadum exordio similia statuunt, etsi de Christo utramque vaticinii partem interpretentur; nonnullique eorum, ut huic suo systemati temporum rationes adaptent, doctis omnibus probatam certisque innixam argumentis chronologiam subvertunt.

Conclusio. A Cyri edicto non inchoandæ 70 hebdomades. Probatur 1° ex vaticinii verbis. Nam septuaginta hebdomadum initium repetendum non est ab edicto in quo Jerosolymorum extruendorum nulla mentio fit, quo obtento Judæi solum templum ædificare aggressi sunt; maximè si præstò sit alter sermo expressus de restaurandis Jerusalem mœnibus. Enimverò Angelus initium septimanarum præstituit sermonem de Jerusalem denuò ædificandâ ac cingendâ mœnibus. *Scito ergo*, inquit Angelus, *et animadverte : Ab exitu sermonis ut iterùm ædificetur Jerusalem, etc.* Quæ statim ipse interpretans, addit : *Et rursùm ædificabitur platea et muri in angustiâ temporum.* Atqui 1° in edicto Cyri nulla fit mentio Jerusalem reædificandæ. Quod constat ex ipsis edicti verbis Esdr. cap. 1 et 6; scilicet domum Dei Jerosolymis extrui Cyrus præcipit, ædificii magnitudinem et materiam præscribit; sumptus de domo regis ad id operis administrari jubet; at de Jerusalem iterùm extruendâ, ne verbum quidem. 2° Obtento Cyri edicto Judæi solum templum ædificare aggressi sunt. Id patet ex iib. 1 Esdr. Nam cap. 1, v. 5, cap. 2, v. 68, et cap. 3 integro, à Judæis ex Cyri facultate gesta commemorans Esdras solius templi facit mentionem. Pariter cap. 4, v. 24, de solâ domo Dei loquitur, dùm narrat opus, quod Cyrus permiserat, adversariorum malitiâ intermissum fuisse. Et cap. 5, v. 2, ait Judæos vaticiniis Aggæi et Zachariæ excitatos cœpisse *ædificare templum Dei.* Versu autem 3, Judæorum adversarii sic eos alloquuntur : *Quis dedit vobis consilium, ut domum hanc ædificaretis et muros ejus instauraretis?* Nihil habent de restauratione mœnium; ergo. Idem colligitur ex Aggæo Prophetâ, qui cap. 1, v. 4, redarguens desidiam Judæorum, de solo templo verba facit. Denique illud liquet, quia cap. 1 et 2 libri 2 Esdræ, mœnia Jerusalem anno 20 Artaxerxis Longimani adhuc jacebant diruta; ea verò fuisse à Judæis ex Cyri edicto ante erecta, et deinde ab eorum adversariis denuò combusta et eversa, gratis et falsò fingeretur, non modò silentibus Scripturis et Josepho, sed et multa referentibus quæ cum illâ suppositione nullo pacto stare possunt. Confer quæ de urbis eversione leguntur lib. 4 Reg. cap. 25, et Jerem. cap. 39 et 52, cùm iis quæ de mœnium statu referuntur cap. 1, 2 et 4 libri 2 Esdræ, planè intelliges ruinam eamdem à Nabuzardam effectam, usque ad Nehemiam perseverâsse. Adde Eccli. 49, v. 15, hanc laudem Nehemiæ tribui, quòd muros Jerusalem eversos erexerit; et Africanum, referentibus Eusebio Demonstr. evang. lib. 8, et S. Hieronymo in cap. 45 Isaiæ, testari, ante annum 20 Artaxerxis Longimani non fuisse factam Judæis à Persarum regibus facultatem muros Jerusalem suscitandi. Quid causæ fuerit cur è tot Persarum regibus nullus ante Longimanum urbis extruendæ potestatem Judæis concesserit, conjici potest ex his apud Esdram lib. 4, verbis Artaxerxis, qui Cambyses vel Smerdis dicendus est : « Accusatio, inquit ad Syriæ satrapas Judæorum hostes respondens, v. 18 et seq., quam misistis ad nos, manifestè lecta est coram me, ut à me præceptum est, et recensuerunt, inveneruntque quoniam civitas illa (Jerusalem) à diebus antiquis adversùs reges rebellat, et seditiones et prælia concitantur in eâ. Nam et reges fortissimi fuerunt in Jerusalem, qui et dominati sunt omni regioni quæ trans fluvium est, » etc. 3° Præstò est sermo expressus de urbe et mœnibus Jerosolymorum instaurandis, nempe litteræ ab Artaxerxe Longimano datæ Nehemiæ, ut refert 2 Esdr. 2, à quibus 70 hebdomadas posse inchoari, inferiùs ostendetur, ergo.

Probatur 2°, quia accurata temporum ratio non sinit à Cyri edicto incipere septuaginta hebdomades. Etenim qui in vaticinio nomine *Christi ducis et Christi occidendi* designatur, ipse est Christus Dominus, ut paragr. 1 ostensum est; proindeque ab initio hebdomadum ad tempus quo Christus ducis munere fungi cœpit, id est, usque ad ejus baptismum, computandæ sunt 69 hebdomades, seu anni 483. Sed constat decretum Cyri tardiùs anno ante æram vulgarem 536 datum non fuisse. Scribit enim Africanus apud

Eusebium lib. 10 Præpar. Evang. cap. 10, multorumque historicorum testimonio confirmat Cyri regnum in Perside cœptum anno 1 Olympiadis 55; certum est pariter Cyrum 30 annis regnâsse. Porrò canon Ptolemaicus Cyrum inter Babylonios reges recensens, annos ei dat novem, numeratis scilicet duobus annis quibus regnavit Darius Medus, ut ex eo conjicitur quòd hunc Darium non nominet, et quòd septem annis tantùm Cyrus Babylone regnaverit ex Xenophonte. Itaque si ex 30 annis quibus totum tempus regni Cyri continetur, detrahantur septem, primus annus Cyri Babylone imperantis, quo edictum illud latum est, incidet in 24 à primi sui regni initio numeratum, ac proinde in primum Olympiadis 61, qui ante æram vulgarem est 536. Jam verò baptismus Christi ante annum 27 æræ vulgaris collocari non potest. Ergo ab edicto Cyri usque ad Christi baptismum ejusque prædicationis initium effluxêre saltem 563 anni. Deviant igitur 80 annis à verâ temporum ratione qui à Cyro Danielis septimanas ducunt. Nec omnem in calculis chronologicis aberrationem vitat Eusebius, dùm 69 hebdomadas longè ante Christum terminat, et septuagesimam à cæteris avellit, pluriumque intercapedine annorum separat. Ne fiat enim ejusmodi separatio, istud obstat, hebdomadas scilicet in summam unam ab Angelo colligi; partes verò temporis quæ in summam colliguntur, deinceps fluant necesse est, nec à se invicem separatæ et dissitæ poni possunt.

Dices. Isaias, c. 44, v. 28, Jerusalem à Cyro ædificandam prædicit his verbis: « Qui dico Cyro: Pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Jerusalem : ædificaberis. » Et cap. sequenti, v. 13: « Ego suscitavi eum (Cyrum) ad justitiam, et omnes vias ejus dirigam; ipse ædificabit civitatem meam, et captivitatem meam dimittet. » Josephus autem lib. 11 Antiq. cap. 1, n. 2 et 3, conceptis verbis affirmat facultatem reædificandorum templi et urbis à Cyro Judæis datam fuisse. His testimoniis nixus doctissimus Petavius existimavit ejusmodi facultatem in decreto Cyri fuisse implicitè inclusam, etsi tamen ab anno 20 Artaxerxis 70 hebdomades computet. — Resp. 1° ad loca Scripturæ, S. Hieronymum ad citatum v. 13, c. 43, Isaiæ, observare sub Nehemiâ, non sub Cyro, Jerusalem ædificatam fuisse; atque ex eo hunc locum non de Cyro exponendum esse, sed nobiliori sensu ad Christum, qui ibid. v. 46, *Verè Deus absconditus* dicitur, esse litteraliter applicandum. Resp. 2°: Si ad litteram de Cyro ea explicari placeat, non ipsa materialis urbis extructio quantùm ad mœnia, propugnacula et plateas his vaticiniis præsignificabitur; civilis tantùm iis designatur in ejusdem civitatis nomen et politiam coadunatio, unà cum domorum privatorum ædificatione; quæ duo à Cyro permissa censenda sunt dùm populum liberum dimisit, nec enim eos coegit sub dio habitare, aut à propriis legibus abstinere. Eodem sensu exponendus est Josephus.

Darius ille, qui 1 *Esdr.* 4 *templum perfici edixit, estne Darius Nothus à cujus anno* 2 *septimanæ putandæ sint?* — Sulpitius Severus lib. 2 Hist. Eccles. ab anno 2 Darii Nothi, qui tertius post Artaxerxem Longimanum regnavit, septuaginta hebdomadas auspicatur, ratus Darium, à quo 1 Esdr. 4 statutum est ut domus Domini absolveretur, esse Darium Nothum; Artaxerxem verò qui anno regni sui 7 decretum Esdræ dedit, quique postea mœnium erigendorum facultatem tribuit Nehemiæ, non esse Longimanum, sed Memoriosum, Darii Nothi successorem. Idem censuêre Julius Scaliger in Prolegom. et lib. 6 de Emend. temporum, Drusius in Sulpitium, et alii. Hanc autem sententiam præ cæteris excoluit Julius Scaliger, cujus opinio nunc ferè obsoleta quidem, sed multis olim probata et auctoris sui nomine etiamnum celebris, sic se habet (1). Tria existimat data fuisse edicta de Jerusalem instaurandâ, primum Cyri, quo soluta captivitas, secundum Darii Nothi anno 2 ejus regni, tertium Artaxerxis Memoriosi anno ipsius 5; vult enim à quo tempore decretum istud concessum fuit Esdræ, usque ad ejus profectionem cum sociis anno regis septimo (1 Esdr. 7, v. 7) elapsum esse plus quàm annum integrum. Septuaginta hebdomadibus ab Angelo, initio vaticinii numeratis censet addendum illud hebdomadis dimidium quo v. 27 sacrificium abolendum prædicitur; non enim patitur illud dimidium referri ad hebdomadam singularem, cujus proximè mentio facta est. Observat igitur hanc esse hebdomadum Danielis partitionem : *dimidia, una septem, sexaginta duæ*, quarum summa anno 493 1/2.

Jam verò his verbis Angeli : *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum*, etc., opinatur manifestissimè indicari septuaginta hebdomades in ultimo excidio Jerosolymitano desinere. Quapropter, ut calculi constent, eas auspicatur ab anno 2 Darii Nothi, quem, ut diximus, tulisse putat edictum de Jerusalem ædificandâ, perducitque ad annum Neronis 12, quo Judæi bellum crepare et à Romanis apertè desciscere cœperunt.

Deinde hebdomadum partitionem resumit. Hebdomadam dimidiatam, quæ juxta ipsum excurrit supra summam annorum 490, ab hoc duodecimo anno Neroniano ad excidium templi computat. Hebdomada autem illa quæ CONFIRMABIT FŒDUS, *dupliciter*, inquit, *accipi potest : aut enim integra, aut divisa, non quidem tempore, sed causâ. Integra, post passionem; divisa, dimidium ante, alterum dimidium, post passionem.* Hebdomadas septem ab eâdem epochâ ac 70 hebdomadas, nempe ab anno 2 Darii Nothi inchoat, atque ad annum 31 Artaxerxis Mnemonis eas ducit; cæterùm quo illæ pertineant, fassus à se nesciri. Tandem sexaginta duas septimanas à Passione Domini, quâ terminantur, ad annum 5 ejusdem Artaxerxis Memoriosi retexit atque ideò edictum Esdræ datum, 1 Esdr. 7, huic ipsi anno 5 annectendum judicat.

CONCLUSIO. Scaligeri interpretatio falsis fundamentis nititur, textumque vaticinii obscurat et perturbat. 1° Falsis fundamentis nititur. Nam duo sunt Scaligeriani

(1) Scal. lib. 6 de Emend. temp. in Epilogismo hebdom. Danielis pag. 904 et seq., edit. Colon. Allobr 1629.

systematis fundamenta. Primum, decreta Darii et Artaxerxis, quæ lib. 1 Esdræ cap. 6 et 7 leguntur, esse de iterùm ædificandâ Jerusalem; quod iisdem argumentum falsum commonstratur, quibus mox ostensum est edictum Cyri ad solius templi extructionem spectâsse. Alterum Scaligeri fundamentum est Darium et Artaxerxem Darii successorem, è quibus eadem decreta edita sunt, esse Darium Nothum et Artaxerxem Mnemona. Atqui istud falsum est (1). Nam præterquàm quòd Josepho, S. Clementi Alexandrino, Eusebio, S. Hieronymo, cunctisque veteribus, si Sulpitium excipias, necnon doctissimis inter recentiores chronologis, quibus et Judæi concinunt, illi Darius et Artaxerxes sunt Hystaspides et Longimanus: conjectura Scaligeri argumentis ex S. Scripturâ ductis apertè refellitur. Esdras, lib. 1, cap. 4 et 5, describens quo in statu fuerit templum Jerosolymitanum sub Persarum regibus, ab eo tempore quo ipsius extruendi facultas à Cyro data est, usque ad illud quo absolutum fuit, quatuor tantùm reges continuâ recenset serie, scilicet Cyrum, sub quo jacta sunt fundamenta templi, Assuerum et Artaxerxem, sub quibus duobus opus intermissum est, et Darium, quo regnante resumptum est et absolutum; proindeque Darius ille quartus est à Cyro Persarum rex. Sed rex Persarum quartus à Cyro est Darius Hystaspides, non Darius Nothus, qui nonnisi nonum inter Persarum reges locum obtinet. Ergo Darius quo regnante templum absolutum est, non est Darius Nothus, nec proinde Artaxerxes, qui ipsi successit; potest esse Artaxerxes Mnemon.

Deinde, sub eo Dario vivebant adhuc et populo præerant Zorobabel et Josue sacerdos summus, 1 Esdr. 5, v. 1, 2, etc. At sub Dario Notho superstites esse non poterant Zorobabel et Josue, namque iidem sub Cyro Judæorum in patriam remeantium duces fuerant, 1 Esdr. 2, v. 2. Porrò inter annum primum Cyri, et secundum Darii Nothi intercedunt juxta accuratissimos calculos anni 114, quibus si addantur anni quos jam excesserant, cùm tanti negotii duces facti sunt, et anni quibus edicto Darii superfuerunt, conficitur eos vivendo plus quàm 150 annos explevisse. Quis verò existimet utrumque simul tamdiu imperâsse et vixisse eâ ætate, quâ hominum vita jampridem imminuta erat?

Præterea, si libri 2 Esdræ caput 10, in quo recensentur qui, urbe instauratâ, fœdus cum Domino sanxerunt, conferatur cum cap. 12 ejusdem libri, ubi eorum, qui cum Zorobabele erant reversi, nomina appellantur, deprehendentur plus quàm 20 homines, ex iis qui cum Zorobabele redierant, post annum 20 Artaxerxis fœderi subscripsisse. Atqui istud impossibile esset, si ille Artaxerxes erat Memoriosus. Nam ab anno 1° Cyri ad vigesimum Artaxerxis Memoriosi sunt anni 152, proindeque omnes illi ad 180 circiter annos vitam perduxissent.

Denique cùm templum, Dario de quo agimus imperante, construeretur, nonnulli, teste Aggæo Prophetâ, cap. 2, v. 4, tunc superstites existebant, à quibus conspectum fuerat templum prius quod Nabuchodonosor combusserat. Ergo Darius illi non est Darius Nothus. Nam priorem templi ruinam inter et 2 Darii Nothi annum intercedunt anni circiter 166, proindeque si de Dario Notho ibi sermo fieret, illi plus quàm annos circiter 180 vixissent, quod nemo sibi persuadeat. Reponit Scaliger Aggæi verba posse in hunc sensum exponi: *O si quis vestrûm prioris domûs gloriam vidisset, eam cum istâ contendens, quàm nihili hanc faceret!* vel id prodigii in populi gratiam factum à Deo tunc fuisse. At priorem explicationem non ferunt verba textûs primigenii, neque omnium versionum. Sermonem dirigit Aggæus ad eos qui prius templum conspexerant, quique secundum illi longè inferius futurum præsentientes in magno dolore versabantur. Eamdem ob causam tempore Cyri jam multos acriter doluisse narrat Esdras lib. 1, cap. 13, v. 12. Quantùm ad miraculum ad quod Scaliger confugit, bellè, ait Huetius Demonstr. evang. prop. 9, cap. 8, n. 7, ipsum, *cùm.... imaginariis miraculis causam suam fulcire conatur, tum verò maximè ejus infirmitatem prodere.*

Addunt aliqui Esdram natum fuisse ante eversam à Nabuchodonosore Jerosolymam; dicitur enim 1 Esdr. 7, v. 1, filius Saraiæ pontificis; occisus est autem in Reblatâ pontifex Saraias, 4 Reg. 25, v. 18, et seq., cùm capta est Jerusalem. Atqui à primâ Jerosolymorum clade ad annum 7 Artaxerxis Memoriosi plus quàm 190 anni elapsi sunt; in vivis autem adhuc superstes erat Esdras post annum Artaxerxis 20, lib. 2, Esdr. 8, v. 4 et seq.; vixisset ergo Esdras (quod incredibile est) plus quàm 200 annis, posito Scaligeri systemate. Sed dissimulandum non est posse non improbabiliter responderi Esdram dictum esse Saraiæ filium, cùm esset tantùm ejus nepos, juxta non insolitam apud Hebræos vocis *filii* acceptionem.

2° Vaticinii textum perturbat Scaligeri hypothesis. Nam 1°, cùm Propheta initio vaticinii constitutas dicat 70 hebdomadas, et postea de septem, de sexaginta duabus, et de unâ loquatur, quarum summa sit 70, nonne patet statim in summam unam esse collectas easdem septimanas quæ deinde in partes distribuuntur? Si igitur partes alio modo disponantur quàm summa, ita ut non fluant continenter, uti Scaliger contendit, vaticinium non exponitur, sed perturbatur. 2° Dicitur in Prophetiâ: *Ab exitu sermonis....., hebdomades septem et hebdomades sexaginta duæ erunt;* ergo à sermonis exitu ad Christum usque putandæ sunt hebdomades novem et sexaginta, nec fas est septem hebdomades ab anno 2 Darii Nothi, sexaginta duas verò ab anno 5 Artaxerxis Mnemonis computare, ita ut nondùm effluxâ parte mediâ septem hebdomadum jam sexaginta duæ aliæ elabi incœperint. 3° Eadem verba non possunt habere hunc sensum: Ab exitu sermonis, etc., usque ad Christum ducem, sexaginta duæ erunt hebdomades. Nam quò pertinerent, quidve significarent hebdomades septem? Atqui tamen in sententiâ Scaligeri, à sermonis exitu ad Christum se-

(1) Vide Natal. Alexandrum. Dissert. 9 in sextam mundi ætatem.

ptimanas duntaxat 62 computantis, illa Prophetiæ pars hocce sensu esset reddenda; ergo, etc.

Solvuntur objectiones. — Objicies 1°, cum Scaligero. Ex cap. 4 et 6, lib. 1 Esd. colligere est Darium sub quo templum absolutum est, esse Darium Nothum. Nam cap. 4, v. 5 et seq., sic habetur : *Conduxerunt autem adversùs eos* (Judæos) *consiliatores, ut destruerent consilium eorum omnibus diebus Cyri regis Persarum, et usque ad regnum Darii regis Persarum. In regno autem Assueri, in principio regni ejus, scripserunt accusationem adversùs habitatores Judæ et Jerusalem. Et in diebus Artaxerxis scripsit Besclam Mithridates et Tabeel et reliqui qui erant in consilio eorum, ad Artaxerxem regem Persarum.* Et v. 24, versùs finem capitis : *Tunc intermissum est opus Domini in Jerusalem, et non fiebat usque ad annum secundum Darii regis Persarum.* Denique cap. 6, v. 14 et 15 : *Seniores autem Judæorum ædificabant et prosperabantur, juxta prophetiam Aggæi Prophetæ et Zachariæ filii Addo, et ædificaverunt et construxerunt jubente Deo Israel, et jubente Cyro et Dario, et Artaxerxe, regibus Persarum, et compleverunt domum Dei istam, usque ad diem tertium mensis Adar, qui est annus* 6 *regni Darii regis.* Ibi vult Scaliger recenseri Persarum reges ordine suo, nempe Cyrum, Darium, Assuerum, Artaxerxem, Darium, Artaxerxem, atque concludit Darium hunc secundum, cujus imperii anno 6 absolutum est templum, esse Darium Nothum.

Nego locis allatis totidem Persarum reges ordine suo recenseri, quot nomina repetuntur et exprimuntur. Nam 1°, juxta Scaligerum Cyro successit Cambyses, qui tamen, si ejus interpretationem sequamur, ab Esdrâ erit prætermissus; 2° Darius bis terve iis in locis nominatus, unus idemque est Darius Hystaspis. Assuerus, quem tertio loco ponit Scaliger, est Cyrus vel filius ejus Cambyses. Artaxerxes quarto loco positus, est aut Cambyses, aut magus Oropastes, qui usurpato Smerdis nomine, septem mensibus, mortuo Cambyse, regnavit. Denique Artaxerxes qui ultimò collocatur, est Xerxes filius Darii Hystaspidis, vel potiùs Artaxerxes Longimanus, ibi per occupationem nominatus; adeò ut is sit ordo regum : Cyrus, Cambyses, Smerdis, Darius Hystaspis, et, omisso Xerxe, qui de templo nihil statuit, Artaxerxes Longimanus; quo revera ordine reges Persarum apud auctores profanos numerantur. Atque hanc interpretationem Esdras apertè insinuat. Dùm enim dicitur citato cap. 4 : *Conduxerunt autem adversùs eos consiliatores, ut destruerent consilium eorum omnibus diebus Cyri regis Persarum, et usque ad regnum Darii regis Persarum;* nonne ex ipsâ omissione Cambysis et Smerdis regum intermediorum, patet certum quoddam tempus definiri, intra quod adversarii Judæorum conati sunt eorum consilium destruere? Cùm ergo Darius ille sit Hystaspides, juxta ipsum Scaligerum, consequens est durâsse tempus integrum tribulationis omnibus diebus Cyri, Cambysis, Smerdis, et usquè ad annum secundum Darii Hystaspidis. Quocirca cùm auctor sacer subdit continuò : *In regno autem Assueri*, etc., planè intelligendus est gestorum toto illo tempore à Judæorum hostibus narrationem resumere. Ubi observa particulam hebræam quæ voce *autem* hìc redditur, æqualiter reddi posse per *nam*, *etenim*, etc., ut nemo in illo vocabulo difficultatem quærat. Sensus ergo is est : A Cyro ad Darium usque Hystaspidem, Judæorum hostes ædificationem templi impedire moliti sunt; nam scripserunt ad Assuerum, id est, Cyrum, vel potiùs Cambysem, et deinde ad Artaxerxem, seu Cambysem, aut Smerdim, etc., quæ expositio maximè confirmatur his verbis, quæ objecta sunt, et quibus narratio versùs capitis finem clauditur : *Tunc intermissum est opus Domini Jerusalem, et non fiebat usque ad annum 2 Darii regis Persarum.* Cœcutiat enim oportet qui non viderit hæc præcedentibus modò relatis : *Conduxerunt*, etc., *ut destruerent consilium eorum omnibus diebus Cyri... usque ad regnum Darii*, consonare, eumdemque in utroque loco Darium regem Persarum designari. In nostrâ itaque sententiâ cuncta planè cohærent; Scriptura, ut sonat, exponitur, atque cum historiâ et chronologiâ profanâ eximiè conciliatur; ergo.

At, inquit Scaliger, si Darius qui anno secundo regni sui fecit templi ædificandi potestatem, sit Hystaspidis filius, quis est igitur ille Artaxerxes Darii successor, quo jubente templum constructum dicitur v. 14 jam cit. cap. 6, lib. 1 Esdræ? — Respondeo eum esse Artaxerxem Longimanum, ibi ab Esdrâ per occupationem nominatum propter decretum quod capite sequenti refertur anno regni sui septimo dedisse, quodque in templi gloriam et ornamentum maximè conduxit. Nempe Persarum reges de Judæis benè meritos templique extructionis ac splendoris studiosos recensens Esdras, noluit Artaxerxem, à quo tot tantaque beneficia impetrârat, omittere. Neque obstat quòd Longimanus Dario immediatè non successerit; cùm eò loci nominentur tantùm reges erga templum benefici; unde ibidem statim post Cyrum, omisso Cambyse et Smerdi, nominatur Darius.

Urget Scaliger. Darius cap. 6, lib. 1 Esdræ, jussit ut in scriniis publicis inquireretur edictum ibid. p. 564 à Cyro latum in Judæorum gratiam; sed Darius Hystaspis illâ non indiguisset inquisitione. Nam ab edicto Cyri ad annum secundum Darii Hystaspidis anni solummodò 16 computantur : illius ergo edicti haud dubiè meminisset Darius Hystaspis; meminissent etiam quàm plurimi ejus ministri et aulici; ergo. — Respondeo, potuisse inquiri ejusmodi edictum, non præcisè ut aliquod à Cyro in Judæorum gratiam latum cognosceretur, sed ut factæ ab illo rege concessionis conditiones, cunctaque edicti ad quod Judæi provocabant capita innotescerent, nec ullus Chutæis disputandi relinqueretur locus. Cæterùm, teste Herodoto, lib. 1, cap. 209, annos tantùm viginti Darius natus erat, cùm fato functus est Cyrus; proinde annum 14 non excesserat Darius cùm edictum latum est; Cambyses autem Cyri successor juxta eumdem Herodotum lib. 3, cap. 35, plurimos patris ministros crudeliter interfecerat. Nihil ergo mirum si anno secundo Darii Hystaspidis accurata non superfuerit memoria hujuscemodi Cyri edicti, quod plerique non curabant.

Instat ultimò. Darius inter duos Artaxerxes positus, alius esse non potest quàm Darius Nothus, qui successit Artaxerxi Longimano, et ante Artaxerxem Memoriosum regnavit. Atqui Darius quo regnante templum ad culmen perductum est, inter duos Artaxerxes ab Esdrâ collocatur. Confer secum invicem lib. 1 Esdræ cap. 4, à v. 7 usque ad finem, et cap. 5 et 6 integra, et cap. 7, v. 1; ergo. —1° Nego majorem. Nam Artaxerxi Longimano successit Xerxes secundus, Xerxi Sogdianus quem Darius Nothus excepit. Ita Diod. lib. 12. Paucis quidem mensibus regnavêre Sogdianus et Xerxes; sed ut falsi redarguatur major, eos sufficit regnâsse. 2° Distinguo minorem: Darius ponitur ab Esdrâ inter duos Artaxerxes; sed vox *Artaxerxes* ibi est nomen commune omnibus Persarum regibus, concedo; est nomen proprium antecessoris et successoris Darii, nego. Nomen *Artaxerxes*, etsi quibusdam Persarum regibus specialiter attributum, ut et nomen *Assueri*, communes videntur fuisse omnibus Persarum regibus appellationes; haud secùs ac *Pharao*, et postea *Ptolomæus* apud Ægyptios, et *Cæsar* apud Romanos. *Artaxerxes* persicum nomen est quod ex Herodoto lib. 5, cap. 98, *magnum bellatorem* sonat; *Assuerus* verò est appellatio chaldaica, et significat *magnum caput*. Hinc apud Esdram locis objectis mentio fit *Assueri*, cùm tamen apud scriptores profanos nullus rex Persarum hoc modo nuncupetur. Hinc qui in Vulgatâ libri Esther versione *Assuerus* nominatur, in versione græcâ et apud Josephum appellatur Artaxerxes. Nec mirum videatur in sacris Scripturis aliquando non eodem nomine reges exteros donari, quo apud historiam profanam designantur. Nam neque in ejusmodi appellationibus tribuendis unanimes sunt ipsi auctores profani. Scilicet multitudo nominum quibus reges Orientis solebant insigniri, ac præsertim mos unicuique populo solemnis, ut proprii idiomatis indoli nuncupationes exterorum accommodaret, hanc confusionem et varietatem necessariò parere debuerunt.

Obj. 2° cum eodem. Zach. 1, v. 12, hæc leguntur: *Respondit angelus Domini, et dixit: Domine exercituum, usquequò non miserebéris Jerusalem et urbium Juda, quibus iratus es? iste jam septuagesimus annus est.* Ex quibus sic argumentari licet: Septuagesimus ille annus est annus secundus Darii qui edictum Cyri confirmavit, ut ex eodem Zach. 1, v. 1, manifestum est. Atqui ille annus septuagesimus non potest esse secundus Darii Hystaspidis. Vel enim anni 70 ducerentur ab initio captivitatis Babylonicæ, vel ab eâ solutâ, vel ab insigni alio aliquo eventu. At ab initio captivitatis ad secundum Darii Hystaspidis annum plures fluxerunt quàm 70 anni; à solutâ verò captivitate pauciores, nempe 17 tantùm; tandem ante hunc annum secundum Darii Hystaspidis nullus alius occurrit insignis eventus, à quo ejusmodi anni 70 duci possint; ergo Darius ille non est Hystaspides, sed Nothus, ad quem usque lapsi sunt anni 70 à tempore Xerxis, qui est Assuerus lib. 1 Esdr. cap. 4, v. 6, et quo regnante Judæi accusari et vexari cœperunt. Neque illos 70 annos de annis captivitatis exponendos quis dicat. Nam Zacharias cap. 7, v. 5, ejusdem Darii anno 4, Dominum sic loquentem inducit: *Loquere ad omnem populum terræ, et ad sacerdotes, dicens: Cùm jejunaretis et plangeretis in quinto et septimo per hos septuaginta annos, numquid jejunium jejunâstis mihi? et cùm comedistis et bibistis*, etc. Ubi 70 anni iidem sunt de quibus v. 12, cap. 1, sermo fit. Hic scilicet omissi sunt duo ob numeri rotunditatem. Cùm igitur captivitatis tempore non celebrarentur jejunia, quippe quæ non potuissent à Judæorum Ecclesiâ indici; cùmque tunc intermissæ fuerint omnes solemnitates, ut de Scenopegiâ patet, cujus cultus erat oblivioni traditus, 2 Esdr. 8, v. 15, planum est 70 illos annos, quibus mense quinto et septimo jejunatum est, et festi dies celebrati, non esse annos captivitatis, sed post solutam captivitatem numerandos; proindeque in Dario Hystaspide non desinere; ergo.

Respondent Petavius et alii, Zachariam cap. 1, v. 12, esse intelligendum de 70 annis captivitatis jam præteritis, quasi dictum esset: Num, Domine, istud tempus est quo promiseras omnia restauranda? nonne præterierunt 70 anni, quibus elapsis templum erat rursùs ædificandum? attamen etiamnum opus intermissum manet. Enimverò 1°, in hebræo et apud 70 Interpretes legitur *septuaginta anni*, non *septuagesimus annus*. Hæc autem numeri æqualitas et similitudo cum annis quibus captivitas perseveravit, de istis suadet sermonem haberi. Nimirùm 70 anni captivitatis sæpè à Prophetis memorantur, atque apud populum recens erat ac altè infixa horumce annorum recordatio; ubi igitur ejusdem annorum numeri Zacharias meminit, pronum est tempus captivitatis intelligi. 2° Zacharias cap. 1, vaticinabatur anno 2 Darii, et cap. 5, anno 4 ejusdem. In utroque tamen loco perinde computantur 70 anni, quamvis in posteriori numerandi fuissent 72, positâ Scaligeri hypothesi. Neque id dicas factum propter numeri rotunditatem, nam in iisdem cap. annus, menses et dies accuratè enumerat Propheta; quid ergo duos annos prætermisisset? 3° Ab initio Xerxis à quo hos 70 annos Scaliger init, usque ad annum 2 Darii Nothi, computari nequeunt anni 70, sed ad summum 64 vel 65.

Ad confirm. reponit idem Petavius, apud Zachariam locis citatis nihil haberi de majorum solemnitatum celebratione, nec de jejuniis quæ juxta omnes ritus à lege præscriptos observarentur; nonnullas quidem majores solemnitates, Paschæ scilicet, Pentecostes, Scenopegiæ, extra Jerusalem celebrari non potuisse ob sacrificia in iis præscripta; verùm aliter judicandum de aliis festis quæ certo loco non erant adstricta, ut et de jejuniis propter templi et urbis desolationem voluntariè assumptis. Certè quidem jejunavit in captivitate Daniel, jejunaverunt Mardochæus et Esther; quin et isti non modò festa et jejunia in Perside celebrârunt, sed Judæos omnes ad solemnitatem sortium *per singulas generationes in toto orbe celebrandam*, Esther 9, 28, astrinxerunt. Cæterùm, ex v. 15, cap. 8, lib. 2 Esdræ perperàm infert Scaliger Scenopegiæ cultum seu solemnem Tabernaculorum

diem oblivioni captivitatis tempore traditum fuisse. Nihil hujusmodi eò loci expressum. Festum autem illud ac cæteras solemnitates lege præscriptas à populo in patriam reverso statim celebratas fuisse, disertè traditur lib. 1 Esdr. cap. 3, v. 4 et seq.

Respondeo insuper cum SS. Hier et Aug. annum septuagesimum de quo Zach. cap. 1, v. 1, esse computandum ab obsidione Jerosolymorum quam urbis templique desolatio post duos annos subsecuta est; septuaginta autem annos quorum ibid. cap. 5, v. 7, mentio fit, duci debere ab ipsâ eversione urbis et templi. Nam jejunium mensis quinti et septimi, de quo sermo fit citato versu 7, cap. 5 Zachariæ, videtur observatum fuisse propter eversum templum mense quinto, et propter reliquiarum populi dispersionem post interemptum Godoliam mense septimo; atque judæi etiamnum duplex illud jejunium iis de causis celebrant, ut et jejunium mensis quarti ob captam eo mense civitatem, et jejunium mensis decimi, quòd mense 10, Nabuchodonosor vallaverit Jerusalem, biennio ante destructionem templi. Itaque, cùm jejunia in captivitate, ut modò ex Petavio dictum est, potuerint observari, cùmque ejusmodi jejuniorum à Zachariâ memoratorum tempora in eventus illos aptissimè quadrent, naturaliter eò ducimur ut ab illis eventibus ejusmodi annos 70 incipiamus. Ac reipsà calculi planè his conveniunt. Nam templum destructum est mense 5 anni 11 Sedeciæ, id est, ante æram vulgarem 588. Eodem anno, mense 7, Godolias occisus est. Atqui ab anno 588 ante æram communem ad annum ante eamdem æram 517, cui annus 4 Darii Hystaspidis respondet, computantur 70 anni; pariter annus 2 ejusdem Darii est septuagesimus ab anno Sedeciæ nono, quo Jerusalem à Chaldæis vallari et obsideri cœpit. Ex quo patet locis Zachariæ objectis non infirmari, sed maximè stabiliri quæ de Dario Hystaspide statuimus.

Objicies 3°. Nehemias qui est auctor libri 2 Esdræ, loquitur cap. 12, v. 11 et 22, de Jeddoâ seu Jadduâ aut Jaddo, quem ait sub Dario Persarum rege sacerdotio functum; atqui Darius eò loci memoratus alius esse non potest quàm Darius Codomannus quem Alexander Magnus profligavit. Quippe refert Josephus, lib. 11 Antiq. cap. 8, n. 5, summum Judæorum sacerdotem Jaddum seu Jedduam Alexandro Jerosolymas ingredienti obviam ivisse in pontificio ornatu. Nehemiam igitur ad Alexandri tempora pervenisse indubitatum est. Porrò, si Artaxerxes cujus anno 20 muri Jerusalem suscitati sunt, esset Longimanus, Nehemias ætatem Alexandri non attigisset. Annum enim Artaxerxis Longimani vicesimum inter et Alexandrum Magnum intercedunt anni plus quàm 120. Nehemias verò non potuit saltem ante annum ætatis suæ 20 ad excitanda Jerusalem mœnia mitti; ergo.

2° Refert idem Nehemias lib. 2 Esdr. cap. 4, v. 1 et 7, Sanaballatem sibi muros construenti acriter restitisse. Is autem Sanaballat, Josepho teste loco mox citato, cum octo armatorum millibus suppetias tulit Alexandro Magno Tyrum obsidenti anno 4 Darii Codomanni, et deinde ab eodem Alexandro templi in monte Garizim ædificandi facultatem obtinuit. Sed ab anno 20 Artaxerxis Longimani ad 4 Darii Codomanni numerantur anni 113, ex canone Ptolemaico, quibus si addas annos quos, Nehemiâ muros ædificante, jam erat natus Sanaballat, deprehendes illum ad annum circiter 150 vitam protrahere debuisse, si Artaxerxes qui Nehemiam misit sit Longimanus; proindeque, etc.

3° Nehemias, cap. 13 ejusdem lib. v. 28, meminit unius è filiis Joiadæ pontificis, qui ejusdem Sanaballatis erat gener; ille autem filius Joiadæ, ex Josepho, erat Manasse, Jaddi seu Jedduæ filius. Cùm ergo Sanaballat et Jaddus ætate Alexandri Magni extiterint, sequitur Nehemiam ad eamdem ætatem pervenisse, proindeque, etc.

Ad primum respondeo 1°, non parvam de Nehemiæ ætate et conditione apud eruditos difficultatem moveri, quam Scaliger non solvit: nempe fueritne ille idem qui sub Cyro ex captivitate rediit lib. 1 Esdr. cap. 2, v. 2, et lib. 2, cap. 7, v. 7; fueritne sacerdos ut 2 Esdr. 10, v. 1 et 8 legitur, et ex 2 Mach. 1, v. 21, nonnulli colligunt, vel de tribu Juda, ut sentiunt Eusebius et Cedrenus? Si ejusmodi nodos expedire è re suâ duxisset Scaliger, dubio procul argumentis à se hìc propositis quid sit respondendum indicâsset.

Respondeo 2°, videri doctissimo Petavio ea quæ de Jeddoâ leguntur 2 Esdr. 12, non ab ipso Nehemiâ scripta fuisse, sed ab alio sacro auctore esse inserta, ut levitarum catalogus longiùs produceretur; quod et alibi factum viri docti existimant, nempe in fine Deuteronomii, in libris Josue, Tobiæ, Jeremiæ. Hâc responsione datâ, nihil obstat quominùs unicus Nehemias admittatur, qui redierit sub Cyro, et deinde extruendorum mœnium facultatem impetraverit ab Artaxerxe Longimano.

Respondeo 3°, cum illustriss. Huetio, nihil repugnare Nehemiam qui ab Artaxerxe anno regni 20 in Judæam missus est, vixisse usque ad tempora Darii Codomanni aut etiam Alexandri Magni. Nam inter annum 20 Artaxerxis Longimani et initium Alexandri intercedunt solummodò anni 115; at junior admodùm missus est ab Artaxerxe Nehemias; quippè qui ejus erat pincerna, ad quod munus juvenes assumuntur. Quidni autem vivere potuerit annos 131, ut ab illustrissimo auctore ponitur; aut etiam 140, vel paulò plures, si Artaxerxes regni particeps à patre dicatur factus, et à primâ ejus coronatione computetur annus ille vicesimus, quo Nehemiæ litteras concessit? Certè non multò ante pontifex Joiada 130 annos vixerat, 2 Paral. 24, v. 15, quin et fuêre subsequentibus temporibus qui tot annos vixerint. Vide Scalig. lib. 6 de Emend. temp., Usserium ad calcem Annalium, Tillemontium in Vespasiano, etc.

Nec dicas hanc responsionem recidere in incommoda quæ Scaligeriano systemati objecimus. Aliud enim est uni aliquando homini 140 vitæ annos tribuisse; aliud complures cum Scaligero admittere qui ad hanc ætatem, imò et ad majorem, simul et quasi

ex condicto pervenerint. Quod enim de uno aut altero credi potest, absurdè ad plures extenditur.

Respondeo 4°, etsi Nehemias ponatur scripsisse quæ de Jeddua leguntur cap. 12 lib. 2 Esdræ, necesse tamen non esse ut is tempora Alexandri Magni attigerit. Quid enim obstat quominùs Darius de quo eò loci sermo fit, intelligatur cum Usserio Darius Nothus, qui anno ante Darii Codomanni initia sexagesimo nono, post annum verò Artaxerxis Longimani vicesimum, juxta varias supputationes, circiter 41 vel 50 regnare desiit? Etenim supponi potest Nehemiam quæ de Jeddua refert, scripsisse versùs finem regni Darii Nothi, Jedduamque seu Jaddum sapientiâ maturiorem quàm ætate, tum etiam cœpisse pontificatu decorari. Positis autem his duobus, Nehemias potuit ultima Darii Nothi tempora videre, quin septuagesimum octogesimumve vivendo annum excederet. Potuit etiam Jaddus annos natus circiter 100, quarto Darii Codomanni anno ante æram vulgarem 332, Alexandro Magno obviam occurrere; ergo.

Postulat tum ista, tum altera quæ Huetii est responsio, ut Nehemias qui lib. 1 Esdr. cap. 2, v. 2, et lib. 2, cap. 7, v. 7, recensetur inter populi duces qui à captivitate cum Zorobabele Cyri temporibus redierunt, distinguatur ab eo qui muros Jerusalem erexit. Et reverà duplicem Nehemiam admittere ipse Scaliger cogitur, quippe qui restauratorem mœnium ad Alexandri tempus pervenisse existimat. Sed et ejusmodi distinctionis ratio satis aperta ex Scripturis aliunde colligitur. Nam quis fuerit ille Nehemias qui sub Cyro rediit, non exprimitur locis citatis; nec alius fortè is fuit quàm *Nehemias*, 2 Mach. 1, memoratus, de quo infra. Quibusdam fortasse videbitur ille *Nehemias filius Azboc, princeps dimidiæ partis vici Bethsur*, qui lib. 2 Esdr. v. 16, ædificavit partem murorum urbis. At Nehemias qui ab Artaxerxe mœnium excitandorum facultatem obtinuit, 2 Esdr. 1, v. 1, dicitur filius Helchiæ, et cap. 10, v. 1, filius Hachelai, quæ duo nomina unum designant; nam utroque in loco idem est hebraicè nomen. Ibidem cap. 10, v. 1 et 8 sacerdos appellatus videtur.

Frustrà opponeres lib. 1 Esdr. cap. 2, v. 63, mentionem fieri Athersatæ, quo nomine lib. 2 Esdr. cap. 2, Nehemias non semel designatur. Nam Athersata non est nomen proprium personæ, sed muneris, ducemque seu gubernatorem significat. Quapropter Zorobabel, qui lib. 1 Esdr. ut dux è captivitate redeuntium exhibetur, ibid. cap. 2, solus potuit hoc nomine appellari, ut accuratè à Scaligero fuit annotatum.

Ad secundum et tertium respondeo cum doctissimo Petavio duos esse admittendos Sanaballates, Josephumque ad posteriorem transtulisse quæ de priori sancta Scriptura tradit. Neque hæc conjectatio in levi videbitur ponenda, si duo maximè attendantur. Primum, Josephum lib. 11 Antiq. ex quo objectio desumitur, cuncta mirum in modum confundere, ejusque narrationem Scripturis et historiæ, imò rationi sæpè opponi. De quo consule Petavium. Alterum est, eamdem quam proponit Scaliger, esse quoque ipsi solvendam objectionem, si Josepho stare ille velit. Nam anno 28 Xerxis alligat Josephus absolutam murorum reædificationem. Cùm autem Xerxes viginti tantùm annis regnaverit, ejus annus 28 accipiendus est de anno 8 Artaxerxis Longimani; à quo ad Alexandrum Magnum Tyrum obsidentem fluxêre plus quàm 130 anni; proindeque Sannaballat, si unicus tantùm fuerit hujusce appellationis homo, plus quàm 150 annis ex Josepho vixerit necesse est; ergo.

Utrùm ad annum secundum Darii Hystaspidis referendum sit initium septimanarum Danielis?—Ab anno 2 Darii Hystaspidis, seu à decreto quo edictum Cyri (1 Esdr. 6) Darius ille confirmavit, 70 hebdomadum exordium repetunt duo antiquissimi et doctissimi scriptores ecclesiastici, sanctus Clemens Alexandrinus lib. 1 Stromatum, et Eusebius Cæsariensis tum lib. 8 Demonstr. Evang. in tertiâ quam magis probat harumce hebdomadum consideratione, tum in Chronico, parte 1. Idem principium 70 hebdomadibus assignant Cornelius Jansenius cap. 122 Concord. Evang., Joannes Driedo lib. 3 de sacris Scripturis cap. 5, part. 4, etc.

Conclusio. Initium septimanarum Danielis sumi non potest ab anno 2 Darii Hystaspidis. Probatur 1°, quia iisdem argumentis quibus superiùs ostendimus decretum Cyri non esse sermonem ad iterùm ædificandam Jerusalem, evincitur etiam decretum quod tulit Darius Hystaspis anno 2 regni sui, non esse pariter ejusmodi sermonem. Quippe in hoc decreto perinde ac in edicto Cyri, nulla fit mentio extructionis mœnium Jerusalem.

Probatur 2°, ut à decreto Darii Hystaspidis 70 hebdomades inchoari possent, necesse esset eo contineri quidquam peculiare ratione ædificationis Jerusalem, quo ab edicto Cyri discriminaretur; alioqui non magis illud quàm alterum, ac proinde neutrum esse posset fixum ac determinatum septimanarum initium. Atqui decretum Darii nihil circa Jerosolymorum extructionem peculiare continet, quo ab edicto Cyri discriminetur, sed eo decretum Cyri circa templum restaurandum solummodò confirmatur; ergo, etc.

Probatur 3°, quia calculis chronologicis non consonat illa opinio. Nam annus secundus Darii Hystaspidis, ut Eusebius observat, primus est Olympiadis 66 ante æram vulgarem 516. Annis igitur 516 adde annos æræ vulgaris usque ad baptismum Christi, summa erit non 69 hebdomadum tantùm seu annorum 483, sed plus quàm 546; ergo, etc.

Decretum ab Artaxerxe Longimano Esdræ concessum sermo ne est à cujus exitu hebdomades ducendæ?—Statuunt non pauci sermonem à quo ex Angeli verbis hebdomades Danielis incipiunt, esse decretum quod Artaxerxes Longimanus Esdræ sacerdoti dedit, quodque 1 Esdr. cap. 7 ex integro exhibetur; quapropter annum illius Artaxerxis septimum, quod post obtentum ejusmodi decretum Esdras in Judæam venit, septimanarum esse initium arbitrantur. Ita Jacobus Capellus in Historiâ sacrâ, Lud. Capellus in Chron. sacr. not. ad tabul. 11, ubi accuratam legere est eâ de re dissertationem, Pridæus in Historiâ Judæorum, lib. 5,

tom. 2, etc., et ex Catholicis Cornelius à Lapide in cap. 9 Danielis, Jacobus Maria Ayrolus è Societate Jesu in libro 70 hebdomadum resignato cap. 28, 29, etc., apud Menoch. supp. p. 482 et seq., et alii.

Fatendum est illam expositionem hebdomadum calculis chronologicis apprimè consentire. Cùm enim Xerxes post viginti annos regni, juxta veriorem sententiam, anno 464 ante æram communem fato functus sit, atque annus septimus imperii Artaxerxis Longimanus ejus successoris in annum ante eamdem æram 457 incidat, manifestum est septuaginta hebdomades ab illà epochà ductas anno æræ vulgaris 33 terminari. Igitur si anno illo 33 hujus æræ Passionem Christi cum utroque Cappello et Pridæo alliges, dicenda erit obtigisse in secundo dimidio ultimæ hebdomadis, quem sensum olim observavimus hebræo posse tribui. Ayrolus et Cornelius à Lapide Christum ponunt anno æræ communis 30 mortuum, ut scilicet in medio septuagesimæ hebdomadis occisus dici possit.

Conclusio. Decretum, quod Artaxerxes Longimanus, anno imperii sui septimo, Esdræ sacerdoti concessit, non est sermo à cujus exitu 70 hebdomades computandæ.

Probatur 1°. Sermo à cujus exitu incundæ hebdomades Danielis, est sermo ut iterùm ædificentur mœnia Jerusalem; ut enim suprà jam observavimus, verba hæc sua · *Ut iterùm ædificetur Jerusalem*, de murorum extructione esse intelligenda ostendit Angelus statim addens : *Et rursùm ædificabitur platea et muri*. Etverò, ubi agitur de civitate solo æquatâ, nonne vox *reædificare*, mœnium sonat erectionem? Atqui decretum datum Esdræ ab Artaxerxe non est sermo ut iterùm ædificentur mœnia Jerusalem. 1° Habetur illud decretum 1 Esdr. 7; Artaxerxes Longimanus concessiones Esdræ à se factas fusè et accuratè in hoc diplomate enumerat de templo et de sacrificiis in eo offerendis, de sacerdotibus à tributo eximendis, de legibus propriis à populo observandis, de pœnis in transgressores infligendis multa habet; reædificationis Jerusalem et mœnium ejus ne minimam quidem mentionem facit. 2° Nehemias cùm audisset murum Jerusalem dissipatum adhuc jacere, vix nec sine maximo timore ausus est causam doloris indicare Artaxerxi, atque ab ipso facultatem murorum extruendorum postulare, 2 Esdræ 2. Sed unde tantus timor, si ejusdem operis peragendi facultas jam antea fuisset Esdræ sacerdoti ab eodem Artaxerxe concessa? 3° Ibid. cap. 2, v. 17 et 18, narratur Nehemiam magistratibus indicâsse manum Dei *quòd esset bona cum eo*, et verba regis, ac dixisse : *Surgamus et ædificemus, et confortatas fuisse manus eorum in bonum*. Agebatur itaque de novo quodam negotio, de datâ tum primùm potestate ædificandi. 4° Si Esdræ facta fuisset facultas mœnia suscitandi, cur per 13 annos, qui juxta adversarios inter decretum illud Artaxerxis et litteras Nehemiæ ab eodem datas intercesserunt, operi tam necessario ac desiderato manus imposita non fuit? Cur muri Jerusalem ita dissipati reperti sunt à Nehemiâ ut, ipso teste 2 Esdr. 2, v. 14, ne locus quidem esset quà transire posset jumentum cui ipse insidebat? Cur denique usque ad Nehemiam eodem in statu mœnia remanserunt in quem fuerant à Chaldæis resoluta? confer cap. 1 et 2 lib. 2 Esdr., et v. 2 capitis 4 cum v. 19, cap. 36 libri 2 Paral et 4 Reg. 25, v. 9 et 10. Itaque Artaxerxes Longimanus Esdræ non concessit licentiam murorum Jerusalem ædificandorum, proindeque, etc.

Probatur 2°. Planum est characteres sermonis *ut iterùm ædificetur Jerusalem*, vel non competere decreto quod Esdras ab Artaxerxe obtinuit, vel æqualiter, imò meliùs competere decreto Cyri. 1° Non poterunt competere decreto Esdræ dato, si concedatur ex unâ parte sermonem *ut iterùm ædificetur Jerusalem*, de mœnibus intelligendum esse; et ex alterâ, nec explicitè nec implicitè murorum erigendorum licentiam illo decreto contineri; quæ quidem duo esse simul statuenda, modò ostendebamus. 2° Competerent autem illi characteres edicto Cyri, si eum Ayrolo poneretur idcircò Artaxerxis decretum esse sermonem ad ædificandum Jerusalem, quia αὐτονομία seu facultas propriis utendi legibus hoc decreto Judæis impertita, est quid in civitate præcipuum et fundamentale, quo cætera concluduntur. Enimverò Cyrus edicto suo populum è captivitate liberavit, et in propriam civitatem unumquemque ire permisit, 1 Esdr. 2, v. 1; domos proinde sibi construendi facultatem eis concessit, ne sub dio morari cogerentur, unde et ab Aggæo cap. 1, v. 4, reprehensi sunt, quòd templo Dei nondùm absoluto, in *domibus laqueatis* habitarent; denique templum Deo suo à Judæis ædificari Jerosolymis voluit Cyrus, scilicet ut religionis suæ possent leges omnes et cæremonias observare. Hæc perpendantur attentiùs, ac simul inspiciatur tum libertas legibus suis parendi captivitatis etiam tempore Judæis ferè relicta; tum populi reducis agendi ratio, prout ab Esdrâ et Josepho exhibetur; certum profectò videbitur à Cyro Judæis concessum fuisse jus institutis suis vivendi, non sine aliquâ tamen à regibus Persarum dependentiâ, à quâ eos Artaxerxes decreto de quo agimus, non exemit. Ergo positâ Ayroli interpretatione, characteres sermonis *ut iterùm ædificetur Jerusalem*, unde 70 computandæ hebdomades, tam competerent edicto Cyri quàm Artaxerxis decreto. 3° Potiori jure illi characteres càdem admissâ expositione edicto Cyri adscriberentur. Etenim Cyri edictum primum est quod in Judæorum gratiam sit latum; quæ illo edicto, seu conceptis verbis, seu æquivalenter Judæis concessa mox diximus, multò majora sunt quàm quæ concessit Artaxerxes; demùm Artaxerxis decretum fuit duntaxat veluti accessio quædam edicti Cyri; ergo. Jam verò si characteres sermonis à cujus exitu ducendæ hebdomades, tam competant edicto Cyri quàm decreto Artaxerxis, non magis unum quàm alterum, ac proinde neutrum esse poterit septimanarum principium Quid ita? quia ab aliquo fixo et determinato septimanæ putentur necesse est. Imò in ejusmodi hypothesi à solo edicto Cyri hebdomades essent numerandæ, siquidem cùm sit primum, eo ipso habet quid speciale ac magis determinatum; ergo.

Probatur 3°, quia Capellus uterque et Pridæus mortem Christi coguntur anno ultimo hebdomadis septuagesimæ alligare; atqui vaticinii verbis consentaneum magis videtur Christum occisum poni in medio ultimæ hebdomadis. Etsi enim voces hebrææ quas Vulgata sic reddit : *Et in dimidio hebdomadis deficiet*, etc., possint significare partem hebdomadis dimidiatam, sensus tamen quem Vulgata exhibet contextûs seriei meliùs congruit. Sic enim habet Angelus loquens de ultimâ hebdomadâ : *Confirmabit autem pactum multis hebdomadâ unâ, et in dimidio hebdomadis deficiet*, etc., ubi hæ voces, *in dimidio*, seu, in medio *hebdomadis*, aperiunt cur bifariàm secta sit ultima hebdomas, nempe ad exprimendum in ejus medio sacrificia morte Christi abolenda. At si vertatur : In parte hebdomadis dimidiatâ, seu in unâ medietate illius hebdomadis, etc., jam nullo modo divinare licet hujuscemodi partitionis causam. Etenim non exprimit Angelus de quâ parte dimidiâ intelligendus ipse sit; quodcumque autem intra hebdomadam evenit, si non in medio ejus, certè in alterutrâ parte dimidiâ contingat necesse est; ut quid ergo dimidiatam hebdomadis partem Angelus expressisset? Porrò Ayrolus, Cornelius à Lapide et alii ut illam difficultatem declinent, in aliam majorem incidunt; nempe Christum statuunt esse mortuum anno æræ vulgaris 30 vel 29, quod minùs esse probabile aliquandò dicemus.

Solvuntur objectiones. — Obj. 1° cum Ayrolo, qui lib. supra citato à cap. 10 ad 33, quæcumque verisimiliora in gratiam illius systematis dicta fuerant colligit, novisque firmat conjecturis et argumentis : Tria sunt regum Persarum edicta in gratiam Judæorum data : primum est Cyri, secundum Darii, tertium Artaxerxis anno regni sui septimo. Nam quod à pluribus additur, quartum decretum anno Artaxerxis 20 datum, illud commentitium vocat Ayrolus, censetque Artaxerxis litteris *solam abeundi in Jerusalem Nehemiæ roganti tribui facultatem*, quæ potestatem reædificandi jam antea factam supponebat. Atqui ex illis decretis solum edictum anni 7 Artaxerxis habet characteres *sermonis* de quo loquitur Angelus apud Danielem. Nam hebræa hoc modo reddi possunt : *Ab exitu sermonis ad redire faciendum* (populum) *et ædificandum Jerusalem*, etc., proindeque duo sunt characteres sermonis à quo 70 hebdomades ducendæ : 1° ut sit *sermo ad redire faciendum;* 2° ut sit *sermo ad ædificandum*. Sed in solum Artaxerxis decretum quadrant illi duo characteres.

1° In illud quadrant. Et de priori quidem charactere nulla difficultas. *A me decretum est*, inquit Artaxerxes, Esdræ 7, v. 13, *ut cuicumque placuerit in regno meo de populo Israel et de sacerdotibus ejus, et de levitis ire in Jerusalem, tecum* (Esdrâ) *vadat;* ergo. Quod ad alterum attinet, omnes nervos contendit Ayrolus, ut hunc etiam illi decreto convenire ostendat. Vis tota ejus argumentorum eò reducitur : Si decretum Artaxerxis non modò civium, sed et legum omnium restitutionem contineat, et jus gladii conceptis verbis tribuat; si qui tanta concedit, quod in urbis instauratione præcipuum est faciat; si denique Judæi his impetratis, jure potuerint, imò debuerint urbis mœnia construere; profectò decretum illud Artaxerxis fuit *sermo ad ædificandum Jerusalem*. Atqui 1° Artaxerxis decreto αὐτονομία et jus gladii tribuuntur, ut ex ejus lectione patet; 2° civium et legum restitutio pars est potior reædificationis urbis, siquidem propter cives et leges extruuntur mœnia; nec diceretur urbs destructa, cujus servatis civibus, mœnia casu quodam corruerent. Vide plura cap. 10, 11, 12 et 13. Atque hoc unum opinatur Ayrolus cap. 22 et 26 sufficere, ut decretum Artaxerxis dicatur propriè *sermo ad ædificandum* Jerusalem, quia scilicet id quod in urbe præcipuum est eo decreto, conceditur; 3° Tandem Judæos, hoc diplomate impetrato, potuisse jure divino, naturali, civili et gentium, mœnia Jerusalem instaurare, contendit; jure quidem naturali, quo licet ea quærere quæ homini necessaria sunt, *ut se, vitam, corpusque tueatur, declinare ea, quæ nocitura videantur;* cùm ergo ædificatio urbis esset redeuntibus necessaria, etc., jure pariter gentium, cujus *est sedium occupatio, ædificatio, munitio*, etc., ad quod etiam pertinet postliminium, seu *jus quo restituitur alicui res quam per captivitatem amiserat;* præterea jure civili, juxta quod *non debet cui plus licet, quod minus est non licere;* unde, cùm facultas redeundi et propriis utendi legibus, sit quid majus mœnium extructione, sequitur, etc.; postremò jure divino. Quippe Num. 33, v. 50, præceperat Deus ab Israelitis terram Chanaan incoli, atque cæteros illius terræ habitatores disperdi. Necesse ergo erat ut urbem ædificarent. Ex his concludit Ayrolus decretum anni septimi Artaxerxis esse *sermonem ad ædificandum Jerusalem*.

2° Aliis decretis non conveniunt prædicti characteres. Nam nec decretum Darii, nec decretum commentitium anni 20 Artaxerxis fuêre *ad redire faciendum* populum. Superest decretum Cyri. Fatetur Ayrolus illud datum fuisse ad populum reducendum, atque implicitè eo fuisse contentam facultatem ædificandæ urbis; sed advertit nullam restitutionis legum jurisque vitæ ac necis in Cyri edicto fieri mentionem, quod cùm præcipuum sit, ac conceptis verbis in decreto Artaxerxis exprimatur, vel hoc ipso satis ab edicto Cyri discriminatur illud decretum; ergo.

1° Nego majorem quantùm ad hanc partem, quòd nimirùm litteræ quas Nehemiæ Artaxerxes concessit, mera fuerint licentia in patriam revertendi; de quo infrà. 2° Nego minorem, characteres scilicet *sermonis* de quo Angelus loquitur, soli competere Artaxerxis decreto anni septimi.

Ad probat. nego hebræa sic reddenda, *ad redire faciendum*, etc. Sed rationes quibus Ayrolus hanc suam versionem nititur confirmare, loco aptiori postea referentur et expendentur. Hic enim tota controversia est de secundâ parte minoris propositionis argumenti quod in probationem fuit allatum. Nego verò secundam illam minoris partem, solum nempè decretum Esdræ datum ab Artaxerxe, charactere isto insigniri, quòd sit *sermo ad ædificandum Jerusalem*

Contra probavimus hîc agi de mœnibus circa quæ nihil tunc sancivit Artaxerxes ; ac Cyrum potiori jure quàm Artaxerxem dici debere Jerosolymorum restauratorem, atque ad eorum reædificationem multò magis contulisse. Neque momenta, quibus hæc evicimus, Ayrolus labefactat. Esto, quosdam Jerosolymis cives Artaxerxes decreto anni sui septimi restituerit. Esto αὐτονομίαν jam à Cyro concessam solemniter confirmaverit. Esto, hæc potiorem restaurationis urbis partem constituant. Non inde sequitur mœnium civitatis extruendorum potestatem hoc decreto Esdræ factam fuisse, de quâ tamen hîc præsertim agi monstratum est. Quæ enim de jure naturali, divino, civili et gentium affert Ayrolus, spontè concidunt. Num ergo captivos libertate donare non potuerunt Persarum reges, quin ipsis mœnium suscitandorum facultatem impertirentur? Quasi verò hæc facultas quæ speciali ratione politicâ potuit non concedi, quæque populo edomito et ad rebellionem prono sæpiùs denegatur, ex ipso relaxationis captivorum decreto religata pendeat, debueritque necessariò consequi ! Igitur non probat Ayrolus decretum Artaxerxis anni 7 esse *sermonem ad ædificandum Jerusalem*, de quo Angelus loquitur.

Non probat quoque eumdem characterem, eo sensu quo Artaxerxis diplomati tribui potest, non competere decreto Cyri; quippè cùm ipse fateatur Ayrolus eadem à Cyro Judæis concessa quæ ab Artaxerxe, nec infirmet argumenta quibus multò majora evicimus fuisse collata.

Inst. cum Ludovico Capello : *Cur instaurationem murorum vel prohibuisset, vel non concessisset Artaxerxes ille, qui se usque adeò benevolum erga Judæos edicto* (anni scilicet septimi) *præbet? Dedit ei* (Esdræ), inquit sacer contextus, 1 Esdr. 7, v. 6, *rex, secundùm manum Domini Dei ejus super eum, omnem petitionem ejus.*

Respondet Huetius Dem. evang. prop. 9, cap. 8, n. 6, Artaxerxem id non concessisse *eamdem ob causam quæ Cyrum erga Judæos itidem benevolum, quæ Darium absterruit, quominùs id iis permitterent; experta nimirùm gentis pervicacia et mobilitas, et cupidus rerum novarum animus.* Etverò, addit paulò post illustriss. præsul totam Capelli interpretationem convellens, *veri profectò simile non est hoc Artaxerxis decretum, cùm res alias momenti minoris sigillatim exprimat, sumptusque ad templi cultum conferendos minutatim percenseat, concessam murorum et urbis extruendæ facultatem, sic tanquàm rem nihili, silentio prætermisisse. Crederemus fortasse, si rem in edicto vrætermissam opere ipso Esdras complevisset; verùm nec ex edicti verbis, nec ex gestis ab Esdrâ rebus ulla sumi possunt opinionis hujus argumenta.*

Inst. cum Ayrolo cap. 29 : *Mœnia atque domos Jerusalem, ab anno Artaxerxis septimo usque ad vigesimum, quoquo modo fuisse instaurata, clarè colligitur ex lib. 2 Esdr. cap. 2, ubi legitur Nehemiam, cùm ex Hanani relatione accepisset murum Jerusalem dissipatum, portasque ejus esse igni consumptas, dolori se tradidisse ac flevisse diebus multis.* Atqui si de subversione et conflagratione à Chaldæis olim factâ Hanani relatio intelligenda foret, novo Nehemiæ dolori ac luctui nullus fuisset locus ; ergo. Simile argumentum in sui systematis gratiam proposuerat Scaliger, et post ipsum Salianus, Sanctius, Pererius, Cornelius à Lapide, etc.

Nego antecedens et minorem syllogismi in probationem adducti. Ut enim dolori insolito ac fletibus sese traderet Nehemias, satis erat ipsi exhiberi imaginem calamitatum populi sui præteritarum ac etiamnum durantium; quemadmodùm dolor noster ingravescere solet, si charorum infortunia, quæ jam noveramus, nostris iterùm oculis subjiciantur.

Inst. cum eodem. Sermo à quo 70 hebdomades incipiunt, vel est decretum anni 7 Artaxerxis, vel est decretum quod idem princeps anno regni sui 20 Nehemiæ concessisse fingitur. Atqui decretum istud commentitium anni 20 non potest esse sermo, etc.; ergo. Respondeo majore falsum supponi. Nempe constat, si non decretum, saltem litteras regias à Nehemiâ impetratas fuisse, quibus facultas ædificandorum mœnium continebatur. De minore autem inferiùs dicemus.

Obj. 2° cum Ayrolo. Septimanæ Danielis videntur esse hebdomades annis sabbaticis terminatæ, quarum usus lege erat Judæis præscriptus. Atqui hebdomades Danielis, si à decreto anni septimi Artaxerxis incipiant, claudentur annis sabbaticis. Nam ex tribus annis sabbaticis, quorum calculos libri Machabæorum et Josephus suppeditant, perspicuum fit annum 33 æræ vulgaris à mense septembris fuisse sabbaticum ; inde ducantur ascendendo 70 hebdomades seu anni 490; patebit annum ante æram vulgarem 458, quo decretum Esdræ datum est, pariter à mense septembre sabbaticum fuisse. Hic autem annus non numerandus, utpote ad hebdomadam præcedentem attinens. Igitur hebdomades Danielis à decreto anni septimi Artaxerxis accersitæ terminantur annis sabbaticis, quod in alio quovis systemate locum habere nequit ; ergo.

Nego majorem. Possent quidem septimanæ Danielis de ejusmodi hebdomadis annorum sabbaticorum accipi, si hæc interpretatio aliunde vaticinio et eventui congrueret. Sed 1°, nihil in vaticinio indicat ad illas annis sabbaticis clausas hebdomades Angelum respexisse ; contra verò ex prophetiæ verbis liquet decretum quod anno regni sui septimo Artaxerxes edidit, non esse sermonem ad ædificandum Jerusalem, à quo sumi queat septimanarum initium. 2° Positâ illâ interpretatione, Christus in dimidio ultimæ hebdomadis mortem non subiisset. 3° Non videtur Ayrolo permittendum ut anni ante æram vulgarem 458 integri, quo decretum emissum confitetur, nullam habeat rationem ; quippe cùm agatur de vaticinio in quo hebdomades et hebdomadum partes accuratissimè supputantur.

Obj. 3° cum Pridæo, Hist. Jud. lib. 5 : Septuaginta hebdomades duci debent ab exitu illius sermonis, cui duo maximè competunt characteres : 1° ut sit sermo ad reverti faciendum Jerusalem, et eam ædificandam; 2° ut eo emissus fuerit anno, à quo ad mortem usque Christi Domini effluxerint 70 hebdomades, seu anni 490. Cùm enim 70 hebdomades dicantur initio vaticinii

constitutæ et definitæ, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum; hæc verò sex in ipsâ Christi morte plenum habuerint exitum; consequens est in illâ morte 70 desinere hebdomadas. Atqui 1°, si à morte Christi, quæ anno 33 æræ vulgaris mense Nisan obtigit, retexamus annos 490, incidemus in mensem Nisan anni 457 ante vulgarem æram, quo præcisè datum est decretum quod ab Artaxerxe Esdras obtinuit; 2° decretum illud vero sensu dici potest ad reædificationem Jerusalem, cùm restituerit cives et leges, quibus magis quàm muris et domibus civitas constituitur.

Confirmatur, 1° quia si sermonem ad ædificandum Jerusalem, de quo in prophetiâ agitur, interpretemur sermonem ad construendos urbis illius muros, jam ab edicto Cyri potiùs quàm ab alio quolibet septuaginta hebdomadum initia essent sumenda; Cyrus enim permisit mœnium Jerusalem ædificationem, quod conatur evincere Pridæus argumentis suprà allatis et expensis.

Confirm. 2°, quia soli epochæ anni septimi Artaxerxis accurata 70 hebdomadum computatio congruit. Respondeo hæc omnia jam in antecessum refutata fuisse. Nam 1°, probatum est *sermonem ut iterùm ædificetur Jerusalem*, in vaticinio Danielis de murorum ac plateæ extructione esse intelligendum. 2° Ostensum est etiam septuagesimæ hebdomadis medio mortem Christi verosimiliùs alligandam. 3° Mœnium ædificationem à Cyro non fuisse permissam pariter evicimus. Quòd si ejus edicto permissa fuisset, inde non sequeretur decretum anni septimi Artaxerxis posse esse sermonem de quo Angelus loquitur, sed hunc potiùs ad solum Cyri edictum referri debere. Unde patet responsio ad primam confirmationem. Ad secundum respondeo, accuratioribus adhuc calculis, ut infrà videbitur, 70 hebdomades duci posse à sermone quo Artaxerxes idem Nehemiæ fecit potestatem muros suscitandi.

Arcessendumne sit septimanarum Danielis initium à litteris-regiis, seu à rescripto quod Artaxerxes Longimanus Nehemiæ concessit? — Refert Nehemias, lib. 2 Esdr. cap. 2, se ab Artaxerxe Longimano anno 20 regni ejus facultatem mœnium Jerusalem extruendorum litteris consignatam impetrâsse; atque ejusmodi rescriptum, seu litteras plerique post Julium Africanum vetustissimum et doctissimum scriptorum, interpretantur *sermonem ut iterùm ædificetur, etc.*, cui septuaginta hebdomadum initium Angelus apud Danielem affigit.

In eâ opinione, cæteroqui facili et expeditâ, occurrit de temporum ratione magna difficultas, quâ chronologorum ingenia non parùm exercentur. Scilicet annus Artaxerxis vigesimus, quo Nehemias hanc sibi factam potestatem narrat, videtur incidere in annum 445, ante æram vulgarem; siquidem ex Herodoto (Hist. lib. 7 initio) colligitur quatuor annis integris vixisse Darium Hystaspidem post Marathoniam pugnam, quam mense septembre anno ante eamdem æram 490 commissam fuisse apud omnes certum est. Initia ergo Xerxis, qui Dario successit, alleganda sunt anno post hanc pugnam quinto; cùmque annis 20 completis regnâsse Xerxem statuatur, consequens est annum vigesimum ejus successoris Artaxerxis esse ipsum annum ante æram vulgarem 445. Porrò si ab hoc anno ducas 70 hebdomadas seu annos 490, incidet annus postremus hebdomadis ultimæ in 45 æræ vulgaris, cùm tamen Christi mors, ejusdem hebdomadis medio connectenda, non possit ultra annum 33 æræ illius, doctis omnibus fatentibus, differri. Temporis igitur intervallum, quod rescriptum illud inter et mortem Christi interjacet, octo circiter annis brevius esse videtur, quàm ut accurato hebdomadum calculo conveniat. Quòd si Christi Passio anno 31 vel 29 vulgaris æræ collocetur, aut pars vigesimi anni Artaxerxis intra quam Nehemias missus est, anno 444 vel 443 ante hanc æram, ut quibusdam placet, adscribatur, majus adhuc habebitur discrimen.

Ad hanc diluendam difficultatem varia in medium prolata sunt systemata. Multi annum Artaxerxis vigesimum de quo Nehemias loquitur, à morte Xerxis ducendum existimant. Complures verò opinantur Artaxerxem fuisse à patre socium regni factum, et ab hâc primâ illius coronatione annum ejus vigesimum, quo Nehemias profectus est, computandum esse docent. Utrinque autem in varias adhuc opiniones itur.

Ac priores quidem, nimirùm qui à Xerxis morte annum Artaxerxis vigesimum accersunt, planè diversis insistunt viis, ut ad rationes temporum hebdomadas accommodent. 1° Africanus, lib. 5 de Temporibus (1), Danielem de annis lunaribus explicat. Nempe rescriptum Artaxerxis anno quarto olympiadis 83, id est, initio anni ante æram vulgarem 444 alligat, mortem verò Christi in quâ ex ipso septimanæ desinunt, putat contigisse 202 olympiadis anno secundo, qui est trigesimus æræ vulgaris; atque ad hebdomadas 70 inter utrumque illud extremum concludendas, statuit eas annis duntaxat lunaribus conflari; quippe hâc ratione anni solares ferè quindecim de summâ septimanarum deducuntur. Annus enim solaris undecim diebus lunarem annum superat, adeòque 70 hebdomades annorum lunarium conficiunt solùm annos solares 475 cum aliquot mensibus. Cur autem hebdomades Danielis ita sint accipiendæ, rationem affert Africanus, quòd (2) *Judæi ad cursum lunæ annos computare consueverint.* Unde *ternos intercalares*, inquit, *octavo cuique anno adjiciunt.* Cæterùm, dùm ejusmodi hebdomadum anno ultimo Passionem Christi assignat, anno uno fallitur; namque ab anno 4 olympiadis 83 exeunte, ad secundum olympiadis 202, itidem exeuntem, non numerantur 475 anni, sed 474 tantùm. Post Africanum ex annis lunaribus hebdomadas Danielis compingunt Theodoretus in cap. 9 Danielis, Zonaras Annal. lib. 3, Rupertus lib. 1 in Danielem, cap. 1, Pererius Comment. in Daniel parte 2, Salianus et Torniellus in Annalibus, Huetius Demonst. ev. prop. 9, cap. 8, num. 9. Plerique ta-

(1) Apud Euseb. lib. 8 Demonst. evang. p. 389 et 390; et S. Hier. in Daniel. cap. 9, t. 3, col. 1110.

(2) Apud Euseb., ibid. p. 390

men isti et ab Africano, et à sese invicem in quibusdam non nihil dissentiunt. Huetius præsertim finem hebdomadum aliter constituit. Ex ipso rescriptum Artaxerxis datum est anno primo ineunte olympiadis 84, id est, initio anni ante æram vulgarem 444, quem annum computat, non, ut alii solent, à mense Julio, quo ludi olympici cœperunt, sed ad faciliorem calculum à Januarii præcedentis initio; quapropter is annus ipse est ante æram vulgarem 444, cui initium hebdomadum Africanus quoque alligat. Septimanæ inde fluentes anno 1 olympiadis 203, æræ vulgaris 33, terminantur. Demùm mortem Christi anno 18 Tiberii, 202 olympiadis 3, id est, æræ vulgaris 31, annectit, ita ut anno 5 septuagesimæ hebdomadis Christus pro nostrâ salute sit passus.

2° Galatinus, Usserius et alii, solutionem Africani non probantes, volunt septimanas de annis solaribus, seu, quod eòdem recidit, de lunaribus quidem, sed ope mensium intercalarium cursui solis exæquatis esse intelligendas. Ut autem, quantùm opus est, protendatur tempus, quod ab anno Artaxerxis vigesimo ad Christi mortem elapsum est, Galatinus lib. 4 *de Arcanis cathol. verit.* cap. 14, regibus Persarum Artaxerxem subsequentibus plures, quàm fides historiæ patitur, annos imperii tribuit, novamque eorum finxit arbitratu suo chronologiam Quem in scopulum Joannes Lucidus quoque impegit.

3° Ad idem producendum tempus, Xerxi octo annos Usserius (1), Lancelotus (2) et Bossuetius (3) detrahunt, eosque addunt annis 40 quibus regni Artaxerxis duratio solet definiri. Scilicet ex testimoniis Thucydidis, Charontis Lampsaceni, Annalium Persicarum, Cornelii Nepotis et Eusebii colligi arbitrantur ad Xerxis filium confugisse Themistoclem Athenis ostrascismo pulsum, ac proinde Artaxerxem Longimanum pluribus annis ante vigesimum Xerxis annum imperâsse. Quapropter existimant Lancelotus et Bossuetius Xerxem ab Artabano jugulatum anno regni sui 12 ante æram vulgarem 473 (Usserius ait 474), tuncque Artaxerxem regno frui cœptum, postea dedisse mense Nisan anno abhinc vigesimo, ante æram vulgarem 454, rescriptum de muris Jerusalem extruendis; à quo 70 hebdomades exortæ ad annum æræ vulgaris 36 protrahuntur, ita ut mors Christi, quam anno illius æræ 33 assignant in dimidio hebdomadis ultimæ contigerit.

4° Eumdem nodum ope annorum sabbaticorum, de quibus suprà disseruimus, expedire molitus est D. Romigni celeberrimus non ita pridem in scholis Sorbonicis theologiæ professor regius in tractatu de Incarnatione, quem anno 1731 dictavit; ratus 1°, ad computandum seriem hebdomadarum annorum, quæ claudantur anno sabbatico, necesse non esse ut extremæ integræ sint; 2° hebdomadam in cujus *dimidio deficiet hostia et sacrificium*, ad tempus belli Judaici ac Jerosolymorum subversionis referendam. Jam porrò, quos diximus statuere, ad quæstionem dirimendam, Artaxerxem in societatem regni à Xerxe assumptum fuisse, ii in diversas etiam discedunt partes, tum circa annum et occasionem illius erectionis, tum circa modum quo rem exponunt, ac momenta quibus eam singuli stabiliunt. Petavius (1), Possinus (2), et alii multi arbitrantur scriptorum profanorum auctoritate evinci Xerxem 21 annis inchoatis regnâsse. Censent etiam ex plurimorum historicorum testimonio erui Artaxerxem ante annum Xerxis vicesimum sceptro esse potitum. Quas auctoritates inter se ut componant, Xerxem anno regni sui 12 ad novam, ut scribit Justinus Hist. lib. 11, sub finem, in Græcos expeditionem se accinxisse ponunt, ac tum ex more persico in regni consortium assumpsisse filium suum Artaxerxem Atque ex hâc Artaxerxis coronatione computant tum annum ejus septimum, quo Esdræ decretum concessum est, tum vicesimum, quo Nehemias murorum restaurandorum obtinuit potestatem, et à quo septimanæ currere incipiunt. Cæterùm, de illarum exitu cum Usserio Petavius et Possinus conveniunt; sed hic insuper singularem aliam tradit de septuagesimâ hebdomadâ conjecturam, quam lege, si vacat, loco citato. Alii, ut Tirinus in Chronico sacro cap. 38, Abramus apud Turneminium in Menoch. Suppl. pag. 496, etc., aiunt Artaxerxem anno imperii Xerxis quinto, ante æram vulgarem 480, socium regni factum. Cùm enim ejusmodi cooptationes idcircò maximè admittere liceat, quia ab Herodoto, lib. 7 Hist., traditum est hunc fuisse Persarum morem, ut reges tunc successorem eligerent, quando ad bellum in longinquas regiones proficiscebantur, satius esse sentiunt ad annum Xerxis quintum quàm ad duodecimum primam Artaxerxis coronationem referre. Quippe anno imperii sui quinto Xerxem in Græciam trajecisse certum est; nulla verò anno ejusdem 12 expeditio locum habuit. Itaque annum vigesimum, quo Nehemias missus est, supputant Tirinus et Abramus à primâ illâ Artaxerxis coronatione, illumque alligant anno ante æram vulgarem 460. Septimanarum verò ad tempora faciliùs aptandarum causâ conjectatus est Tirinus 1° tres annos in mœnibus et propugnaculis perficiendis et absolvendis fuisse consumptos, quod firmat ex Josepho illius operis finem et exitum ad annum 28 Xerxis referente lib. Antiq. 11, cap. 5; 2° verba Angeli, *Ab exitu sermonis*, esse accipienda de sermone ad exitum perducto, seu de absolutâ Jerosolymorum ædificatione. Ex ipso igitur, ab anno 23 Artaxerxis, ante æram vulgarem 457 hebdomadæ fluunt. Unum superest de hâc opinione advertendum; nempe ejus defensores à morte Xerxis numerare annum Artaxerxis septimum, quo Esdras decretum obtinuit, ac proindè

(1) Annal. vet. Test. ad an. ante ær. vulg. 474 et 454.
(2) Chronol. sac. Bibliis Vitræanis suffixâ, cap. 20.
(3) Hist. Universal. part. 1. epoch. 8 versùs initium.

(1) Lib. 10 *de Doctr. temp.* cap. 25, et lib. 12, cap. 32 *Ration. temp.* part. 2, lib 3, cap. 10 *de Incarnat.* lib. 16.
(2) In dissertatione *Menochii suppl.* insertâ p. 468.

Esdram nonnisi duobus post Nehemiam annis Jerosolymam adventâsse.

Tirini Abramique systema sibi corrigere visus est Turneminius in Menoch. supp. Dissert. 16. Idem cum illis sentit de occasione primæ Artaxerxis coronationis, ambos verò in eo deserit, quòd anno Xerxis septimo, non quinto hanc coronationem alliget, nixus testimonio Herodoti lib. 7, ex quo adstruere conatur Xerxis in Græciam transitum ad annum ejus septimum pertinere. Secundam Artaxerxis coronationem collocat post necem Xerxis, cui annos regni 21 inchoatos tribuit. A priori Artaxerxis cooptatione ducit annum ejus 20, quo Nehemias Susis missus est; ab alterâ coronatione annum septimum, quo Babylone profectus est Esdras, adeò ut annus vigesimus de quo loquitur Nehemias, et annus septimus cujus mentionem facit Esdras, unus et idem annus sit *diversâ ratione* numeratus; atque eodem anno, mense, et die Esdras et Nehemias Jerosolymas advenerint. Is annus ex Turneminio est 460 ante æram vulgarem. Porrò à completâ murorum extructione die 25 mensis Elul ejusdem anni septuaginta computat hebdomadas, easque perducit ad mensem eumdem Augusto respondentem anni 31 æræ vulgaris, quo opinatur Christum mense Nisan cruci affixum fuisse.

Quod Tirinus, Abramus et Turneminius conjiciunt de diversâ ratione computandi annum 7, et annum 20, Artaxerxis in libris Esdræ memoratos, ad modò expositam Petavii sententiam, servatâ ejus substantiâ, non absurdè aptari potest. Scilicet nihil fortè mirum Nehemiam Artaxerxis pincernam ipsique specialiter addictum, regni ejus initia ad primam ejus coronationem referre solitum fuisse, et propterea annum ejusdem vigesimum ab hâc primâ coronatione numerâsse. Sed nulla similis ratio nos cogit ad Esdram hoc singulari modo explicandum. In systemate Petavii ad hanc conjecturam immutato, Esdras Jerusalem venisset anno ante æram vulgarem 458, post Xerxis mortem septimo, quinquennio integro antequàm veniret Nehemias. Atque hâc unâ mutatione, præcipuæ quibus illud systema impetitur, evanescerent objectiones, quod inferiùs planum fiet.

Quid de diversis hactenùs explicatis opinionibus sentiendum videatur, aperient sequentes conclusiones.

Conclusio I. Facultas extruendorum mœnium Jerusalem ab Artaxerxe Longimano Nehemiæ concessa, ipse est *sermo ut iterùm ædificetur Jerusalem*, à cujus exitu 70 hebdomades ducendæ. Probatur. Quia facultati ejusmodi insunt characteres omnes *sermonis ut iterùm ædificetur Jerusalem*, de quo loquitur Angelus. Nam 1°, est sermo expressus de iterùm ædificandâ Jerusalem cum plateâ et muris, ut ex cap. 2 libri 2 Esdræ manifestum est. 2° Vi ejusdem facultatis reipsà ædificata est civitas Jerusalem, murique ejus erecti, 2 Esdræ cap. 3, 4, etc. 3° Hinc distinguitur is sermo à quolibet alio decreto in gratiam Judæorum à regibus Persarum concesso. Nam Cyrus et Darius decretis suis solius templi ædificandi mentionem faciunt, nihil de mœnibus erigendis permittunt. Decretum Artaxerxis Longimani Esdræ datum ad cultum Dei, gentisque politiam totum attinet. 4° Facultatem sibi concessam voce hebraeâ *Dabar* expressit Nehemias cap. 2, v. 18 et 20, quâ etiam usus est Angelus apud Danielem, *Min motza dabar, ab exitu sermonis*. 5° Tempora illi hypothesi congruunt. Nam de octo tantùm annis controvertitur. Quòd si attendatur hìc agi de annorum ferè quingentorum serie, de plurimorum imperiorum successione, de annis tot regum qui per id tempus floruerunt, de rebus ab ævo nostro longissimè dissitis, quas pauci tractârunt antiqui scriptores, iique inter se non concordes; nonne mirum videbitur nonnisi de octo annorum differentiâ disputari, ubi etiam ad exiliores litigiosæ chronologiæ calculos omnia perpenduntur? Num propter difficultatem ex ejusmodi discrimine ortam deseretur quod adeò perspicuè apparet, nempe litteris Nehemiæ concessis inesse characteres sermonis ab Angelo indicati? Sed prætereà exponetur deinceps quâ ratione etiam illud leve discrimen evanescat.

Dices cum Ayrolo in libro 70 hebdomadum resignato, cap. 14: Ubi vulgatus Interpres legit, *Ut iterùm ædificetur Jerusalem*, cum Hebræis legendum est: *Ad redire faciendum* (populum è captivitate) *et ædificandum Jerusalem*. Favent multæ versiones, Syr. Arab. Pagnin. R. Saadia Gaon; apud 70 Interpretes habetur: *Ab exitu sermonis ut respondeatur* (precibus populi redire cupientis) *et ædificetur Jerusalem*. Duo igitur sunt præcipui characteres sermonis à quo Angelus indicat duci debere septimanas; 1° debuit esse sermo ad reducendum è captivitate populum; 2° ad ædificandum Jerusalem. Atqui facultas concessa Nehemiæ non fuit ad reverti faciendum populum è captivitate; ergo.

1° Nego major. Hebræa malè ab Ayrolo reddunt: 1° quia regulis grammatices hebraicæ cautum est ut quotiescumque duo verba consequenter leguntur, puta, *addidit loqui, addidit et locutus est, addidit ad loquendum*, etc., priùs verbum reddatur per adverbium congruens, v. g.: in exemplis mox allatis vertendum est, *rursùs locutus est;* ergo verba Angeli pariter vertenda sunt, *Ut iterùm ædificetur*, etc., quod hebræi idiomatis indoli non dissentaneum judicat ipse Ayrolus ibid. 2° Etsi hebræa de verbo reddenda essent: *Ad redire faciendum et ædificandum*, non ideò ibi significaretur populus è captivitate reducendus, quem nec nominat quidem Angelus, sed verbum *leaschib, ad redire faciendum*, eodem sensu hìc accipi debet, ac in fine versiculi, ubi legitur *taschoub venibnetha rechob, redibit et ædificabitur platea*, etc. Atqui isto in loco verbum *taschoub*, utpote ejusdem generis ac *rechob, platea*, ad eam contingere dicendum est, non ad *populum* qui ibi penitùs reticetur, proindeque et in priori versiculi parte verbum *leaschib*, ad Jerusalem spectat. Neque in hâc interpretatione ulla occurrit difficultas: quippe urbs sensu metaphorico redire ac reverti dicitur ab Hebræis, cùm iterùm ædificatur. 3° Non alium ingerunt sensum translationes Syriaca,

Arabica et Pagniniana, quæ textum hebræum totidem verbis exprimunt. 4° Græca versio quæ legit, *Ut respondeatur et ædificetur*, Ayrolo etiam non favet. Namque positâ hâc translatione, istud, *Ut respondeatur*, referendum esset ad vota populi ædificationem mœnium cupientis. Proindeque non magis ex versione græcâ quàm ex hebræo textu conficitur unum è characteribus sermonis ab Angelo indicati hunc fuisse, *Ut populus è captivitate reduceretur.*

2° Nego minorem. Artaxerxes Nehemiam ad ædificandum Jerusalem mittens, censendus est populi è captivitate reditum implicitè permisisse. Saltem hoc ipso quo Jerusalem iterùm ædificari edixit, hanc civibus frequentari ac Judæis oppleri sanè voluit; istud enim ex altero consequi planum est et eventus probavit. Vide 2 Esdr. 7, v. 4, et cap. 11, v. 2 et seq.

Conclusio II. Hebdomades Danielis videntur annis solaribus conflatæ; ac proinde anno Artaxerxis Longimani 20, à morte Xerxis computato initium septimanarum affligi nequit.

Probatur prima pars, nempe annis solaribus hebdomades Danielis constare. Nam septimanæ Danielis intelligendæ sunt de hebdomadibus apud Judæos usitatis, et à Scripturâ memoratis: aliàs nihil fixi in illis haberetur. Atqui hebdomades annorum apud Judæos usurpatæ et in Scripturis memoratæ, annis solaribus constant, seu, quod idem est, annis lunaribus per embolismos ad solarem cursum aptatis. Ex Scripturis enim manifestè colligitur eos ejusmodi solùm annis usos esse; lege Moysis erat præscriptum (1), ut die decimâ quartâ mensis Nisan exeunte, versùs æquinoctium vernum et tempore novarum frugum (2), quotannis Pascha celebraretur. Atqui nisi usi essent Judæi annis solaribus, aut embolismorum ope ad solares redactis, istud non observâssent præceptum; quippe cùm anni lunares sint diebus undecim breviores quàm solares anni, dies decima quarta mensis Nisan, eâ in hypothesi, singulas anni tempestates successivè decurrisset, raròque ad æquinoctium vernum accessisset. Ex aliis Judæorum festis (3) similia deduci possunt argumenta, quibus res planè demonstratur; neque id inficiatur quisquam. Hinc R. Maimonides in Hilchoth Kidusch Hachodesch, cap. 1, parag. 1: *Menses anni*, inquit, *sunt menses lunæ*, ... *anni verò quibus computamus, solis sunt.* Similia habet Aben Ezra.

Dices 1°. Annos lunares cum solaribus exæquabant quidem Judæi, tribus embolismis mensibus octavo cuique anno adjectis; sed idipsum ostendit lunares annos illis fuisse usitatos, ac proinde de iis annis posse vaticinium exponi. Ita Africanus apud Euseb. et S. Hieronymum locis suprà laudatis. Nego sequelam. Nam si annos lunares ope embolismorum annis solaribus Judæi exæquârunt, ergo ubi Scriptura loquitur de annorum hebdomadâ, intelligendi veniunt septem anni solaribus pares, non verò anni septem lunares tantùm.

Dices 2° cum Huetio (1) 1°: Solent prophetici sermones nebulis quibusdam involvi, *ut ab intuendâ nudâ veritate profani vulgi oculus prohibeatur.* 2° *Probabile est in annorum designandis intervallis ad eam anni formam spectâsse angelum, quæ popularis et pervulgata iis erat gentibus inter quas versabatur Daniel, ad quem tum verba faciebat.* Itaque de annis chaldaicis, vel medicis, vel persicis debet angelus intelligi. *Qui anni solaresne fuerint, an lunares, incertum planè est, neque de iis quidquam à veteribus scriptoribus traditum.* Ergo Africanus *chronologicæ consultissimus artis, et antiquorum commentariis, quibus nunc caremus, instructus*, reprehendendus non est, dùm *anni lunaris formam ab angelo et Daniele usurpatam pronuntiat.* 3° Etsi anni lunares ope intercalationum solaribus æquales facti adhiberentur à Judæis ad determinandos dies festos, attamen populus ad usum civilem, præsertim post captivitatem Babylonicam, annos lunares vagos fortè usurpavit; quemadmodùm existimavit Scaliger apud Ægyptios et Arabes, plebem annis lunaribus incertis uti solitam, dùm fixis sacerdotes; ergo, etc.

Respondeo has omnes conjecturas haud satis solidis inniti fundamentis. Ostendit Petavius, de Doctr. temp. lib. 3, cap. 4 et seqq., annos chaldaicos, persicos, etc., pares nostris fuisse, et diebus 365 conflatos. Certè æra Nabonassari annis merè lunaribus non compingebatur. Africanus scribit tribus embolismis octavo cuique anno additis, lunares annos à Judæis factos fuisse pares solaribus. Fatetur ipse Huetius *in describendis annalibus solaris anni rationem fuisse adhibitam*, ac annum popularem Hebræorum, si ab ecclesiastico diversus fuerit, debuisse *certis temporibus ad easdem metas revocari, ad determinandos, nimirùm annos Schemitah sive remissionis, hoc est, sabbaticos, tum et Jubilæos.* Sed anno lunari usi sint populi quidam parùm interest; Danielis hebdomades juxta morem loquendi Scripturis usitatum intelligendæ, ut non semel dictum est; atqui in Scripturis sacris nulla occurrit mentio hebdomadum annorum lunarium; hæc verba Levit. 25, v. 8: *Numerabis tibi septem hebdomadas annorum*, etc., de annis solaribus necessariò explicanda sunt; ergo, etc. Et verò cùm Daniel initio capitis 9 loquitur de 70 annis desolationis Jerusalem, cùm variis in locis annos regum Chaldæorum aut Persarum computat, de meris annis lunaribus à nemine explicatur. Ut quid ergo, ubi hebdomades annorum 70 constitutas et determinatas vaticinatur, de meris annis lunaribus esset accipiendus? ergo, etc.

Probatur secunda pars, nempe, si hebdomades annis solaribus constent, annum Artaxerxis vigesimum à morte patris computatum, illarum initium esse non posse. Nam si annis solaribus hebdomades confles, et simul anno Artaxerxis post mortem Xerxis vigesimo illarum initia adscribas, vel ut calculi constent, regum

(1) Exod. 12, v. 18; Levit. 23, v. 5; Num. 28, v. 16.

(2) Exod. 13, v. 4, et cap. 23, v. 15; Deut. 16, v. 1.

(3) Exod. 23, v. 16; Levit. 23, v. 34; Num. 29, v. 12; Deut. 16, v. 9.

(1) Demonstr. evang. prop. 9, cap. 8, n. 10.

Persarum Artaxerxem subsequentium tempus cum Galatino produces, vel Xerxi octo annos cum Usserio, etc., detrahes, vel annis sabbaticis nodum solvere conaberis; atqui nullum horum dici potest. Et ut ab ultimo incipiam, 1° is nodus solvi nequit ope annorum sabbaticorum. Sic se habet illud systema. 1° Septimanæ Danielis in eo dicuntur annis sabbaticis singulæ terminari, et annus 33 æræ vulgaris, quo Christus mortuus est, ponitur sabbaticus; 2° annus 20 Artaxerxis cadit in annum quartum primæ hebdomadis, quæ tamen computatur, quia ut ratio haberi possit hebdomadis alicujus extremæ, hanc esse integram non oportet; 3° cùm hæc ad diluendam difficultatem non satis sint, additur in fine hebdomadis 69 mortuum esse Christum, hebdomadem verò septuagesimam ab aliis separandam et ad tempus belli Judaici esse referendam. Ita ut in ejus dimidio excidium Jerosolymitanum contigerit. Atqui hujusmodi systema propugnari non potest.

Nam 1° Angelus ita accuratè hebdomades computat, ut utriusque partis septimanæ ultimæ, quam in duas medietates dividit, rationem habeat; ergò hebdomas prima ab eo ut integra posita non fuisset, si ipsi tres quatuorve defuissent anni. 2° Tempora quæ ab Angelo in summam unam collecta sunt, non possunt ullo intervallo à se invicem separari; ergo septuagesima hebdomada ab aliis non avellenda, ut ad tempus belli Judaici transferatur. 3° Ait Angelus 70 hebdomadas constitutas *ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas*, etc., quæ omnia tum præsertim facta sunt, cùm Christus mortem oppetiit, nec ad excidium Jerosolymitanum spectant. 4° Ex vaticinio post hebdomades 69 occidi debuit Christus, ac proinde intra septuagesimam. 5° Quid in illo systemate significent verba ista : *Confirmabit autem pactum multis*, etc., intelligi non potest. Nullum pactum confirmavit multis hebdomadâ illâ, quâ à Tito excisa sunt urbs et templum. 6° Cùm annus æræ vulgaris 66, quo cœpit bellum Judaicum, non sit initium hebdomadis anno sabbatico terminatæ, nec proinde ejusmodi hebdomadis dimidium sit annus 70 æræ vulgaris, quo Jerusalem et templum conflagrârunt, cogitur illius systematis auctor initium belli Judaici biennio differre, atque Jerosolymorum excidium anno æræ vulgaris 72 alligare; quod accuratæ temporum rationes minimè patiuntur. Vide Petav. de Doct. temp. lib. 11, cap. 17, Tillemontium, etc.

2° Regum Persarum Artaxerxem subsequentium tempora malè producit Galatinus. V. g., Dario Notho annos 29 regni tribuit, quem ex canone Ptolomæi, et ex aliis indubitatis monumentis constat non ampliùs quàm 19 annis imperio esse potitum. Prætercà certissimum est anno ante æram vulgarem 431, esse alligandum initium belli Peloponnesiaci. Scribit autem Thucydides lib. 4 anno post illud bellum incœptum septimo Artaxerxem obiisse. Ergo anno ante æram vulgarem 425, Artaxerxis mors assignanda. Sed ab anno 425 ante æram vulgarem, usque ad annum ante eamdem æram 331, quo constat commissum esse Arbelicum certamen, et persicum imperium desiisse fluxerunt tantùm anni 94, ubi tamen ex Galatino sex ferè supra centum essent numerandi.

3° Anni octo Xerxi detrahi nequeunt, seu anno regni sui 21 inchoato, non 12, Xerxes ab Artabano fuit interemptus. Nam tot monumentis adstruitur Xerxem viginti annis integris imperio potitum, ut id negari posse non videatur. Pleraque his verbis complexus est Possinus in dissertat. quæ extat in Menoch. Supp. de Danielis hebdom. n. 18 : « Ne id (nempe Xerxem « 12 tantùm annis regnâsse) admittam, inquit, deterret 1° chronologorum veterum (Ptolomæi in canone, « Diodori Siculi, Eusebii, etc.) ac recentiorum unanimis consensus in assignandis regno Xerxis annis « saltem viginti.... Deterret 2° scriptorum gravissimorum, Dionis, Clitarchi, Heraclidis, Josephi Hebræi, Diodori Siculi, Plutarchi, aliorumque multorum concors affirmatio aientium Themistoclem (qui « ex Usser., Lancel., Bossuet., Artaxerxem adiit) ad « regem Persarum, illum ipsum quem ad Salaminam « vicerat et ex Græciâ expulerat, transfugisse. Non « alius is, ut patet, quàm Xerxes fuit, quem etiam plerique illorum nominant, clarè affirmantes, Xerxis « adhuc viventis et regnantis, fugatum Athenis Themistoclem, patrocinium quæsivisse. Adstruunt fidem « istorum asserta quædam ab auctoribus antiquissimis « vitæ historiæque Themistoclis, ex publicâ memoriâ « notata, ut quod Diodorus lib. 11, fusè ac sigillatim « refert, quemdam Lysithidem Asiaticum, hominem « ditissimum qui gratiam sibi magnam apud Xerxem « comparaverat, epulis ei et universo ejus exercitui « copiosissimis præbendis, quando is movens in Græciam Hellespontum transiit, hospitio et amicitiâ veteri junctum, Themistocli ab Atheniensibus expulso, « huic impensè tum favisse suffragatione benevolâ, « multùmque ad hoc contulisse, ut audientiam illi facilem rex magnus daret. Non igitur is fuit Artaxerxes nunquàm à Lysithide exceptus, sed Xerxes « Artaxerxis pater, ejus usus insigni beneficio, cùm « infestus Græciam peteret. Itemque quod Plutarchus « narrat in vitâ Themistoclis, hujus admissionis ad « Xerxem magnâ ex parte ministrum fuisse Artabanum prætorianorum Xerxis ducem, qui proditione « deinde impiâ Xerxem ipsum obtruncavit, ac statim « post, dùm Artaxerxem quoque conaretur occidere, « strenuè ad hoc præoccupatus et peremptus fuit. Unde « est evidentissimum non potuisse Artabanum talem « operam Themistocli præstare, nisi Xerxe adhuc « regnante. » Adde quòd Xerxis mors anno regni ejus 12 non potuerit alligari, quin annis 48 imperâsse filium ejus Artaxerxem statueretur. Etenim ut modò ex Thucydide collegimus, Artaxerxes obiit anno ante æram vulgarem 425, à quo si retexueris annos 48, occurret annus ante eamdem æram 473, qui est 12 Xerxis. Atqui Artaxerxes regnavit tantùm 40, ut tradunt Diodorus Siculus lib. 12, Eusebius in Chronico latino, et alii plerique, vel ad summam 41, ut scribunt Ptolomæus in canone, S. Clemens Alexandr. lib. 1 Strom. et idem Eusebius in Chronico græco : ergo.

Dices. Narrat Thucydides (1), lib. 1, Themistoclem Athenis profugum in Persidem trajecisse, quo tempore Athenienses Naxum obsidebant, additque ipsum ad Artaxerxem Xerxis filium, *qui nuper regnare incœperat*, νεωστὶ βασιλεύοντα, litteras tum dedisse. Themistoclem ad Artaxerxem confugisse tradunt etiam Charon Lampsacenus et annales Persici apud (2) Plutarchum in Themistocle, necnon Cornelius Nepos (3). Atqui fuga Themistoclis in annum 12 Xerxis ante æram vulgarem 473 conjici debet : 1° enim Eusebius in Chronico ait eum in Persas fugisse olympiadis 76, anno 4, qui est ipsissimus annus 12 Xerxis. 2° Diodorus (4) Siculus ad annum 2 olympiadis 77 Themistoclis fugam lib. 11 referens, parùm ab Eusebio discrepat, imò potest facilè cum eo conciliari. Quippe Themistocles fertur anno integro in Perside vixisse antequàm regem compellaret, quòd persicè vellet illum affari ; possumus igitur Eusebium interpretari de Themistoclis in Persidem transitu ; Diodorum verò de tempore quo post annum integrum idem Themistocles Artaxerxem adiit. 3° Naxii obsidebantur juxta Thucydidem cùm Themistocles ad Persas se recepit ; expugnati sunt porrò illi ante victoriam ad Eurymedontem de Persis ab Atheniensibus reportatam, quam olympiadis 77 anno 3 (ante æram vulgarem 470) adscribit Diodorus lib. 11. Ergo, Xerxes anno imperii sui 12, ante æram communem 473, vitâ excessit, tuncque regnare orsus est Artaxerxes Longimanus, à cujus anno vigesimo currunt 70 hebdomades. Hæc sunt opinionis Usserii, Lancel. et Bossuetii fundamenta.

Nego consequentiam. Vel nihil evincit objectio, vel id unum evincit, Artaxerxem scilicet anno Xerxis 12 fuisse à patre socium regni factum. Nam tota vis argumenti nititur auctoritate Eusebii et Diodori, ex quibus solis habetur quo anno Themistocles ad Persas appulerit. Atqui si ex illis arguere velis Xerxem anno regni sui 12 necatum, et Artaxerxem sine comite tum regnare orsum, nihil efficies. Quid ita? quia Eusebius (5) et Diodorus (6) Siculus annos regni unum et viginti inchoatos Xerxi disertissimè tribuunt, pluribus annis hunc post Themistoclis fugam regnâsse scribunt, atque Themistoclem ad Xerxem illum ipsum quem Salaminæ vicerat, confugisse conceptis verbis testatur Diodorus. Quanquàm igitur, sicut Eusebius, ita et Diodorus apertè traderet, quæ ipsi in objectione adscribuntur, non posset ex eorum testimonio stabiliri Themistoclis in Persidem transitum, si Xerxem antea mortuum supponas, anno illius regis 12 affigendum. Etenim, in eâ hypothesi non sibi constarent illi testes, et incertum maneret an de Themistoclis fugæ anno magis quàm de annis imperii Xerxis iis esset credendum. Ergo non evincit objectio Artaxerxem post mortem Xerxis, anno regni ejus 12 solum regnâsse ; quòd si illa quidquam probet, hoc unum, Artaxerxem nimirùm anno Xerxis 12 fuisse in consortium supremæ auctoritatis à patre cooptatum; de quo inferiùs disseremus.

(1) Thucyd. p. 89 et 90, edit. Francof. 1594.
(2) Plutarch. edit. Paris. 1624, t. 1, p. 125.
(3) Corn. Nepos in Themist. cap. 2.
(4) Diodor. Sicul. edit. Hanov. 1604, part. 2, p. 41 et seqq.
(5) Chron. Lat. lib. 1 et 2, edit. Amstelod. 1658, p. 130 et 131, et Chron. Græc. ibid. p. 53, et 166, 167.
(6) Lib. 2, pag. 43, 44, 53, etc., edit. Hanov. 1604.

Conclusio III. Nec quinto, nec septimo regni sui anno Xerxes socium sceptri Artaxerxem fecit ; ruunt proinde Tirini, Abrami et Turneminii conjectationes de Septimanarum initio. Probatur prima pars, Xerxem videlicet anno imperii sui quinto in regiæ auctoritatis consortium Artaxerxem non cooptâsse. Si enim ut Tirinus et Abramus conjectantur, anno 5 regni Xerxis Artaxerxes factus esset consors potestatis supremæ, ita ut ab hâc primâ coronatione annus ejus vigesimus, quo Nehemias missus est, computandus sit ; vel annus Artaxerxis 7, quo Esdras Babylone profectus est, 1 Esd. 7, ab illâ cooptatione etiam numerabitur, vel ducetur à morte Xerxis, cùm nempe Artaxerxem solus potiri rebus incœpit. Atqui neutrum dici potest. Non primum, quia Artaxerxes, ut deinde dicemus et à Tirino Abramoque probatur, vivente Xerxe non tulisset decretum 1 Esdræ 7 relatum, in quo ipse solus loquitur et rex regum appellatur. Non secundum, quia Artaxerxis annus septimus quo Esdras Jerosolymas advenit, ab initio Artaxerxis post patris necem sine socio regnantis desumatur, annus verò ejusdem vigesimus profectioni Nehemiæ adscriptus ab anno 5 Xerxis putandus sit, tenendum erit cum Tirino et Abramo Esdram nonnisi duobus post Nehemiam annis Jerosolymas advenisse, quippe cùm Xerxes viginti annis completis regnaverit. Atqui Esdras Jerosolymis aderat eodem anno quo Nehemias ad hanc urbem accessit ; quod ex cap. 8 lib. 2 Esdræ manifestè colligitur. Nam postquàm cap. 2, v. 1, dictum fuerat Nehemiam *mense primo* Susis esse profectum, et cap. 6, v. 15, *completum esse murum vigesimo quinto die mensis Elul* (id est, mensis 6), *quinquaginta duobus diebus ;* cap. 8, v. 1 et 2, sic pergitur : *Venerat autem mensis septimus ; filii autem Israel erant in civitatibus suis. Congregatusque est omnis populus quasi vir unus ad plateam quæ est ante portam aquarum ; et dixerunt* Esdræ scribæ *ut afferret librum Legis Moysi, quam præceperat Dominus Israeli. Attulit ergo* Esdras Sacerdos *legem coram multitudine virorum et mulierum cunctisque qui poterant intelligere, in primâ die mensis septimi.* Ex quibus hoc argumentum conficitur : Ex ejusmodi locorum serie et contextu liquet mensem septimum cap. 8 lib. 2 Esdræ memoratum ad eum annum pertinere quo Nehemias Jerusalem advenit ; atqui hoc mense septimo Esdras Jerosolymis jam aderat ; ergo, etc.

Probatur secunda pars, nimirùm Xerxem anno imperii sui 7 in socium regni Artaxerxem non assumpsisse. Namque non adhibenda conjectatio quæ historiâ sacrâ non nititur, et profanæ repugnat ; atqui sic se habet conjectura Turneminii de quâ disputamus. Historiæ profanæ repugnat ; siquidem in eo tota innititur, transitum Xerxis in Græciam cujus occasione Artaxerxes regni particeps est effectus anno imperii Xerxis septi-

mo, non quinto, esse annectendum; at id certissimis historiæ profanæ monumentis refellitur. Enimverò si constet initium Xerxis mortuo Dario Hystaspide imperantis, anno ante æram vulg. 485 esse alligandum; si constet etiam ipsum à Græcis Salaminæ superatum fuisse anno ante eamdem æram 480, mense septembre; id liquidò consequetur, Xerxem, cùm primo vere istius posterioris anni Sardibus in Græciam trajecit, annum regni sui quintum nondùm explevisse. Atqui utrumque constat. Ac 1° quidem Xerxem, mortuo patre, non nisi anno ante æram vulgarem 485, regnare cœptum, triplici invicto argumento adstruitur. Primum ex anno quo Marathone pugnatum est, ducitur. Probat evidenter Petavius (1), consentiuntque insignes quique chronologi, pugnam Marathoniam anno 490 ante æram vulgarem mense septembre commissam fuisse, atque errare Dionysium Halycarnasseum qui hanc ad annum præcedentem lib. 5 refert. Porrò scribit Herodotus lib. 7 initio, Darium post hanc pugnam triennio toto majorem adversùs Græcos apparatum instruxisse; quarto verò anno defecisse Ægyptum, sequente autem anno à defectione Ægypti mortuum esse Darium; quibus efficitur mortem Darii anno à pugnâ Marathoniâ quinto, ante æram vulgarem 485 esse adscribendam, ac proinde Xerxem hoc anno coronatum fuisse.

Alterum argumentum pariter ex annis quibus Darius imperio fruitus est. Is Quandonam regnare incœperit occiso pseudo-Smerdi, tribus eclipsibus Petavius determinat lib. 10, cap. 16 et 18 partis 2 operis de Doctr. temp. Prima contigit die 16 julii anno 7 Cambysis, ante æram vulgarem 523. Secunda visa est die 19 novembris anno 20 Darii, ante æram vulgarem 502. Tertia denique, die 25 aprilis anno ejusdem Darii 31, ante æram vulg. 491. Quibus Darii Hystaspidis initium figitur inter 19 diem novembris anni 522 ante æram vulgarem, et diem 25 aprilis anni proximè subsequentis, ante æram 521. Nam si ante mensem novembrem anni 522 regnare cœpisset Darius, ergo mense novembre anni 502, non vigesimum, sed vigesimum primum egisset regni annum. Si autem post mensem aprilem anni ante æram vulgarem 521 ejus regni initium differretur, ergo mense aprili anni 491 ante illam æram nondùm attigisset 31 regni sui annum. Exploratum itaque habemus initium regni Darii Hystaspidis circa finem anni ante æram vulgarem 522, aut circa principium anni sequentis 521. Rerum autem series ac temporum ratio aliunde postulat ut in annum ante æram vulgarem 521 ineuntem potiùs quàm in 522 desinentem, illud conjiciatur Darii initium. Regnavit porrò Darius ex Herodoto lib. 7, cap. 4, Ptolomæo in canone et aliis, annos 36 completos. Igitur ex annis ante æram vulgarem 521, detrahe annos regni Darii 36 integros, occurret principium anni ante æram vulgarem 485, morti Darii simul et initio Xerxis assignandum. Quòd si ad finem anni ante Christum 522 initia Darii cum Turneminio referas, nihil in gratiam ejus opinionis consequeris. In hâc hypothesi mors Darii non ante decembrem anni ante æram vulgarem 486 contingere potuisset, ac proinde nullum ibi, quod ad rem ipsam contingit, discrimen deprehendetur.

Tertium momentum desumitur ex anno quo Artaxerxes Longimanus è medio excessit. Auctor est Thucydides lib. 4 eum mortuum esse anno 7 post incœptum bellum Peloponnesiacum; atqui bellum istud anno 431 ante æram vulgarem verno tempore inchoatum est, nemine diffitente; ergo post vernum tempus anni ante æram vulgarem 425, vitam finivit Artaxerxes. Regnavit porrò à morte patris, ut supra probatum est, fateturque Turneminius, 40 annis; Xerxes verò annis 20. Hos igitur annos, quorum summa est 60, adjice annis 425 ante æram vulgarem, deprehendes initia regni Xerxis anno ante illam æram vulgarem 485 esse affigenda. Ergo triplici invicto momento constabilitur Xerxem nonnisi anno ante æram vulgarem 485, post mortem Darii rebus potitum.

2°. Non minùs certum est Xerxem regem à Græcis ad Salaminam victum fuisse anno ante Christum 480, die 23 septembris. Thucydides enim lib. 1 affirmat Persas Salaminæ cæsos decennio exacto post Marathoniam pugnam, quam anno 490 commissam fuisse jam diximus. Præterea quo anno Xerxes ad Salaminam prælio decertavit, celebrati sunt ludi olympici; unde conficitur anno 1 ineunte olympiadis 75 actum fuisse illud certamen. Hic autem annus est 480 ante æram vulgarem. Postremò, tunc visa est eclipsis quæ non nisi ad hunc annum 480 potest referri. Ergo clades Salaminia contigit anno 480 ante æram vulgarem. Cùm igitur Xerxes, ut modò ostendimus, anno ante eamdem æram 485 regnari orsus sit, annum regni sui quintum non excesserat, sextum non attigerat quando in Græciam Sardibus profectus est. Non igitur anno regni sui 7 Xerxes in Græciam trajecit, uti Turneminius opinatus est.

Atque hæc quidem genuinis temporum rationibus adeò congruunt, ut ad certiores ipsius Turneminii calculos quadrent. Is pugnas Marathoniam et Salaminiam, quod mirum videri potest, in tabulis chronologicis silet. Verùm in illis tabulis Xerxi annos regni 20 cum uno duplicive mense tribuit; Artaxerxi autem à morte patris regnanti annos unum et quadraginta inchoatos; qui anni, si compingantur in summam, efficient annos 60 cum aliquot mensibus. Jam verò Artaxerxis mortem alligat Turneminius anno 424 (meliùs dixisset 425) ante æram vulgarem. Itaque si annis ante æram vulgarem 424 adjiciamus illos Xerxis et Artaxerxis 60 annos cum aliquot mensibus, in verum initii Xerxis annum incidere debemus. Atqui hoc calculo perducimur ad ipsum annum ante æram vulgarem 485 desinentem, à cujus principio regni Xerxis initia esse accersenda dicimus. Cùm porrò vir doctissimus Xerxis transitum anno ante eamdem æram 481 annectat, ex ejus calculis quid amplius efficitur quàm quod adversùs eum contendimus, nempe Xerxem non jam quinto regni sui anno, sed quarto in Græciam trajecisse?

(1) De Doctr. temp. parte 2, lib. 10, cap. 22, et Ration. temp. part. 2, cap. 11.

Similia repetit in suâ Dissertatione de 70 Danielis hebdomadibus, et quidem in eo ipso argumento, quod affert ad vaticinii *fidem chronologicis rationibus adstruendam*. Scilicet Artaxerxem Longimanum mortuo patre quadraginta integros annos regnâsse ex Thucydide statuit, ejusque mortem alligat anno septimo belli Peloponnesiaci, quem ait esse *quartum octogesimæ octavæ olympiadis* (ante æram vulgarem 424). Hinc benè colligit *Artaxerxem patre mortuo solùm regnare cœpisse anno Nabonassaris* CCLXXXIII *juxta canonem Chronicum, olympiadis septuagesimæ octavæ quarto anno*. Verùm mendosè interpretatur hunc eumdem *annum Artaxerxis primum* esse *quadringentesimum sexagesimum septimum ante Christum*; debuisset dicere quadringentesimum sexagesimum quartum. Nam annus ducentesimus octogesimus tertius æræ Nabonassaris, olympiadis septuagesimæ octavæ quartus, et ante annum quartum olympiadis septuagesimæ octavæ quadragesimus, non est 467 ante æram vulgarem, sed 464, ut facili et certissimo calculo cuique perspicere est. Sed ab hoc anno ante Christum 464, si retexantur unus et viginti anni inchoati quibus Xerxes imperii claves tenuit, incurremus iterùm in annum ante æram vulgarem 485, Xerxis initio ut docuimus, abscribendum.

Cæterùm, illa non habenda sunt tanquàm meræ in calculis aberrationes, quæ ut facilè excidunt, ita nullo negotio emendantur. Ex supra dictis liquet doctissimum virum ipsâ historiæ fide eò ductum ut annis 60 Xerxis et Artaxerxis regna complecteretur, istiusque mortem affigere anno belli Peloponnesiaci septimo, qui omnibus fatentibus verno tempore anni ante æram vulgarem 425 incœpit. Quibus ita constitutis, nec licet initia Xerxis priùs anno ante æram vulgarem 485 ponere, nec ejus in Græciam transitum ad annum ejusdem septimum conjicere. Ergo Turneminii conjectura historiæ profanæ adversatur.

Jam verò eadem hypothesis in sacrâ historiâ non innititur. Hanc firmare conatur Turneminius pluribus Esdræ locis ex quibus id sibi videtur efficere, Esdram et Nehemiam eodem die, mense et anno Jerosolymas advenisse. Atque fatendum quidem eodem mense et die, si eodem anno. De anno igitur tota concertatio est. Quæ autem sibi et Abramo communia Turneminius in hanc rem profert, aptiùs discutientur ubi objectiones solvemus. Hic satis erit ostendere duo momenta, quæ ut ibi propria et evidentissima præ cæteris urget, minùs firma esse. Primum his verbis explicat in laudatâ Dissert. « Postquàm, inquit, advenêre « (Jerosolymam. Esdras et Nehemias) ad Esdram « defertur delictum eorum qui matrimonia cum uxoribus alienigenis, spretâ Dei lege, contraxerant. Confer capita nonum et decimum libri primi (Esdræ) « cum capite nono libri secundi, et fatebere de eâdem « separatione ab uxoribus alienigenis, de eâdem renovatione pacti cum Deo, in utroque agi. » Alterum monumentum continenter sic exponit: « Præterea « lege attentiùs caput octavum libri secundi, et vulgarem opinionem quæ Esdram tredecim annos ante adventum Nehemiæ Jerusalem commoratum statuit, « repugnare Scripturæ liquidò cognosces. Num totis « tredecim annis nulla Esdræ se obtulisset occasio « legis explicandæ et erudiendi populi? an sui muneris partem adeò necessariam et præcipuam omisisset? « Manifestè apparet octavum hoc caput perlegenti, « populum legis lectione tanquàm re novâ et incognitâ perculsum. Igitur..... demonstratum est ex sacrâ profanâque historiâ, quantùm eventus historici « demonstrari possunt, Nehemiam Esdramque Jerusalem venisse eodem anno qui Artaxerxis et septimus et vigesimus diversâ ratione numerabatur. » Hæc vir doctissimus. Atqui utrumque illud argumentum nullum est. Atque ut à postremo incipiam, nego ex cap. 8 libri 2 Esdræ inferri tum primùm Esdram de instructione populi sategisse; nego *populum legis lectione tanquàm re novâ perculsum* ibi videri. Ex eo capite apparet quidem Judæos ab hostibus tutos mœnibus refectis, festum Tabernaculorum eo ritu coluisse, quo ab ætate Josue filii Nun, etiam sub piissimis regibus, celebratum non fuerat. Apparet quoque populum ad solemnitatem congregatum, diebus septem speciali apparatu ac singulari studio ab Esdrâ et à levitis fuisse institutum. Apparet denique hunc ad legis lectionem additasque ab Esdrâ expositiones auribus attentis adhibitis, quæ dicebantur intellexisse, in insolitos pietatis sensus exarsisse, præ contritione cordis flevisse. An verò ut illa contingerent necessum fuit ut legis lectio in se spectata populo visa fuerit tanquàm res nova et incognita?

Quod attinet ad pactum cum Deo, et separationem ab uxoribus alienigenis, apud Esdram et Nehemiam memorata, et quibus primum argumentum desumitur, hæc valdè nocent, non prosunt systemati quod refellimus. Namque si, ut fert sententia communis interpretum, separatio et pactum de quibus Esdras, non sint quid idem cum pacto cujus Nehemias meminit, profectò Esdras et Nehemias eodem die, mense et anno Jerosolymas non advenerunt; uterque enim eo ipso quo venit anno, pactum cum Deo curavit iniri. Atqui separatio et pactum quorum mentio fit cap. 9 et 10 libri 1 Esdr., non sunt quid idem cum pacto de quo Nehemias, 2 Esdr. 9, mentionem habet. Illa quippe in unum confundenda non esse arguunt circumstantiæ utrinque insigniter dissimiles. 1° In libro Nehemiæ uxores alienigenæ non separantur, procul dubio quia non ita pridem ab Esdrâ ejusmodi separatio facta fuerat. 2° Subsignatores pacti apud Nehemiam sunt Nehemias Athersata et alii multi ab iis qui nominantur cap. 10 Esdræ plerùmque diversi. Num inprimis Nehemias Athersata et mœnium erector ab Esdrâ prætermissus fuisset? 3° Hæc pacta eodem tempore sancita non sunt. Fœdus enim de quo Nehemias loquitur initum est die 24 mensis septimi, festo Tabernaculorum celebrato, ut ex v. 1, cap. 8, et ex v. 1, cap. 9, inter se collatis manifestum est. Contra verò vigesimâ die mensis 9 acta sunt quæ Esdras commemorat. Lege versiculum 9 cap. 10 Esdræ. 4° Apud Esdram cap. 10, v. 2 et 3, Sechenias filius

Jehiel de filiis Elam proponit fœdus nec quisquam eum loquentem comitatur; apud Nehemiam nihil de Sechenià loquuntur alii v. 5. 5° Denique in libro Esdræ, cùm fœdus ineundum primò propositum est, non aderat tota gens Judaica, convocata in hunc finem cap. 10, v. 7 : *Convenit tribus diebus mense nono*; at apud Nehemiam, cùm de pacto primùm actum est, cunctus populus jam erat congregatus, nempe mox celebrata fuerat festivitas Tabernaculorum, ad quam convenerant universi. Ergo separatio et pactum quæ Esdras refert non sunt quid idem cum fœdere quod apud Nehemiam legitur, proindeque magis refellitur sacrâ historiâ quàm adstruitur hypothesis Turneminii.

Probatur tertia pars conclusionis, ruere scilicet Tirini, Abrami, Turneminiique hypotheses de 70 hebdomadum initio. Namque, uti ex ejusmodi systematum solâ expositione liquet, hypothesis Tirini et Abrami hâc conjecturâ potissimùm fulcitur, Xerxem anno imperii sui quinto Artaxerxem filium suum in regni comitem assumpsisse; fundamentum verò hypothesis Turneminii istud est, cooptationem illam Artaxerxis factam fuisse anno Xerxis septimo. Ergo, si nec quinto, nec septimo regni Xerxis anno Artaxerxes consortium supremæ potestatis electus est, uti hactenùs evicimus, ruunt, quod consequens est, hypotheses prædictæ de initio septimanarum Danielis.

Sed præterea à verâ temporum ratione in quibusdam nonnihil eadem systemata deflectunt. 1° Cùm Artaxerxes, positis illis systematibus, primùm coronatus fuerit antequàm Xerxes in Græciam Sardibus proficisceretur, quod anno 480 ante æram vulgarem primo vere contigit : sequitur annum vigesimum Artaxerxis ab illâ coronatione computatum desinere ante vernum tempus anni ante æram vulgarem 460. Neque enim referre licet solemnem hanc Artaxerxis ex more persico cooptationem ad illud ipsum momentum, quo Xerxes Sardibus egressus est ut moveret Abydum versùs. Ergo mensis Nisan, quo sermonem ad ædificandum, seu facultatem mœnium erigendorum 2 Esdr. 2, Nehemias obtinuit, ad initium anni Artaxerxis à primâ coronatione vigesimi, seu ad annum ante æram vulgarem 461, pertinet; unde si ducas septuaginta hebdomadas seu 490 annos, incides in mensem Nisan anni 30 æræ vulgaris, ita ut Christus uno anno integro post elapsam ultimam hebdomadam mortuus esset, si eum crucifixum fuisse anno illius æræ 31, die 23 martii, cum Turneminio statuas. Quòd si mensem Nisan, quo Nehemias missus est, ad finem anni ejusdem vigesimi Artaxerxis referre malueris, ita ut sermo ad ædificandum et Nehemiæ profectio ad mensem Nisan anni ante æram vulgarem 460 contingat, uti Turneminio in tabulis chronologicis, et Tirino placet; adhuc timendum erit ne fortè post clausas hebdomadas Christi mors obtigerit. Quapropter voces hebræas *min motza dabar, ab exitu sermonis*, Turneminius interpretatur *à completo sermone*, statuitque à refectis muris die 25 mensis Elul, Augusto respondentis, hebdomadas currere. Sed hæc ejus interpretatio, quam nullâ ratione stabilire satagit, constanti vocum hebræarum significationi repugnat, ut præ cæteris locis videre est Genes 23, v. 50, Esther. 1, v. 1 et 19, et cap. 7, v. 8, etc., ubi exitus verbi nihil aliud esse potest quàm sermonis prolatio. Propositæ difficultati occurrit Tirinus aliâ conjecturâ quam modò expendemus.

Omitto in tabulis chronologicis Turneminii cohærenter ad ea quæ in Dissert. suâ tradit, Xerxis transitum anno 481 ante æram vulgarem, ineunte vere, affigi; ex quo sequeretur finem anni vigesimi Artaxerxis à primâ ejus coronatione in annum ante æram vulgarem 461 incidere, proindeque hebdomadas claudi anno vulgaris æræ 30. Omitto, inquam, id errati, quippe quod ejus systematis non est necessaria appendix.

2° Positis iisdem systematibus Christi mors ad medium septuagesimæ hebdomadis, seu ad annum ejus quartum non alligatur; quod vaticinii verbis minùs esse consentaneum jam observavimus; ergo.

Reponit 1° Turneminius hebræa posse reddi, *in dimidiatâ hebdomade*, seu in unâ hebdomadis medietate. Quod verum est, si ad solam vim vocum spectes; sed aliud exigit sententiarum series et contextus, ut loco mox citato dictum est. Reponit 2° per ipsum licere ut Tirini utamur conjecturâ, qui perfectæ Jerosolymorum ædificationi tres annos esse insumptos ex Josepho Antiq. lib. 2, cap. 5, colligit, et ab opere completo 70 hebdomadas computat. At 1° hæc conjectura hebræas voces *min motza dabar*, significare *à completo* seu *ad exitum perducto sermone*, gratis et falsò ponit, ut vidimus. 2° Testis est Nehemias tantâ diligentiâ populum operi incubuisse, ut intra 52 dies muri et platea fuerint absolutâ. Vide 2 Esdr., cap. 6, v. 15, et cap. 8, v. 1. Insumpti igitur non sunt tres anni ad extruendum quidquid ad civitatem præcipuè spectabat, atque illud inprimis quod in vaticinio v. 25 disertè fuerat memoratum. 3° Locus Josephi quo Tirinus conjectationem suam firmat, tot nævis scatet, ut nulli usui esse possè videatur. Ait Josephus anno 25 regni Xerxis Jerusalem rursùs à Nehemiâ ædificari cœptam atque opus vigesimo octavo ejusdem anno absolutum fuisse. Atqui tamen certum est non ampliùs viginti et uno annis inchoatis Xerxem rebus potitum; ergo.

3° Eadem systemata postulant Christi mortem seriùs anno vulgaris æræ 31 non poni; atqui probabilius est Christum anno æræ illius 33 mortem oppetiisse, ut modò dicemus; ergo.

Solvuntur objectiones. — Objicies 1° cum Abramo : lib. 2 Esdr. cap. 7, v. 65, sic habetur : *Et dixit Athersata eis, ut non manducarent de Sancto sanctorum donec staret sacerdos doctus et eruditus.* Atqui Athersata ibi est Nehemias; ergo priùs quàm Esdras sacerdos adveniret, Nehemias jam aderat Jerosolymis. Si enim advenerat Esdras, *quis expectandus fuit doctior, eruditior, omni denique laudis genere perfectior?* etc. Nego minorem. Ibi recenset Nehemias quæ ad reditum sub Zorobabele spectant, ac nomine *Athersata* seu gubernatoris Zorobabelem ipsum designat. Confer hunc locum cum v. 63. cap. 2, lib. 1 Esdræ, in quo jam diximus pag. 343 Zorobabelem illo nomine donari.

Objicies 2° cum eodem : lib. 1 Esdræ cap. 6, v. 14, dicitur : *Ædificaverunt et construxerunt jubente Deo Israel, et jubente Cyro, et Dario, et Artaxerxe regibus Persarum.* Et cap. sequenti v. 1 et 6, additur : *Post hæc autem verba in regno Artaxerxis..., ipse Esdras ascendit de Babylone.* Ergo, concludit Abramus, non priùs ascendit Esdras quàm sub Artaxerxe Jerusalem ædificaretur. *Res at igitur ut Nehemiam priorem in Judæam venisse fateamur.*

Nego conseq. Eò loci manifestum est agi de templi solius extructione, non verò de ædificatione mœnium Jerusalem; quisquis igitur sit ille Artaxerxes, de quo alibi diximus, nihil hic favet opinioni Abrami.

Objicies 4° cum eodem. Quæ lib. 2 Machab. cap. 1, de Sacrificiis à Nehemiâ post templi altarisque extructionem oblatis, de ignis sacri inquisitione et miraculo, de donis et muneribus sacerdotibus ob illud prodigium à Persarum rege concessis, enarrantur, cum dedicatione templi et decreto Artaxerxis de quibus disserit Esdras cap. 6 et 7, valdè congruunt. Nehemias adjectis quibusdam templo ædificiis illam, cujus Esdras meminit, dedicationem peregit; sed Esdras nonnisi post hanc dedicationem venit, ut patet ex cap. 7; ergo, etc.

Respondeo Nehemiam qui muros erexit, illam de quâ Esdras loquitur dedicationem, certò certiùs non peregisse. Enimverò hæc sunt verba Esdræ, cap. 6, v. 15 : *Et compleverunt domum Dei istam* (seniores Judæorum), *usque ad diem tertium mensis Adar, qui est annus sextus regni Darii regis.* Et uno tenore additur v. 16 et seq. : *Fecerunt autem filii Israel sacerdotes et levitæ et reliqui filiorum transmigrationis, dedicationem domûs Dei in gaudio, et obtulerunt in dedicationem domûs Dei vitulos centum*, etc. Ex quorum connexione et contextu liquidum fit dedicationem hanc templi an. 6 Darii Hystaspidis celebratam fuisse. Unde sequitur 1° decretum Artaxerxis memoratum cap. sequenti, datum fuisse Esdræ plus quàm 57 ab illâ dedicatione annis, ac proinde ad ejusmodi decretum simul et ad hoc festum referri non posse quæ lib. 2 Machab. cap. 1, edisseruntur. Sequitur 2° eamdem dedicationem esse actam longè ante adventum non solùm Esdræ, sed etiam Nehemiæ ab Artaxerxe missi; cùm Darius regnaverit 36 annis, Xerxes filius ejus viginti, cui Artaxerxes successit. Sequitur 3°, vel Nehemiam libri 2 Machab. eum non esse qui mœnia erexit, vel sacrificia quæ templo et altari ædificatis ille Nehemias obtulit, et miraculum ignis sacri è cœno erumpentis, ad tempus dedicationis ab Esdrâ memoratæ referri non posse. Quis porrò sit is Nehemias? quo spectent illa sacrificia, an ad festum aliud à Nehemiâ murorum instauratore celebratum? quo tempore ignis sacer conquisitus, et è luto eruperit? hæc conjectationibus interpretum relicta sunt. Verisimile non videtur sacerdotes post templum ædificatum, de investigando igne sacro tot annos non sategisse, donec adesset Nehemias ab Artaxerxe missus. Referantur ergo ad dedicationem templi anno Darii sexto celebratam, tum illa disquisitio, tum alia quæ in citato cap. 1 lib. 2 Machab. enarrantur. Nehemiam qui ibid. memoratur, eum esse conjicimus qui lib. 1 Esdr. cap. 2, v. 2, inter eos qui eum Zorobabele populum è captivitate reduxerant, secundus à Josue filio Josedeck tunc summo pontifice recensetur.

Objicies cum Abramo et Turneminio. Esdras ante Nehemiam Jerosolymas non advenit. Nam poni nequit Esdram virum summum, legis peritissimum, ut ex Scripturis patet, ad auctoritatem maximam ab Artaxerxe (1 Esdr. 7) provectum, festa lege præscripta annis tredecim prætermitti passum esse, abususque portentosos non emendâsse, aut ne emendati recrudescerent non obstitisse. Atqui si Esdras ante Nehemiam venisset, etc. 1° Enim festum lege præscriptum à populo omitti passus esset, solemnes scilicet Tabernaculorum dies, ut ex cap. 8 lib. 2 Esdræ, v. 17, perspicuum est : *Habitaverunt in Tabernaculis, non enim fecerant à diebus Josue filii Nun taliter filii Israel usque ad diem illum.* 2° Abusus portentosos legi maximè contrarios non emendâsset, aut emendatos rursùs obtinere sivisset, quotquot nempe Nehemiæ superfuerunt resecandi. Ii autem maximi erant et nequaquàm ferendi, præsertim de fœnore, à quo Deus, Deut. 23, v. 19 et 20, Judæos cum fratribus suis abstinere jusserat. Etenim usuræ apud Judæos Nehemiæ tempore adeò acerbè exigebantur, ut plebs Judaica ad extremam paupertatem redacta, cogeretur, omnibus sibi per fœneratores creptis, filios suos et filias divitibus vendere, ut acciperent *pro pretio eorum frumentum*, 2 Esdr. 5, v. 2; ergo.— Distinguo majorem : Poni nequit Esdram nullos omninò abusus emendâsse, etc., concedo; poni nequit aliquos ab eo non correctos, nego, ac pariter distinguo min. Itaque contendimus Esdram multa emendâsse antequàm Nehemias adveniret : v. g., ante adventum separavit à filiis Israel uxores alienigenas, ut supra probatum est. Hinc sub Nehemiâ renovatum quidem est pactum cum Domino; promiserunt Judæi futurum ut non darent filias suas populo terræ, et filias eorum non acciperent filiis suis. Sed opus non fuit ut ulla separatio ab uxoribus alienigenis tunc injungeretur, quippe quæ non ita pridem Esdræ curis peracta fuerat. Dubitandum non est quin alia multa ipse emendaverit, de rebus præsertim ad cultum divinum pertinentibus. Quòd si non omnes pravas consuetudines inductas resecuerit, si quædam superfuerint Nehemiæ emendanda, nihil sanè mirum. Summi etiam viri qui auctoritate potiuntur, cunctos subditorum perversos usus non semper possunt cognoscere; multa, quæ vellent recidere, sæpè ex sapienti dispensatione tolerare coguntur; plurium quoque emendationem in opportunum magis tempus prudenter differunt; tandem quot vitia felici exitu resecata paulatim repullulant et reviviscunt? Ea in Judæis argumento proposito supponi videtur docilitas, æquanimitas, et in bono constantia, à quâ ipsi longè semper abfuerunt, et quæ nullius unquàm gentis esse potuit. Adde Esdram quinque annis tantùm, non tredecim, ut deinceps docebimus, ante Nehemiam Jerusalem advenisse.

Ad primam probationem minoris, nego loco ibi citato agi de ipsâ festi Tabernaculorum substantiâ. In illo textu notanda vox *taliter*, quâ ad modum et apparatum quo actum fuerat, animus appellitur. Etverò quis credat à diebus Josue filii Nun, id est toto tempore Judicum et Regum, festum illud fuisse omissum? Quid? quòd populus è captivitate redux, anno ipso quo rediit sacros tabernaculorum dies coluisse legitur 1 Esdr. 3, v. 4. Atque in posterum quotannis celebratas fuisse tum illam, tum alias solemnitates lege præscriptas, ex eodem cap. 3, v. 5 et 6, liquidò colligitur.

Ad secundam minoris probationem, nego etiam suppositum antecedentis, nempe inhumanas fœnerationes 2 Esdr. 5, v. 7 et seq. à Nehemiâ abolitas, dudùm ante ejus adventum usitatas fuisse, ac proinde Esdram, si ante Nehemiam venerit, de iis non ademptis fore culpandum. Etenim toto illo in capite 5 nihil habetur quod immanes ejusmodi usuras dudùm ante Nehemiam obtinuisse ostendat. Ad Nehemiæ tempora refertur consilium, quod populus fame pressus capit, filios et filias fratribus suis vendendi, agros et vineas oppignerandi, pecuniamque à divitibus fœnerandi, ne ipse fame consumeretur, et ut vectigal regi Persarum posset solvere. Ubi notandum 1° Nehemiam non ex optimatum magistratuumque, ut par fuisset, delatione, sed ex populi clamoribus de tanto malo certiorem factum fuisse. Nempe crimen fœnoris, cujus erant sontes, tacebant principes et magistratus; 2° hæc non statim ab adventu Nehemiæ gesta fuisse, sed fortè diù post refectos muros, et occasione famis, v. 3, memoratæ quam Vatablus famem quamdam insignem interpretatur; vix ergo ex laudato capite infertur aliquas illicitas fœnerationes ante Nehemiæ adventum usurpatas fuisse. Num verò Esdras vituperandus, quòd non reciderit vexationes ejusmodi clandestinas, ad se à magistratibus et optimatibus non delatas?

Objicies iterùm cum utroque. Esdras occasione matrimoniorum cum alienigenis contractorum peccata populi confitens, paucis post adventum suum diebus, muri Jerusalem jam extructi manifestam mentionem facit. *Inclinavit* (Deus), inquit cap. 9, v. 9, *misericordiam coram rege Persarum, ut... daret nobis septem* (hebr. גדר geder) *in Judâ et in Jerusalem*. Ergo Esdras priùs Nehemiâ Jerusalem non vènit. — Nego antecedens. In loco allato nulla fit aperta mentio mœnium extructorum. Vox *geder* propriè ac longè frequentiùs septa ovium, ac sepes quibus feræ ab agris arcentur, *quàm urbium muros et propugnacula significat*, ut fatentur Abramus et Turneminius. Non inficiamur illud vocabulum ad mœnia et munimenta exprimenda per metaphoram posse applicari; sed fatendum est quoque per aliam metaphoram eâdem voce significari posse præsidium divinum, quo populus redux è captivitate munitus fuerat et ab hostium molitionibus tutus.

Objicies cum Turneminio post Jungmannum in Daniel. Ex Herodoto historiæ veteris principe omninò conficitur Xerxem anno 7 regni sui in Græciam trajecisse, non anno 5. Ergo socius regni factus Artaxerxes anno patris sui 7, proindeque, etc. Probatur antecedens. Tradit Herodotus Hist. lib. 7, cap. 7, Xerxem ALTERO ANNO δευτέρῳ μὲν ἔτεϊ *post mortem Darii primam expeditionem fecisse contra Ægyptios rebelles*. Quod juxta Herodoti solitum loquendi morem significat hanc expeditionem actam fuisse anno *sequente* Darii mortem. Multis verò interjectis sic habet cap. 20: *Xerxes... ab expugnatione Ægypti* PER QUATUOR ANNOS SOLIDOS *comparabat exercitum et ea quæ erant commoda expeditioni*, QUINTO AUTEM ANNO EXACTO, ἀνομένῳ, *in expeditionem ibat cum magnâ manu multitudinis*. A morte igitur Darii usque ad profectionem Xerxis effluxêre sex anni integri; nempe unus annus Ægyptiis subigendis impensus, tum quatuor anni solidi quibus exercitum et omnem ejus apparatum instruxit, postremo unus annus, quo exacto ἀνομένῳ in expeditionem ibat; quorum summa anni sex completi. Ergo nonnisi anno regni sui septimo Xerxes in Græciam trajecit. Confirmatur, quia nullâ evasione eludi potest vis hujusce argumenti. Etenim reponeturne 1° voces πέμπτῳ δὲ ἔτει ἀνομένῳ malè reddi *quinto autem anno*, EX ACTO, sed reddendas esse cum Laurentio Vallâ, *quinto autem anno* EUNTE seu INEUNTE? At obstat notio participii ἀνομένος. Illud enim derivatur à verbo ἄνομαι, quod est passivum verbi ἀνύω, quod indubiè idem valet quod *perficio, absolvo, perago*; passivum igitur ejus ἄνομαι significat *perficior, absolvor*, et ἀνομένος idem est ac *perfectus, absolutus, peractus*; proindeque voces πέμπτῳ δὲ ἔτει ἀνομένῳ, accuratè reduntur *quinto autem anno exacto*, quod Roberti Stephani et Scapulæ auctoritate etiam firmatur. Reponeturne 2° hæc eadem verba, *quinto autem anno exacto*, non referri ad tempus expugnatæ Ægypti, sed ad initia regni Xerxis, quasi dictum esset: *Quinto autem anno regni sui exacto in expeditionem ibat Xerxes*, etc.? Verùm tum contextûs series, cùm maximè ratio tempora computandi apud Herodotum usitata postulant, ut ab expugnatione Ægypti, à quâ anni quatuor mox ducti fuerant, quintus ille annus quoque deducatur. Ergo.

Nego antecedens. Imò ex Herodoto eodem lib. cap. 1 et 4, efficitur, ut suprà diximus, Darium anno etiam quinto ante Xerxis in Græciam transitum obiisse; ergo. Ad probationem, nego à morte Darii ad profectionem Xerxis effluxisse sex annos integros. 1° Gratis supponitur Ægyptiis ad obsequium reducendis annum solidum fuisse impensum. Id ab Herodoto non traditur. Contra ex eo apparet hanc expeditionem, quam Darius ante obitum apparaverat, brevi confectam fuisse; nec nisi aliquot mensibus fortè perduravit. 2° Improbabilis prorsùs est sensus qui Herodoto in objectione affingitur. Num verisimile est Xerxem Græciæ invadendæ cupidissimum, exercitu omnibusque ad expeditionem necessariis per quatuor annos solidos comparatis, non statim anno sequente in expeditionem ire cœpisse? Quis crediderit moras anno integro sine causâ ab eo interpositas, nec nisi

hoc anno exacto exercitum ejus Sardes tetendisse, ut ibi hieme toleratâ, in Græciam ineunte vere subinde trajiceret? Remne ejusmodi jejunè narrâsset Herodotus, prætermissâ adeò singularis cunctationis occasione? Ergo hujusce loci Herodoti interpretatio probabiliùr quærenda est, atque dicendum vel græcum cum Laurentio Vallâ hîc reddendum, *quinto autem anno ineunte;* vel hunc annum quintum ab initio regni Xerxis, non ab expugnatione Ægypti computandum.

Ad primam confirm. respondeo participium ἀνομένος à verbo quidem ἄνομαι derivari; at ἄνομαι non solùm est passivum verbi ἀνύω sed etiam medium. Hinc observat Scapula ἄνομαι aliquando pro ἀνύω usurpari. Atqui si participium ἀνομένος spectetur ut derivatum à medio ἄνομαι, sumi poterit pro *festinante, eunte, properante,* cùm verbum ἀνύω etiam *propero, festino,* significet. Si autem illud participium hoc sensu accipi queat, ex modò dictis patet subjectâ exigi materiâ ut in textu Herodoti allato ita intelligatur. Huic responsioni ex genio et indole græci idiomatis petitæ, aliam habemus adhuc firmiorem et generaliorem ex ipso usu verbi ἄνομαι apud auctores græcos desumptam, quam vir clarissimus D. Caperonnier linguæ græcæ in collegio regio doctissimus professor nobis suppeditavit. Hanc ipsis ejus verbis latinè versis exponam. Arbitror, inquit, illud Herodoti πέμπτῳ δὲ ἔτει ἀνομένῳ reddendum esse, *quinto autem anno vertente.* (Notum est annum vertentem Latinis esse id tempus quod percurrentis Zodiaci signis sol impendit.) Contendo igitur participio ἀνομένῳ non magis initium quàm finem aut medium anni designari, atque eo apud Herodotum id duntaxat exprimi quod *anni cursum* appellare solemus. Quod quidem ostenditur, quia, ubi ad partem alicujus rei designandam græci scriptores verbo ἄνομαι utuntur, aliquid ei adjungunt quo ejus significatio restringatur. Sic in iis Apollonii Rhodiensis versibus, Argonautic. lib. 3, v. 495 et 496 :

Ὧκα δὲ κεκλημένοι μαντήιον Ἀπόλλωνα,
Ῥέζον ἐπ' ἐσχαρόφιν, νέον ἤματος ἀνομένοιο.

Id est :

Illicò verò invocantes fatidicum Apollinem
Sacra fecerunt in foco, die recens incœpto.

ἀνομένοιο ad initium diei significandum adverbio νέον determinatur. Quapropter Apollonii scholiastes quem eruditi magni faciunt et meritò, vocem hanc verbis istis exponit : ὑπὸ τὴν ρωίαν αὔξησιν τῆς ἡμέρας λαμβανούσης, (id est, *sub tempus matutinum, die incrementum capiente*).

In his Homeri Iliad. lib. X, v. 251 et seq. :

Ἀλλ' ἴομεν· μάλα γὰρ νὺξ ἄνεται, ἐγγύθι δ' ἠώς.
Ἄστρα δὲ δὴ προβέβηκε, παρῴχεκεν δὲ πλέων νὺξ
Τῶν δύο μοιράων, τριτάτη δ' ἔτι μοῖρα λέλειπται.

Id est :

Sed eamus; valdè enim nox perficitur, prope autem est aurora;
Astra verò jam processerunt, præteritique plurima nox,
Duabus scilicet partibus, tertia autem adhuc pars reliqua est.

Verbum ἄνεται propter adjunctas voces μαλα et ἐγγύθι δ' ἠώς finem noctis significat; ergo verbum ἄνομαι vox est generica cujus species necessariâ quâdam circumstantiarum adjectione determinatur. Hactenùs vir eruditus.

Itaque quocumque modo participium ἀνομένοιο apud Herodotum accipiatur, seu ad passivum, seu ad medium verbi ἀνύω attineat, planum est vocem hanc anno currenti designandam esse idoneam, proindeque nullam esse difficultatem à Jungmanno propositam.

Auctoritati Stephani et Scapulæ et aliorum plerorumque lexicographorum quos Jungmannus objicere potuisset, opponimus translatores qui rem propiùs inspexerunt, ac vertunt *quinto autem anno eunte,* vel *ineunte.* Conjecit Usserius Laurentium Vallam legisse ἀρχομένῳ, incipiente, sed nullum ejusmodi lectionis vestigium ullibi deprehenditur. Constantinus in Lexico verba Herodoti etiam vertit *quinto anno ineunte.*

Ad secundam confirmationem, non necesse est ullum speciale adhiberi responsum, quippe quæ, priore confutatâ, jam nihil roboris habere potest.

Conclusio IV. Artaxerxes Longimanus anno regni patris sui duodecimo consors regiæ dignitatis factus est. Inde annus vigesimus, à quo 70 hebdomades arcessendæ, computandus est; annus verò ejusdem 7, de quo Esdras loquitur, à morte Xerxis ducendus.

Probatur prima pars, videlicet Artaxerxem Longimanum anno imperii Xerxis duodecimo, consortem regiæ dignitatis factum fuisse. Si enim Xerxes 20 annis completis regnaverit, si simul appareat Artaxerxem, ante annum Xerxis vigesimum, jam regem fuisse; si is fuerit mos Persarum regum, ut, quando ii ad bellum sese accingebant successorem sibi cooptarent; si denique Xerxes anno duodecimo regni sui videatur ejusmodi occasionem esse nactus; si, inquam, singula hæc probentur, profectò probatum erit Artaxerxem Longimanum anno Xerxis duodecimo in regni comitem fuisse ab eo electum. Atqui 1° Xerxes viginti annis completis regnavit, ut jam adversùs Usserium, etc., ostensum est conclusione 3. 2° Artaxerxem Longimanum ante vigesimum annum Xerxis fuisse regem colligitur ex suprà memoratis auctoritatibus Thucydidis, Charontis Lampsaceni, annalium Persicorum, et Cornelii Nepotis, atque etiam Tullii Epistolarum lib. 10, epist. Ad Atticum, ac Philostratis in vitâ Apollonii, lib. 1, cap. 19, testantium Themistoclem ad Artaxerxem nuper regnantem confugisse. Quæ quidem fuga non modò juxta Eusebium et Diodorum Siculum ibidem laudatos, sed et secundùm alios scriptores Dinonem, Ephorum, Clitarchum et Heraclidem apud Plutarcham in Themistocle, Xerxe adhuc regnante, contigit. Ex collatis igitur inter se veterum historiæ profanæ scriptorum testimoniis id efficitur, Artaxerxem et Xerxem aliquot annis regnâsse simul. 3° Is fuit mos persicus, ut rex ad bellum proficiscens successorem sibi cooptaret, cujus rei testis est locupletissimus Herodotus lib. 7, cap. 2, ita scribens : *Dùm autem* (Darius) *hæc compar* [illegible] *expe-*

ditionem scilicet in Athenienses et Ægyptios), *interea ingens inter ejus liberos de principatu exorta dissensio est, quoniam ex instituto Persarum oportebat ita demùm ire in expeditionem, cùm regni successorem declarâsset.* Et cap. 4 : *Declarato Darius Xerxe rege, cùm conaretur*, etc. 4° Xerxes occasionem Artaxerxis in regnum cooptandi opportunam nactus esset anno regni sui duodecimo. Siquidem, ut notat Petavius de Doctr. temp. part. 2, lib. 10, cap. 25, *Justinus, lib. 2, sub finem, auctor est, cùm per Pausaniam Lacedemoniorum regem Græciam iterùm subjugare conatus esset, detectâ conspiratione, et interfecto Pausaniâ* (cujus necem anno Xerxis 12 contigisse colligitur ex Diodoro), *Xerxem de integro bellum instituisse. Potuit hæc intercedere causa, cur successorem Artaxerxem ex veteri Persarum more designaret.* Non legitur quidem Græcos à Persis eo anno reipsà petitos, sed ut Artaxerxes tunc temporis rex fuerit designatus, necesse non est Xerxem ad eam expeditionem ivisse ; satis fuit si ad illam proficiscendi consilium ab eo sit susceptum, licet id consilii variis, quæ nos latent, de causis, ad exitum perductum non fuerit. Enimverò antequàm ad bellum gerendum rex proficisceretur, successorem ex instituto Persarum designabat ex Herodoto, ac Darius regem declaravit Xerxem occasione expeditionis quam morte præventus ipse non peregit.

Confirmant porrò hanc conjecturam tum Eusebius quem suprà diximus in annum septuagesimæ sextæ olympiadis quartum, Xerxis duodecimum, fugam Themistoclis conjicere ; tum Diodorus Siculus, qui, ut etiam explicatum est, cum Eusebio consentit. Itaque verisimillimum est Artaxerxem anno Xerxis 12, in regni socium assumptum fuisse.

Probatur secunda pars, nimirùm annum Artaxerxis vigesimum, de quo loquitur Nehemias, esse ab hâc primâ hujus regis coronatione computandum. Proclive enim est Nehemiam de eâ Artaxerxis annorum computandorum ratione explicari ad quam ipse assuetus esse debuit, quæ usui Scripturæ non repugnat, nec principiis chronologiæ. Atqui 1° Nehemias solebat procul dubio annos Artaxerxis Longimani ab ejus coronatione primâ putare. Erat enim hujusce regis pincerna, 2 Esdr. 1, v. 11 : assolent autem quotquot è principum familiâ sunt, ea sectari, quæ principibus suis grata et honorifica magis fore judicaverint. 2° Is modus computandi usui Scripturæ non repugnat, quippè interpretes consentiunt quandoque in Scripturis ejusmodi cooptationes regum supponi. 3° Nec etiam adversatur principiis chronologiæ. Quid ita? quia Nehemias non texit chronologiam regum Persarum ; solius Artaxerxis annorum mentionem facit, proindeque, etc.

Probatur tertia pars, ab hoc scilicet anno Artaxerxis 20 eâ ratione computato accersendas esse hebdomadas. Etenim initium hebdomadum huic affigendum anno quo exiit sermo ad iterùm ædificandam Jerusalem, et à quo ductæ illæ hebdomades calculis temporum aptissimè congruunt. Atqui 1°, sermo ut iterùm ædificetur Jerusalem exiit anno Artaxerxis 20, juxta Nehemiæ computandi rationem, ut ex primâ conclusione perspicuum est. 2° Hebdomades ab hoc anno ductæ calculis chronologicis congruunt aptissimè. Nam evicimus Xerxem regnare cœpisse anno 485 antè æram vulgarem ; annus igitur ejus 12 incidit in annum 473 ante hanc æram, ac proindè annus 20 à primâ Artaxerxis ejus filii eo anno duodecimo celebratâ coronatione ductus incidit in annum ante vulgarem æram 454. Itaque à mense Nisan anni ante æram vulgarem 454 computata 69 hebdomadas seu annos 483, occurret annus æræ vulgaris 30, quo Christus juxtà probabiliores calculos baptizatus est, die scilicet sextâ januarii, ut fert constans SS. Patrum sententia, ac ducis munere fungi cœpit, præsertim post celebratum cum discipulis suis primum Pascha. Deinde fluit septuagesima septimana mense Nisan anni æræ vulgaris 37 claudenda. Christus intra eam confirmavit pactum multis seu per se, seu per Apostolos, et *in dimidio* ejusdem, seu anno ipsius quarto ineunte, æræ vulgaris 33, ut infra probabitur, mortem pro hominum salute obiens, *hostiam et sacrificium* veteris legis abolevit ; ergo.

Probatur ultima pars, nempe annum 7 Artaxerxis, de quo Esdras loquitur, esse à morte Xerxis computandum. Namque 1° sit hæc regula generalis, annos cujusvis regis in auctoribus censendos esse ab ejus antecessoris morte computatos, ubi nulla ratio specialis occurrit seu sacrum, seu profanum scriptorem aliter interpretandi. Cùm ergo Esdras non fuerit ex Artaxerxis familiâ ut Nehemias, nec alia ratio occurrat ipsum eo peculiari modo, quo Nehemiam, interpretandi, sequitur, etc.

Præterea, si Esdram exponas de anno 7 ab Artaxerxis cooptatione dicendum erit Esdram vivente adhùc Xerxe, anno regni ejus 18 obtinuisse ab Artaxerxe decretum, quod ipse refert cap. 7. Atqui id dici nequit. Nam Artaxerxes in hoc decreto appellatur rex regum ; solus cuncta decernit ; de patre ne verbum quidem habet, quod sanè Xerxe adhùc regnante non fuisset factum ; ergo.

Dices 1° cum Huetio : Non evincitur ex Herodoto reges Persarum sibi consortes supremæ potestatis aliquandò cooptâre consuevisse. *Nam aliud est regni designare successorem, aliud regni socium adsciscere. Prius hoc Persis solemne fuisse fateor ; at Artaxerxem ad successionem regni à patre fuisse destinatum si concessero, nihil inde causæ suæ opportunum Petavius eliciet.* Posterius autem ab Herodoto non traditur ; ergo. — Resp. hæc verba Herodoti, *declarato Darius Xerxe rege*, ἀποδέξας βασιλῆα Ξέρξεα, quid ampliùs sonare quàm meram successoris designationem. Saltem inde colligere est successorem designatum eo ipso ut regem declaratum habitum fuisse ; quod unum ad nostram sententiam sufficit ; rex enim hocce modo declaratus, debuit à familiaribus suis et ministris, et proinde à Nehemiâ, tanquàm rex salutari et considerari.

Dices 2° : Meliùs ad annum Xerxis quintum, quo ille rex in Græciam indubiè trajecit, quàm ad annum ejusdem duodecimum alligaretur prima Artaxerxis co-

ronatio; ergo, etc. — Nego antecedens. Ne enim Artaxerxis cooptatio ad annum quintum Xerxis referatur, deterrent quæcumque adversùs illam Tirini Abramique sententiam præcedenti conclusione dicta sunt. Deterret 2° auctoritas Thucydidis gravissimi et coætanei scriptoris, juxtà quem Artaxerxes *nuper* νεωστὶ regnare incœperat, cùm Themistocles ad ipsum confugit. Quæcumque autem latitudo voci *nuper* hìc tribuatur, profectò non potest ad septem annos extendi. 3° Cur Xerxes anno regni sui 5 filium suum Artaxerxem regem non declaraverit, ratio ista reddi potest, quòd Artaxerxes nunc fortè junior foret quàm ut ad solium eveheretur. Id probabiliùs conjecturis stabilit Petavius lib. 10, de doctr. Temp. cap. 25, ex eoque fit verisimile, quòd et Saliminiæ pugnæ 55 annis supervixerit, quippè cùm annos 40 à nece Xerxis regnaverit, atque eum ipso Xerxis mortis anno adolescentem adhùc fuisse testetur Justinus lib. 3, cap. 1.

Dices 3 : Frustra cooptatione Artaxerxis conamur in concordiam advocare profanos historicos, qui inter se conciliari nullo modo possunt. Thucydides, Plutarcho interprete, censuit Artaxerxem mortuo jam patre regnàsse, cùm ad eum Themistocles confugit. Eodem modo Plutarchus Charontem Lampsacenum et annales Persicos interpretatur. Ergo, etc. — Nego antecedens. Ad probationem, nego consequens. Ità quidem Plutarchus hos scriptores intellexit, at eum in hoc errâsse certum videtur. Verba enim hæc : *Defuncto jam Xerxe*, quibus utitur Plutarchus, apud Thucydidem nullibi comparent. Unde concludere pronum est nec apud Charontem Lampsacenum, cujus opera perierunt, nec apud annales Persicos qui jamdudùm non supersunt, ea extitisse; tam enim de ijs falli potuit Plutarchus, quàm de Thucydide; scilicet rerum Persicarum non satis gnarus is scriptor, nec de cooptationibus in Perside usurpatis cogitans, quæ illi auctores de Artaxerxe rege scripserant, hæc ipse putavit nonnisi mortuo Xerxe potuisse contingere, quia solent scriptores principum regnum ex decessoris tantùm morte arcessere. Atque eadem ratio est cur Cornelius Nepos et alii varias auctorum sententias afferant, nec iis conciliandis allaborent.

Quæres quomodò adstrui possint quæ vaticinii exitum exponentes modò asserebamus, nempè Christum die 6 Januarii, anno æræ vulgaris 30 à Joanne baptizatum fuisse, et anno ejusdem æræ 33 mortem subiisse? — Respondeo tria quæstione propositâ includi sigillatim attingenda. Ad primum dico baptismum Christi diei sextæ Januarii à nobis ideò annecti, quia id ex pervetustâ ac constanti SS. Patrum sententiâ habetur. Ad secundum respondeo hâc ratione confici Christum anno 30 vulgaris æræ baptizatum fuisse. Nimirùm Luc. 3, v. 1 et 2, refertur Joannem Baptistam *anno quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris* cœpisse *baptismum pœnitentiæ* prædicare. Constat autem ex historiâ profanâ Tiberium rebus potiri orsum esse anno 14 æræ vulgaris mense Augusto, siquidem hoc ipso anno, die illius mensis 19, Augustus Cæsar Nolæ obiit. Etenim quod quidam fingunt, ante Augusti mortem jam principatu potitum Tiberium, atque de hâc primâ ejus imperii epochâ Evangelistam exponendum, omni verisimilitudine destituitur et historiæ repugnat. Fatendum quidem plurimos principatûs honores in Tiberium vivente adhuc Augusto fuisse collatos. At supremâ eum et absolutâ potestate ante patris mortem donatum supponi non sinunt innumera quæ à Tacito præsertim lib. 1 Annalium, Vell. Paterc. lib. 2, et Suetonio narrantur, inprimis quòd is videri voluerit principatum invitus suscipere. Hinc in lapidum et nummorum inscriptionibus nomine Augusti non insignitur ante diem quo Augustus obiit. Hinc Spartianus tradit M. Aurelium et L. Verum primos fuisse qui *pariter et rempublicam administraverint, et Augusti appellati sint.* Hinc Tiberii initium à morte Augusti hucusque ab omnibus semper computatum est; adeò ut si de aliâ epochâ Evangelistam interpretari liceat, jam de chronologiâ actum sit, nihilque certi de eâ ex probatissimis auctoribus possit deduci. Itaque statuendum est annum imperii Tiberii quintum decimum quem S. Lucas memorat, à die 9 mensis Augusti, anni æræ vulgaris 28 cœptum effluere. Jam verò Scriptura quidem disertè non assignat quâ præcisè parte hujusce anni 15 principatûs Tiberii Joannes initium prædicandi fecerit, neque quanto tempore Præcursoris ministerio sit functus antequàm Christum tingeret; verùm meritò conjicitur à die 10 mensis septimi (diei 19 octobris nostri respondente), ejusmodi prædicationis arcessendum esse principium. Is quippe dies utpote *pœnitentialis* et *expiatorius*, atque apud Judæos valdè solemnis, ad annuntiandum pœnitentiæ baptismum maximè erat idoneus. Pariter, cùm Joannes debuerit Christo præparare *plebem perfectam*, dicaturque Act. 13, v. 25, *implevisse cursum suum* ante baptismum et prædicationem Christi, proclive est inter exordia prædicationis Præcursoris Domini et baptismum Christi saltem annum integrum intercessisse. Ergo die 6 Januarii anni æræ vulgaris 29 baptismus Christi collocari non potest. Ergo ad diem 6 Januarii anni illius æræ 30 est referendus.

Dices : Luc. 3, post narratum Christi baptisma, additur v. 23 : *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta.* Ergo anno ætatis suæ trigesimo Christus à Joanne tinctus est. Atqui tamen anno demùm ætatis suæ 33 completo baptizatus erit, si ad annum æræ vulgaris 30 ineuntem ejus baptisma referatur; quippè cùm natus ponatur die 25 decembris anni juxtà probabiliores calculos antè æram vulg. quinti, ergo, etc. — Nego sequelam. *Vox incipiens*, in textu allato, ad verba *quasi triginta annorum*, non attinet, ut ex græco textu manifestum fit, in quo legitur ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος, *Erat Jesus quasi annorum triginta incipiens;* non verò ἤρχετο εἶναι ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα, *incipiebat esse quasi annorum triginta.* Spectat illud vocabulum ad ministerium Christi, quasi dictum esset : Erat Jesus quasi triginta annos natus, quandò, baptismate susceptо, cœpit ministerium adimplere. Christum autem anno vitæ suæ 33 completo, dici potuisse *quasi triginta annorum*, probatur 1° quia vox ὡσεί, *quasi*,

quamdam latitudinem de se permittit, alioqui frustrà adhiberetur. Hinc S. Lucas cap. 9, v. 28, à sermone Christi ad transfigurationem ejus, *ferè*, seu *quasi dies octo* numerat, ὡσεὶ ἡμέραι ὀκτὼ, ubi sex tantùm apud Matth. 17, v. 1, et Marc. 9, v. 1, leguntur. Nec dicas vocem *quasi* sumi posse pro *caph veritatis* Hebræorum, sicut Joan. 1, v. 14, *gloriam quasi unigeniti à Patre*, nec proindè ullam imminutionem aut additionem sonare. Namque illud *caph* hebraicum per ὡς à Græcis exprimitur; in loco verò Lucæ objecto habetur ὡσεί quod, dùm in numeris usurpatur, aliquam latitudinem patitur. 2° Quia, ut observat S. Augustinus, quæst. 47 in Exod., *Scriptura solet tempora ità nuncupare, ut quod de summâ paulatim aut excrescit, aut infra est, non computetur.* 3° Quia is est mos usitatissimus, ut numero rotundo adhibito quædam unitates omittantur; v. g., 70 numerantur Christi discipuli, etsi fuerint 72; ità dicuntur 70 interpretes, cùm 72 etiam extiterint, atque alia innumera ejusmodi habentur exempla.

Ad tertium resp. sex esse præcipuas eruditorum opiniones de anno mortis Christi. Cornelius à Lapide, Ayrolus et alii mortem Christi conjiciunt in annum æræ vulgaris vigesimum nonum; alii post Africanum in annum ejusdem æræ trigesimum; Petavius, Huetius, Turneminius, etc., in trigesimum primum; nonnulli in trigesimum secundum; Pererius, Scaliger, Tostatus, Usserius, Lancelotus, Pridæus et alii plurimi in trigesimum tertium; Beda denique cum aliis in trigesimum quartum.

Porrò anno 33 Passionem Christi esse adscribendam ducimus, quia characteribus anni quo Christus passus est, solus ille annus 33 insigniri videtur. Tres enim sunt ejusmodi characteres.

Primus desumitur ab eclipsi solis prodigiosâ, quæ tempore mortis Christi contigit, quam à scriptoribus etiam ethnicis annotatam testantur Julius Africanus, à quo Thallus de eâ meminisse refertur. Chronicon Alexandr., Origenes lib. 2 contra Celsum, Eusebius in Chronico, S. Hier. in Chronico suo Eusebiano, etc., qui Phlegontis eâ de re testimonium laudant; quamque in gentium etiam Annales relatam asserunt ac paganis objiciunt S. Lucianus Martyr in Actibus suis apud Rufin., et Tertullianus in Apologetic. cap. 21. Secundus character ex annis ministerii Christi petitur. Tribus enim annis integris à Baptismo suo Christus videtur prædicâsse, adeò ut anno ministerii sui quarto inchoato cruci fuerit affixus. Quod colligitur tum ex Eusebio in Chronico græco, et lib. 1 Hist. cap. 10, atque ex Chronico Alex., cùm etiam ex Evangelio, quo verisimillimum fit Christum dùm prædicationis muneri institit, quatuor Paschata peregisse. Primum describitur Joan. 2, v. 12, et in eo vendentes de templo ejecti sunt. Alterum, in quo 38 annorum languidus sanatus est, solo nomine *diei festi* Joan. 5, v. 7, designatur. Sed collatis cum illo loco et inter se Matth. 22, v. 1, Marc. 74, v. 1, et cap. 15, v. 6, Luc. 22, v. 17, et Joan. 6, v. 4, apparet ejusmodi *diem festum* ipsam fuisse solemnitatem Paschalem. Atque de hâc solemnitate illum locum interpretati sunt S. Iren. lib. 2 adversùs hæres. cap. 29, Euseb. Demonst. evang. lib. 8, S. Hier. et Theodoret. in caput 9 Danielis, quos sequuntur complures insignes chronologi et Scripturæ interpretes. De tertio paschate sermo fit Joan. 6, v. 4, tuncque miraculum quinque panum effectum est. Quartum denique Pascha est illud in quo Christus pridiè mortis suæ sacramentum corporis ac sanguinis sui instituit Matth. 26, v. 2, Marc. 14, v. 1, Luc. 22, v. 1, Joan. 13, v. 1, et ad Cor. 11, v. 23. Tertius denique et ad quæstionem dirimendam præcipuus character in eo consistit, quòd anno Dominicæ Passionis, dies decima quarta lunæ mensis Nisan in feriam quintam incidere debuerit. Nam ex Evangelio et ex antiquâ certâque traditione constat Christum feriâ quintâ manducato agno Paschali Eucharistiam instituisse, ac die sequenti, nimirùm feriâ sextâ, sanguinem suum pro hominibus fudisse. Hanc autem feriam quintam, quâ Pascha ultimum à Christo comestum est, fuisse lunam decimam quartam mensis Nisan, planè liquet ex Luc. 22, v. 7, ubi Christus dicitur Pascha illud egisse ipsâ *die azimorum*, *in quâ necesse erat occidi Pascha.* Nam Judæi unà cum Christo, vel uno die seriùs Pascha celebraverint, hìc nihil interest. Clarè ex illo loco habetur Christum, legis, quam solvere non venerat, sed adimplere, observantissimum, juxta præscriptum Moysis Exod. 12, Pascha ultimum celebrâsse ad vesperam diei decimæ quartæ primi mensis, id est, juxta putandi rationem apud Judæos testibus Josepho (1) et Philone (2) ac totâ antiquitate tunc usurpatam, ipsâ desinente die decimâ quartâ lunæ Nisan, sole in ariete constituto. Sit igitur is tertius character anni quo Christus passus est, nempe eo anno decimam quartam diem lunæ novarum frugum fuisse feriam quintam, ac proinde diem ejusdem lunæ 15 fuisse feriam sextam.

Atqui tres ii characteres anno tantùm trigesimo tertio æræ vulgaris competunt. Ac 1° quidem signatus est annus 33 portentosâ solis eclipsi. Nam Chronicon Alexandr. hanc eclipsim refert ad annum 19 Tiberii. Phlegon autem, imperatoris Adriani libertus, in opere quo olympiadas concinnavit, ab eodem Chronico refertur ita scripsisse : *Quarto anno olympiadis ducentesimæ secundæ facta est solis defectio maxima, quanta nunquàm contigisse legitur, noxque horâ diei sextâ tanta fuit, ut etiam astra in cœlo apparerent, terræque motus circa Bithyniam, magnam Nicææ urbis partem evertit.* Hæc Phlegon, cujus verba extant etiam apud Eusebium in Chronico græco, et S. Hier. in suo Chronico Eusebiano. Jam porrò annus quartus olympiadis 202, ipse est annus 33 æræ vulgaris; ergo.

Frustra opponeres eclipsim Phlegonteam à S. Hier. alligari anno Tiberii 18, qui cum 32 æræ vulgaris concurrit, ac proinde incertum esse hujusce defectionis tempus. Nam cùm S. doctor de anno Olympiadis consentiat, necessariò dicendum est ibi de anno Tiberii

(1) Joseph. Antiq. lib. 3, cap. 10, n. 5, edit. Haverc. T. I, p. 177.

(2) Philo lib. 3, de vitâ Moysis, edit. Paris. 1640, p. 686.

mendum irrepsisse legendumque annum 19, uti reipsà legit Anastasius Bibliothecarius in suâ chronologiâ, et ut se in manuscriptis quibusdam reperisse testatur Pontacus Vasatensis episcopus in suo Eusebio. Et verò ab anno secundo olympiadis 198 (scilicet ineunte), unde Eusebius initium Tiberii desumit, ad annum 4 (nempe exeuntem) olymp. 202, computantur anni 19. Incertum igitur non est tempus Phlegonteæ eclipsis, sed ea anno 33 æræ vulgaris necessariò assignanda. Proindeque, etc.

2° Annus 33 æræ vulgaris quartus est inchoatus à Christi baptismo. Si quidem, ut modò diximus, anno 30 illius æræ, die 6 Januarii baptizatus est Dominus. Inprimis verò observandum ex annis qui à Christi Baptismate ad ejus mortem elapsi sunt, eos saltem evidenter refell.. qui anno 29 aut 30 Dominicam passionem assignant. Tria enim minimùm Paschata à Christo celebrata fuisse, ex evangelicâ historiâ certissimum est. Cùm ergo, ex dictis supra, duas imperii Tiberii epochas distinguere non liceat, nec proinde Christus ante finem anni 28 æræ vulgaris potuerit baptizari; sequitur evidenter unicum Pascha eum celebrâsse, si anno 29 mortem oppetierit, aut duo tantùm, si anno 30. Ergo.

3° Solo anno 33, luna 14 mensis Nisan in feriam quintam incidit. Nam vel fateberis Judæos post captivitatem non omninò astronomiæ rudes fuisse, ac Hipparchi calculis, ut aliquando sensit Scaliger et ex eorum commentariis infertur, in computandis mensibus lunaribus versùs Christi tempora usos esse; vel eos mensibus solis novilunia, seu potiùs primas lunæ phases sive aspectus observâsse, uti habetur ex Philone qui ætate Christi vixit, ex Petri cujusdam vetustissimâ concione apud S. Clement. Alexandr. lib. 6 Strom., necnon ex Mischaæ consarcinatore qui secundo seculo scripsisse creditur, ex Thalmude, et ex Rabini Maimonide, Aben Ezrâ, etc. Si primum seligas, cùm Hipparchi methodus ab accuratissimis calculis vix quartâ unius horæ parte intra 600 annos deficiat, facilè dirimetur quæstio. Nempe ex tabulis astronomicis constat anno 33 novilunium Nisan Jerosolymis contigisse die 19 Martii, horâ post meridiem circiter primâ, et quidem feriâ quintâ : ex quo sequitur diem decimam quartam hujus lunæ desiisse in die 2 Aprilis, feriâ etiam quintâ ad vesperam; proindeque juxta hanc computandi rationem, anno 33 lunam decimam quartam incidisse in vesperam feriæ quintæ, atque ita ejusmodi anno competere characterem de quo inquirimus. At verò aliis annis in quæstionem adductis is character deerit, si ad eamdem regulam res exigatur, uti compertum fit solâ inspectione sequentis noviluniorum tabulæ, quam ex Cassinianis calculis, ad Jerosolymitanum meridianum, adjectione horarum 2, minutorum 12, accommodavimus.

ANNI æræ vulgar.	MENSES ET DIES veter. st.	MENSES ET DIES st. Greg.	FERIÆ	HORÆ post mediam noctem.
XXIX.	April. 2	Mart. 31	7	12 54 m. 7 s.
XXX.	Mart. 22	Mart. 20	4	21 42 5
XXXI.	Mart. 12	Mart. 10	2	6 31 22
XXXII.	Mart. 30	Mart. 28	1	4 4 3
XXXIII.	Mart. 19	Mart. 17	5	12 52 40
XXXIV.	Mart. 8	Mart. 6	2	21 41 18

Quòd si alteri methodo insistas, ac velis Judæos primas lunæ phases testibus electis et probatis occupâsse, ut menses suos lunares componerent, cuncta in solum annum 33 quadrare iterùm deprehendes. Sentiunt Rabbini lunam in terrâ Israeliticâ horâ post conjunctionem sextâ conspici, quod etiam docet Beda de Rat. temp. cap. 441, *maximè*, inquit, *cùm ea* (luna) *posita est in ariete*. Quidquid sit, certum est primam lunæ phasim dari horâ saltem 27 et dimidiâ post conjunctionem. Cùm igitur anno 33, uti dictum est, luna, Jerosolymorum respectu, nova fuerit feriâ 5, die 19 Martii paulò post meridiem, sequitur eam apparuisse die 20 Martii, feriâ 6, ac proindè illam diem 20 Martii fuisse Judæis primam lunæ illius diem. Ergo anno 33, dies 14 Lunæ Nisan, desivit in diem secundam Aprilis et feriam adhuc quintam : adeòque juxta hanc secundam methodum doctis maximè probatam, character de quo agimus, huic quoque anno aptissimè congruit. Jam verò, si juxta eamdem methodum, de aliis annis controversis inquiras, invenies, ut ex tabulâ superiori patet, lunam decimam quartam mensis Nisan anno æræ vulgaris 29 desiisse in feriam 7, seu sabbatum, anno 30, in feriam 4, annis 31 et 34 in feriam 2, et anno 32, in feriam 1. Ubi observa annum 30, in quo discrimen hìc levius, vel etiam fortè nullum à quibusdam deprehendetur, charactère secundo ex annis ministerii Christi desumpto tam evidenter carere, ut in eo mortem Christi collocari non posse certum omninò videatur. Maneat igitur probatum soli anno 33 æræ vulgaris et quidem diei 3 Aprilis (veteri stylo) Passionem Christi esse affigendam.

Dices. Ex rationibus astronomicis nihil quidquam definiri potest. Nam 1° circa calculos astronomicos nonnihil à se invicem ipsimet astronomi dissentiunt. Ergo. 2° Ad rationem motûs medii lunæ componunt astronomi menses lunares; unde fit ut eos inter se æquales constituant. At res ita non se habet; perigea et apogea solis et lunæ magnas varietates producunt. Ergo. 3° Si tamdiu in Ecclesiâ de figendis limitibus Paschatis disputatum est, ac nonnunquàm cyclus quo utimur à computo astronomico discrepat; quantò magis Judæi à veris temporum supputationibus potuerunt deviare! proindeque, etc. 4° Judæi, teste S. Epiphanio, hæres. 51, cyclum 84 annorum corruptum adhibuerunt; ergo.

Nego antecedens. Imò nullus est inter chronologos, qui calculis ejusmodi in variorum eventuum temporibus determinandis cum fructu non utatur. Ergo.

Ad primam probationem resp. discrimina quæ in calculis astronomorum hìc occurrunt, ita esse levia, et quod ad rem attinet, omninò nulla, ut intra mille annos ne unius quidem horæ differentiam parere queant; ergo. Ad secundam. Habent etiam astronomi rationem motûs veri, ejusque à motu medio discriminis. Cæterùm, 1° discrimen inter mensem longiorem lunæ et breviorem, dùm sol cum ipsâ in eodem signo, v. g., in ariete constituitur, nunquàm potest novem horas excedere. Quæstio autem hìc spectat mediam tantùm partem mensis lunaris; illa igitur diversitas quatuor ad summam aut quinque horarum errorem posset creare; qui hìc nullius esse debet momenti, cùm de die integro investigando, non de unâ aut alterâ horâ agatur. 2° Accuratè supputatum est quâ præcisè horâ ac momento verum contigerit novilunium Nisan annis de quibus agitur, eoque calculo perinde nostra fulcitur opinio, aliæ refelluntur. Consule Cassinianas tabulas, in quibus reperies anno, v. g., æræ vulgaris 33, novilunium verum nonnisi minutis 11 et secundis 4 seriùs novilunio medio contigisse. Ad tertiam, nego paritatem. In Ecclesiâ non de solo Paschate determinando, sed de aliis multis simul iisque gravissimis fuit disputatum, uti ex historiâ ecclesiasticâ notum est. Judæis verò de tempore paschali satis erat investigare lunam decimam quartam mensis Nisan, quâ exeunte ad vesperam Pascha ipsis erat immolandum. Quod quidem ope cycli ad primorum lunæ aspectuum observationes jugiter exacti, ita securè cognoscebant, ut ad summum diei unius error posset iis aliquando excidere, nec unquàm mensis unius aberratio in alterum mensem refunderetur.

Ad quartum, nego ex loco S. Epiphanii effici cyclo corrupto usos esse Judæos. Is S. Epiphanii locus ita perturbatus est ut ejus sensus vix queat perspici; et aliunde in prologo cycli sui paschalis auctor est S. Cyrillus Alexandr. cyclum 84 annorum de quo S. Epiphanius loquitur, malè adversùs Judæos concinnatum fuisse, non proinde ab iis usurpatum.

Dices iterùm : Christus vixit 33 annis, juxta PP. traditionem; sed si anno 33 æræ vulgaris mortuus sit annos vitæ triginta excesserit necesse est, cùm anno 5 ante æram vulgarem die 25 Decembris sit natus; ergo. Nego majorem. Tot diversæ sunt apud Patres sententiæ de annis quibus Christus vixerit, ut ex eorum dictis hæc quæstio nullo pacto dirimi possit. Alii, et quidem doctissimi, Christo annos 30; alii 31; alii 32; alii 33; alii 40; alii 50 tribuunt. Monet S. Aug. lib. 2 de Doctr. christianâ cap. 28, « ut de historiâ gentium collatâ cum Evangelio, quotuplici anno Christus vixerit, » colligatur. Quibus sapienter dictis si morem gerere voluerimus, annos Christo 37 inchoatos adscribere cogemur.

Plura lege apud Lancelotum, qui de hoc argumento fusè et accuratè disseruit in chronol. sacrâ, ad calcem Bibl. Vitræan.

ARTICULUS III.

De vaticiniis Aggæi et Malachiæ.

Judæi anno Darii Hystaspidis secundo, ôb templi, quod duce Zorobabele extruebant, tenuitatem, mœrori se dabant effusiùs. Quorum animos erigendi causâ, quantus hujusce posterioris templi, Messiæ præsentiâ decorandi, splendor futurus esset, ore Aggæi Prophetæ Deus in hunc modum magnificè prænuntiat : *Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cœlum et terram et mare et aridam, et movebo omnes gentes, et veniet* DESIDERATUS CUNCTIS GENTIBUS, (hebraicè, *venient desiderium cunctarum gentium*, plurali numero per emphasim usurpato pro singulari); *et implebo domum istam glorià, dicit Dominus exercituum. Meum est aurum, et meum est argentum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domûs istius novissimæ plus quàm primæ, dicit Dominus exercituum; et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* (Agg. 2, 7 et seqq.)

Non absimile habetur quoque vaticinium apud Malach. cap. 3, v. 1 : *Ecce ego*, inquit Dominus, *mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum.*

Duo illa oracula, quæ ideò conjungi voluimus, quia sese invicem mirificè illustrant, perspicuum adversùs Judæos suppeditant argumentum, quod nunc exponendum est.

CONCLUSIO. Ex Prophetiis Aggæi et Malachiæ efficaciter astruitur tempora adventûs Messiæ jamdudùm esse præterita. Prob. Illius adventûs jam pridem præterière tempora, qui juxta vaticinia Aggæi et Malachiæ, stante secundo templo venire debuit; siquidem ab annis sexcentis septuaginta et octo suprà mille templum illud à Tito combustum et funditùs eversum est. Atqui ex laudatis Aggæi et Malachiæ vaticiniis Messias venire debuit secundo templo stante. Ac istud quidem conficitur ex vaticinio Aggæi. Is enim à quo Aggæus prædicit gloriam templi secundi esse orituram, profectò venit, si Aggæo fides, hoc templo stante; atqui gloriam templi secundi à Messiâ esse orituram Aggæus prædixit. Namque 1° in Aggæi vaticinio de templo secundo agi demonstrant tum circumstantiæ temporis; quippe ædificabatur templum secundum, cùm illud Aggæi vaticinium editum est; tum series contextûs et scopus vaticinii; scilicet mox dixerat Propheta, v. 4, templum cujus extructioni Zorobabel instabat, *tanquàm non esset* visum esse oculis eorum qui templi Salomonici gloriam conspexerant; quocirca ad solandos Judæos vaticinium de quo disserimus continuò subjicitur; tum pronomen demonstrativum *istius*, *istam*, *isto*, non aliâ de causâ ibi multoties adhibitum, nisi ut illud quod tunc condebant Judæi templum indicaretur. Ergo de templo secundo agitur in vaticinio Aggæi. Atque id confitentur (1) Judæi. 2° Is à quo Aggæus ejusmodi templi

(1) In Midrasch schir haschirim seu expositione Cantici canticorum. In Bereschit Rabba ad v. 26 cap. 9 Genes. In Talmude lib. Baba batra, lib. Joma. R. Salomo Jarchi in glossis ad cap. 1 et 2, Agg., et alii apud Raym. Martin. in Pugione fidei, part. 2, cap. 9, edit. Paris. 1651, p. 305, 306.

gloriam vaticinatur orituram, ipse est Messias. Quatuor quippe characteribus soli Messiæ propriis ille designatur, de quo in hâc Prophetiâ sermo est. Nimirùm 1° quo tempore is est venturus, magna rerum immutatio eventura prænuntiatur ab Aggæo his verbis : *Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cœlum et terram, et mare et aridam, et movebo omnes gentes, et veniet*, etc. 2° *Desideratus cunctis gentibus*, ille idem nuncupatur : *et veniet desideratus cunctis gentibus*, seu, ut hebræa habent, *venient desiderium cunctarum gentium*, id est, ille qui maximè exoptandus est gentibus, *et implebo domum istam gloriâ*, etc. 3° Nomine pacis etiam indicatur : *Et in loco isto dabo* PACEM, *dicit Dominus exercituum*. 4° Ab ejusdem præsentiâ templum secundum prædicitur sortiturum gloriam templi Salomonis magnificentiæ longè superiorem : *Meum est aurum et meum est argentum, dicit Dominus exercituum ;* id est, si vellem auro et argento templum illud exornare, id facilè exequerer ; sed aliâ ratione longè excellentiori illud decorare intendo, præsentiâ videlicet illius qui pacem perfectam allaturus est : *Magna erit gloria domùs istius novissimæ plus quàm primæ, dicit Dominus exercituum ; et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.*

Atqui solus Messias quatuor illis characteribus designari potuit. Enimverò nonne in tempora Messiæ per se et per discipulos tot prodigia ex Scripturis edituri, totque nationes religioni suæ addicturi, aptissimè quadrat maxima illa rerum immutatio gentiumque omnium commotio, quam Deus splendidis verbis jam citatis describit : *Commovebo cœlum et terram, et mare et aridam, et movebo omnes gentes?* Certè quoties in Scripturis adhibetur ejusmodi loquendi modus, ut Ps. 17, v. 8, Isa. 24, v. 19, Jerem 49, v. 21, Ezech. 38, v. 19, Aggæi ejusdem 2, v. 22, et alibi sæpè, toties de prodigiis insignibus ac nobilissimis verba fiunt. Pariter, nomine *Desiderati cunctis gentibus*, quis alius significari potuit præter Messiam aliis in locis (1) Scripturæ eâdem notâ insignitum, tantorumque bonorum hominibus collatorum auctorem? Ad hæc, an non etiam pacis nomen maximè convenit Messiæ, qui et alibi (2) appellatur *Pax* et *Princeps pacis*, quique ut verè pacis largitor (3) ubique exhibetur? Nec sanè pacem secundo templo eò loci promissam, interpretari queunt Rabbini temporaneam pacem templo Zorobabelico præ Salomonico concedendam. Nemo enim nescit templum Zorobabelicum à Seleuco, ab Antiocho, à Pompeio violatum fuisse, ac à Tito dirutum et solo æquatum ; dùmque illud stetit, dissensiones diras inter Judæos exortas esse, et eorum rempublicam gravissimis bellis fuisse exagitatam, quibus tandem penitùs extincta est; ergo.

(1) Gen. 19, v. 10; Isai. 11, v. 10; Mich. 4, v. 2, etc.
(2) Mich. 5, v. 5: Isai, 9, v. 6 et 7.
(3) Psalm. 71, v. 7; Isai. 2, v. 4, et cap. 9, v. 7, et cap. 11, v. 1 et seq., et cap. 52, v. 7; Jerem. 33, v. 6 et 9; Ezech., 34, v. 25 et 29; Mich. 4, v. 2 et seq.; Nah. 1, v. 15; Zach. 9, v. 9 et 10.

Denique an ab alio quàm à Messiâ templum secundum valuit tantum decus consequi, ut templi Salomonici gloriam superaret? Etenim non modò templum posterius longè minori quàm prius magnificentiâ enituit, sed prætereà, ut ipsimet Rabbini (1) tradunt, rebus sanctissimis ac maximis ornamentis caruit, quibus templum prius decorabatur, Urim et Tummim videlicet, Arcâ et tabulis fœderis, virgâ Aaron, igne cœlesti, oleo divinæ unctionis, præsentiâ Divinitatis, et Spiritu prophetiæ, quæ tanta profectò re nullâ compensari ac suppleri potuerunt, nisi Messias templum secundum adierit. Quam ex his rebus templum prius præ posteriori dignitatem consecutum est, hanc inæstimabilem R. Azarias appellat; atque earumdem habitâ ratione doctus Menasseh ben Israel pronuntiat templum Salomonicum tantò excellentius fuisse Zorobabelico, quantò sol est lunâ præstantior. Ergo ex vaticinio Aggæi Messiam stante secundo templo venire debuisse omninò conficitur.

Jam verò idem quoque ex vaticinio Malachiæ evincitur. Nam *Dominator*, quem Malachias ait à Judæis quæsitum, et *Angelus* seu legatus fœderis ab iis exoptatus, ipse est procul dubio Messias et Liberator illis promissus, et ab iisdem tantoperè expetitus, ut agnoscunt ipsi Judæi cum R. Maimonide in Hilchoth melachim, seu Tract. de Regibus, et R. David Kimchi in hunc Malachiæ locum. *Dominator*, inquit Kimchius, *ipse est rex Messias, idemque Angelus fœderis*. Templum autem quod is *Dominator et Legatus* præsignificatur ingressurus, non aliud esse quàm Zorobabelicum monstratur 1° quia eodem nomine donatur quo templum à Judæis solebat designari. Scilicet Judæi consueverant templum appellare *Templum Domini*. Atqui Malachias templum de quo vaticinatur æquivalenti indigitat appellatione, nempe illud vocat *templum Dominatoris quem* Judæi *quærebant*, id est, Messiæ qui Dominus in sacris litteris non semel nuncupatur; ergo. 2° Quia templo secundo extante, aut saltem dùm illud absolvebatur, vaticinatus est Malachias; proclive igitur est, ut de ejusmodi templo intelligatur ejus Prophetia, utpote intra *tempus modicum* adimplenda. 3° Quia Malachiæ oraculum de templo secundo explicari exigit affinitas quæ vaticinium illud inter et Prophetiam Aggæi intercedit. Quemadmodùm qui gentes omnes commoturus, gentibus desideratus, pacemque ipsis allaturus dicitur ab Aggæo, idem ipse est ac *Dominator* et *Legatus* fœderis à Judæis expetitus, cujus meminit Malachias; ita templum de quo apud Malachiam agitur, censendum planè est quid unum cum domo Dei in Aggæi vaticinio memoratâ. 4° Quia vel de templo secundo loquitur Malachias, vel de tertio quodam olim extruendo. Atqui tertium templum quod Rabbini quidam restaurandum fingunt, commentitium est; spem enim illius non modò nullus Scripturæ locus firmat, ut deinde ostendetur, sed

(1) Bereschit Rabba ad v. 26, cap. 9, Genes. Midrasch schir haschirim ad v. 8, cap. 8. Cantici cantic. Thalmud. in lib. Jomâ, etc., apud Raym. Martin. loco citato.

contra Daniel cap. 9 templum à Tito evertendum prædicens, eâdem, ut jam notavimus, voce utitur, quâ Moyses Sodomæ et Gomorrhæ dissipationem expressit; additque futurum ut abolitis sacrificiis, et visâ in loco sancto abominatione, desolatio in consummationem et finem perseveret. Aggæus etiam in mox adducto vaticinio satis apertè indicat templum Zorobabelicum futurum esse ultimum, dùm ejus gloriam tam splendidè exprimit, tum Desiderabilem gentibus ad illud venturum esse, et pacem in eo concedendam, docet, tuncque cœlum et terram, mare et aridam à Deo agitanda, ac gentes omnes movendas prænuntiat. Et verò, ut quid templum tertium extrueretur cùm juxta Prophetarum oracula, ut postea dicetur, ritualia legis Mosaicæ et sacrificia abolita nunquàm debeant in posterum obtinere? Hinc frustra tentârunt non semel Judæi templum suum denuò suscitare, atque flammis è terrâ erumpentibus aliisque prodigiis sub Juliano Apostatâ deterriti sunt, ne factâ sibi ab illo imperatore in odium christianæ fidei, templi Jerosolymis extruendi facultate uterentur. Cujus rei testes sunt non solùm SS. Patres qui tunc temporis vixêre, sed etiam Ammianus Marcellinus scriptor ethnicus et coætaneus. Ergo intelligendus Malachias de templo secundo, proindeque, etc.

Solvuntur objectiones.—Objicies 1°: Etsi templum secundum præsentiâ Messiæ non fuisset illustratum, vicisset tamen prioris gloriam 1° ratione durationis; nam decennio ampliùs duravit quàm templum à Salomone extructum; 2° ratione celebritatis; si quidem templum secundum exteris nationibus magis innotuit, atque ab earum regibus Dario, Artaxerxe, etc., donis splendidissimis exornatum est; 3° ratione decoris et magnificentiæ, postquàm scilicet ab Herode in majus auctum et amplificatum fuit; ergo. Ita R. Salomo Jarchi, R. Kimchi, R. Menasseh, etc. Adde Josephum, lib. 15 *Antiq.*, cap. 11, aliàs 14, n. 3, testari majoribus sumptibus templum ab Herode quàm ab alio quovis fuisse exornatum. — 1° Nego antecedens, præsertim quantùm ad tertiam partem, quæ præcipua est. Fatemur itaque templum secundum non modò annis decem, ut Judæi putant, sed reverà annis 169, juxta accuratiores calculos, diuturnitatem templi prioris excessisse. Quod tamen levioris est momenti; ubi namque de ædificiorum ad se invicem collatorum splendore quæstio est, illa potissimùm in se spectantur, et ad durationem eorum majorem minoremve parum attendi solet, nisi quatenùs ea majoris aut minoris ædificiorum, quæ vetustate pereunt, soliditatis maricum esse potest; utrumque autem templum vi et flammis, non vetustate destructum est. Quanquàm posterius etiam postquàm ab Herode est instauratum, priori minùs solidum fuit, si Josepho fides (1), qui, lib. 15 Antiq. c. 11, viginti cubitos, id est, pedes 30 ex ejus altitudine, pressis nimiâ mole fundamentis, retrocessisse auctor est. Fatemur etiam donis eximiis à Dario Hystaspide, ab Artaxerxe Longimano, et ab aliis gentilibus, templum Zorobabelicum locupletatum fuisse. Verùm constat 1° ipso durante Judæos ab exteris gentibus fuisse oppressos et vexatos; 2° hoc ipsum templum non semel violatum fuisse et spoliatum, quod priori non contigerat; 3° idem templum, ut ipse Abravanel in Aggæum observat, nullo pacto, etiam ubi ab Herode auctum est, accessisse ad magnificentiam templi quod Salomon regum ditissimus et sapientissimus immenso apparatu stupendisque impensis ac structurâ supra modum mirabili ædificaverat; in quo *nihil erat*, Scripturâ teste, 3 Reg. 6, v. 22, *quod auro non tegeretur;* cujusque ibid. cap. 7, sumptuosissima ac tota aurea supellex. Vide etiam 1 Paralip. 22, et 2 Paralip. 2, 3 et 4, et confer quæ à Josepho ibidem referuntur de utroque templo. Enimverò ex Josepho, cui concinunt Josephus ben Gorion, Hegesippus, S. Hier., etc., habemus mille carros ad vehendos lapides ab Herode comparatos, et decem peritissimorum opificum millia ad opus perficiendum electa, cuncta verò octo annis ædificata; qui apparatus quidem etsi immensus in se, attamen si comparetur iis quæ idem Josephus, Antiq. lib. 8, cap. 2 et 3, de templo Salomonico post Scripturas refert, nihil magni continere videbitur. Nam 1 Paral. 22, v. 14, David legitur *auri talenta centum millia, et argenti mille millia talentorum, æs verò et ferrum cujus non erat pondus....., ligna et lapides ad universa impendia*, etc., ad templum ædificandum præparâsse; Salomon autem 3 Reg. 5, v. 13, 14, 15 et 16, 2 Paral. 2, adhibuit *operarios de omni Israel triginta millia virorum, mittebatque eos in Libanum, decem millia per menses singulos vicissim*, etc.; insuper verò *septuaginta millia eorum qui onera portabant, et octoginta millia latomorum in monte; absque præpositis qui præerant singulis operibus numero trium millium*, etc. Nec tamen domum Dei ad culmen perduxit ante annum ab ejus fundatione septimum, 3 Reg. 6, v. 38; ergo. Quod de Josepho objicitur, nullum negotium facescit. Non ibi comparatur templum Herodianum cum Salomonico, sed Herodes cum iis confertur qui antea ad templi secundi decorem adjumento fuerant. 2° Nego conseq. 1° Evidentissimum est quæcumque templo secundo deerant, nempe Arcam fœderis, tabulas legis, et alia modò enumerata, nullâ duratione, celebritate et magnificentiâ compensari et suppleri potuisse. Ergo. 2° Series horumce verborum: *Meum est aurum, et meum est argentum..... Magna erit gloria domûs istius novissimæ plus quàm primæ..... et in loco isto dabo pacem*, manifestum faciunt non de gloriâ caducâ ab auro et argento donisque gentium profectâ vaticinium explicandum, sed de gloriâ veriori et præstantiori, quæ exori-

(1) Omnem Josepho fidem hìc abjudicat Villalpandus in Ezechiel. T. 2, part. 2, p. 577, et alii cum ipso, rati scilicet « impossibile esse tantam molem tanto « motu agitari, ut ejus altitudinis sexta pars sepulta « dehiscat, quin tota moles aut corruat, aut ita vitiosa « supersit et rimosa, ut destruenda potiùs quàm inhabitanda videatur. » Assentimur Torniello hunc Josepho sensum tribuenti ad an. mundi 1032, confidentibus fundamentis, viginti illos cubitos templo adjectos non fuisse.

tura esset à pace in templo isto dandâ, id est, à Messiâ pacis auctore ad templum illud offerendo. 3° Non minùs perspicuum est ex vaticinii contextu eamdem templi secundi gloriam, ut dictum est, ab adventu *Desiderati cunctis gentibus*, seu Messiæ repetendam, ac proinde Messiæ ejusdem in hocce templo coram Domino sistendi, maximè hìc habendam esse rationem. Potuerit ergo, quod falsum est, templum posterius priori quantùm ad famam et magnificentiam æquiparari, nihilominùs ex vaticinio Aggæi evincitur Messiam jamdudùm advenisse.

Inst. Ubi habèt Vulgata nostra : *Veniet Desideratus cunctis gentibus*, hebræa legunt : *Venient desiderium cunctarum gentium*, quæ juxtà R. David Kimchi in hunc sensum explicanda sunt : *Venient cunctæ gentes cum desiderabilibus*, id est cum donis ; supplendo nempe præpositionem ante vocem *chemedath, desiderium*, et legendo *bechemedath, cum desiderabilibus*. Et certè dici nequit *desiderium* seu *desiderabilia gentium venire*, benè verò *gentes venire cum desiderabilibus* ac donis ; ergo. — Nego antecedens, nempe hanc Kimchii expositionem adhibendam. Etenim malè hìc supplet Kimchius præpositionem quæ in hebræo non legitur, et quâ emphasis illius loci et sublimitas penitùs evanescit. Ad id quod adjicitur, dici non posse *desiderium gentium venire ;* id fateor, si nomine *desiderii* significarentur opes et munera gentium ; at nihil in sacro contextu sensum hunc Rabbinorum recentiorum sapit. Num autem Messias bona summa populis allaturus, ipsisque ideò maximè desiderabilis, *desiderium cunctarum gentium* simpliciter nuncupari nequit? Aut potiùs, ubi Propheta magnificè exprimit futurum ut aliquando veniat *desiderium cunctarum gentium*, quidquamne aliud intelligere licet, præter Messiam, qui in Scripturis ut populorum salus et gentium expectatio semper exhibetur? Quòd si de muneribus gentium, de auro et argento ad templum afferendis, Aggæum interpreteris, quomodò ista expones, quæ in vaticinio præmittuntur : *Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cœlum et terram, et mare et aridam, et movebo omnes gentes?* An commotio illa insignis quæ hâc magniloquentiâ à Deo præsignificatur, ad munera quædam, ad aliquod argenti et auri pondus à gentilibus offerenda referri et accommodari potest? Postremò, nec patiuntur hæc verba : *Et in loco isto dabo pacem*, ut Aggæi oraculum de muneribus gentilium explicetur ; nec ejusmodi donis effici potuit ut templum Zorobabelicum gloriam Salomonici superaret ; ergo.

Instabis iterùm : Ille non potuit appellari *Desideratus cunctis gentibus*, seu *desiderium gentium*, quem gentes ignorabant : atqui gentes ignorabant Messiam ; ergo. — Nego majorem, et dico Messiam potuisse dici *desiderium gentium*, etsi ilum explicitè non cognoscerent gentes ; nam ad hoc satis est quòd ipse futurus esset gentium spes et salus maximè desideranda.

Objicies 2° : Ex circumstantiis in quibus Aggæus de glorià templi secundi vaticinatus est, patet eam in ubertate ac copià bonorum esse collocandam. Cùm enim Judæi ob suam in construendo templo negligentiam, agrorum sterilitatem essent experti, ut ex v. 13 perspicuum est, Propheta, ut eos simul extimularet ac solaretur, prædicit cœlum terramque commovenda, frugesque uberes templo absoluto concedendas ; ergo. Nego antecedens. Nec ad fruges terræ possunt aptari splendida hæc Dei verba : *Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cœlum*, etc., *movebo omnes gentes ;* nec ubertas terræ major fuit stante secundo templo, quàm fuerat primo existente ; ac tandem evidens est, ut diximus, sermonem in hoc vaticinio de Messiâ institui, templique posterioris, comparatè ad Salomonicum, ferè nullam fuisse gloriam, nisi Messiæ ratio habeatur.

Objicies 3° : Nihil obstat quominùs Aggæus explicetur de edicto regis Persarum, nempe Darii Hystaspidis, quo pax data est Judæis, et facta templi ædificandi facultas, ergo. Nego antecedens. Nunquàm in Scripturis, uti jam observatum est, Deus cœlum terramque commoturus dicitur, nisi ubi de stupendis et maximis prodigiis sermo sit. Quid autem apparet prodigii in decreto quo Darius edictum à Cyro jam concessum confirmavit? Prætereà, illud decretum Darii ad *desideratum cunctis gentibus* nihil contingit, nec eo data est eximia illa pax juxta vaticinium in templo secundo concedenda, quà effici debebat ut gloria hujus templi gloriam alterius longè superaret ; ergo.

ARTICULUS IV.

De aliis vaticiniis quibus Messiam venisse ostenditur.

Conclusio. Præter adductas hactenùs in Judæos Prophetias, aliæ multæ sunt certum præteriti adventûs Messiæ argumentum. Prob. Nam 1° illustre ejusmodi oraculum habetur Dan. 2. Viderat in somniis Nabuchodonosor rex Babylonis statuam unam grandem et sublimem, cujus *caput ex auro optimo erat, pectus autem et brachia de argento ; porrò venter et femora ex ære ; tibiæ autem ferreæ ; pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. Videbat ita* Nabuchodonosor, *donec abscissus est lapis de monte sine manibus, et percussit statuam in pedibus ejus ferreis et fictilibus, et comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum et aurum.... lapis autem qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit universam terram.* Daniel, somnio illo quod regi exciderat, in ejus memoriam revocato, de quatuor imperiis sibi invicem successuris partes varias statuæ interpretatur ; lapidem verò de Messiæ regno exponit. *Hoc est somnium*, inquit, v. 36 et seq. ; *interpretationem quoque ejus dicemus coram te, rex. Tu rex regum es, et Deus cœli regnum, et fortitudinem, et imperium, et gloriam dedit tibi... ; tu es ergo caput aureum. Et post te consurget regnum aliud minus te, argenteum ; et regnum tertium aliud æreum, quod imperabit universæ terræ ; et regnum quartum erit velut ferrum ; quomodò ferrum comminuit, et domat omnia, sic comminuet et conteret omnia hæc. Porrò quia vidisti.... digitos pedum ex parte ferreos, et ex parte fictiles, ex parte regnum erit solidum, et ex parte contritum... In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum quod in æternum non*

dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur; comminuet autem et dissipabit universa hæc, et ipsum stabit in æternum, secundùm quod vidisti, quòd de monte abscissus est lapis sine manibus, etc.

Ex quo vaticinio sic argumentari licet. Ibi prænuntiatur futurum ut *in diebus regnorum illorum* quæ Propheta commemorat, id est, ultimo eorum adhuc existente, *suscitet Deus regnum quod in æternum non dissipabitur*, quod *alteri populo non tradetur*, et quod *stabit in æternum;* quibus sanè verbis solùm Messiæ regnum designari nullus diffitebitur, atque de isto consentiunt Rabbini, ut probat Huetius in Demonst. evang., prop. 7, n. 20, et prop. 9, cap. 8. Jam verò imperia illa quatuor de quibus Daniel, à longo tempore defecerunt et dissipata sunt. Nemini enim dubium esse potest quin primum ejusmodi regnum sit illud ipsum cui Nabuchodonosor præerat, nempe Babylonicum, ut patet ex istis Prophetæ verbis ad hunc regem: *Tu es caput aureum; post te consurget regnum aliud minus te, argenteum.* Secundum igitur regnum est Persicum, quod constat Babylonico successisse, quodque idcircò minus illo dicitur, quia et posterius tempore, et nec duratione nec extensione cum Babylonico seu Chaldæo comparandum. Tertium est Macedonicum seu Græcorum, quod persicam monarchiam destruxit, ipsâ longè latiùs patuit, et propter magnam sui diffusionem dicitur universo orbi imperâsse. Quartum est Romanum, quo Alexandri Magni successorum potestas penitùs comminuta est, et in quo quæcumque de quarto regno, ac de parte statuæ infimâ Daniel protulit, facilè deprehenduntur. Ergo cùm jamdudùm cuncta hæc imperia eversa sint et desierint, fatendum superest Messiæ regnum jampridem suscitatum fuisse à Deo.

Dices: Imperium Romanum etiamnum existit: scilicet in Germaniâ regnat imperator Romanorum; Constantinopoli verò summam rerum obtinet Turca, romanorum imperatorum ex parte successor. Ergo Messiam advenisse ex cap. 2 Danielis non probatur. — Nego antecedens. Imperium Germanicum nomine tenùs Romanum appellatur, quippe quod Romani non fundârunt, et in quo nec rebus potiuntur, nec unquàm potiti sunt. Idem à fortiori dicendum de turcico imperio, quo Romanorum ditio in Oriente penitùs extincta est: ergo.

Dices iterùm cum Grotio, Annot. ad cap. 2 Danielis: *Regnum quartum de quo hìc vaticinatur Daniel, est regnum Seleucidarum et Lagidarum, Alexandri magni successorum. Lapis abscissus de monte sine manibus, est exercitus populi qui suæ esset spontis, nullique regi pareret: cujus populi origo à monte, nempe Palatino. Tandem regnum quod in æternum non dissipabitur, est imperium Romanum perpetuò mansurum; ergo.*— Resp. hanc Grotii opinionem, etsi ibi agnoscat ille eximium Messiæ typum, nullo pacto defendi posse. Nam regnum illud quartum de quo agitur, ponitur esse unum et à cæteris distinctum, eo ipso quòd quartum à Prophetâ dicitur. Atqui regna quibus potiti sunt Alexandri successores Seleucidæ et Lagidæ, dici non possent in sententiâ Grotii regnum unum à cæteris distinctum. Vel enim ea spectantur in se, vel ratione originis. Si in se considerentur, nequeunt dici regnum unum, sed plura regna, quippe quæ à se invicem nullo modo dependentia, bellis sævissimis ac odiis perpetuis inter se decertârunt. Si spectentur ratione originis, possunt quidem dici unum regnum, quatenùs scilicet unùm erant Alexandri Magni imperium, in plures, juxta ejus ultimam voluntatem, divisum sectiones, quarum duæ Seleucidis et Lagidis propriæ cæteris prævaluerunt, ac superstites manserunt. Verùm si hocce modo inspiciantur illa regna, jam ab ipso Alexandri Magni regno non erunt distincta; ergo. Deinde principes hæcce regna moderantes non modò iis imperabant gentibus quas domuerat et imperio suo acquisiverat Alexander, sed et ab eo auctoritatem suam hauriebant, quippe quibus *diviserat regnum suum, cùm adhuc viveret;* verba sunt proximè citati auctoris Machab. Ergo ab Alexandri regno propriè distinguenda non sunt regna illa: proindeque, etc.

2° Plurima extant vaticinia de gentibus ad veri Dei cultum tempore Messiæ vocandis. *Erit in novissimis diebus*, inquit Isaias cap. 2, v. 2 et seq., *præparatus mons Domini in vertice montium.... et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent: Venite et ascendamus ad montem Domini..... et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. Et judicabit gentes, et arguet populos multos..... Et incurvabitur sublimitas hominum, et elevabitur Dominus solus in die illâ et idola penitùs conterentur... In die illâ projiciet homo idola argenti sui, et simulacra auri sui quæ fecerat sibi ut adoraret.* Idem Isaias aliis adhuc in locis; Jeremias, Ezechiel, Sophonias, Osee, Joel, Amos, Zacharias, Malachias cæterique (1) passim scriptores sacri illud quoque declarant, nempe futurum ut Messias ad unius Dei cultum nationes revocaret, ac discrimen illud summum, Judæos inter et alios populos olim intercedens, aliquando tolleret, nec de eo Judæi à nobis dissentiunt. Atqui jamdiù est ex quo illud fuit impletum; si quidem jamdudùm idola eversa sunt, ac nationes de veri numinis cultu, et de morum integritate servandâ institutæ sunt: jamdudùm non solùm in Israel, sed *ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen Domini in gentibus;* jamdudùm, secundùm Malachiæ Prophetiam, *in omni loco sacrificatur et offertur nomini* Domini *oblatio munda*, quæ quidem litatio parti Judæorum Christo addictæ simul cum gentibus est communis; dùm ex adverso Judæi in Christum rebelles, per orbem disjecti, omni sacerdotii potestate, omni sacrificio destituuntur; ergo.

Quædam objiciunt Judæi inferiùs solvenda.

3° Vaticinia, ad ostendendum Christum Dominum esse Messiam à Prophetis prædictum, capite sequenti proferenda, simul demonstrant Messiam jam venisse; ergo.

(1) Vid Huetium, propos. 9, cap. 150.

CAPUT II.

Ex Prophetarum oraculis contra Judæos evincitur Christum Jesum esse Messiam.

Hoc alterum in Judæos disputationis caput ab isto exordiemur argumento : Ille est Messias in quo adimpleta sunt quæ de Messiâ vaticinati sunt Prophetæ, seu cui competunt characteres quibus Messiam Prophetæ expresserunt ; atqui in Christo Jesu adimpleta sunt, etc.; ergo, etc.

Minorem propositionem, de quâ solùm controversia esse potest, duplici demonstrabimus articulo. In primo ostendemus vaticinia Jacobi, Danielis, Aggæi, etc., præcedenti capite adducta et explicata, in Christo Domino exitum habuisse. In altero illud idem de aliis prophetiis exequemur. Cùm verò Jesum sacris oraculis designatum ac præsignificatum fuisse, ex collatione et consensu textuum utriusque Testamenti, ut plurimùm efficiatur, præmonendum ducimus vim argumenti, quod ex hâc Evangelii et veteris Instrumenti concordiâ eruitur, non posse idcircò eludi à Judæis, quòd historiam evangelicam, ac fidei christianæ dogmata non recipiant. Etenim, quantùm ad fidei dogmata quæ Christi dotes et naturam divinam, pretium mortis ejus, regnum ejusdem spirituale et alia hujusmodi benè multa per se insensibilia et merè spiritualia spectant, sufficit ad præsens institutum 1° ostendi genuinam Christi et Apostolorum de ejusmodi dogmatibus doctrinam cum oraculis Prophetarum ad Messiam attinentibus concordare ; quæ quidem concordia per se multùm probat, et prodigii loco esse potest. Sufficit 2° eadem fidei christianæ dogmata connecti multis eventibus certis ad Christum contingentibus et de Messiâ prædictis. Nimirùm, si ea quæ de nativitate, prædicatione, passione, morte, resurrectione, etc., Christi Domini, et variis ejusmodi rerum circumstantiis Evangelistæ edisserunt, vera sint, et Prophetiis Messiam spectantibus cohæreant, ac præterea doctrina de Christi dotibus et aliis spiritualibus in Evangelio expressa, eisdem vaticiniis legitimo sensu intellectis consentanea sit, planum est Christum esse Messiam à Prophetis prædictum.

Quantùm autem ad facta : 1° Plura Messiæ insignia indicia Jesu Christo competere manifesti eventus comprobant, quos historiæ omnes testantur, ac etiamnum oculis conspicimus ; cujusmodi sunt, v. g., Judæorum reipublicæ extinctio, quæ circa Messiæ tempus juxta prophetias obtingere debuit, eorumdem desolatio et dispersio, templi destructio, idolorum eversio, gentium conversio ad unius Dei cultum, etc. 2° Facta quæ in Evangelio narrantur, iisdem Judæo suadentur argumentis, quibus in gentilem demonstrantur. Ejusmodi argumenta inferiùs exponemus. Patebit tam Judæos quàm quoslibet infideles his premi, perindeque adigi ad fatendum Apostolos nèc illusos nec illusores fuisse eorumque scripta ad nos usque incorrupta pervenisse.

3° Ad eamdem historiæ Evangelicæ veritatem agnoscendam, valentiùs adhuc Judæus urgebitur, si comparationem instituas scripta Evangelistarum inter et Pentateuchum Moysis. Scilicet quæratur à Judæo quibusnam momentis in gentiles astruere valeat Moysen sincerè et Deo inspirante scripsisse, ejusque libros nec incuriâ, nec perversitate hominum adulteratos. Tum ostendatur veritatem historiæ evangelicæ pluribus adhuc et majoribus argumentis firmari. Istud facillimè confici, colligere erit ex dicendis postea adversùs gentiles et incredulos de certitudine factorum evangelicorum. Interim verò, ut appareat quâ ratione possint ea, quæ ibi statuenda sunt, hùc referri, simulque causæ christianæ contra Judæos æquitas ampliùs innotescat, non abs re erit præcipua hujus negotii capita paucis hìc perstringere. Itaque non diffitemur optimè demonstrari Hebræorum legislatorem ipsis non illusisse ; ea est enim prodigiorum in Pentateucho relatorum indoles, ut, nisi vera fuissent, à gente hebræâ quæ testis eorum ponitur, non potuissent credi. At fatendum quoque est facta quæ in Evangelio narrantur sæpè magis splendida, nec minùs publica fuisse ; ac proinde Apostolos, qui se ut ejusmodi eventuum testes oculatos exhibent, de illis non potuisse decipi. Quod autem noluerint fallere, evidentissimum est. Si enim fuerunt viri simplices quo nulla spes temporalis ad fallendum impulit ; nullus labor, nullus periculorum ac mortis metus ab ejusmodi factorum testificandâ veritate deterruit. Omni auctoritate et favore, omnibus fallendi mediis destituti, in unâ Evangelii virtute adeò confidebant, ut ejus tantùm ope omnes populos à superstitioso idolorum cultu avertere et ad fidem cultumque et imitationem Crucifixi adducere susceperint. Quod quidem consilium, renitente licet humanâ potentiâ, feliciter sunt executi. Jam verò quis negaverit, his aliisque aliquando referendis sinceritatis Apostolorum argumentis, momenta quibus Moysis fides astruitur (humano more rem spectamus), quanta quanta sint, plurimùm superari ?

Idem dicendum de integritate librorum ab Evangelistis conscriptorum, comparatè ad libros Moysis. Enimverò quò magis divulgatur ac statim disseminatur liber, eò minùs potest datâ operâ et sine sensu vitiari. Atqui Pentateuchus Moysis solis Judæis concreditus, penès eos solos per plura secula extitit. Ex adverso libri Evangelici per orbem illicò disseminati, in varia populorum idiomata translati, in omnibus ecclesiis lecti assiduè et explicati, à Christianis diversarum regionum, imò et ab hæreticis frequenter triti, in concionibus publicis, in scriptis quibuslibet, in operibus polemicis adversùs paganos, Judæos, et heterodoxos ab Ecclesiæ Patribus indesinenter et uniformiter adhibiti fuerunt ; nec tamen tot inter exemplaria, versiones et citationes ejusmodi librorum, ullum quod ad substantiam spectet, deprehenditur discrimen. Ergo, etc.

Tandem, si miraculis et prophetiis in Pentateucho contentis, illum esse à Deo inspiratum Judæus stabiliat, non ibimus inficias ; sed inde à fortiori concludemus Evangelia Deo dictante fuisse exarata ; quippe in quibus longè plura numero et multa majora mira-

cula, pluresque prophetiæ eventu comprobatæ, quàm in libris Moysis enarrantur. Quæcumque igitur ad veritatem, integritatem et divinitatem librorum Moysis confirmandam Judæus afferre possit, ejusmodi dotes libris Evangelicis propter graviora adhuc momenta adjudicandæ.

Accessit, varias ab incredulis de quibusdam Pentateucho subinde factis, ut putant, additionibus, et de fortunis quas tempore captivitatis Babylonicæ et sub Esdrâ expertus est, proponi difficultates, quæ etsi ipsius auctoritatem minimè labefactent, nonnihil tamen involvunt incommodi, quod in scriptis Evangelicis locum non habet. Atque de toto hoc argumento plura legi possunt apud Philippum à Limbroch, in opere cui titulus : *De veritate Religionis Christianæ amica collatio cum eruaito Judæo*, resp. ad 2 scriptum Judæi c. 6, et resp. ad 3 scriptum capite 3. Qui quidem liber cautè legendus, utpote qui inter multa quæ in Judæos eximia continet, nonnunquàm Episcopii et Arminianorum interpretationibus conspergitur.

Cæterùm tametsi pro librorum Evangelicorum auctoritate tot momenta militent, nondùm tamen postulamus à Judæis ut ejusmodi librorum divinitatem agnoscant. Impræsentiarum satis est eam Evangelistis tribui fidem, quæ quibusvis non infimæ notæ scriptoribus debetur. Sanè, vel nihil certi in historiâ esse potest, vel simplex Evangelistarum et ingenuus scribendi modus, disciplinæ quam tradunt sanctitas, uniformis eorumdem consensus, ei tamen conjunctus dissimilitudini, quâ eos communicatis consiliis non scripsisse apertum sit, tum rerum quas exponunt natura et indoles; quippe de publicè gestis plerumque agunt, necnon temporis quo sua scripta divulgârunt circumstantiæ, ac demùm eventus Evangelii promulgationem subsecuti; hæc, inquam, historiam Evangelicam à nemine cordato temni et posthaberi sinunt. Verùm ista suo loco uberiùs declarabuntur. Præmonuisse sufficiat totam in Judæos controversiam ad istud unum hìc revocari, an videlicet fides christiana de Jesu, ac facta quæ ad eum attinent seu ex Evangeliis, seu ex diversis certisque historiæ monumentis accepta, antiquis Prophetarum de Messiâ vaticinationibus respondeant.

ARTICULUS PRIMUS.

Vaticinia Jacobi, Danielis, Aggæi, etc., *ante adducta, in Christo Domino completa ostenduntur.*

Conclusio I. In Christo adimpletum est vaticinium Jacobi superiùs explicatum. Probatur. Tempora Messiæ adventûs in hoc vaticinio duobus magnis eventibus ac rerum immutationibus præsignantur. Prima immutatio in eo posita est, quòd versùs hæc tempora imperium Judæ ac totius populi Judaici evertendum fuerit; altera verò in hoc consistit, quòd novum regnum, non jam ex uno populo constitutum, sed ex omnibus populis, sub principe Messiâ tunc stabiliri debuerit. Primum exprimitur his Prophetiæ verbis. Genes. 49, v. 10 : *Non auferetur sceptrum de Judâ*, etc., *donec veniat Schiloh*, etc. Aliud istis significatur : *Et ipse erit expectatio gentium;* vel ut habet textus hebræus : *Et ei erit obedientia populorum;* seu ut Samaritanus legit : *Et ad ipsum congregabuntur populi.* Atqui hæc duo Christi temporibus perfectè congruunt. 1° Enim venit Christus sub Herode, qui primus ex alienigenis regnum apud Judæos obtinuit. Ætate Christi Judæa in provinciam romani imperii versa est, ac paulò post ejus mortem, anno scilicet æræ vulgaris 70, Jerusalem templumque funditùs eversa sunt, et Judæorum respublica penitùs absoluta et dissipata. 2° Regnum non quidem terrenum, sed spirituale, in quo non caducis, sed cœlestibus bonis cumulamur, ex omnibus gentibus quas sinu suo complectitur Ecclesia, conflatum, Christo duce, laboribus Apostolorum et discipulorum ejus partum et stabilitum est quod in æternum permanebit; ergo. Adde quòd omnes enumeratæ vocis *Schiloh* significationes Christo, juxta fidem christianam aptissimè conveniant. Si enim vocem *Schiloh* interpreteris, *Qui mittendus est*, agnoscas necesse est eâ Christum signari, quippe qui ad homines salvandos à Deo missus est, ac missionem suam omni miraculorum genere probavit. Si autem *Schiloh* tibi sit *Pacificus*, quis illo nomine sine addito, meretur insigniri, nisi Christus Jesus, qui doctrinâ suâ et exemplo (Matth. 11, v. 29 et 30, et alibi) homines ad pacem et concordiam invitat : qui *Pax nostra* dicitur Ephes. 2, v. 13 et 14, quòd *in sanguine* ejus Deo fuerimus reconciliati : à quo *pax* cœlestis *exuperans omnem sensum* Judæis et gentibus est allata; cujus regnum, Rom. 14, v. 17, *est justitia et pax, et gaudium in Spiritu sancto?* Si eadem vox sonet *filium Judæ*, quis inter filios Judæ ad expectationem sancti illius Patriarchæ implendam magis Christo idoneus? Demùm, si *Schiloh* accipiatur pro *repositis et reservatis* Judæ aut pro illo *cui repositum est regnum*, quis non videt quæcumque potuerunt Judæ esse reposita et reservata, in Christo Jesu omnium donorum auctore ultra spem esse impleta; regnumque illud eximium ac præcellens filii Judæ non posse esse quid majus regno spirituali Christi, cui *data est omnis potestas in cœlo et in terrâ*, Matth. ult. v. 18, et *cujus regni non erit finis*, Luc. 1, v. 33? Ergo.

Conclusio II. Prophetia Danielis cap. 9, in Christo Domino exitum consecuta est. Prob. Quem enim Daniel ibi venturum significat, is juxta prophetiam futurus est *Sanctus sanctorum, Christus, Christus dux; justitiam sempiternam adducturus est, et iniquitates deleturus;* in ipso *implenda est visio et prophetia*, ejus ætate *consummandum peccatum;* elapsis ab exitu sermonis de reædificandâ Jerusalem 60 annis, *occidendus est, et non sibi;* pactum multis *confirmaturus* est, et sacrificia vetera aboliturus; post ejus necem, et in pœnam ejus necis, *civitas et sanctuarium dissipanda* sunt; *abominatio desolationis in templo* conspicienda et *desolatio in consummationem* super populum Judaicum effundenda. Hæc sunt totidem Messiæ criteria juxta vaticinium Danielis ut ex suprà dictis liquidum est. Atqui illa omnia in Christo Jesu ad eventum fuêre perducta.

1° Sæpè Jesus in novo Testamento appellatur *Christus*, *Unctus* Domini, *Sanctus*. Et sanè quid sanctius excogitari potest humanitate Christi, quæ suî ipsius arctissimâ unione cum Verbo divino ungitur et sanctificatur? Joan. 1, v. 14; Philip. 2, v. 6 et 7, etc. 2° Ab ipso peccata mundi deleta sunt, Joan. 1, v. 29; testimonium ipsi perhibens Joannes Baptista ait: *Ecce qui tollit peccata mundi*. Matth. 26, v. 28 et alibi, sanguis ejus dicitur effusus *in remissionem peccatorum*. 3° Christus adduxit justitiam sempiternam, dùm abominandos paganismi cultus extinxit, ac religionem sanctam et ritibus suis ex merito auctoris sui justificantem induxit, à pius quàm septemdecim seculis stantem, et ad mundi finem usque perseveraturam. 4° Impletæ sunt in Christo Jesu prophetiæ genuino sensu intellectæ. Hinc Apostolus, Rom. 10, v. 4, ait, *finem legis* esse *Christum*; et Cor. 1, cap. 10, v. 11, *omnia in figurâ* Christi Domini *contigisse* Israelitis; Christusque spiritum emittens, Joan. 19, v. 30, in hanc vocem erupit: *Consummatum est*. 5° Dux fuit Jesus, scilicet tum multorum Judæorum qui ejus legem amplexi sunt, tum universi populi christiani; nam juxta ejus leges et ejus nomine cuncta in Ecclesiâ disponuntur et peraguntur. Omitto ipsum etiam fuisse reipsà ducem Judæorum, qui eum non receperunt quippe in quos jus habuit, et qui illum respuendo gravissimè peccaverunt, Joan. 1. 6° *Occisus* est, et *non sibi*, sed ut sanguine suo satisfaceret pro peccatis, homines redimeret ac Deo reconciliaret, Matth. 26, v. 28; Rom. 5, v. 9; Ephes. 1, v. 7; Coloss. 1, v. 14 et 20, etc. Atque ejus nece injustâ effectum est ut veniret super Judæos et ab eis requireretur omnis sanguis justus qui effusus est super terram *à sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare et ædem*, Luc. 11, v. 50 et 51; Matth. 23, v. 35. (Vide etiam Matth. 27, v. 25, ubi Judæi exclamant: *Sanguis ejus super nos et super filios nostros!*)

Occisus est autem post 69 hebdomadas annorum ab exitu sermonis ad iterùm ædificandam Jerusalem, videlicet in medio septuagesimæ hebdomadis, uti suprà fusè exposuimus. Rursùs porrò advertas, quod non semel monuimus, nempe rem ejusmodi, etsi ad amussim chronologiæ litigiosæ exacta difficultatem patiatur, ita tamen se habere, ut evidentissimum sit, juxta moralem hominum æstimationem, eventum perfectè vaticinio cohærere. De octo enim ad summum annis, ut ex dictis liquet, disputari potest. Agitur verò de longâ annorum 400 serie, quæ solummodò texitur ad fidem historiæ profanæ, cujus scriptores inter se non semper consentiunt. 7° Christus confirmavit pactum multis; nimirùm tum per se, dùm ministerio suo functus est, tum per Apostolos, à quibus voluit Evangelium annuntiari primùm quidem Judæis, quorum multi illud amplexi sunt, et deinde *in mundo universo omni creaturæ*, Marc. 16, v. 15. Vide et Act. 1, v. 8, etc. 8° Ejus morte valor et necessitas veterum sacrificiorum abolita sunt, Hebr. 9 et 10; nec multò post ejus mortem, templo everso, etiam sensibiliter et quoad exteriorem ritum hostia et sacrificium defecit. 9° Denique, anno ab ejus morte 37, civitas et sanctuarium dissipata sunt, altæ abominationis in loco sancto visæ sunt, cœpitque desolatio et dispersio populi Judaici à decem et octo ferè seculis perseverans, et usque ad consummationem et finem duratura. Ergo indicia Messiæ insignia, à Daniele prædicta, in Christo Jesu exitum habuerunt.

Conclusio III. Quæ adductis Aggæi et Malachiæ vaticiniis continentur, in Christo Domino evenêre. Probatur. Nam 1° juxta vaticinium Aggæi, tempore adventûs Messiæ, cœlum et terra, mare et arida à Deo commovenda sunt, gentes et omnes agitandæ. Atqui id in Christo effectum est. Ipso enim nascente sidus novum in cœlo apparuit. Matth. 2, v. 2, et *facta est... multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, et dicentium: Gloria in excelsis Deo*, etc. Luc. 2, v. 13. Dùm baptizatus est à Joanne, *apertum est cœlum et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum et vox de cœlo facta est: Tu es filius meus dilectus*, etc., Luc. 3, v. 21 et 22. Similiter cùm transfiguratus est, *vox facta est de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite*. Luc. 9, v. 35, etc. Ipso prædicante, seu per se, seu per Apostolos, miracula summa terrâ marique edita sunt. Ipso moriente, sol miraculosè obtenebratus est, *velum templi scissum est... terra mota est, et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt*. Matth. 27, v. 45, 51 et 52. Ad hæc, ipse resurrexit, Matth. ult. et alibi, et in cœlos ascendit, Marc. 16, v. 19, etc. Tandem Christus nationum religionem immutavit, earum idola confregit, populosque omnes sibi devinxit. Ergo tempore Christi cœlum et terra, mare et arida, atque omnes gentes à Deo commotæ sunt.

2° Juxta Aggæum et Malachiam Messias templum secundum ingressurus erat, atque ita ex Aggæo 2, v. 8, futura erat *magna gloria domûs istius novissimæ plus quàm primæ*. Quod Christus quoque adimplevit, quippe in templo præsentatus coram Domino, Luc. 3, v. 22, et in eâdem æde docuit, Matth. 26, v. 55, Marc. 12, v. 35, etc.; atque ibi innumera miracula edidit.

3° Christus fuit pax quæ in templo secundo juxta Aggæum dari debuit; siquidem ad templum coram Domino se ut victimam sisti voluit, præludens sacrificio pleniori, quo Deus *pacificavit per sanguinem crucis ejus sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt*, Coloss. 1, v. 20; ergo, etc.

Dices 1°: Christus non intravit in secundum templum quod à Zorobabele exstructum fuerat, sed in Herodianum. Narrat enim Josephus lib. 15, Antiq., cap. 11, aliàs 14, n. 3, templum ab Herode fuisse de integro reædificatum, *sublatis* nempe *veteribus fundamentis, et jactis aliis*; ergo. Nego antecendens, et dico templum ab Herode restauratum idem cum Zorobabelico juxta omnium tunc existentium æstimationem habitum fuisse Rabbini in Talmude et in aliis operibus suis Herodianum templum à Zorobabelico nunquàm distinguunt, semper supponunt asseruntque templum secundum fuisse dirutum à Romanis; atque ubi agunt

de templo quod à Messiâ ædificandum fingunt, illud non templum quartum appellant, sed tertium. Nec sanè his Josephus dissonat, quippe qui facilè explicetur de maximæ tantùm templi ac ejus fundamentorum partis instauratione atque reædificatione successivè intra octo annos ab Herode peractâ; adeò ut Herodes templum secundum non æquaverit solo ut novum extrueret, sed per partes illud reparaverit, jactisque novis fundamentis, ei ampliorem ambitum dederit, et in majorem altitudinem illud erexerit, ac tandem *templo universo circumdederit porticus ingentes* aliaque ornamenta adjecerit. Et verò si templum fuisset ab Herode ex integro dirutum, ut aliud ejus loco ædificaretur, cessâsset igitur sacrificium perpetuum quod in solo templo offerri poterat : num autem ejusmodi defectionem passi essent Judæi? num illius nullam Josephus mentionem fecisset? Ergo, etc.

Dices 2° : Non potuit præsentiâ suâ Christus majorem templo secundo gloriam conferre, quàm quæ priori fuit. Nam 1° quis dixerit majorem alicujus templi gloriam inde potissimùm repeti quòd in illud semel aut iterùm aliquis ingressus fuerit? 2° In templo priore semper aderat præsens Dei responsa dantis majestas; at Jesus aliquoties tantùm in templum secundum introivit; ergo, etc. Nego antecedens. Christus in templo secundo docuit, miracula edidit, ut diximus, atque in eo stetit ut mediator, ut victima, ut pacem afferens, Deoque homines reconcilians; ergo. Pax illa firma et constans, hæc reconciliatio tempore Messiæ ac stante secundo templo futura significatur his prophetiæ Aggæi verbis : *Et in loco isto dabo pacem.* Atque id procul dubio intellexerat auctor libri 2 Machab. de templo secundo hæc habens cap. 5, v. 20 : *In magni Domini reconciliatione cum summâ glorià exaltabitur.* Inde patet responsio ad utramque antecedentis probationem.

Conclusio IV. Cætera vaticinia antè allata in Christo Domino adimpleta sunt. Prob. Nam 1° in adductâ prophetiâ Danielis 2, quatuor de Messiâ præsignificantur : 1° Messiam stante imperio romano venire debuisse; 2° ab ipso regnum aliud esse instituendum; 3° ejusmodi regnum quatuor aliis successurum, et ea comminutum; 4° ejusdem regni nullum futurum esse finem. Atqui hæc quatuor in Christo exitum sortita sunt. Ac 1° quidem Christum esse natum imperio romano stante, nec ipsi Judæi negaverint. 2° A Christo regnum fuisse institutum jam diximus, regnum, inquam, non temporale, sed spirituale, ipsomet Christo dicente Joan. 18, v. 36 : *Regnum suum non esse de hoc mundo;* quo in regno non temporalia, sed altiora et cœlestia bona impertiuntur, remissio videlicet peccatorum, gratiæ uberes, dona Spiritûs sancti, etc., quibus justificamur et ad salutem æternam perducimur. 3° Hoc regnum, quod nihil aliud est quàm ipsa Christi Ecclesia, aliis successit et etiamnum durat, destructo jamdudùm imperio romano. Quòd verò additur, ejusmodi regno comminuendum ac conterendum romanum imperium, id non ad superficiem litteræ cum Judæis accipi debet, sed ad sententiæ veritatem et spirituali sensu. Nempe hæc intelligenda sunt, habitâ ratione indolis et naturæ hujuscemodi regni. Temporale regnum alia destruit imperia, dùm ad extraneos temporalem, eorum ditionem transfert. Regnum spirituale, intactis temporalibus possessionibus, suo tamen modo regna comminuit, dùm illa, quantùm ad res spirituales, cultum scilicet et religionem immutat. Cùm ergo, ut deinceps docebimus, regnum Messiæ à Prophetis descriptum, spirituale esse debuerit, ad vaticinii exitum satis est, si Christi domini regno seu Ecclesiâ imperium romanum, quantùm ad sacra, destructum fuerit et comminutum. Atqui id reipsà evenit. Jamdudùm enim, Christi religione invalescente ac per imperium romanum obtinente, nefandi Deorum cultus ac idololatrica superstitio extincta sunt, ita ut ipsi imperatores Romani Christo nomen dederint, seseque sacris ejus legibus subjecerint, ac Roma imperii anteà urbs princeps, simul et erroris sedes, regni Christi, id est, Ecclesiæ caput facta fuerit; ergo. 4° Nullus regni Christi futurus est finis. Nam Ecclesia in terris militans, paganismi et hæresum victrix, hactenùs stetit et stabit porrò usque ad consummationem seculi (Matth. ult.); postmodùm verò in cœlis triumphans, nunquàm finem est habitura.

2° Vaticinia, quæ spectant gentium conversionem ad unius veri Dei cultum tempore Messiæ, in Christo etiam ad eventum perducta sunt. Siquidem Apostolorum ejus ac ministrorum Ecclesiæ laboribus effectum est ut idola exturbarentur, gentes unum supremum venerarentur Numen, ac de puritate vitæ servandâ edocerentur; ergo.

ARTICULUS II.

De multis aliis oraculis in Christo ad eventum perductis.

Vaticinia de quibus hìc agimus, alia spectant Messiæ nativitatem et infantiam; alia ejus vitam, ministerium et ministerii circumstantias, quòd, v. g., via illi à præcursore paranda, quòd ipse discipulos selecturus, quòd miracula certi generis editurus, etc.; alia ejus passionem et mortem; alia ejusdem resurrectionem, ascensionem, effusionem Spiritûs sancti in Apostolos; alia ejus dotes personales, scilicet quòd Deus et homo, quòd sacerdos, quòd redemptor et mediator, quòd victima, quòd Propheta major Moyse, quòd Rex et Dominator, etc.; alia vocationem gentium et Ecclesiæ institutionem, etc. De quibus omnibus sigillatim disserendum est. In plures igitur paragraphos hunc articulum dividi necesse est.

§ 1. *De vaticiniis Messiæ nativitatem et infantiam spectantibus.*

Quæ circa hoc argumentum vaticinati sunt Prophetæ, ad quinque capita possunt revocari, nimirùm ad ea quæ de genere Messiæ, de matre ejus, de ejusdem nativitatis loco et tempore, ac de illius infantiâ à sacris vatibus prædicta sunt.

De genere Messiæ. — Conclusio. Messias ex Patriarchis et ex Davidis familiâ originem ducere debuit secundùm multa vaticinia quæ in Christo Domino impleta sunt.

Probatur prima pars, Messiam videlicet juxta Prophetas debuisse ex Patriarchis et ex Davide nasci. Namque 1° Genes. 22, v. 18, Messiam ex Abrahamo oriturum pollicetur illi Patriarchæ Deus iis verbis : *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*, quibus similia leguntur Gen. 18, v. 18. Idem denuò promissum et prænuntiatum est Isaaco, Gen. 26, 4, et Jacobo ibid. 28, v. 14.

2° De Messiæ origine ex Jacobo ducendà speciale habetur Balaami oraculum, Num. 24, v. 17, cujus hæc verba sunt : *Videbo eum, sed non modò, intuebor illum, sed non propè :* Orietur stella ex Jacob, *et consurget virga de Israel, et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth, et erit Idumæa possessio ejus*, etc. Ibi agi de Messiâ minimè dubitandum. Nam hæc verba : *Videbo eum, sed non modò*, etc., indicant vaticinio respici ducem quemdam eximium seculis abhinc plurimis nasciturum. Dux verò ille appellatur *stella*, à munere prælucendi hominibus in salutis viâ; et *virga* (hebr. *Schebet*), propter supremam potestatem quâ erat potiturus in omnes gentes, quæ nomine *filiorum Seth*, ex quo originem duxit Noe, reparator generis humani, aptissimè designantur, unde accuratè vertit hìc Onkelos : *Dominabitur omnium filiorum hominum*. Atqui patet hos characteres competere Messiæ. Hinc nobilem ejusmodi Prophetiam de Messiâ interpretantur tres Targumistæ, Talmud Jerosolymit. (1) in libro Toanit; R. Hadarsan in Bereschit rabba; Maimonides, in Jad chazacha seu manu forti, tract. de Regibus, cap. 11; R. Joseph Albo in libro Fundamentorum, Echa rabathi, sive expositio super Threnos, ad v. 2, capitis 2, et veteres omnes Judæi. Quapropter ille impius, qui, imperante Adriano, se Messiam perhibere ausus est, nomen Barkokebæ, id est, *filii stellæ*, sibi imposuerat.

3° Messias in celebri oraculo Jacobi supra fusiùs exposito, ex Judâ nasciturus satis ex eo indicatur, quòd in ipsâ Judæ benedictione exprimatur venturus et promittatur.

4° Origo Messiæ ex Davide multis in locis exprimitur Isaiæ 11, v. 1 : *Egredietur virga de radice Jesse et flos de radice ejus* (hebr. *et surculus de radicibus ejus*) *ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini*. Et v. 10 : *In die illâ radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur*. Jerem. 23, v. 25 : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum, et regnabit Rex*, etc. Sed quid plura de ejusmodi argumento, in quo habemus consentientes Judæos, Paraphrastas scilicet, Talmudistas (2)? etc. Hinc Messiam nomine *filii David* designare assolent. Hinc Pharisæi Matth. 22, v. 42, Christo Domino interroganti : *Cujus filius est* Messias? *dicunt ei David*. Et Joan. 7, v. 42, iidem sic loquuntur : *Nonne Scriptura dicit, quia ex semine David, et de Bethleem castello, ubi erat David, venit Christus?*

(1) Vide Pug. fidei, part. 3, dist. 3, c. 9; et Huet. prop. 9, cap. 3.

(2) Apud Huet. prop. 7, n. 15; et Raym. Martin. pug. fidei, loco citato, cap. 8. n. 4 et 5, p. 593 et seqq. et cap. 9, p. 600.

Probatur altera pars, ejusmodi nimirùm de Messiæ origine vaticinia in Christo Domino impleta fuisse. Etenim non modò Christus Jesus ab Abrahamo per Davidem prognatus fuit, ut constat ex duplici ejus genealogiâ Matth. 1, et Luc. 2, aliisque pluribus novi Testamenti testimoniis; verùm prætereà omnes eximii characteres in laudatis vaticiniis expressi, in ipsum aptissimè quadrant. Ac 1° quidem, in illo gentes benedictionem Abrahamo prænuntiatam perceperunt, justitiam scilicet *ex fide*, uti explicat Apostolus Galat. 3, v. 8, adducens promissionem Abrahamo factam quam modò protulimus. 2° Jesus est *stella orta ex Jacob*, quam Balaam prædixit. Ipse enim est *via et veritas, et vita*, Joan. 14, v. 6; *Et lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Joan. 1, v. 9. Quocircà Apocalyp. 22, v. 16, sic inducitur loquens Christus Dominus : *Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina*. Et verò nonne gentes omnes ab idolorum cultu revocavit, ad unius supremi Numinis religionem adduxit, lege sanctissimâ, miris cunctarum virtutum exemplis, ministrorum suorum prædicatione, et gratiis interioribus illustravit? Ergo dignus fuit qui *stella* illa eximia ex Jacob oritura nuncuparetur. Dicendus est etiam *percussisse duces Moab*, tum litteraliter acceptos, quippe cùm, ut mox dicemus, in omnes homines dominium habeat; tùm mysticè sumptos; Moabitæ enim, à quibus populo Dei ad terram promissam properanti Num. 22, insidiæ struebantur, adumbrabant salutis nostræ hostes, de quibus hæc habet Apostolus Coloss. 2, v. 15 : *Et expolians* (Christus) *principatus et potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso*. Denique Christus *vastavit* subegitque *omnes filios Seth*, quatenùs scilicet devictis salutis nostræ hostibus, in omnes homines quos sanguine suo redemit, omnem potestatem ac dominium obtinuit, Matth. ult. v. 18. Sicque ex eventu mirificè illustratum habemus Balaami oraculum; nempè is ejus sensus est : Frustrà, ô Moabitæ, populum Israeliticum comminuere conamini; orietur stella ex Jacob, et virga seu princeps nascetur ex Israel, qui non modò vobis, sed et universis hominibus imperabit. 3° Jesus est *flos* ille, seu *surculus* ex radice Jesse ascendens seu ex Davide ortus, super quem, juxta Isaiam, *requieturus erat Spiritus Domini*. Quippe non solùm Spiritus sanctus eum omnibus cœlestibus donis cumulavit, sed etiam *corporali specie sicut columbæ in ipsum* descendit, Luc. 3, v. 22; Matth. 3, v. 16, etc. Prætereà *stat* ipse *in signum populorum*, ut idem Isaias prædixit; seu quia, prout hunc locum explicat sanctus Paulus Rom. 15, v. 12, Christus *exsurrexit regere gentes;* seu quia, ut habetur Luc. 2, v. 34, *positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur*. Denique Christum gentes omnes deprecantur, seu ad eum aggregantur ac vota sua dirigunt; ergo.

Solvuntur objectiones. — Object. 1° Quod dicitur in prophetiâ Balaam, *percutiet duces Moab... et erit Idumæa possessio ejus*, Christo minimè congruit,

sed manifestè designat Davidem, qui, ut habetur 2 Reg. 8, v. 2 et 14, Moabitas percussit, ac universam Idumæam sibi servire coegit. Nego antecedens. Enimverò David fuitne *stella ex Jacob orta*, quæ ibi prænuntiatur? num *vastavit*, seu ut Syrus habet, *subjugavit* ac prædatus est, dominioque suo acquisivit *filios Seth*, id est, ipsismet Judæis interpretibus, homines universos? Grotius, Annot. ad Num. 24, v. 17, ut vaticinium illud de Davide historicè, et de Messiâ typicè tantùm exponeret, fingere coactus et forte aliquem è ducibus Moab Davidis tempore, nomine *Seth* appellatum fuisse. Sed gratis id commentus est vir doctissimus, qui typicorum sensuum nimius indagator, *pleraque*, ut scitè Huetius observat propos. 9, cap. 3, *Prophetarum de Christo oracula, eruditis quidem et acutis interpretationibus, at non itidem veris, labefactavit.* Cæterùm, ipsi Rabbini Maimonides et Joseph Albo, qui à cæteris Judæis dissidentes, objectis vaticinii verbis Davidem præsignari sentiunt, reliquam ejusdem prophetiæ partem ad Messiam referunt, rei evidentiâ coacti.

Objicies 2° cum Orobio, in tertio suo scripto qu. 1, n. 18, apud Philip. à Limborch : Incertum est an Christus Jesus à Davide genus duxerit. Nam 1° consonæ non sunt ejus genealogiæ quas Evangelistæ texunt. Si Matthæo, cap. 1, fides, Jacob à Davide per Salomonem ortus, *genuit Joseph, virum Mariæ, de quâ natus est Jesus qui vocatur Christus.* Si autem Lucam, cap. 3, audiamus, idem Joseph Mariæ sponsus, filius fuit Heli à Davide per Nathanem prosati ; ergo, etc. 2° Joseph in ejusmodi stemmatibus dicitur quidem ex Davidis familiâ fuisse, sed de Mariâ ejus uxore idem non legitur; potuit autem Joseph ex aliâ tribu uxorem ducere, sicut ipse David connubio junctus est cum filiâ Saülis Benjaminitide 1 Reg. 14, v. 17, et Joiada Pontifex cum filiâ Joram regis Juda, 2 Paralip. 22, v. 11. Ergo Christus qui sine viri consortio conceptus à Christianis creditur, non potest ex stemmatibus à Matthæo et Lucâ descriptis probari filius David. Nego antecedens. Non modò in stemmatibus laudatis, sed et tot aliis in locis Evangelistæ et Apostoli tradunt Christum fuisse Davidis filium, ut de eo dubitari nequeat. Vide Matth. 9, v. 27, cap. 12, v. 23, cap. 15, v. 22, cap. 21, v. 9 et 15 ; Marc. 10, v. 47 et 48 ; Luc. 1, v. 32, cap. 18, v. 28 et 29 ; Act. 2, v. 30, et cap. 13, v. 23 ; Rom. 1, v. 3 ; 2 Tim. 2, v. 8 ; Apoc. 5, v. 5, et cap. 22, v. 16. Nec dubitat Apostolus Hebr. 7, v. 14, asserere, *manifestum esse quòd ex Judâ ortus sit Dominus noster.* Quæ toties et tam asseveranter dicta, eo tempore quo de eorum veritate inquiri tam facilè poterat, rem apud Hebræos indubitatam olim fuisse ostendunt.

Ad primam probationem, nego inter se pugnare Christi genealogias à Matthæo et Lucâ exhibitas. Nec mirum quòd in iis conciliandis aliqua sit difficultas. Nemo enim nescit, sicut in chronologicis, ita et in genealogicis sæpè contingere, ut post longum temporis decursum multa explicatu difficilia occurrant, quæ dùm scribebantur, nihil obscuritatis videbantur involvere, pluribus scilicet tum cognitis rerum circumstantiis quarum memoria ad posteros transmissa non fuit. Hinc libri Reg. cum libris Paralip. circa regum chronologiam in multis pugnare videntur, tametsi rei psà non pugnent. Hinc ex pluribus Geneseos locis inter se collatis videtur effici Judam, quando in Ægyptum cum Jacob ingressus est, annos duntaxat 42 attigisse, cùm tamen de ejus liberis ea narrentur quæ ipsum annos longò plures tunc natum videntur arguere. Hinc ipsi lib. Paralip. non rarò apparent secum invicem non constare. Quapropter rectè admodùm Grotius, Annot. in Luc. 3, v. 23, de hoc argumento disserens : *Qui gnari sunt morum populi Judæi, sciunt multas esse posse* γενεαλογίας *quæ pugnare videantur, nec tamen pugnent; idque non uno modo accidere solere, ut ex iis libris quos Judæi nobiscum agnoscunt, facile est probatu.* Nullo itaque pacto dubitandum est de genealogiarum Christi ab Evangelistis exhibitarum concordiâ et sinceritate, præsertim si alicujus suppositionis ope conciliari illæ queant. Atqui triplici potissimùm viâ possunt conciliari, quarum *quæ sit optima*, ut ejusdem Grotii verbis utar ibid., *post tot secula, amissis pridem tabulis omnique memoriâ, difficile dictu est.*

1° Ponamus apud Lucam has voces, *qui fuit Heli*, non referri ad Joseph, sed ad Jesum ipsum, adeò ut sensus sit Christum per Mariam fuisse filium Heli seu Heliacim, qui idem ac Joachim ; hæc enim non tria, sed unum idemque nomen sunt apud Hebræos. Hoc posito omnis contradictio evanesceret, Matthæo videlicet genealogiam Josephi exhibente ut ostenderet Christum, habitâ Josephi qui pater ejus credebatur, ratione, ex regiâ Davidis familiâ fuisse ; Lucâ verò stemma Mariæ texente, ut veram Christi qui Gen. 3, v. 15, semen mulieris appellatus est, originem et genealogiam haberemus. Quòd porrò ista, *qui fuit Heli*, referri queant ad Jesum, probatur tum quia græca ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ, τοῦ Ἡλί, τοῦ Ματθάτ, etc., ad litteram reddi possunt : *Erat Jesus... ut putabatur filius Joseph, Heli, Matthat*, etc., Gallicè *fils de Joseph, d'Heli, de Matthat*, etc. adeò ut vox *filius* ad singula generationum capita suppleatur, quasi esset dictum : *Jesus... ut putabatur filius Joseph, filius Heli, filius Matthat*, etc. Tum quia Judæi veteres tradidisse videntur in Talmude Jerosolymit. Mariam fuisse filiam Heli, ut annotat Lightfoot in *Hor. Heb.* ad hunc Lucæ locum.

Neque hunc loquendi modum qui Lucæ hìc tribuitur, ab usu Hebræorum abhorrere objicias. Namque pariter exponi indiget versiculus 2 capitis 36 Geneseos, ubi hebræa *Haolibamah bath Anah bath Tsibeon*, non significant *Oolibamam filiam Anæ filiæ Sebeon*, sed *filiam Anæ filiam Sebeon*, siquidem ex v. 24 et 25, planum est *Anam* virum fuisse, filium *Sebeon* et patrem *Oolibamæ*.

2° Sin minùs illa interpretatio arrideat, alia est quam seligas, nempe Josephum dictum esse filium Heli, quòd esset ejus gener, seu quòd Mariam Heli filiam sibi matrimonio conjunxisset.

3° Datur et tertia conciliationis via, ab Africano

vetustissimo et accurato scriptore tradita (1), summoque ab omni antiquitate consensu probata (2). juxta quam ab utroque Evangelistâ describitur genealogia Josephi, sed diversâ ratione. Nempe statuunt illius systematis defensores Josephum fuisse genitum à Jacobo, uti Matthæus refert, et simul partem ejus legalem fuisse Heli à Lucâ memoratum. Quod ut intelligatur, sciendum est Moysem Deut. 25, v. 5, præcepisse ut uxorem fratris sui defuncti frater duceret, et *suscitaret semen fratris sui ;* quæ lex, ut ex Ruth 4 manifestum est etiam in consanguineis, ac proindè à fortiori in fratribus uterinis, habuit locum. Cùm igitur poni possit Jacobum Josephi genitorem et Heli ex eâdem matre esse ortos, quæ scilicet, defuncto uno, alteri nupserit, nihil etiam vetat supponi Jacobum, mortuo Heli fratre suo uterino, ejus uxorem duxisse, ut ipsi suscitaret semen, adeòque Josephum ex hoc posteriori natum connubio, fuisse filium Jacobi secundùm carnem, et filium Heli secundùm legem. Atque hæc suppositio quidem nihil habet quod non facillimè potuerit contingere juxta Judæorum ritus ; proindeque etsi non nisi ejusmodi systematis ope tolli posset contradictio de quâ agitur, fatendum esset hanc omninò nullam esse. Nec dicas hæc Lucæ verba, *qui fuit Heli*, tam intelligenda esse de generatione secundùm carnem, quàm ista, *qui fuit Matthat, qui fuit Levi,* etc. Hasce enim voces, pro subjectâ diversâ materiâ, varium eò loci sensum referre planè ostendit istud vers. ultimi, *qui fuit Dei*, ubi creationem significante ædem voces, *qui fuit*, quæ in anterioribus generationem sonant.

Ad secundam probationem, dist. ant. Non legitur conceptis verbis Mariam fuisse ex Davidis familiâ, concedo ; non legitur æquivalenter, nego. Ubi enim legitur Christum ex Mariâ sine viri consortio fuisse genitum, et simul ille Davidis filius sècundùm carnem appellatur, ibi legitur æquivalenter Mariam ex Davide originem duxisse. Atqui utrumque istud ex novo Testamento habetur, Matthæus, qui cap. 1, v. 18, et seqq., disertissimè asserit Christum ex Virgine genitum et natum, cum ibid. v. 1 et alibi filium Davidis simpliciter appellat. Lucas cap. 1, inducit Angelum Mariæ Virgini annuntiantem, tum ex eâ nasciturum sine viri consortio filium, tum filium hunc possessurum esse *sedem David patris ejus ;* et Act. 2, v. 30, Christus dicitur ex *lumbis* Davidis ; cap. 13, v. 23, et 2 Timoth. 2, v. 8, *ex semine David ;* Rom. 1, v. 3, *ex semine David secundùm carnem*, etc. ; ergo, etc.

Quòd si inquiras ut quid Evangelistæ solius Josephi, non Mariæ stemma describant ? — Resp. 1° nullum illi quæstioni locum dari, si primam aut secundam hypothesim secuti, Lucam exponamus de genere Mariæ per Nathanem à Davide ortæ. — Resp. 2° si ab utroque Evangelistâ Josephi solius genealogiam diversâ ratione textam fuisse dicas, id ab iis esse factum tùm ne recederent à more consueto exhibendi in stemmatibus paterni generis, cujus maximè habebatur ratio apud Judæos, apud quos *familia materna*, ut legitur in *Juchasin* fol. 55, *vocanda non est familia ;* tùm quia tanta fortè erat Josephum inter et Mariam propinquitas, ut unius stirpium descriptâ serie, alterius stemma non necessarium videretur. Etenim nihil poni prohibet, quod ex traditione habemus, Mariæ nullos fuisse fratres, hanc proinde ex lege Num. 27, v. 8, in parentum possessiones hæreditario jure successisse, atque ex eâdem lege Num. 36. v. 7 et 8, non potuisse alteri quàm propinquissimo suo nubere. Quibus ita constitutis, manifestum fuisset utrique sancto conjugi eosdem fuisse avos, proindeque, etc. Quidquid sit, constat ex novo Testamento Beatam Virginem ex Davide prosatam, etsi hujusce facti circumstantias et modum Evangelistæ non expresserint.

Instit. Luc. 1, v. 5 et 36, Mariæ dicitur cognata Elizabeth de filiabus Aaron. Ergo fuit de tribu Levi, non de tribu Judâ et familiâ David. Dist. dicitur cognata Elizabeth materno genere, concedo ; paterno, nego.

De Messiæ nativitate ex virgine. — Conclusio. Messiam ex matre Virgine nasciturum Prophetæ expresserunt ; quod in Christo Jesu est completum.

Prob. prima pars ex illustri vaticinio Isaiæ cap. 7, v. 14 : *Dabit Dominus ipse vobis signum :* Ecce Virgo (hebr. *ha alma*) *concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Unde sic arguitur : Si ibi agatur de Virgine, Messiasque ibidem nomine Emmanuelis designetur, clarum fit Messiam ab Isaiâ prædici ex Virgine nasciturum. Atqui 1° ibi agitur de Virgine ; quod triplici argumento evincitur. Primum petitur ex significatione vocis *alma* hìc usurpatæ, quæ, sive ad originem, sive ad usum ejus, sive ad particulam *he* illi præfixam attendas, virginem intactam et illibatam sonat. Nam si de origine inquiras, *alma* derivatur à radice עלם, *alam*, quæ nihil quidquam significat nisi *abscondere*, ut docet ipse R. David Kimchi in lib. Radicum ; proindeque *alma* virgini absconditæ, quæ virorum aspectibus non patuerit, exprimendæ nata est. Si ad illius vocis usum spectes, ex tribus vocabulis quæ ad virginem designandam Hebræi usurpant, nempè *raara*, *bethula* et *alma*, primum videlicet נערה *naara*, virginem cujusvis ætatis sæpè quidem indicat, sed non semper : nam Deut. 22, v. 21, corruptam et Ruth. 4, v. 12, viduam significat. Alterum vocabulum, seu בתולה, *bethula*, ad virginem etiam non semper certò attinere videtur, nimirùm Joelis 1, v. 8, sumitur pro viduâ : observatque R. Salomon Jarchi Gen. 24, v. 16, Moysen, ut Rebeccam ostenderet esse virginem, voci *bethula* has addidisse, *et incognita viro*, quia voce *bethula* id non fuerat satis denotatum. Tandem vox עלמה *alma* virginem intactam et secretam, à virorum accessibus seclusam, jamque in adolescentiæ annis versantem et nubilem, propriè et maximè exprimit, nec unquàm alio usurpatur sensu, adeò ut nomen *alma* nunquàm vocibus *concipere* aut *pareré* conjungatur, nisi

(1) African. Epist. ad Aristidem, apud Euseb. Hist. Eccles. l. 1, cap. 7, edit. Valesii 1678, pag. 15, 16 et 17.

(2) Scilicet, ut advertit Maldonatus Comment. in cap. 1 Matth. edit. Mussipont. 1596, col. 28, à S. Justino, ab Eusebio, à SS. Hier., Ambr., Damascen., ab Eucherio, Bedâ, Theophylact. atque à S. Aug., *nemoque*, pergit idem, *de eâ postea dubitavit.*

in hoc Isaiæ loco. Hinc mox laudatus R. Salomon Jarchi advertit citato cap. 24 Genes. v. 43, hanc vocem solam usurpari sat fuisse, ut virginitas Rebeccæ designaretur. Eumdem sensum illi vocabulo annectendum confirmabat S. Hier. ad cap. 7 Isaiæ, et in quæstionibus hebraicis quia in sermone punico, qui easdem cum hebraico servabat origines, verbum *alma* ad significandam virginem propriè dictam adhibebatur.

Si vim particulæ *he*, quæ nomini *alma* hìc præfigitur, consideres, notum est ejusmodi particulam solere esse emphaticam, qualis apud Græcos est articulus ὁ, ἡ; adeòque eâ denotari sermonem esse de re singulari et eximiâ, de virgine videlicet insigni et præstantissimâ. Et verò, uti notat auctor *dissertationis* de hoc argumento editæ Parisiis anno 1713, *alma* cum articulo emphatico *he*, non reperitur in Scripturis nisi Genes. 24, v. 43, ubi Rebecca *haalma* dicitur, et Exod. 2, v. 28, quo in loco Maria soror Moysis eâdem appellatione insignitur, ac denique in cap. 7 Isaiæ de quo agimus. Atqui Rebecca et Moysis soror eo nomine appellantur quòd essent virgines et *incognitæ viro*, ut verbis Scripturæ utar citato cap. Genes. v. 16. Ergo cùm *Emmanuelis* mater apud Isaiam dicitur *haalma*, hanc futuram esse virginem prænuntiatur.

Secundum momentum petitur ex auctoritate 70 Interpretum, et chaldaicorum Paraphrastarum, qui de virgine hunc locum Isaiæ interpretantur, quibus consentiunt versiones Syriaca et Arabica. Addè quòd Messiam ex virgine sine viri consortio nasciturum censuerunt (1) Rabbini veteres. Ità R. Moses Hadarsan in Bereschith rabba, ad cap. 25 Genes., ubi redemptori Judæis suscitando patrem non futurum probat adductis pluribus Scripturarum locis; cujus verba laudat R. Salomon Jarchi ad v. 8 cap. 35 Geneseos; idem R. Adarsan ad Genes. 41, v. 1, quo in loco testimoniis R. Hunæ et R. Josue ben Levirem confirmat; R. Simeon ben Jochai in Genesim, et alii Judæi in Midrasch Echa, etc.

Tertium momentum desumitur ex vaticinii scopo. Nam prodigium quoddam insigne ibi prædicit Isaias, ut ex contextu liquet. Nimirùm prænuntiatà Jerosolymorum à Syris et à rege Israel tunc obsessorum liberatione, ut fidem prædictionis suæ confirmaret, Achazum regem Juda in hunc modum affatur sacer Vates : *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum suprà;* ad quem rex impius cùm præ incredulitate respondisset : *Non petam et non tentabo Dominum;* subdit Propheta zelo Dei accensus : *Audite ergo, domus David : Numquid parùm vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum : Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur*, etc., perinde ac si dixisset : Audite, rex et proceres Juda, qui prophetas spernitis et de potentiâ Dei dubitatis; longè majus prodigium aliquandò facturus est ipse Deus, quàm quod modò prædixi : *Ecce virgo concipiet*, etc., ostentum igitur eximium et stupendum Isaias prænuntiat; atqui tamen is locus nihil stupendi continet, nisi de virgine intactâ et illibatâ accipiatur; ergo in eo Isaiæ oraculo agitur de virgine.

2° Ibidem nomine *Emmanuelis* designatur Messias. Quis enim *Emmanuel*, seu *nobiscum Deus*, ex virgine nasciturus, nisi Messias? Deinde, vel ille *Emmanuel* est Messias, vel est Ezechias, filius Achaz, vel Jasub, filius Prophetæ hoc in cap. v. 3 memoratus, vel alter ejusdem Prophetæ filius de quo cap. 8 mentio fit. Atqui non filius Achaz; nam loquitur Isaias de filio nasciturо : *Dabit Dominus ipse vobis signum : Ecce Virgo*, etc. At Ezechias Achazi filius jam plures annos erat natus quandò istud emissum est vaticinium, ut ipse ostendit R. Salomon Jarchi; hæc siquidem prophetabat Isaias regnante jam Achazo, ad quem verba diriguntur; regnavit Achaz 16 annis, 4 Reg. 16, v. 2; et 2 Paral. 28, v. 1; Ezechias autem dùm morienti Achazo successit, viginti quinque annorum erat, 4 Reg. 18, v. 2; et 2 Paral. 29, v. 1; ergo nonum annum jam attigerat Ezechias quando Achaz regnum auspicatus est; proindeque, etc. *Emmanuel* non est etiam Jasub Isaiæ filius, tum propter eamdem rationem, quippe Jasub jamdiù natum fuisse Isaiâ hæc prædicente, ex v. 3 hujusce capitis 7 planum fit; tum quia cap. sequenti, v. 8, Emmanuel dicitur Dominus terræ Judæ, quod Messiæ quidem competit, non Jasub Isaiæ filio. Pariter Emmanuel non est alter filius Prophetæ memoratus cap. 8, cùm in terram Juda non magis quàm Jasub dominium habuerit posterior iste filius Isaiæ. Ergo Emmanuel est Messias. Denique nomine Emmanuelis Messiam ab Isaiâ designatum evidenter demonstrant splendida hæc ejusdem Prophetæ verba cap. 9, v. 6 : *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus; et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis; super solium David et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud et corroboret in judicio et justitiâ, amodò et usque in sempiternum.* Quæ quidem de solo Messiâ esse dicta, et evidentissimum est per se, et constat ex chaldaicâ Paraphrasi, atque ex veterum Judæorum consensu (1) in Echâ rabathi, et in Bereschit Rabba. Quòd autem ad *Emmanuelem* illa spectent, pariter liquet. Nam 1° de aliquo parvulo anteà memorato hæc intelligenda esse, sermonis prophetici series necnon regnorum Syriæ et Israel dissipandorum continuata prædictio satis indicant. Cùm igitur tam eximia encomia soli Messiæ congruentia, nec in filium Achazi, nec in filios Isaiæ quadrare queant, sequitur illa ad Emmanuelem referri. 2° Hæc de *Emmanuele* explicanda sunt, si ipsi reverà conveniant; atqui Emmanueli ea competere quæ magnificis ejusmodi verbis Isaiæ continentur manifestum est. *Emmanuel* enim est parvulus *Admirabilis*, utpote

(1) Vide Huet. prop. 9, cap. 9, num. 4; Raymund. martin. in Pugione fidei, part. 3, dist. 3, cap. 7 et 8; et Josephum de Voisin in observationibus ad prœmium Pugionis fidei, Porchetum.

(1) Apud Galatin. l. 3, cap. 19; et Raym. Martin in Pugione, part. 3, dist. 1, cap. 9.

de virgine natus ; est *Deus fortis, consiliarius, pater futuri seculi* seu æternitatis, *princeps pacis*, et quidem perpetuæ, quippè qui est *Deus nobiscum* ; ergo, etc. Proindè Messias ex Virgine nasciturus prædicitur ab Isaiâ.

Idem prodigium, sed minùs apertè, Jeremias vaticinatus est cap. 31, v. 22, his verbis : *Creavit Dominus novum* (id est, portentum et miraculum) *super terram : Femina circumdabit virum.* Ubi non proles duntaxat, sed ipse conceptus dicitur nova creatio, ac proindè non de puero viâ ordinariâ concipiendo, sed de Messiâ miraculosè ex virgine nascituro intelligendus hic Jeremiæ locus, quo sensu eum explicat R. Hadarsan in Bereschit rabba ad v. 1, cap. 41 Geneseos, apud Galatinum et Raym. Martinum locis suprà laudatis. Adde etiam insignes hujusce prodigii typos Ezech. 44, v. 2 et 3, Zach. cap. 3 et 6, etc.

Prob. secunda pars, nempè vaticinia Prophetarum de Messiâ ex virgine nascituro, in Christo Domino esse completa. Nam Christum Jesum ex virgine esse natum testis est 1° S. Joseph, Mariæ conjux, qui Matth. 1, v. 18 et seqq. cùm *vellet occultè dimittere eam*, quòd, *antequàm convenirent, inventa* illa *fuisset in utero habens*, ab Angelo admonitus à consilio abstinuit, eamque de *Spiritu sancto* concepisse agnovit. Testis est 2° Maria ipsa, quæ Luc. 1, v. 31 et seqq. futuram se Christi matrem nuntianti Angelo respondit : *Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quapropter *respondens angelus dixit ei : Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi ; ideòque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Testis est 3° Elisabeth, in cujus utero Joannes Baptista, quem ipsa licet sterilis et ætate provectâ miraculosè conceperat, præ gaudio exultavit ; et quæ eam Luc. 1, v. 43, *matrem* appellat *Domini sui*, et *beatam* prædicat quòd credidisset perficienda illa esse quæ sibi fuerant dicta à Domino. Testantur denique omnia Christi et Apostolorum miracula, quibus christiana fides de Christi matris virginitate, ut et de aliis articulis firmatur ; ergo, etc. Ubi advertendum Christi nativitatem ex Virgine adeò propriam ipsi ac singularem esse prærogativam, ut alteri nemini unquàm ab ullo probato auctore fuerit scriò adscripta.

Solvuntur objectiones. — Objicies adversùs primam conclusionis partem : 1° Symmachus, Aquila et Theodotion vocem *alma* in allato Isaiæ textu reddunt νεανίδα, *juvenculam ;* ergò. 2° Adolescentulæ de quibus Cantic. 1, v. 2, et cap. 6, v. 7, in Hebræo vocantur *almoth ;* atqui tamen ibi non agitur de virginibus, cùm istud Canticum sit epithalamium seu carmen nuptiale, quo sponsus et sponsa celebrantur ; ergò. 3° Vox *alma* puellam corruptam designat Proverb. 30, v. 18, 19 ; ergo. — Ad primum, nego consequens. Symmachus homo Ebionitarum sectæ addictus, Theodotion et Aquila, Judæorum proselyti et Christo recentiores, hìc suspectæ sunt fidei. Ut causæ Christianorum nocerent, vocem adhibuêre ambiguam ; nec ullus negaverit potiorem esse in ejusmodi negotio auctoritatem paraphrastarum, veterum Judæorum, ac præsertim septuaginta Seniorum qui ante exortam controversiam scripsêre. Ad secundum, nego minorem. Nam apud veteres, ut adductis eorum testimoniis probat Huetius prop. 9, cap. 9, n. 2, is erat mos solemnis, ut virgines novam sponsam, et pueri innupti novum sponsum ad nuptias comitarentur, ac carminibus gratulatoriis prosequerentur ; quam consuetudinem ex Hebræis ad alias gentes manâsse tradit Origenes homil. 1 in Cantica. Quidquid sit, cap. 6 citato discernuntur *almoth, adolescentulæ, à reginis* et *concubinis*, ac proindè illa vox ibi virgines significat. Ad tertium, nego antecedens. Hæ enim voces : *Via viri in virgine* loco Proverb. objecto, melìùs accipiuntur de occultis hominum corruptorum castæ virgini insidiantium machinationibus. Hosce versiculos 18 et 19 ad Messiam refert auctor Gale Razeia, cujus hæc verba sunt apud Galatinum (1), omissis Scripturæ testimoniis quibus interpretationem suam tuetur : *Via aquilæ in cœlis, est rex Messias, qui post passionem suam ascendet in cœlum... Via navis in medio maris, hic itidem est rex Messias, cujus vita sicut navis in medio maris agitabitur... Via colubri super petram, hic est etiam rex Messias qui se faciet ut colubrum quem Moyses super petram posuit ut duceret filios Israeln terram sanctam. R. autem Jodam dixit, et via colubri super petram, hic est rex Messius, qui transibit per petram postquàm sepultus erit, et ab ipsâ egredietur nec videbitur quà transierit... et via* GHEVER BEALMA, *viri vel fortis in virgine, hic quoque est Deus amans filias Jerusalem, ut generetur Rex Messias ex unâ earum. Concipiet autem et pariet, remanebitque Virgo, sicut dictum est.* (Jeremiæ 31, v. 22.) *Quia creavit Deus novum super terram, femina circumdabit* GHEVER *virum.*

Objicies 2° : Messias in textu Isaiæ adducto, Emmanuelis nomine non designatur. Nam 1° Messiæ post plura secula venturi adventus in signum liberationis Judæorum mox futuræ dari non potuit ; ergo. 2° Propheta loquitur de puero *butyrum et mel comesturo, ut sciat*, inquit, *reprobare malum et eligere bonum ;* quæ utpote ignorantiam quamdam et profectum denotantia, ad Messiam, præsertim si Deus cum Christianis credatur, non possunt transferri ; ergo. 3° Rasin, rex Syriæ et Phacee, rex Israel dicuntur v. 16, è Judææ pellendi antequàm puer, v. 14 promissus, sciat reprobare malum et eligere bonum, id est, antequàm ad annos discretionis pervenerit. Atqui hæc de Christo absurdissimè intelligerentur ; quippe ii reges paulò post editum istud vaticinium è Judææ recedere coacti sunt,

(1) Galatin. de Arcan. l. 7, cap. 15, edit. Basil. 1561, p. 301, qui frequentia hujus libelli Gale Razeia profert testimonia, ejusque auctorem facit eum ipsum R. Haccadosch qui ducentis circiter ante concilium Nicænum annis traditiones, seu *Misnajots* composuit, quas Judæi Scripturæ sacræ æquiparant. Sed librum Gale Razeia, Judæi « ignorant, inquit Morinus priore parte « Exercit. Biblic. Eumdem Raymundus seculo 13, « et Porchetus 16, cum omnibus Judæis ignoravere runt. Prætereà istius libelli pater, quicumque ille « sit, de Mysterio Trinitatis adeò dilucidè et distinctè disserit ut sancto Athanasio verborum perspicuitate et expressione vix cedat. » Verba sunt Joannis Morini.

Christus verò nonnisi 700 abhinc annis natus est, ergo, etc. — Ad primum, 1° nego antecedens. De essentiâ quidem signi est ut priùs cognoscatur, quàm id in cujus cognitionem ducit; at necesse non est ut priùs existat. Quis negaverit promissionem certam et indubitatam rei cujusdam prodigiosæ et insignis aliquando concedendæ, posse esse signum et pignus minoris doni mox tribuendi? Non absurdè igitur Isaias, ut domûs David et procerum Judæ fidem in verbum Domini de proximâ Jerusalem liberatione excitaret, eorum menti objicit insignem de *Emmanuele*, seu, *Deo nobiscum*, vero Messiâ ex Virgine nascituro, Prophetiam. 2° Nego consequens. Isaias his verbis : *Ecce virgo concipiet*, etc., maximum quidem et prorsùs singulare signum seu miraculum in gratiam Judæorum patrandum prænuntiat, remque adeò prodigiosam olim futuram Achazi et procerum Judæ oculis subjiciens eorum incredulitatem redarguit; at nihil ibi est quod indicet eventum hunc mirabilem in signum liberandæ Jerusalem ab ipso afferri. Ad secundum, in eo genere scientiæ de quo ibi sermo est, nempe in scientiâ experimentali, Christum ut hominem profecisse, omnes theologi docent, ut infra explicabimus, nec in eo ulla difficultas. Ad tertium, 1° nego majorem, nempe hæc verba vers. 16 : *Antequàm sciat puer reprobare malum et eligere bonum*, etc., intelligenda esse de puero v. 14 prænuntiato; subjecta enim materia exigit, nec contextus repugnat, ut hæc accipiantur absolutè, quasi dictum esset : Antequàm elabatur tempus effluere solitum à pueri nativitate ad eam usque ætatem quâ primùm ille inter bonum et malum discernit, Judæa à Tyriorum et regis Israel exercitibus, ut prædixi, liberabitur. Dixi contextum non repugnare; nam postquàm nobili Prophetiâ de Messiâ ex virgine nascituro incredulitatem impii regis increpavit Vates sacer, nonne debuit ad institutum redire, nempe ad prædictionem de Jerusalem et Judæâ liberandâ? nonne proclive fuit ut assignaret tempus intra quod hæc liberatio contingeret? hæc sanè connexa maximè sunt; ergo. Nec dicas in hebræo vocem *nahar*, *puer*, hìc affici articulo demonstrativo *he*, ac proinde certum puerum ibi designari. Nam ejusmodi articulus nomini collectivo (quale Hebræis est *nahar*, ut videre est Num. 11, v. 27, Isai 3, v. 5, etc.) sæpè præfigitur, adeò ut non rem singularem, sed certam ejus dotem significet. Itaque sensus Isaiæ hic est : *Antequàm ille qui puer adhuc est sciat*, etc. Gallicè : *Avant qu'un enfant sache*, etc. 2° Nego minorem. Nihil enim absurdi est verba illa ad Christum hoc modo referri : Antequàm effluxerit tempus simile brevi illi temporis intervallo quod inter Messiæ nativitatem et ejus primæ discretionis notitiam intercedet, liberabitur terra Judæ.

Obj. 3° : Isaias loquitur quidem de Virgine, sed accipiendus de Virgine quæ accedente viri consortio mater fiat; ergo, etc. — Nego ant. Tum quia prositâ ejusmodi interpretatione omne prodigium evanescit; tum quia significatio vocis *alma*, quæ vocibus *concipere* et *parere* nunquàm alibi conjungitur, hanc explicationem excludit; tum denique quia uxor Isaiæ ex quâ ipse cap. 8 v. 3 suscepisse dicitur filium de quo Judæi explicant Prophetiam, virgo non erat, utpote quæ filium jam genuerat cap. 7, v. 3; ergo.

Inst. cum Kimchio et Salomone Jarchi. Filius Isaiæ è puellâ nondùm viro maturâ, Deo miraculosè operante, procreatus est, et in eo stat prodigium; ergo. — Nego ant. Ex prophetissâ, seu ex uxore suâ, ut ipse refert, habuit filium cap. 8 memoratum. Ergo non ex puellâ nondùm viro maturâ. Fingunt hìc Judæi miraculum de quo ne verbum quidem Scriptura sonat, imò cui Scriptura adversatur, ne aliud à Prophetâ clarè prænuntiatum cogantur agnoscere.

Obj. ultimò : Si Christus ex Virgine natus est, quare mira illa ex Virgine nativitas non statim promulgata fuit? quare ex Virgine desponsatâ viro natus est? Profectò qui nascitur ex muliere viro nuptâ, non debet censeri ex virgine natus. Ita ferè Orobio apud Limborch, et alii. — Resp. id ita factum, quia Deus noluit tantum prodigium hominibus manifestari, antequàm miraculis Christi et Apostolorum credibile evasisset. Deus qui prænuntiaverat rem ipsam, non revelaverat modum; debuit autem id mysterium ita peragi, ut matris Christi famæ, et nati Messiæ honori nihil detraheretur. Potuisset utrique Deus variis mediis consulere; sed quam viam selegit, hanc sapientissimam fuisse quis inficiabitur? Cæterùm, præter Mariam et Josephum, apparet ex Lucâ alios etiam, Elizabetham, Joannem Baptistam, Simeonem, Annam Prophetissam, arcani divini fuisse conscios.

De loco nativitatis Messiæ. — Michæas cap. 5, prædictâ imminente à Chaldæis Jerosolymorum vastatione, quo loco Messias nasciturus sit his præsignificat verbis, v. 2 et seqq. : *Et tu, Bethleem Ephrata, parvulus es* (supple locus) *in millibus Judâ; ex te mihi egredietur qui sit Dominator in Israel, et egressus ejus ab initio à diebus æternitatis... Et stabit, et pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui; et convertentur, quia nunc magnificabitur usque ad terminos terræ. Et erit iste pax.*

Omnes consentiunt in hoc vaticinio nomine Bethleem designari oppidum tribûs Judæ, appellatum quoque Ephrath seu Ephrata, duobus circiter milliariis ab Jerusalem distans, juxta quod Rachel sepulta fuerat, et ex quo David erat oriundus, ab altero ejusdem nominis Bethleem oppido in tribu Zabulon sito valdè diversum. Hoc observato, sit

Conclusio. Prophetia Michææ de Messiâ Bethleemi nascituro in Christo est adimpleta.

Prob. prima pars, nempe Messiam eum esse qui Bethleemi nasciturus eo vaticinio prædicitur. Nam 1°, is appellatur *Dominator in Israel* (1) exoptandus, *cujus egressus ab initio, à diebus æternitatis;* quod soli Messiæ competit, quem alloquens Deus apud Psaltem Regium, jam dixerat Psal. 109, v. 4 : *Ex utero ante luciferum genui te.* 2° Dicitur *pastor*, nomines *in forti-*

(1) *Mihi egredietur*, id est, in utilitatem et prophetæ et totius gentis hebrææ.

tudine Domini et in sublimitate nominis Domini Dei sui recturus, eruditurus, *conversurus*, quibus graphicè describuntur fructus ex Messiæ adventu colligendi. 3° Dicitur *magnificandus usque ad terminos terræ*, id est, nationibus universis imperaturus. 4° Dicitur *pax*, et quidem sine addito et antonomasticè, quam appellationem soli Messiæ competere jam non semel advertimus. Ergo nonnisi de Messiâ intelligi potest prophetia Michææ, proindeque, etc. Atque eam fuisse veterum Judæorum sententiam, constat ex paraphraste Jonatham, ex Talmude utroque, Jerosolymit. quidem, tract. Barachoth. fol. 5, Babylonico verò, tract. Sanhedrin, cap. ult. et tract. de Paschate, ex Bereschit Rabbâ, et ex Midrasch thehillim; quibus concinunt R. Judas Haccadosch in Gale razia, R. Salomon Jarche, Abin Ezra, David Kimchi (1), etc. Sanè Judæi ætate Christi non dubitabant Bethleem futurum esse Messiæ patriam. Matth. enim 2, v. 4, interrogati ab Herode principes sacerdotum et scribæ *ubi Christus nasceretur*, respondent illi v. 5 et 6 : *In Bethleem Judæ*, idque probant adducto Michææ vaticinio quod tractamus. Et Joan. 7, v. 42, alii Judæi sic loquuntur : *Nonne Scriptura dicit : Quia ex semine David, et de Bethleem castello, ubi erat David, venit Christus?* hoc autem *Scriptura* non *dicit* nisi apud Michæam; ergo, etc.

Et verò, vel dominator ex Bethleem juxta Michæam egressurus Messias dicendus est, vel designat Zorobabelem, uti sentiunt Judæi recentiores, quibus hâc in parte malè accedit Grotius, Prophetiam de Christo mysticè tantùm et spiritualiter exponens. Atqui is dominator non est Zorobabel. Nam 1° Zorobabel non Bethleem, sed Babylone natus est, atque indè nomen suum duxit; quippe *Zorobabel* idem est ac *semen Babylonicum*, ut observat Theophylact. in Matth. 2. Respondet quidem Grotius Zorobabelem censeri Bethleemo ortum, quòd ex Davidis Bethleemitæ familiâ esset oriundus. *At*, inquit Huetius prop. 7. n. 25, *id si accipimus, jam ergo multiplex nobis patria erit, totque natales terras numerabimus, quot loci majoribus nostris ortum dederunt. Ergo et Zorobabel, præter Babylonem in quâ natus est, Jerusalem quoque patriam habeat, in quâ tot reges ipsius prædecessores sunt procreati; et Bethleemum, in quâ David, et Booz, et Obed, et Jesse : et Ægyptum, in quâ Aminadab et Nahasson; et Haran Mesopotamiæ, in quâ Judas, etc..... quod neque dici neque ferri potest.* 2° De Zorobabele nequaquàm dici potuit : *Egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis;* sive, ut habetur in hebræo, *ab olim à diebus æternitatis;* quæ geminata ejusdem rei significatio aliquid procul dubio amplius designat, quàm diuturnitatem temporis à Davide ad Zorobabelem, uti Grotius explicat. 3° Michæas apertè significat propter ortum dominatoris quem prænuntiat, futurum ut Bethleemum, hactenùs exigui nominis locus, celeberrimum fieret. Ergo ab illius dominatoris ortu tantam sibi famam debuit conciliare, ut comparatè ad eam nulla ferè esset celebritas quam à Davide et regibus ab eo ad usque Michææ tempus prosatis consequi potuerat. Atqui tantum decus ipsi afferre par non fuit Zorobabel, qui Davidi nullo pacto æquiparari potuit, qui in gentem penè excisam ab exilio redeuntem auctoritate regiæ longè inferiori potitus est. Ergo. 4° Is quem Michæas prænuntiat, dicitur v. 4 et 5, *magnificandus usque ad terminos terræ :* et futurus *pax* per antonomasiam. Atqui Zorobabel non legitur *magnificatus usque ad terminos terræ*, neque potuit singulari modo *pax* appellari. Quid? quòd ipse Chutæorum insidiis et criminationibus fuit obnoxius, Judæique post captivitatem à finitimis et extraneis populis multoties lacessiti fuerunt, multisque cladibus afflicti, donec eorum respublica penitùs evanuerit; ergo. 5° *Regnum* illud *filiæ Jerusalem, potestas* illa *prima*, quæ tam splendidis verbis pinguntur cap. 4, quæque eòdem manifestè pertinent, ac prophetia capitis 5, ad Zorobabelem profectò non spectant, sed ad solum Messiam; ergo.

Probatur altera pars, Prophetiam videlicet Michææ in Christo ad eventum perductam. Nam Matth. 2, v. 1, expressè legitur, *natum esse Jesum in Bethleem Juda.* Et Luc. 2 exponitur quomodò Christus Dominus, licet Nazarethi in Galilæâ conceptus, Deo tamen sic providente Bethleemi natus sit. *Ascendit autem et Joseph*, inquit Evangelista, v. 4 et seq., *à Galilæâ de civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem David quæ vocatur Bethleem, eò quòd esset de domo et familiâ David, ut profiteretur* (sicut ab Augusto fuerat imperatum) *cum Mariâ desponsatâ sibi uxore prægnante. Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret, et peperit filium suum primogenitum.* Porrò aliis omnibus quæ de Messiâ prænit Michæas, cohæret quoque Evangelium. Istis enim : *Egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis*, respondent v. 1 et 14, cap. 1 Joan. : *In principio erat Verbum... et Verbum caro factum est*, plurimaque alia novi Fœderis testimonia. Istis : *Magnificabitur usque ad terminos terræ*, cohæret potestas et imperium, quod, ut jam diximus et aliquando ampliùs exponemus, Christo datum est *in cœlo et in terrâ*, Matth. ult. v. 18; Philip. 2, v. 10, etc. Denique Christus Dominus est *pax. Ipse est pax nostra*, inquit Apostolus Ephes. 2, v. 14 et seq... *interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens evangelizavit pacem vobis qui longè fuistis, et pacem iis qui propè; quoniam per ipsum habemus accessum in uno Spiritu ad Patrem.*

Solvuntur objectiones. — Obj.: Pluribus difficultatibus subjacet historia evangelica de Christo Bethleemi nato. Nam 1° nullam descriptionem orbis ab Augusto legimus imperatam anno quo Christus natus est. « Censum populi, juxta Suetonium in Octavio, « cap. 27, ter egit (Augustus); primum ac tertium « cum collegâ, medium solus. » Ut autem colligitur ex Ancyrano monumento, prout à Jacobo Gronovio ad fidem utriusque exemplaris Busbequiani scilicet et Cossoniani restitutum est, primum censum Augustus egit, in consulatu suo sexto collegâ M. Agrippâ, anno

(1) Vide Huet. prop. 7, n. 25; pug. fidei, part. 3, dist. 1, cap. 8, p. 422, et Observ. Jos. de Voisin in proœmium p. 125. Galatin. l. 8. cap. 4 p. 317.

nempe Juliano 8, ante æram vulg. 30; secundum Censorino et Asinio Coss. anno Juliano 38, ante æram vulg. 8; tertium denique collegâ Tib. Cæsare fecit, Sex. Pompeio, et Sex. Apuleio Coss. anno imperii sui ultimo, correctionis Julianæ 59, æræ vulg. 13 finiente. Porrò Christus, ut observavimus supra, natus est anno 5 ante æram vulg.; ergo. 2° Scribit S. Lucas, cap. 2, v. 2, *hanc descriptionem factam fuisse à Præside Syriæ Cyrino*. Tertullianus ex adverso, contra Marcion. lib. 4, cap. 19, eamdem adscribit *Sentio Saturnino* Syriæ Præsidi. Atqui nec Sentius Saturninus, nec Cyrinus seu Quirinius Syriam gubernabant anno ante æram vulgarem 5, quo diximus Jesum esse natum; nam Quintilius Varus qui, Josepho teste, lib. 17 Antiq. cap. 5, aliàs 7, n. 2, in Syriam Saturnino successor missus est, Syriæ præfuit ante autumnum anni Juliani 40, id est 6 ante vulgarem æram, quod ex nummis pluribus probat invictè eminentiss. cardinalis Norisius in suis *Syro-Macedonum Epochis*. 3° Josephus silet hanc Judææ descriptionem sub Herode à Quirinio factam, quam Lucas commemorat. Imò censum à Quirinio actum refert lib. 18 Antiq. cap. 2, n. 1, ad annum à pugnâ Actiacâ 37 æræ vulgaris 7, mortuo jam à decem annis Herode, et Archelao filio ejus in exilium amandato. Antiq. lib. 17, cap. ult. et lib. 18, cap. 1. Quid quòd illius censûs promulgatione populus commotus est, ac à Judâ Gaulonite seditio excitata, cujus mentio habetur etiam Act. 5, v. 37. Unde apparet nullum antea censum Judæis fuisse imperatum; ergo.

Resp. has difficultates inde tantùm oriri, quòd nos multæ ejusmodi facti circumstantiæ lateant; at nihilominùs factum ipsum ut constans tenendum est. Nam sepositâ etiam divinâ librorum sacrorum inspiratione, si liceat factum ita publicum et manifestum, à testibus idoneis et scriptoribus coætaneis memoriæ proditum, in dubium revocare, jam nihil certi in historiâ esse potest. Et verò adeò indubitatum erat tum Josephum, tum Mariam et Jesum ejus filium in tabulas censûs Bethleemi relatos fuisse, ut ad eas imperatorem Antoninum Pium ac proceres romanos provocare non dubitet S. Justinus Apolog. 1, olim 2: « Est « (Bethleem), inquit, vicus quidam in terrâ Judæo- « rum, stadiis 35 Jerosolymis distans, ubi natus est « Jesus Christus, quemadmodùm et ex descriptionibus « censûs dicere potestis, quæ sub Cyrenio primo ve- « stro in Judæâ præside confectæ sunt. » Tertullianus, qui Romæ diu commoratus fuerat, lib. 4 *contra Marcion.*, cap. 7 et 19, et lib. *Adversùs Judæos*, cap. 9, in testimonium nativitatis et generis Domini appellat pariter romani imperii archiva.

Ad primam probationem, mirum non esset scriptores profanos de descriptione quam Lucas commemorat, siluisse. Dionis enim qui solus omnia Augusti gestat accuratè conscripsit, illa historiæ pars periit, in quâ descriptio ejusmodi debuisset contineri, nempe ab anno urbis conditæ 748 ad annum 758. Cæterùm ex Tacito colligitur Augusto imperante factam fuisse accuratissimam orbis universi, id est, omnium imperii romani provinciarum ac regnorum sociorum descriptionem. Is enim Annal. lib. 1 Augustum auctor est « libellum confecisse, in quo opes publicæ conti- « nebantur, quantùm civium, sociorumque in armis, « quot classes, regna, provinciæ, tributa aut vectiga- « lia, et necessitates ac largitiones; quæ cuncta manu « suâ præscripserat Augustus. » Idem breviarium totius imperii memorant Suetonius in Octavio, cap. ult. in fine, et Dio Cassius lib. 56. Jam verò ejusmodi indiculus ab Augusto confici non potuit, nisi acto censu universali et accuratiore quàm fieri solebat.

Conjicit Petavius hunc censum fuisse insolitum et extraordinarium, nec referri ad eos tres quorum meminit Suetonius. Et reipsà, prima recensio, quam, ante adeptum imperium, cum collegâ Marco Agrippâ Augustus edixit, ad illud breviarium satis esse non potuit; tertii autem censûs, quem anno imperii ultimo mandaverat, non vidit exitum. Verùm nihil impedit quominùs illa universi orbis, de quâ agimus, diligentior descriptio sit secundus census ab Augusto, ut dictum est, anno ante æram vulg. 8 præscriptus, et Suetonio memoratus. Nec obstat quòd nonnisi anno abhinc tertio Christus natus fuerit. Neque enim verisimile est, neque ullo probatur teste, censum illum anno eodem quo imperatus est, ubique incœptum fuisse, multò minùs absolvi potuisse. Rei tot dierum tamque operosæ difficultatem augebat maximè libertatis studium populis à naturâ insitum, ac odium servitutis. Populos enim recensionibus hujusmodi non assuetos illas impatienter tulisse, atque inde tumultus sæpè fuisse exortos, locupletissimus fidejussor est ipsemet Claudius imperator in oratione de civitate romanâ Gallis concedendâ, cujus orationis ære olim incisæ fragmentum exhibet Gruterus in *Inscription. Rom. Imperii*, pag. 502: « Quod opus, in- « quit Claudius de censu verba faciens, quàm arduum « sit nobis..... nimis magno experimento cognosci- « mus. » Et Dio, lib. 54, Germanos ait anno urbis 742, in Romanorum fines irrupisse, « quia videbant « Gallos jugum servitutis graviter ferre; » quodnam autem fuerit istud *servitutis jugum* à Gallis impatienter toleratum, novimus ex citato Claudianæ orationis fragmento, in quo census ab Augusto Gallis eo tempore impositus, appellatur *novum tum opus et inadsuetum Gallis*. Tantæ igitur molis negotium, qualis erat tot regionum et provinciarum, tot populorum seu subditorum seu sociorum accurata recensio, nonnisi aliquot annorum spatio perfici potuit, proindeque, etc.

Ad secundam probationem, quod ad Tertullianum attinet, recensionem de quâ S. Lucas loquitur Sentio Saturnino adscribentem, hunc deserendum censet Tillemontius (1) Annotat. 4 super Jesu Christi historiâ, propter allatam Norisii observationem. Paghius, Critic. in Annal. Baron. in Apparatu num. 127 et 136, satiùs existimat annum nativitatis Christi citra retrahere, et anno ante æram vulgarem sexto alligare; quo difficultas augetur de annis quasi triginta, quos

(1) *Mémoires pour l'Hist. eccl.*, tom 2 p. 421.

vixerat Christus, Luc. 3, v. 23, dùm à Joanne baptizatus est; quapropter annum imperii Tiberii decimum quintum, quo Christus baptismum suscipit, computare cogitur non à morte Augusti, sed ab ejusdem Tiberii cooptatione, ibid. ad an. Christi 39; quod à nullo scriptore veteri seu sacro seu profano esse usurpatum, jam supra notavimus. Turneminius, Dissert. de annis Christi, omnia sibi visus est conciliare, Christi nativitatem ad annum ante æram vulgarem 4 referendo. Scilicet Quirinium anno urbis conditæ 750, Quintilii Vari successorem et Syriæ præsidem ordinarium fuisse statuit, Josephum lib. 18, Antiq. citatis cap. 1 et 2 de Quirinio falli ratus, censumque post Agrippæ pulsionem actum Sentio Saturnino tribuens. Sed obstat maximè quòd teste non solùm Josepho, lib. 17 Antiq. cap. 10, aliàs 12, n. 9, et lib. 2. De bello Jud. cap. 3, sed etiam Tacito. Hist. lib. 5, Quintilius Varus post Herodis mortem fuerit adhuc Syriæ præses ordinarius.

Censum à Saturnino inchoatum judicat Iluetiùs prop. 7, cap. 10, n. 3, ob testimoninm Tertulliani, perfectum verò sub Quintilio Varo, cujus nomen reipsà scriptum putat à S. Lucâ, sed amanuensium vitio factum fuisse ut loco Κυιντιλίου nunc in textu legamus Κυρηνίου, *quod facilè patitur*, inquit, *similitudo nominum et characterum affinitas*. Ubi mendum in Lucâ pervetustum supponitur; nam S. Justinus Martyr, Apol. 1, mox laudatâ, necnon et Syrus interpres legunt Cyrenium. Pezronius in Historiâ Evangelicâ censet nascente Christo Quintilium Varum præfuisse Syriæ superiori, et Saturninum inferiori; quod cum Josepho Antiq. lib. 17, cap. 5, proximè citato non videtur posse conciliari.

Duæ supersunt responsiones, quibus omnis videtur tolli difficultas. Prima, quam non sine aliquâ differentiâ exponunt Petavius de Doct. temp. lib. 12, cap. 8, Norisius in Cenotaphiis Pisan. Dissert. 2, et in Epoch. Syromaced. Dissert. 3, et alii, eò ferè recidit, Cyrenium seu Quirinium virum consularem tunc temporis in Oriente degentem, ac propter recentem de Homonadensibus victoriam totâ Asiâ celebratum, cum extraordinariâ potestate descriptioni, tum in Syriâ, tum in Judææ gente sociâ et amicâ, faciendæ, ab Augusto præpositum fuisse, quamvis tunc Syriam Saturninus ac deinde Varus administrarent. Enimverò certò constat à præsidibus et magistratibus ordinariis non semper in provinciis, ac nunquàm Romæ censum fuisse actum. Vide Noris. in Cenotaph. Itaque Sentius Saturninus ejusque successor Quintilius Varus, Syriæ præsides ordinarii, fuerunt in descriptione exigendâ Quirinio subordinati; nominavit autem Tertullianus præsidem ordinarium sub quo census fieri cœptus est. Vox porrò ἡγεμονεύοντος, quâ S. Lucas utitur, et quam voce *præsidis* Vulgata reddit, nullo pacto restringitur ad significandum legatum proprætorem Syriæ, sed pro quocumque in Syriâ potestatem et imperium obtinente debet accipi. Felix, Syriæ duntaxat procurator apud eumdem Lucam, Act. 24, 1 et 10, ἡγεμὼν nuncupatur. Josephus pariter illi voci latiorem sensum passim alligat, quæque solet seu supremo seu subordinato imperio potientes designare.

Altera responsio auctorem habet Joannem Georgium Herwartum Bavariæ dùm viveret cancellarium, qui initio seculi proximè elapsi floruit. Is in suâ Chronologiâ novâ et verâ, ad calculum astronomicum revocatâ, cap. 241, docet textu Lucæ de quo agitur non significari censum nascente Christo fuisse actum à Cyrino præside Syriæ, sed tantùm descriptionem quæ tunc facta est, præcessisse eam quæ deinde à Cyrino seu Quirinio jussa est. Scilicet contendit græca : Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, sic reddenda esse : *Hæc descriptio* PRIOR *facta est, quàm illa præsidis Syriæ Cyrini;* seu, ad litteram, *prior præside Syriæ Cyrino*, hoc est, antequàm Syriæ præesset Cyrinus. Quod probat quia nomen positivum πρῶτος, pro comparativo πρότερος, sæpissimè à Græcis usurpatur. Joan. 1, v. 15 et 30, ubi latinè legimus, *quia prior me erat*, græcè habetur ὅτι πρῶτός μου ἦν. Idem loquendi modus extat in eodem Evangelio cap. 15, v. 18, atque ejusmodi exemplorum ex scriptoribus, seu ecclesiasticis, seu profanis depromptorum ingentem acervum accumulat Herwartus. Hanc doctissimi viri expositionem suam fecit Keplerus in Chron., necnon clarissimi continuatores Bollandi Henschennius et Papebrochius in Diatribâ prælim. ad mensem Aprilem, exercit. 2, n. 9; Natalis Alexander Hist. Eccles. sec. 1, Dissert. 2, q. 1; Calmetus ad hunc locum, etc., et ex Protestantibus Schmid. in hunc locum, Le Clerc in Harm. etc. In eâdem expositione emin. et eruditiss. Norisius id unum vitium deprehendit, quòd nimirùm sit nova; quapropter hanc nec probat nec improbat loco citato Cenotaph. Pisan.

Ad tertiam probationem, jam ex dictis patet Josephum cum Lucâ perfectè concordare. Nam Lucas his verbis : *Hæc descriptio prima*, seu, *prior*, etc., apertè indicat alteram Judæorum recensionem deinde exactam à Quirinio, quam enarrat Josephus; dùmque scribit idem Act. 5, 37, *in diebus* illius posterioris *professionis* periisse Judam Galilæum, qui *averterat populum post se*, Josepho mirificè consonat.

At, inquies, descriptionem sub Herode factam silet Josephus, narratque censum post Archelai deturbationem à Quirinio imperatum Judæ Gaulonitis seditioni locum dedisse, quod supponere videtur tùm primùm censitos fuisse Judæos. — Verùm inter utramque illam recensionem maximum discrimen intercedit. Judæi vivente Herode eo modo censiti sunt, quo regna et nationes amicæ et sociæ Romanorum; nulla ab iis tum postulata sunt tributa, quippe ab hujusmodi regnis nulla solebat Augustus exigere, quem usum deinde ejus successores immutârunt. In primâ igitur illâ Judææ descriptione illud unum investigatum est, quantas Judæorum natio, ubi opus esset, auxiliares vires Romanis posset suppeditare; nec dubium esse potest quin Herodes, ut Romanis addictissimus videretur, ili peragendæ recensioni impensissimè fa-

verit. Cùm itaque nulla pecuniarum exactio, nulla fortunarum imminutio, nulla reipublicæ statûs immutatio descriptioni ejusmodi annecteretur, nihil sanè mirum quòd nullos memoriâ dignos excitârit motus, quòdque à Josepho qui tot alia majoris momenti reticet, fuerit prætermissa. At census posterior non nuda fuit ejusmodi descriptio; Archelao in exilium amandato, Judæa in provinciam Romani imperii versa, ac Syriæ præsidibus parere jussa, ad instar aliarum imperii provinciarum censita fuit; atque ex Josephi locis in objectione citatis apertum est hanc recensionem eo fine fuisse imperatam, ut Archelai bona in fiscum redigerentur, quantaque possent à populi solvi tributa cognosceretur.

Inst. cum Bodino apud Huet. prop. 9, cap. 10 : 1° Christus pluribus in locis apud Evangelistas cognominatur *Nazarenus*, nullibi Bethleemites; ergo Nazarethi, non Bethleemi natus dici debet. 2° Edictum Augusti mulieres non contingebat; siquidem quotiescùmque Livius numerum censitorum describit, totiès hæc similia adjicit : *Præter mulieres, præter orbos et orbas;* ergo. 3° Josephus eodem edicto non tenebatur, quippe qui non erat civis romanus; solos enim cives romanos censitos fuisse colligitur ex enumeratione primi censûs ab Augusto imperati, prout ab Eusebio lib. 2 Chron. ad olymp. 188, exhibetur. 4° Saltem Josephus coactus non fuisset è loco propriæ habitationis discedere; nam auctor est Suetonius, in Julio Cæsare cap. 41, à Julio Cæsare dictatore unumquemque in domicilio suo recensitum.

Resp. hæc omnia levissima esse et nullius momenti. Ad primum, ipse explicat S. Matthæus, cap. 2, v. 23, Christum vocatum fuisse Nazarenum, quia Nazarethi ab infantiâ cum Mariâ et Josepho commoratus fuerat. Ad secundum, Livius his verbis *præter mulieres*, etc., significat tantùm mulierum enumerationem à se omitti, non verò eas in censibus non fuisse comprehensas. Certè nomina uxorum, liberorum, etc., in censum romanum relata fuisse, testes sunt locupletissimi Dionysius Halicarnass. loquens de censibus à Servio Tullio institutis, et à T. Largio primo dictatore restitutis Antiq. romanarum lib. 4 et 5, necnon Cicero, lib. 3 de Legibus. Ad tertium, quis fuerit numerus romanorum civium describit Eusebius, non ait hos solos censitos fuisse. Cùm illi agerentur census, ut innotesceret quantæ essent imperii vires, quid opibus et hominum numero tum per se, tum ratione devinctarum sibi gentium illud valeret, et quæ possent provinciis tributa imponi, quis non videt absurdè statui solos cives romanos in censum venisse? Florus lib. 1, cap. 6, ait *omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorumque discrimina in tabulas referri* consuevisse. Ad quartum, monet Suetonius *nec more, nec loco solito* peractum fuisse hunc censum quem Julius Cæsar imperavit. Quod autem in censu romano sæpiùs locorum mutatio præciperetur, vel ex his Ulpiani lib. 3 de Censibus, quæ referuntur in Jure civili l. *Forma*, § 2, de censibus, perspicere est. *Is verò*, inquit, *qui agrum in aliâ civitate habet, in eâ civitate profiteri debet in quâ ager est.* Sed in Judæis recensendis mutationes ejusmodi inprimis locum habere postulat tribuum familiarumque distinctio, quæ apud eos summâ semper diligentiâ juxta legis præscriptum custodita fuerat. Atque hinc census tempore Davidis legitur factus per tribus. De his omnibus plura vide apud Huetium loco citato.

De tempore nativitatis messiæ. — Conclusio. Christus Jesus in iis natus est temporum circumstantiis in quibus Messiam nasciturum prædixerant Prophetæ.

Probatur. Nam 1° Messias nasci debuit secundùm Prophetiam Daniel. 9, supra fusiùs expositam, nondùm elapsis septuaginta hebdomadibus annorum, *ab exitu sermonis ut iterùm ædificaretur Jerusalem* computandis, quod in Christo Domino impletum esse, ex dictis hîc cap. 1, art. 2, et cap. 2, art. 1, manifestum est. 2° Messias, ut dictum est cap. 1, art. 3, nasci debuit juxta Aggæum et Malachiam stante secundo templo. Atqui constat Christum plus quàm 70 annis ante conflagrationem templi natum esse; ergo. 3° Nasci debuit Messias florente romano imperio, ut patet ex Prophetiâ Danielis 2, quam cap. 1, art. 4, exposuimus. Porrò Christus natus est Augusto imperante et versùs finem vitæ Herodis, Matth. 2 et Luc. 2, quo tempore florentissimum fuisse romanum imperium nemo nescit. 4° Messiæ nativitatis tempus altâ pace temporali ubique obtinente debuisse insigniri, Prophetæ videntur indigitare. Isaiæ 2, v. 4 : *Conflabunt* (populi) *gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces; non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.* Zach. 3, v. 8 et 10 : *Ecce ego adducam servum meum Orientem.... In die illâ, dicit Dominus exercituum, vocabit vir amicum suum subter vitem et subter ficum.* Multa alia in Prophetis loca occurrunt, in quibus pax sub Messiâ futura et ab ipso danda promittitur.

Ubi observa 1°, pleraque ejusmodi oracula intelligenda esse, ut aliquando ostendemus, de pace spirituali, quâ mentes humanæ tranquillantur, perturbationes animorum sedantur, homines arcto charitatis vinculo uniuntur, atque ad perpetuam omnis commotionis expertem felicitatem perducuntur; quam quidem sibi pacem pariunt quotquot Christi legibus, ut par est, obtemperant. Observa 2°, aliquas tamen ex iis Prophetiis Christum spectantibus occurrere de terrenâ pace intelligendas, nempe quas ad eam referri nihil vetat; quod exemplis explico. V. g., istud Isaiæ 9, v. 7 : *Pacis non erit finis*, et illud ejusdem cap. 54, v. 10 : *Fœdus pacis meæ non movebitur*, et alia ejusmodi, ad pacem cœlestem et æternam apertè pertinent. Sed modò adductus ex Zach. 3 locus de pace terrenâ potest sumi, quamvis tamen in eo sensus sublimior pacem cœlestem spectans etiam latere videatur. Pariter allatus simul versiculus 4 capitis 1 Isaiæ ad pacem temporalem populorum potest inflecti. Non enim obstant hæc verba : *Nec exercebuntur ultra ad prælium;* namque, ut advertit Huetius, prop. 9, c. 8, n. 3, *dictio* ULTRA, *sive, ut hebraicè concepta est,* עוֹד (hoc), *nonnunquàm æternitatem, diuturnitatem ali-*

quam nonnunquàm, sæpè etiam brevitatem temporis significat. Postremum hoc docet R. David Kimchi in libro Radicum et exemplis probat. Aliquando etiam particulæ neganti conjuncta aliquam rei partem detrahit, non totam inficiatur; sic 35 *Geneseos capite* (v. 10) *Jacobo dixit Deus :* NON VOCABERIS ULTRA JACOB; *quamvis sæpè deinceps, et hoc ipso capite aliquoties vocatus sit Jacob. Plura ejusmodi exempla sunt in promptu.* Itaque in hoc Isaiæ testimonio non modò pax spiritualis intelligenda venit, sed etiam pax temporalis, quæ nascente Messiâ florere debuit, et per aliquod tempus perseverare. Jam verò tempora nativitatis Christi pace eximiâ fuisse insignita indubitatum est. Nam 1°, natus est Jesus toto orbe in pace composito; quod non modò ex constanti SS. Patrum traditione, sed ex scriptoribus profanis colligitur. Ut enim observat Norisius *Cenotaph.* Dissert. 2, nullus scriptor meminit belli cujusquam à Romanis acti aut parati ab anno urbis 748 ad 751; cùm ergo Christus anno urbis 749, die 25 Decembris, ante æram vulgarem 5, aut saltem versùs hunc annum natus sit, consequens est eum natum altâ per orbem universum vigente pace. Imò usque ad annum urbis 759, nullo gravi bello imperium romanum fuit agitatum, ut modò dicemus; ergo, etc. 2° Christus natus est Augusto imperante : atqui tempora quibus imperavit Augustus pace præsertim signata sunt. *Janum Quirinum,* inquit Suetonius in Augusto cap. 22, *semel atque iterùm à conditâ urbe memoriam ante suam clausum, in multò breviore temporis spatio,* TERRA MARIQUE PACE PARTA, *ter clausit.* Ex Dione porrò, lib. 51 et 53, habemus quibus annis Jani templum bis clausum fuerit; nempe primùm anno urbis 725, ante æram vulgarem 29, tuncque ad triennium potuit obserari; iterùm anno urbis 729, ante æram vulgarem 25, quâ vice potuit annis novem decemve clausum remanere.

Quo autem tempore tertiò occlusum illud fuerit, Dio vitæ Augusti accuratus scriptor annotaverat etiam procul dubio in eâ historiæ suæ parte quæ periit, et quâ Augusti gesta annis decem, nimirùm ab anno urbis 748, ad annum 758, continebantur. Solus inter veteres Jani ab Augusto tertiam clausi epocham assignat Orosius quinti seculi auctor. Is lib. 6, cap. 22, Jani portas anno urbis conditæ 752 clausas ad annos ferè duodecim fuisse asserit, quem Casaubonus in notis ad locum Suetonii citatum, Huetius, prop. 9, cap. 8, n. 3, et alii multi secuti sunt. At Norisius in Cenotaph. Pis. loco citato Orosium eâ de re non audiendum existimat, 1° quia anno urbis 752, bellum adversùs Parthos gravissimum ab Augusto paratum est, ad quod gerendum Caius Cæsar, Augusti filius, in Orientem missus fuit; etsi autem bellum illud, Parthis pacem postulantibus, actum non fuerit, attamen is annus ad Janum claudendum minimè fuit opportunus. 2° Quia anno abhinc septimo, seu anno urbis 759, difficillimum adversùs Dalmatas bellum cœpit, multisque aliis in locis rebelliones sunt exortæ, adeò ut planum sit Janum tunc clausum manere non potuisse. 3° Quia tempus ab anno urbis 752 ad 759 clapsum, à bellis vacuum non fuit. Tunc temporis bellum in Armeniâ gessit Caius Cæsar, et in Germaniâ anno 754 rebellatum est. Ex his aliisque magnâ eruditione, more suo, congestis colligit doctissimus cardinalis nec anno urbis 752 Janum tertiò obseratum fuisse, neque duodecim annis tunc clausum mansisse. Cùm autem *ab anno urbis 748, ad annum 751, nulla nobis à quoquam scriptore Romanorum bella prodantur,* ut jam notavimus, statuit *eo triennio Jani fores tertiò ab Augusto clausas fuisse.*

Tillemontius in suâ imperatorum Historiâ, tom. 1, in Augusto, art. 10, etc., Norisio consentit quantùm ad epocham Jani ab Augusto tertiùm clausi citra retrahendam; hanc verò non anno urbis 748, sed 746, alligandam putat, hoc ductus argumento, Horatium, qui eo anno 746, die 27 novembris mortuus est, in ultimâ ode suâ, tum Sicambrorum eodem anno ab Augusto domitorum, tum Jani clausi mentionem facere. Præterea censet adversùs Norisium ab hoc anno urbis 746, usque ad 759, Janum potuisse obserari; siquidem bello quod in Parthos Augustus anno urbis 752 paraverat, nullus fuit locus; grave non fuit bellum quod in Armeniâ Caius Cæsar gessit; idemque dicendum de rebellione Germanorum anno urbis 754. Propter leviora ejusmodi bella, quibus romani imperii toto orbe diffusi pax turbata non censebatur, Jani fores reserari non præcipiebat Augustus. Ex his concludit Tillemontius fortè in annos duodecim, ut Orosius tradit, templum Jani tertiò clausum fuisse.

Porrò si explicatis doctissimorum virorum sententiis, nobis liceat aperire quid censeamus; 1° infirmum videtur quod ex Horatii ode ultimâ argumentum eruit Tillemontius. Etenim in illâ ode Jani clausi meminit quidem Poeta, at de Sicambris ibi nihil habet, sed tantùm in ode præcedenti; quapropter donec probaverit Tillemontius ex ejusmodi duabus odis, quæ reipsà ejusdem metri sunt, unam tantùm conflari, vel oden quæ in vulgaribus Horatii editionibus postrema reperitur, esse etiam tempore ultimam, tamdiu quod in eâ de Jano clauso legitur poterit ad Janum secundò clausum referri. 2° Etsi victi sint Sicambri anno urbis 746, attamen non videtur statim Germania pacata; itaque cùm Dio apud quem legimus accuratam anni urbis 746 ac fortè integri anni 747, historiam, Jani tertiùm ab Augusto clausi non meminerit, satius est anno demùm 748, vel ad finem anni 747, ante æram vulgarem 7, clausum tertiò Janum statui, adeò ut is clausus fuerit cùm natus est Christus. 3° Quod attinet ad tempus quo pax ista nullo gravi bello turbata est, illud fuit annorum circiter duodecim; quapropter Tillemontio assentimur, Orosium, de Jano per annos ferè duodecim tertiùm clauso, vindicanti.

Cæterùm eò insignior fuit pax illa quæ ad Messiæ tempora orbi universo sub imperio Augusti parta est, quòd bellis antea perpetuis, ac ferè ubique intestinis successerit, quòd æquis legibus ab Augusto sancitis fuerit conjuncta, postremò quòd etiam post Augusti mortem per annos complures multis in locis viguerit.

DE NOMINE MESSIÆ IMPONENDO, ALIISQUE EJUS INFAN-

TIÆ MYSTERIIS. — Tradunt Evangelistæ Christo nomen *Jesu* fuisse impositum, quod *Salvatorem* sonat, Matth. 1, v. 21 et 25, Luc. 1, v. 31, et cap. 2, v. 21. Tradit etiam S. Matthæus, cap. 2, Christum infantem à Magis adoratum et muneribus donatum fuisse, tum in Ægyptum fugisse, ac ejus occasione cæsos ab Herode parvulos.

Atqui hæc à Prophetis de Messiâ prædicta fuerant. 1° Nomen *Jesu* seu *Salvatoris*, Messiæ tribuendum non semel prænuntiat Isaias. *Haurietis*, inquit cap. 12, v. 3, *aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*; et cap. 51, v. 5: *Prope est justus meus, egressus est Salvator meus.* Item cap. 62, v. 11: *Dicite filiæ Sion: Ecce Salvator tuus venit, ecce merces ejus cum eo, et opus ejus coram illo*; pariter Habacuc 3, v. 18: *Ego in Domino gaudebo. Et exultabo in Deo Jesu meo.* Denique Zach. 9. v. 9: *Exulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi justus et Salvator. Hæc Prophetia*, ait R. Salomo Jarchi in hunc locum, *non potest explicari nisi de Rege Messiâ.* Similia traduntur in *Bereschit rabba* ad Gen. 49. 2° Circa Magorum adorationem nota sunt hæc vaticinia. Psal. 71 (Hebr. 72), v. 9: *Reges Tharsis et insulæ munera offerent*; *reges Arabum et Saba dona adducent... et vivet et dabitur ei de auro Arabiæ.* Quæ de Messiâ esse exponenda fatentur Judæi in *Bereschit ketanna* ad Gen. 33. Imò *totum* hunc *Psalmum de Messiâ exposuerunt*, teste ipso Jarchio, quamvis ipse priores septem versiculos de Salomone nitatur explicare. Isai. 60, v. 6: *Omnes de Sabâ venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes. Hic est Rex Messias*, aiunt Judæi in *Beresch. rabba* ad v. 6 capitis 25 Genes. 3° Fugæ Christi in Ægyptum applicat S. Matthæus, cap. 2, v. 15, istud Oseæ 2, v. 1: *Ex Ægypto vocavi filium meum*, quamvis ad Israelitas historicè illud pertineat; sicut et illis Psalmi 79 (Hebr. 80) v. 9: *Vineam de Ægypto transtulisti*, Messiam allegoricè designari fatetur Aben-Ezra in hunc Psalmum. 4° Infantium cædes graphicè à Jeremiâ pingitur cap. 31, v. 15: *Vox in excelso audita est lamentationis, luctûs, et fletûs Rachel* (quæ sepulta est in vicinià Bethlcem Genes. 35, v. 19) *plorantis filios suos, et nolentis consolari super eis, quia non sunt.*

§ 2. *De vaticiniis ad Messiæ vitam, ministerium, miracula, aliasque ejus ministerii circumstantias attinentibus.*

CONCLUSIO. Quæ de Messiæ vitâ, ministerio, miraculis, aliisque ejus ministerii circumstantiis Prophetæ prædixerunt, in Christo Jesu impleta fuêre.

Prob. Nam 1°, juxta Zachariam, 9, v. 9 et 10, debuit Messias pauperem et humilem vitam agere, et Jerosolymam, asinâ vectus, ut triumphator ingredi. *Exulta satis, filia Sion*, ait propheta; *jubila, filia Jerusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi justus et Salvator, ipse pauper* (Hebr. עני *honi*, quæ vox propriè significat *pauperem*, licet possit etiam significare *mansuetum*) *et ascendens super asinam et super pullum filium asinæ... et loquetur pacem gentibus, et potestas ejus à mari usque ad mare, et à fluminibus usque ad terminos terræ.* Quæ de solo Messiâ accipi posse tradunt ipsi Judæi, ut mox vidimus, atque adeò evidens est, ut nihil frigidius interpretatione Grotii hæc historicè de Zorobabele Christi typo exponentis. Atqui illa prophetia exitum habuit in Christo. Pauperem enim ille vitam egit. Matth. 8, v. 20: *Vulpes foveas habent*, inquit, *et volucres cœli nidos*; *Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Humilis fuit adventus ejus, et asinæ insidens Sionem triumphator ingressus est, quod narratur Matth. 21; ergo, etc. 2° Messiæ prægredi debuit Præcursor pœnitentiam in deserto prædicans. Isaiæ 40, v. 3 et 4: *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur*, etc. *Et revelabitur gloria Domini*, etc. Et Malach. 3, v. 1: *Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam: et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis.* Posterius hoc vaticinium ad Messiam ejusque Præcursorem spectare, supra ostendimus; prius autem ad eosdem applicant ipsimet Judæi R. David Kimchi et R. Aben-Ezra in hunc locum. Porrò eventum ejusmodi vaticiniis perfectè respondentem narrat S. Matthæus c. 3: *Venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ et dicens: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. Hic est enim qui dictus est per Isaiam Prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto*, etc. Christus ipse, Matth. 11, v. 10, Joannem laudato Zachariæ textu prædictum asserit. Tandem utriusque Prophetæ testimonia eidem Joanni ut Christi Præcursori accommodantur, Marc. 1. 3° Messias munia magistri hominum ac sacri præconis obire debuit. Psal. 2, v. 6: *Ego autem constitutus sum rex..., prædicans præceptum ejus.* Psal. 23, v. 23: *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Isai. 2, v. 3: *Docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus.* Et cap. 30, v. 20: *Non faciet avolare à te ultra doctorem tuum, et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum*; cap. 52, v. 7: *Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus!* cap. 55, v. 4: *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus*; cap. 61, v. 1: *Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit Dominus me; ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem; ut prædicarem annum placabilem Domino*, etc. Joel 2, v. 23: *Filii Sion, exultate et lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ.* Atquæ hæc et similia de Messiâ intelligunt vel ipsi Judæi, quorum testimonia refert Raym. Martinus.

Hæc autem in Christo ad exitum pervenisse tota clamat historia evangelica. Imprimis videre est Matth. 9, v. 35, ubi dicitur quòd *Jesus circuiret omnes civitates et castella, docens in Synagogis illorum, et prædicans Evangelium regni.* Hinc *præceptoris* et *magistri* nomen tam frequenter illi datum, Matth. 8, v. 19, cap. 12, v. 38; Luc. 3, v. 12, cap. 5, v. 5; Joan. 1, v. 38, etc., atque ipse Christus, Matth. 23, v. 10:

Magister vester, inquit, *unus est Christus*; et Joan. 13, v. 13 : *Vos vocatis me, Magister et Domine; et benè dicitis, sum etenim.*

4° Ex Prophetis Messias debuit esse pastor animarum eximius. Isai. 40, v. 11 : *Sicut pastor gregem suum pascet; in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit.* Jerem. 31, v. 10 : *Qui dispersit Israel, congregabit eum, et custodiet eum sicut pastor gregem suum.* Ezech. 34, v. 23 : *Suscitabo super eas pastorem unum, qui pascet eas, servum meum David; ipse pascet eas servum meum David; ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem.* Eadem fermè ad verbum habentur cap. 37, v. 24, ubi Messias David appellatur, sicut et Jerem. 30, v. 9, et Osee 3, v. 5, quòd et ipse futurus esset celeberrimus ex posteris Davidis, et David insignis ejus typus fuerit. Agi autem ibi de Messiâ et evidens est, et non inficiantur Judæi. Denique Zach. 13, v. 7 : *Framea, suscitare super pastorem meum... percute pastorem et dispergentur oves.*

Jam verò Christum pastoris optimi partes implevisse, facilè astruitur. Joan. cap. 10 ferè integro, ipse docet ac operum suorum testimonio invictè comprobat se esse pastorem bonum, cujus vocem oves audiunt, qui ponit animam pro ovibus suis, etc. Quapropter Matth. 26, v. 31, meritò in se transfert proximè laudatam Zachariæ prophetiam; et S. Paulus Heb. 13, v. 20, sic habet : *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono*, etc. Vide etiam 1 Petr. 2, v. 25, et cap. 5, v. 4.

5° Variis Messiam designârunt Prophetæ nominibus ex ministerio docendi quod exercuit consequentibus; nempe appellatus est *Lux*, Psal. 35, v. 10; Isai. 9, v. 2, et cap. 42, v. 6, et cap. 49, v. 6, et cap. 60, v. 1, etc.; Mich. 7, v. 8; *Sol*, Malach. 4, v. 2; *Stella*, Num. 24, v. 17; *Germen*, Isai. 4, v. 2, Jer. 23, v. 5, et cap. 35, v. 15; Ezech. 34, v. 29; *Flos*, Cant. 2, v. 1; Isai 11, v. 1; *Oriens*, Zach. 3, v. 8, et cap. 6, v. 12; *Dux*, Isai. 55, v. 4; Jer. 30, v. 21; Dan. 9, v. 25; *Veritas*, Psal. 84, v. 12, etc., quæ ab ipsis Judæis ad Messiam applicantur. Eadem porrò Jesu Christo competunt juxta novum Instrumentum. Sed de his sigillatim disserere longius foret. Vide Huet. prop. 9, cap. 54, 57, 58, 59, 69, 72; et Raym. Martin. in Pug. fidei, p. 125, 126, 279, 323, 337, 381, 456, 598, etc.

6° Multa Messiæ prædicationis adjuncta et circumstantias sacri Vates exprimunt. Debuit juxta Isai. 61, v. 1, Evangelium annuntiare mansuetis, seu pauperibus et humilibus, ad quem locum Kimchius in lib. Radicum, in radice משח, *Maschach : Locutus est*, inquit, *Prophetа in personâ Messiæ, ac si Messias dixerit : Unxit Dominus me*, etc. Similiter Saadias Gaon in lib. Hæmunot, cap. 8. Christus autem ad illud idem testimonium respiciens, Luc. 4, v. 21 : *Hodie*, inquit, *impleta est hæc scriptura in auribus vestris.* Et Matth. 11, v. 5 : *Pauperes evangelizantur.* 7° Debuit Messias auditorum contradictionibus et oblocutionibus exponi, ab iisque odio haberi. Isai. 65, v. 2 : *Expandi manus meas totâ die ad populum incredulum, qui graditur in viâ non bonâ post cogitationes suas.* Vide etiam Psalm. 34 (hebr. 35) v. 16 et 19; Psal. 68 (hebr. 69), v. 8 et 9; Psal. 103 (hebr. 109), v. 5; Jerem. 32, v. 33; Thren. 3, v. 45. Atqui ex totâ passim historiâ evangelicâ constat Christum contradictiones esse expertum et odio habitum. Matth. 9, v. 14, cap. 13, v. 54 et seq.; Joan. 15, v. 18, et alibi sæpè. Debuit in Galilæâ Evangelium suum prædicare. Isaiæ 9, v. 1 et 2, factâ mentione terræ Zabulon et Nephthali, et Galilææ gentium, continenter additur : *Populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Christus autem in Galilæâ ministerii sui muniis functus est. Matth. 4, v. 23 : *Circuibat Jesus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni;* et v. 13 : *Habitavit in Capharnaum maritimâ, in finibus Zabulon et Nephthalim, ut impleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam : Terra Zabulon et terra Nephthalim*, etc., *populus qui sedebat in tenebris, etc.* Debuit ex Judæis adsciscere discipulos et adjutores, qui zelo Dei accensi et impulsi doctrinam evangelicam toto orbe disseminarent et propagarent. Ii à Prophetis dicuntur *pauci, reliquiæ, semen Israel semen relictum*, et ad formandam Ecclesiam brevi tempore numerosissimam assumpti. *De Jerusalem*, inquit Isaias, cap. 37, v. 32, *exibunt reliquiæ et salvatio de monte Sion; zelus Domini exercituum faciet istud.* Et cap. 29, v. 23 : *In medio suî sanctificantes nomen meum, et sanctificabunt sanctum Jacob, et Deum Israel prædicabunt, et scient errantes spiritu intellectum.* Jerem. 3, v. 14 et 15 : *Assumam vos unum de civitate, et duos de cognatione, et introducam vos in Sion, et dabo vobis pastores secundum cor meum, et pascent vos scientiâ et doctrinâ; cùmque multiplicati fueritis, et creveritis in diebus illis, ait Dominus, non dicent ultra : Arca testamenti Domini*, etc. Vide et Isai. 65, v. 9; Mich. 5, v. 8, etc. Hæc verò in Apostolos et discipulos Christi quadrant. Luc. 6, v. 12 : *Vocavit discipulos suos et elegit duodecim ex ipsis quos et Apostolos nominavit;* Marc. 3, v. 14 : *Fecit ut essent duodecim cum illo, et ut mitteret eos prædicare;* Luc. 10, v. 1 : *Designavit Dominus et alios septuaginta duos, et misit illos binos, ante faciem suam, in omnem civitatem et locum, quò erat ipse venturus;* Marc. ult. v. 15 : *Dixit eis* (Apostolis) : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ;* et v. 20 : *Illi autem profecti prædicaverunt ubique;* Matth. ult. v. 19 : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc.; Act. 1, v. 8 : *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæâ et Samariâ, et usque ad ultimum terræ.*

8° Tandem Messias inter prædicandum debuit mira cula edere, et quidem miracula certi generis, benefica scilicet, si ita loqui fas est, et hominibus de se utilia Isaiæ 42, v. 6 : *Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris;* quæ sensu sublimiori conversionem et spiritualem

resurrectionem significantia, ad miracula Messiæ et peragendas ab eo mortuorum suscitationes simul inflectenda esse, Judæi non inficiabuntur. Idem dicendum de hoc ejusdem Isaiæ testimonio, cap. 53, v. 4 : *Verè languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit;* quod ad morbos corporis à Messiâ miraculosè sanandos attinet, etsi vulnera mentibus per peccatum illata maximè respiciat. Apertiùs idem Isaias cap. 35, v. 4, 5 et 6, Messiæ prodigia exprimit : *Deus ipse veniet*, inquit, *et salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum.* Atqui innumera miracula ejusmodi benefica à Christo Domino ejusque Apostolis patrata in Evangeliis et in Act. Apost. referuntur. Hinc Matth. 11, v. 3, 4 et 5, sciscitantibus Joannis Baptistæ discipulis : *Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Respondens Jesus, ait illis : Euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis : Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* Et Matth. 8, v. 16 et 17 : *Obtulerunt ei multos dæmonia habentes, et ejiciebat spiritus verbo; et omnes malè habentes curavit; ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam, dicentem : Ipse infirmitates nostras accepit, et ægrotationes nostras portavit.* Nec Judæi ipsi maxima à Christo facta esse prodigia, ipsasque mortuorum resurrectiones inficiantur. *Hæc operatum Christum nec vos diffitemini*, aiebat Tertull. L. Adversùs Judæos, cap. 9. Similia de Judæis testatur Arnobius, lib. 1 contra gentes. Atque in Talmude lib. *avoda Zara*, in *Midrasch Cohelcth*, et in libris *Toldoth Jesu*, seu *Generationes Jesu* inscriptis apud Wagenseilum et Huldricum, mentio fit insignium miraculorum à Christo Domino editorum, adeò vehementer ejusmodi prodigiis tota natio commota et affecta fuerat. Commiscuntur quidem et Judæi Christum hæc operatum fuisse virtute ineffabilis nominis Domini è Sancto sanctorum furtim et incantationibus crepti, de quo infra, cap. 3. His satis est ostendisse, Christum ipsis etiam fatentibus Judæis ea operatum esse miracula, quæ à Messiâ patranda Prophetæ prædixerant.

§ 3. *De Prophetarum et Evangelistarum circa Messiæ passionem et mortem consensione.*

Conclusio. Quæ de Christi passione et morte ab Evangelistis narrantur, vaticiniis Prophetarum Messiam contingentibus planè respondent.

Prob. 1° ex vaticinio Isaiæ, cap. 53, ubi Propheta postquàm cap. præcedenti à v. 7 ad finem de Messiâ splendidissimis verbis locutus est, contextè sic habet : *Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terrâ sitienti; non est species ei, neque decor : et vidimus eum et non erat aspectus, et desideravimus eum; despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem; et quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum. Verè languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit; et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum à Deo et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ super eum : et livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrùm. Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum; sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. De angustiâ et de judicio sublatus est; generationem ejus quis enarrabit? qui abscissus est de terrâ viventium; propter scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepulturâ et divitem pro morte suâ* (hebr. clariùs, *et dedit cum impiis sepulturam ejus, et cum divite in morte suâ*); *eò quòd iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate; si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quòd laboravit anima ejus, videbit et saturabitur; in scientiâ suâ justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit. Ideò dispertiam ei plurimos; et fortium dividet spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est; et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.*

Perlongum hunc Prophetæ textum exscribere non piguit, cui tam accuratè conveniunt quæ de Christi passione et morte ab Evangelistis exponuntur *ut* eo præsertim loco *non putes* Isaiam *de futuro vaticinari*, *sed de præteritis historiam texere*, quemadmodùm advertit S. Hieronymus Præfat. ad Isaiam, aliique SS. PP. passim. Et quidem Messiam doloribus traditum, propter hominum peccata in se libenter suscepta percussum à Deo et humiliatum, livoribus quibus nos sanavit deformem, despectum, opprobriis opertum, vitæ innocentiâ mirabilem, et in perferendis tot malis patientiâ et mansuetudine cum ove et agno obmutescente comparandum, ad aliorum iniquitates delendas seipsum in victimam ultrò neci objicientem, cum sceleratis reputatum, de terrâ viventium abscissum, cum impiis in sepulturâ positum, nempe in loco impiorum suppliciis destinato, mortuum, et tamen *cum divite in morte suâ*, id est, in sepulcro divitis conditum, pro transgressoribus orantem, spontaneâ morte suâ multos justificantem, ejusdem mortis merito semen longævum, seu innumeros spirituales filios generantem, inde etiam in plurimos, id est, Judæos et gentiles dominium acquirentem, fortesque spoliantem ac vincentem describit isto in capite Vates sacer. Atqui iis simillima sunt quæ de Christi Domini passione narrant Evangelistæ; ergo, etc.

Vim istius argumenti non alio modo elidere conantur Judæi recentiores, quàm adductum Isaiæ caput Messiæ abjudicando. At verò Messiam ibi immediatè designari, facillimè et manifestissimè adstruitur, tum ex Isaiæ contextu, tum Paraphrastarum et Judæorum veterum auctoritate, tum etiam quia ad nullum alium regem aut Prophetam vaticinium de quo agimus potest accommodari. Atque id astruitur quidem ex contextu Isaiæ. Nam allato cap. 53, evidens est de eodem agi, de quo cap. præcedenti v. 7 et seq. hæc leguntur :

Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion : Regnabit Deus tuus !.... Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valdè. Sicut obstupuerunt super te multi, SIC INGLORIUS ERIT INTER VIROS ASPECTUS EJUS, ET FORMA EJUS INTER FILIOS HOMINUM. *Iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum; quia quibus non est narratum de eo, viderunt; et qui non audierunt, contempti sunt.* Cùm enim his prolatis, continenter pronuntiet Isaias quæ ex cap. 53 adduximus, cùmque præsertim hæc verba proximè laudata, *sic inglorius erit inter viros aspectus ejus*, etc., istis capitis 54 : *Non est species ei neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus*, et aliis ejusmodi omninò congruant; clarum est de unâ eâdemque personâ in utroque capite esse sermonem. Et verò, cui bono negarent Rabbini caput 53 ad Messiam attinere, si semel faterentur exponendum de eo laudatum capitis 52 versiculum 14 : *Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus*, etc., qui summam capitis 53 repræsentat? Atque illa duo capita eòdem pertinere ita certum visum est Hebræis veteribus, ut caput 52, à versu 7, cum integro capite 53 conjunctum, única ipsis fuerit, numero trigesima, Isaiæ prophetia. Porrò adducta verba capitis 52 de Messiâ accipienda sunt. Etenim ille Domini *servus* sapientiâ et prudentiâ eximius, qui citatis cap. 52 versibus 13 et 14 dicitur *exaltandus, elevandus, sublimis valdè* futurus, hominesque *obstupefacturus*, ille idem dicitur v. 7 etiam citato, *annuntians et prædicans pacem, annuntians bonum, prædicans salutem, dicens Sion : Regnabit Deus tuus;* dicitur v. 10, is in quo *paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium : et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri :* dicitur v. ultimo, *aspersurus*, seu in admirationem rapturus *gentes multas, et regum ora* compressurus. Atqui hæc totidem sunt Messiæ speciales ac maximè proprii characteres; ergo.

Adde, verba hæc quæ v. 1 capitis 53 Prophetiæ de quâ agimus præmittit Isaias : *Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est?* et ista v. 8 : *Generationem ejus quis enarrabit?* illa denique v. 12 : *Ideò dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia*, indicare de re maximâ, de mysterio summo, de personâ eximiâ fieri sermonem, ac proindè ibi intelligendum Messiam. Et reipsà adeò sublimia sunt, ac supra omnem humanam cogitationem posita, quæ de redemptione generis humani, de satisfactione pro peccatis Deo per unius oblationem et mortem impendendâ, de pretio tanti sacrificii, etc., eò loci ab Isaiâ proferuntur, ut in solum Messiam ea cadere posse nemini dubitandum sit. Soli igitur Messiæ competere quæ in hoc Isaiæ oraculo continentur, ex ipso Vatis sacri contextu adstruitur.

Idem etiam evincitur ex Paraphrasi Jonathanis, qui utrumque istud caput de Messiâ explicat, quem etiam expressè nominat v. 13 capitis 52, et cap. 53, v. 10, atque ex Judæis antiquis in Siphre, in Talmude Tract. Sanhedrin, in Bereschith Rabba R. Mosis Hadarsan, etc., quos laudat Huetius prop. 7, n. 15, et quorum testimonia refert Raym. Martin. in Pugione fidei, part. 2, cap. 9, n. 25, et part. 3, dist. 1, cap. 10, n. 3 et 4, et dist. 3, cap. 8, n. 5, cap. 16, n. 20, etc.; et D. de Voisin ad Proœmium.

Jam porrò quæ recentiores Rabbini fingunt, ut vaticinium aliorsùm detorqueant, apertè falsa et absurda sunt, ac facillimè refelluntur. Etenim 1°, nihil infelicius interpretatione R. Mosis Alschech, qui postquàm versiculos præcedentes regi Messiæ applicuit, genuinam cujuslibet justi imaginem v. 2 et seq. capitis 53 effingi, Moysemque nominatim v. 9 exprimi arbitratur. Num igitur ista : *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.... et livore ejus sanati sumus..... oblatus est quia ipse voluit.... Generationem ejus quis enarrabit?* et alia ejusmodi, ad justum quemlibet et ad Moysen ipsum ullà ratione accommodari queunt? Ultrò quidem fatemur *justum* aliquem ibi designari, sed *Justum* hunc præcellentem, qui simpliciter et antonomasticè *Justus* et *Justitia* à Prophetis appellatur, id est, ipsum Messiam. 2° Non magis feliciter R. Abravanel in secundâ suâ hujus loci expositione, idem caput interpretatus est de pio rege Josiâ, qui in campis Mageddo pugnans adversùs Nechaonem regem Ægypti, vulnus à sagittariis accepit, quo brevi confectus est, ut narratur 4 Reg. 23, v. 29, et fusiùs 2 Paral. 35, v. 20 et seq. Enimverò Josiæ mortis causam imprudentia ejus attulit, non iniquitas populi. *Noluit Josias reverti*, ait auctor Paral. 2, cap. laudato, v. 22.... *nec acquievit sermonibus Nechao ex ore Dei; verùm perrexit* inconsultò *ut dimicaret in campo Mageddo, ibique à sagittariis* mortifero vulnere ictus est, ubi primùm autem se sauciatum sensit, fugâ conatus est morti se subtrahere. *Vulneratus à sagittariis*, ait sacer contextus, v. 23, *dixit pueris suis : Educite me de prælio quia oppidò vulneratus sum. Qui..... asportaverunt eum in Jerusalem, mortuusque est*, etc. Itaque pius ille rex nullo pacto dici potest *propter scelus populi* fuisse *vulneratus, attritus* et à Deo *percussus*, atque ad delendas populi iniquitates voluntariè in victimam *oblatus*. Non *posuit pro peccato animam suam*, non *ductus est quasi ovis ad occisionem*, non *obmutuit*, non *reputatus est cum sceleratis, fortium spolia* non tulit nec partitus est; proindeque, etc.

3° Apertè etiam falsa et interpretatio quam plerique celeberrimi Judæorum recentiorum doctores, Lipmanus in veteri Nitzachon, Salomon Jarchi, Aben Ezra, Kimchius, nec non aliquando Abravanel, etc., tradiderunt. Hi vaticinium Isaiæ de populo Israelitico in præsenti captivitate afflicto exponendum censent, voluntque Judæos iis quibus efficiuntur calamitatibus Deo alioqui mundum destructuro pro peccatis gentium satisfacere. Verùm is de quo Isaias sermonem habet non est cœtus hominum, sed persona singularis; siquidem v. 3, appellatur *vir dolorum;* de eo dicitur v. 8 : *Generationem ejus quis enarrabit?* de morte et sepulturâ ejus, etc., verba facit Propheta; quæ omnia profectò ad personam singularem, non ad cœtum pertinent. Præterea de illo ibi agitur, qui, v. 9, *iniquita-*

tem non fecit, neque dolus fuit in ore ejus ; sed hanc ab omni dolo et iniquitate immunitatem, nec Isaias sanè, nec alii Prophetæ populo Israelitico adscribunt, quippe qui hujusce gentis obcæcationem et perfidiam sæpissimè coarguunt ; ipsique non diffitentur Rabbini apud suos etiam multa vitia obtinere; ergo, etc. Deinde num populus Israeliticus dici potest victima et oblatio spontanea pro peccatis gentium? *Oblatus est*, inquit Propheta, v. 7, *quia ipse voluit, et non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducetur*, etc. An in præsenti captivitate voluntariè detinentur Judæi, nonne ex ipsorum historiâ constat eos sæpissimè variis locis rebellâsse, et toties quidem quoties alicujus prosperi exitûs sese obtulit occasio? Ad hæc, pro gentibus non orant Judæi, is autem de quo Isaias, *pro transgressoribus rogavit.* Postremò ista v. 4 et seq.: *Languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.... vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.... livore ejus sanati sumus..... Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm.... Justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit.... et ipse peccata multorum tulit;* ista, inquam significantne solùm jejunam hanc Judæorum pro gentium peccatis satisfactionem nullum iis salutis medium afferentem quam comminiscuntur Rabbini?

4° Illorum pariter rejicienda veterum Rabbinorum expositio qui duplicem distinxerunt Messiam, alterum obscurum, doloribus affligentem et occidendum, alterum victoriis ac imperio conspicuum. Qui enim in adducto Isaiæ vaticinio vir dolorum pro peccatis nostris atterendus dicitur, ille idem characteribus soli Messiæ gloriosо propriis ibid. exprimitur. Scilicet cap. 52, v. 7, sic de eo legitur : *Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis salutem;* v. 10 appellantur *Salutare Dei nostri ;* v. 13 præsignificatur *exaltandus et elevandus et sublimis futurus valdè ;* v. 15, *aspersurus gentes multas*, et reges in admirationem rapturus. Cap. 53, v. 12, dicitur imperium in plurimos acceptarus, et *fortium divisurus spolia ;* ergo, etc.

Confirmatur maximè istud argumentum concentu aliorum vaticiniorum, in quibus dolores, opprobria et occisio Messiæ prædicuntur. Nempe Psal. 21, omnes passionis Christi circumstantiæ describuntur, et simul ipse exhibetur glorià conspicuus, et gentes universas ad Dei cultum adducturus. Idem quoque Messias in Daniel 9 dicitur occidendus, ibidem prænuntiatur peccata deleturus, justitiam sempiternam adducturus, visionem et Prophetiam completurus, in Sanctum sanctorum ungendus, pactum multis confirmaturus ; ergo. Accedit hanc duplicis Messiæ distinctionem nonnisi ad eludenda Christianorum argumenta esse excogitatam, et ab eâ plerosque Rabbinos hodiè recedere.

5° Tandem non minoribus laborat vitiis R. Saadiæ Gaonis sententia, juxta quam vaticinium de Jeremiâ intelligendum est, inanemque operam sumit Grotius, dùm in commentario suo in Isaiam ad sacrum Prophetiæ contextum enititur hanc aptare opinionem, quam ex parte sequitur, cæteroqui tamen sensu *sublimiori, sæpè et magis* κατὰ λέξιν (ad verbum), Christum ibi significari observans. Enimverò nonne absonè vir doctissimus, v. 4, *languores nostros ipse tulit*, etc., significari vult Jeremiam *non talia meritum mala tulisse, quæ* Judæi *erant meriti?* Supponit illa explicatio propter perpessos à Jeremiâ dolores et eorum causâ, populum calamitatibus, quas meruerat, immunem fuisse, atqui tamen constat Judæos ob iniquitates suas à Chaldæis fuisse obsessos et partim interfectos, partim in captivitatem abductos, paucissimis relictis iisque pauperrimis et itidem Chaldæorum servis; ergo. Istud pariter v. 5 : *Vulneratus est propter iniquitates nostras*, etc., malè interpretatur Grotius de peccato quo Judæi in Jeremiam desævierunt, perinde atque si esset dictum : *Malè tractatus est nostro crimine.... attritus est per nostram culpam.* Namque præpositio hebraica ibi usurpata, idem sonat ac *propter*, *ob*, nec voce *per* reddi potest. Quòd si illud hebræum vocabulum duplicem haberet intellectum, ad eum quem defendimus contextu vaticinii evidenter determinaretur, et præsertim versu 6 : *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm*, et versu 10 : *Si posuerit pro peccato animam suam*, denique v. 12 : *Ipse peccata multorum tulit.* Hinc Grotius ipse lib. 5, de Relig. christianâ, cap. 19, nobis consentiens sic verterat : *Ob nostra peccata vulneratus est, attritus ob nostra crimina.* Istud autem vers. 7 : *Non aperuit os suum... quasi agnus... obmutescet et non aperiet os suum*, quâ ratione ad Jeremiam accommodabitur? certè non modò non obmutuit Jeremias, sed contra in Phassurem, à quo in carcerem missus fuerat, mala maxima vaticinatus est, ac coram Deo gemitibus sese dedit, dieique suo natali maledixit. Dandum quidem Grotio iracundè nihil esse locutum Prophetam ; sed quid inde? hunc non peccâsse ? fatemur ; an verò sequitur illum *ad occisionem* ductum, *quasi agnum obmutuisse, et eos suum non aperuisse?* ergo. Hæc deinde v. 8 : *Generationem ejus quis enarrabit ?* quis sustinebit Grotium ita frigidè interpretantem : *Erit valdè longævus ?* Denique, ut alia plura omittam, is de quo apud Isaiam agitur, *ad occisionem ductus est*, v. 7 ; *abscissus est de terrâ viventium*, v. 8, *posuit pro peccato animam suam*, v. 10 ; *tradidit in mortem animam suam*, v. 12. Hæc autem Jeremiæ non competunt, quippe quem Judæi neci non tradiderunt, sed tantùm in carcerem et in cœnosum lacum detruserunt, unde post breve tempus ereptus est. Consultiùs igitur ac veriùs in citato L. 5, cap. 19, de Relig. christ. Grotius totam hanc Prophetiam soli Christo applicans recitatis Isaiæ verbis sic habet : *Quis potest nominari aut regum, aut Prophetarum, in quem hæc congruunt ? Nemo sanè.*

Dices cum Isaac Abravanel : Illud injustum esset, Christum pro peccatis nostris passum esse et satisfecisse; ergo, etc. Nego ant. hoc argumentum ex professo tractabitur ubi de satisfactione Christi. Interea sic adversùs Judæos arguere licet : Si Christum pro nobis satisfecisse iniquum esset maximè quia æquum non videtur ut pœnas sontibus debitas luat justus et innocens ; atqui hæc ratio Judæis et Abravanelli nulla esse debet. Quid ita ? quia hæc verba Isaiæ 53, v. 5 :

Vulneratus est propter iniquitates nostras, et alia ejusmodi, ipsi explicare coguntur de satisfactione à justo pro peccatis alienis exhibità. Hinc Abravanel, cùm Prophetiam illam Isaiæ de Josiâ explicat, ut diximus, docet non propter sua, sed propter hominum sibi coætaneorum peccata pium hunc regem periisse. R. Alschech. ad eumdem Isaiæ locum miratur Deo optimo satis fuisse pœnas à singulis peccatoribus debitas ab uno justo solvi. Tandem mox diximus à plerisque recentioribus Rabbinis statui Judæos in hâc captivitate pro delictis gentium satisfacere. Christianam ergo doctrinam de Christi satisfactionibus criminari non possunt, quin sibi ipsis contradicant.

Dices cum Orobio in tertio suo scripto n. 4 : *Vix ulla in novo Testamento capitis hujus* (53 Isaiæ) *mentio facta fuit ad comprobandum Messiæ mortem prædictam, cùm tamen nullum illustrius ex veteri Testamento potuisset adduci.* Ergo malè ad Christi passionem refertur. Resp. caput illud Isaiæ manifestè applicari Christo tum Marc. 15, v. 28, tum Act. 8, v. 32 et 33. Aliundè verò cùm *totum* (passionis Christi) *negotium*, *prout in Evangelio describitur*, fatente ibid. Orobio, *hic graphicè depingatur*, tam accurata cohærentia planè ostenderet ad hanc passionem referendum esse illud vaticinium, etiamsi à Christi discipulis eò applicatum fuisse in novo Testamento non legeretur. Silemus alias Orobii evasiones, quas præoccupavimus.

Prob. 2° ex Psalmo 21, qui Hebræis est 22. Nam ad statuendum eo Psalmo esse prædicta quæ de Christi passione et morte Evangelistæ narrant, satis est mirabilem cohærentiam illum Psalmum inter et præcipuas passionis Christi circumstantias intercedere, atque eumdem de solo Christo posse accipi ; atqui illa duo facilè evincuntur.

Ac consensio quidem Psalmi illius et Evangeliorum circa præcipuas passionis Christi circumstantias, ex ejusmodi circumstantiarum enumeratione fit evidens. Namque 1° mœstitia in quâ se mergi passus est ; terrores quibus voluit concuti, Marc. 14, v. 33 et 34; dèrelictio quam anima ejus, prout corpus respicit, experta est, Marc. 15, v. 34, in pluribus hujusce Psalmi versiculis pinguntur. Nam vers. 2, sic legitur: *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti?* Quæ verba Christus in cruce pendens protulit, v. 3 : *Deus meus, clamabo per diem et non exaudies ;* v. 15 et 16 : *Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea. Factum est cor meum tanquàm cera liquescens in medio ventris mei.* 2° Contemptus, irrisiones, opprobria quibus Christus fuit obnoxius, imò et verba quibus in cruce irrisus est, ipsosque irridentium gestus, nempe motus capitis, in eodem Psalmo legimus ex vero expressa, v. 7, 8 et 9 : *Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis ; omnes videntes me deriserunt me ; locuti sunt labiis, et* MOVERUNT CAPUT. SPERAVIT IN DOMINO, ERIPIAT EUM, SALVUM FACIAT EUM QUONIAM VULT EUM. Confer. Matth. 27, v. 39 et 43, et Marc. 15, v. 29. 3° Multitudo Judæorum à quibus Christo reclamatum est, principum hujus multitudinis adversùs eumdem furor, ac extraneorum quibus traditus fuit, præfecti videlicet et militum romanorum immanitas in illo Psalmo etiam describuntur, v. 13 et 14 : *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt super me os suum sicut leo rapiens et rugiens ;* v. 17 : *Quoniam circumdederunt me canes multi ; concilium malignantium obsedit me.* 4° Sitim quâ Christus arsit, et ejus mortem significat versus 16 : *Aruit tanquàm testa virtus mea* (seu succus vitalis), et *lingua mea adhæsit faucibus meis ; et in pulverem mortis deduxisti me.* 5° Ipsum suppliciorum Christi genus, manus scilicet ejus et pedes transfigendi, atque ossa è suo loco movenda et dinumeranda exprimuntur v. 17 et 18 : FODERUNT MANUS MEAS ET PEDES MEOS (hebraicè כארי ידי ורגלי *caari, iadai, veraglai ;* vel potiùs כארו seu כרו *caarou* aut *carou*); *dinumeraverunt ossa mea.*

Advertendum autem circa vocem *foderunt*, duplicem esse Hebræis eò loci lectionem. Kimchius, Aben Ezra, Salomon Jarchi, qui duodecimo seculo floruerunt, et alii deinceps Rabbini legendum censent כארי *caari*, quam vocem interpretantur *sicut leo*, supplentes *circumdederunt*, aut aliud simile, juxta ac si dictum esset: Impii circumdederunt sicùt leo manus meas et pedes meos. Annotat verò R. Jacob ben Chajim Massoræ restaurator, se in quorumdam correctorum exemplarium extu legisse כארו *caarou*, id est, *foderunt*, et in margine כארי *caari*. Massorethæ qui undecimo seculo videntur scripsisse, utriusque lectionis mentionem faciunt. Hi lectionem *caari* quam deinde Rabbini secuti sunt, ut germanam approbant, etsi sensu diverso, ut deinceps dicemus. Nihilominùs tamen in iis quibus utebantur exemplaribus scriptum fuisse כארו *caarou* ex eorum diserto testimonio compertum est. Scilicet in Massorâ marginali ad Num. 24, v. 9, ubi extat vox *caari*, observantes quater in Bibliis occurrere vocabulum illud *caari* atque in Massorâ textuali ibidem inter illa quatuor *caari* hoc ipsum de quo agimus recensentes, expressis verbis ac simpliciter tradunt esse scriptum כארו *caarou*. De hâc voce variare exemplaria, non dissimulant etiam modò laudati Kimchius, Aben Ezra et Salomon Jarchi. Adde Rabbinum Joannem Isaacum ad fidem christianam conversum, lib. 2 contra Lindan Andradium Defens. concil. Trid. lib. 4, Galatin. de Arcanis cathol. verit. lib. 8, cap. 17. Buxtorfium Vind. lib. 2, cap. 8. Martianæum in Defens. contra Simonium, et (1) alios testari se vidisse exemplaria in quibus habebatur *caarou*.

His observatis, dico 1° hìc legendum esse כארו *caarou*, *foderunt*. Nam qui fieri potuit ut Massorethæ in exemplaribus suis invenerint simpliciter scriptum *caarou* quæ vox Judæis adeò adversatur? Quid causæ fuit cur deinde in quibusdam libris seculo duodecimo idem legerint RR. Kimchius, Aben Ezra et Jarchi? quomodò in nonnullis exemplaribus correctis vox Hebræis tam invisa à R. Jacob ben Chajim et ab aliis modò citatis reperta est, nisi quia olim in textu pri-

(1) Vide apud Calmet dissert. circa hunc locum Psalmi 21.

migenio sic legebatur ? Is locus fuerit à Judæis de industriâ adulteratus necne, parùm interest. Non nescio potuisse amanuensium vitio in exemplaribus quibusdam unum vocabulum in aliud mutari, scribendo, י *jod*, pro ו *vau*, quod propter litterarum similitudinem facile est, et aliis in locis contingit. At sanè ex adducto Massoretharum testimonio planum est ante eorum ætatem in textum non irrepsisse *caari*, nec temerè nobis suspicari videmur eos ad ejusmodi depravationem plurimùm contulisse, dùm pro arbitrio statuerunt legendum esse *caari*, nec tametsi habebatur scriptum *caarou*. Quidquid sit, lectionem causæ suæ magis faventem tanto studio amplexi sunt Judæi, ut ad alteram in impressis Bibliis Rabbinicis omittendam ipsos bibliopolas christianos metu damni adegerint. Verùm quamdiù adducta Massoretharum aliorumque testimonia supererunt, tamdiù ex ipsis Judæorum monumentis æquus arbiter judicabit eos recentiori et vitiatæ lectioni adhærere.

Huic argumento quod ipsum subministrat Rabbinorum testimonium, tres alias adjicio rationes, quæ simul junctæ vim demonstrationis obtinent. Prima ex eo petitur, quòd si legas cum Rabbinis *caari*, et interpreteris *sicut leo*, nullus ex hoc versiculo probabilis et idoneus sensus exsculpi possit. Frustra enim cum Kimchio et Aben Ezrâ subaudiunt Rabbini, *circumdederunt*. Nusquàm leo dictus est circumdare manus et pedes alicujus, nec quidquam ridiculum magis fabulâ quàm ad reddendam absonæ hujusce locutionis rationem, fingit Kimchius. Is narrat leonem inter venandum solere caudâ suâ longum circulum describere, extra quem belluæ excurrere nequeunt; quapropter, inquit, terrore constrictæ acervatim conglomerantur, ac pedibus sub ventre collectis immotæ remanent leonisque præda fiunt. Sic, ut falsam lectionem defendat, adhuc absurdiora excogitare cogitur. Ergo absona est oratio à Rabbinis prophetæ hìc afficta, *sicut leo manus meas et pedes meos circumdederunt*. Præterea, idcircò vocem *circumdederunt* subaudiendam illi docent, quia in versu præcedenti, cui istum conjungunt, ea invenitur; at versu præcedenti habetur vocabulum *sebabouni*, *circumdederunt me*, quod proinde totum v. 18 suppleri deberet; unde ridicula isti exurgeret sententia : *Circumdederunt me*, *sicut leo*, *manus meas et pedes meos*. Nullum igitur sensum probabilem et congruum lectio Rabbinorum exhibet, proindeque, etc. Altera ratio est, apud SS Patres qui cum Judæis disputârunt (ii autem sunt multi) aut qui textum hebræum accuratiùs recognoverunt, ut Origenes et S. Hieronymus, nullum deprehendi vestigium lectionis à Judæis nunc usurpatæ. Nempe non modò ab iis legitur *foderunt*, si Tertullianum excipias, qui aliquando *foderunt* (1), aliquando *exterminaverunt* (2), sensu eodem servato, legit; sed et nusquàm vel minimùm ab illis indigitatum est aliam Judæis hìc fuisse lectionem, quamvis non soleant ejusdem generis exceptiones à Judæis adhibitas silentio prætermittere, eosque non rarò falsi accusent (1). Tertia est, septuaginta Seniores qui diù ante natam quæstionem scripserunt, Syrum interpretem qui versùs tempora apostolica floruit, Aquilam ipsum qui in gratiam Judæorum versionem suam adornavit, Origenem rerum ejusmodi indagatorem peritissimum et studiosissimum, S. Hieronymum qui Judæo in addiscendis hebræis litteris magistro usus Biblia ad fidem Hebræorum codicum summâ curâ transtulit, ipsumque Theodorum Mopsuestenum qui totum Psalmum de Davide explicat, legisse *caarou*, et vertisse *foderunt*, uno Aquilâ excepto qui eamdem vocem reddidit per ὤρυξαν, *fœdârunt*. Adde Symmachum et Theodotionem procul dubio legisse similiter; si enim legissent *sicut leo*, Patres qui adversùs Judæos scripserunt tanti momenti discrepantiam non siluissent.

Immeritò opponeres à Paraphraste chaldæo lectum esse *caari* cùm versiculum ita explicet : *Congregatio malignorum circumdedit me mordentes sicut leo manus meas*, etc. Præterquàm quòd enim in polyglottis Complutensibus et Antuerpiensibus omittuntur hæ voces *sicut leo*, neque aliundè compertum sit quo tempore scripserit is Targumista; ex illo textu videtur potiùs colligi Paraphrastem legisse *caarou* quod exposuerit *momorderunt*, vel *mordentes;* addidisse verò, *sicut leo*, furoris impiorum exprimendi causâ.

Certum ergo maneat in textu primogenito lectum fuisse *caarou* quod propriè reddendum est *foderunt*, nec nisi versùs undecim seculum lectionem alteram adhiberi cœpisse.

At fortè inquies, כארו *caarou* nihil significat : nam ut esset præteritum verbi כרה *cara fodere*, deberet scribi כרו *carou* sine א *aleph;* ergo.— Resp. in hoc difficultatem esse nullam; concedunt enim omnes litteram *aleph* epentheticè seu supra numerum additam deprehendi in pluribus Scripturæ locis, quorum longam enumerationem ipsi Judæi texunt in Massorâ magnâ.

Dico 2° etiamsi hìc legendum esset כארי *caari*, non tamen hanc vocem ibi significaturam *sicut leo*, sed potiùs *fodientes* vel *fossores*, quasi dictum esset *fodientes manus meas et pedes meos*, vel *fossores manuum mearum*, etc. (2). Hanc observationem ipsi Massorethæ indigitant, dùm monent in Massorâ marginali ad hunc locum, כארי *caari* cum puncto *camets* duobus locis reperiri in duplici diversâ significatione, et in Massorâ textuali ad Num. 24, v. 9, addunt duo ejusmodi loca esse Isaiæ 38, v. 13, et Psalm. 22, v. 17. Itaque *caari* ex Massorethis aliter Psal. 22 (nobis 21), aliter Isaiæ 38, sumitur. Sed Isai. 38 certissimum est illam vocem esse vertendam *sicut leo;* ergo Psalm. 21, juxta Massorethas, *caari* non significat *sicut leo*. Atque

(1) Lib. adversùs Jud. cap. 8, 10 et 13.
(2) Ibid. cap. 10, et l. 3 contra Marcion. cap. 19. Item l. de Resur. carn. cap. 20.

(1) S. Justin. Dial. cum Tryph.; S. Iren. l. 3 de Hæres. cap. 24, et lib. 4, cap. 25; Orig. lib. 1 contra Cels. et homil. 12 in Jerem.; S. Epiphan. de ponder. et mensur. cap. 15 et 16 et alii.
(2) Vide Morin in append. de Locis Hebræi textûs restitutis, cap. 4, et Augustum Pfeiffer in Dissert. de voce *Kari*, etc.

id quidem, positâ istâ lectione, non temerè à Massorethis esse dictum patet ex ipsâ rerum in hoc Psalmi versiculo expressarum naturâ; quæ ejusmodi est, ut nullus, quod modo ostendimus, probabilis sensus ex interpretatione Rabbinorum erui possit.

Quam igitur, inquies, aliam posset *caari* induere significationem? Responsio inpromptu est, quippè nôrunt hebraicè vel tantillùm periti כארים esse verbi כרה, *cara*, *fodere*, participium præsens plurale, vel etiam esse nomen verbale ex hoc participio formatum; nôrunt quoque nomina hebræa pluralia quæ in *im* ם, terminantur, in constructione seu syntaxi ם *mem* finale amittere. Nihil igitur vetat quominùs כארי ידי, caari iadai, *caari*, dempto scilicet *mem* finali, hìc interpretemur *fossores manuum* seu *fodientes* manus. Imò tum ratio allata, tum Massoretharum auctoritas hanc vocem alio sensu eò loci explicari non sinerent.

Cæterùm istud, quod secundo loco addidimus, ad cumulum dictum sit: nulli enim dubitamus quin legendum sit *caarou*, ut probatum est. Atque ex his liquidum fit laudato versu 18 Psalm. 21 præcipuam necis Christi circumstantiam, ipsumque mortis ejus genus perspicuè à Davide fuisse descripta.

6° Versu ejusdem Psalmi 19, Propheta exprimit Christum esse vestibus spoliandum, in cruce irridendum, ac vestimenta ejus, ut hominis extincti, dividenda inter milites, et super vestem ejus sortem mittendam. *Ipsi verò*, inquit Psaltes regius, in personâ Christi, *consideraverunt et inspexerunt me; diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.* Confer. Matth. 27, v. 35, et Joan. 19, v. 33 et 24.

7° In reliquo Psalmo Christus *fratribus* suis nomen Domini *narraturus*, Deumque *in medio Ecclesiæ laudaturus*, ac proinde resurrecturus prænuntiatur, atque universos fines terræ ad Dominum conversurus. Sed de hoc argumento inferiùs. Hactenùs ostensum est insigniores Christi passionis circumstantias in Psalmo 21 descriptas haberi, quod primum susceperamus demonstrandum.

Alterum porrò, nempe eumdem Psalmum de solo Christo posse intelligi, perinde evincitur. Nam si Psalmus ille de Christo, in quem tam benè quadrat, ad litteram non accipiatur, vel explicandus erit de Davide, ut Aben Ezra, Jarchius et ante eos Theodorus Mopsuestenus seculi quinti hæreticus, aliique nonnulli exponunt, vel de populo Israelitico in præsenti captivitate constituto, ut Kimchius censet, vel de Esthere et Israelitis ætate ejus in exilio versantibus, ut quidam opinati sunt Judæi apud Hieronymiastrum et eumdem Kimchium. Atqui omnes illæ interpretationes falsæ sunt.

Et quidem expositio quæ Psalmum 21 transfert ad Davidem refellitur 1° ex versu 18: *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea;* quæ profectò Davidi attribui non possunt, siquidem David seu à Saûle, seu ab Absalomo exagitatus, nunquàm in potestate hostium fuit, nec talia passus est. At inquit subtiliter Theodorus Mopsuestenus in 4 collatione concilii V generalis relatus, hæc metaphoricè accipienda sunt, et sensus est: *Omnia perscrutabantur, et quæ agebam et quæ conabar..... Totius meæ fortitudinis et totius meæ substantiæ defensores facti sunt, ut etiam numero mea subjicerent.* Verùm metaphoram ita duram, fodere videlicet manus et pedes et dinumerare ossa idem esse ac inquirere de operibus alicujus et bona ejus calculo subjicere, Psalti regio adscribi quis erat? Nullum sanè seu in Bibliis, seu in quovis auctore, locutionis ejusmodi hyperbolicæ exemplum reperire est. Non diffitemur verbum *fodere* quandoque transferri ad idem quod *scrutari* et *inquirere* significandum (Job. 6, v. 7; Prov. 16, v. 27, etc.), sed tunc voces adjunctæ usu recepto intellectæ metaphoram indicant; contra Psal. 21, v. 18, omnia sensum proprium sonant, nihil nos ad metaphoram ducit; ergo, etc. Refellitur 2° ex versu 19: *Diviserunt sibi vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem;* ubi certè agitur de rebus quæ hyperbolem et metaphoram non sapiunt. Atqui Davidis hostes nec ejus vestimenta inter se diviserunt nec super vestem ejus miserunt sortem. Ipso tempore quo Absalom, Davide fugiente, Jerusalem ingressus res regias invasit, factas fuisse hujus modi partitionem et sortitionem nec legitur, nec ullo pacto verisimile est. Imò nolunt Rabbini (1) licuisse privato uti ullo eorum quibus rex usus fuerat, ergo, etc. Refellitur 3° ex vers. 20, 21, 22 et 23, in quibus is cujus passio et mors antea fuerant descriptæ, perspicuè significatur resurrecturus.

Refellitur 4° ex versibus 29, 30, 31, etc., ubi non ambiguè sermo fit de *universis finibus terræ* ad Deum convertendis, de *universis familiis gentium* cum adoraturis ejusque imperio sese subjecturis, de *generatione venturâ* Domino accensendâ, et *populo nascituro quem fecit Dominus;* quæ omnia Christo Domino egregiè competunt; *nam nihil horum*, inquit Theodoretus hìc, *Davidi accidisse videmus..... Solus autem Dominus Christus, qui ex Davide formam servi accepit, omnem terram ac divinâ cognitione implevit.*

Dices. David, v. 1 et 2, sic habet: *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? longè à salute meâ verba delictorum meorum. Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies, et nocte, et non ad insipientiam mihi.* Atqui ista non conveniunt Christo, proindeque ostendunt totum Psalmum ipsi abjudicandum. Nam 1° tanta derelictio in Christum prout à Christianis colitur, cadere non potuit. 2° Christus, utpotè ob omni noxâ immunis, dicere non potuit: *Longè à salute meâ verba delictorum meorum.* 3° Si Christus est homo Deus, Dei et hominum et mediator, dici non potest clamare ad Deum et non exaudiri; ergo, etc.

Nego min. Ista enim in Christum secundùm carnem spectatum quadrant aptissimè, atque ipsi in novo Testamento et secundùm fidem christianam tribuuntur. Ad primam probat. minoris, nego antecedens. Deus dicendus est Christum pro parte carnis dereliquisse, quatenùs eum pro nobis æterno supplicio aliàs addi-

(1) Maimon. in Halacâ Melakim, et Bechai in Parasch-Schoph. Vide Ferrant. in argum. Psalmi 21.

cendis, tot tormenta tolerare passus est, posthabitis ejus animæ ut sentientis affectibus. Ad secundam probat, dist. Christus fuit ab omni noxâ propriâ immunis, concedo ; Christus peccata aliena non habuit expianda, nego. Nullum quidem peccatum Christum commisit aut committere potuit, quod et hoc ipso Psalmo v. 2 satis indicare videtur istis verbis : *Et non ad insipientiam mihi ;* quasi dictum esset : Clamo, et non exaudior, sed non propter iniquitates proprias, peccatum enim alibi insipientia appellatur. At verò Christo ut sponsori nostro aliena fuêre peccata luenda, nimirùm peccata hominum, quæ loco nostro expianda voluntariè suscepit. Hinc Isai. 53, v. 29, dicitur *peccata multorum tulisse*, Joan. 1, v. 29, nuncupatur *Agnus Dei qui tollit peccata mundi.* Hinc juxta Apost. 2, Cor. 5, v. 21 : *Eum* (Christum) *qui non noverat peccatum, pro nobis* (Deus) *peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso:* et Gal. 3, v. 13 : *Christus redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Ergo tantùm abest ut in textu objecto quidquam nostræ in Christum fidei adversum contineatur, ut potiùs ibi fundamentalis articulus doctrinæ christianæ adumbretur. Cæterùm verba objecta : *Longè à salute meâ verba delictorum meorum*, ex 70 Interpretibus, ad quorum fidem nostra Psalmorum vulgata versio edita est, desumuntur, hebræa ad litteram habent : *Longè à salute meâ verba rugitûs* seu *clamoris mei.* Ad tertiam probat., distinguo etiam : non potest clamare ad Deum, desideriis animæ suæ ut intelligentis et absolutis, concedo ; desideriis conditionalibus et affectibus animæ suæ ut sentientis, nego. Itaque anima Christi nostræ similis quantùm ad essentiam, absque peccato, spectari potest vel ut intelligens, vel ut sentiens. *Cùm dicit :* Clamabo et non exaudies, *intelligendus est*, inquit S. Thomas, 3, p., q. 1, art. 4, *quantùm ad effectum sensualitatis* (seu animæ suæ ut sentientis), *quæ mortem refugiebat.* Nempe Christus ut nostras induceret infirmitates, voluit, cùm passus est, terroribus et aliis affectibus sensibilibus, sine ullâ tamen deordinatione, concuti, quos affectus Deus non exaudivit. At verò, pergit ibid. S. doctor, *exauditur tamen* quantùm ad affectum rationis, id est, quantùm ad preces seu affectus ab animâ suâ ut intellectuali elicitos, ubi scilicet ejusmodi affectus absoluti sunt ; sed ista alibi exponuntur uberiùs. Duplex illud affectuum et orationum Christi genus ipso quem expendimus Psalmo prænuntiatur. De affectibus namque et desideriis sensitivis agitur v. 2 objecto ; de altero autem orationis genere sermo fit versibus 20 et seq. præsertim v. 25 : *Nec avertit faciem suam à me, et cùm clamarem ad eum exaudivit me.* Porrò in Evangelio prædictioni eventus respondet. Luc. 22, v. 42, Christus *orabat dicens : Pater, si vis, transfer calicem istum à me*, quæ oratio ab affectu sensitivo procedebat, nec fuit exaudita, Joan. verò 11, v. 42, commemoratur orationis species quæ semper exauditur : *Pater...., sciebam quia semper me audis*, inquit Christus, et Apost. Hebr. 5, v. 7 : *Exauditus est* (Christus) *pro suâ reverentiâ ;* ergo, etc.

Probatur 3° conclusio ex aliis compluribus vaticiniis quibus Christi passio et variæ illius circumstantiæ prædicuntur. Nam prædixerunt Prophetæ 1° futurum ut reges gentium, Judæorum principes, consilium adversùs Christum inirent. Psal. 2, v. 2 : *Astiterunt reges terræ et principes convenerunt in unum adversùs Dominum et adversùs Christum ejus.* Quæ non modò ad persecutiones contra Christi discipulos et Ecclesiam concitandas, sed etiam ad tempus ejus mortis ex parte referri debent. Et Psalm. 34, vers. 15 : *Adversùm me lætati sunt et convenerunt.* 2° Prædixerunt Messiam ab amico et familiari inimicis suis tradendum. Psal. 40, v. 10 : *Etenim*, inquit Davide figuram Christi gerens, *homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Psal. 54, v. 13 : *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique... Tu verò homo unanimis, dux meus et notus meus*, etc. Ad hæc is Messiæ proditor miserè periturus prænuntiatus est. Psal. 108, v. 5 : *Fiant dies ejus pauci, et episcopatum ejus accipiat alter*, quem locum de Judâ proditore intelligit S. Petrus, Act. 1, v. 20. 3° Prædictus est Messias vendendus, et quidem triginta argenteis Zachar. 11, v. 12 : *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* Ibid. v. 13, hæc pecunia in *templum Domini ad statuarium*, id est, quâ emeretur ager figuli, referenda et *projicienda* præsignificatur. Hæc porrò in Christo evenisse testis est S. Matthæus cap. 26, v. 15, et cap. 27, ubi versibus 9 et 10 hæc applicantur laudata Zachariæ verba. 4° Prædictus est comprehendendus ab inimicis. Psal. 58, v. 2 : *Eripe me de operantibus iniquitatem, et de viris sanguinum salva me. Quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes.* Psal. 70, v. 10 et 11 : *Concilium fecerunt in unum, dicentes : Deus dereliquit eum, persequimini et comprehendite eum, quia non est qui eripiat.* 5° Et à discipulis deserendus. Psal. 68, v. 9 : *Extraneus factus sum fratribus meis et peregrinus filiis matris meæ*; et v. 21 : *Sustinui quid simul contristaretur, et non fuit ; et qui consolaretur, et non inveni.* Similia habentur Psal. 87, v. 9 et 19, Psal. 141, v. 5 ; Isai. 63, v. 5 et Zach. 13, v. 7, ubi dicitur : *Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum ; percute Pastorem, et dispergentur oves*, etc. Quod de Messiâ R. Aben Ezra explicat, et ad seipsum Christus refert Matth. 26, v. 31. 6° A falsis testibus accusandus, Psal. 26, v. 12 : *Insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.* Psal. 40, v. 9 : *Verbum iniquum constituerunt adversùm me.* Psal. 63, v. 5 : *Exercuerunt ut gladium linguas suas... firmaverunt sibi sermonem nequam.* Omitto similia Psal. 108, v. 1 et seqq., et Psal. 139, v. 3. 7° Contumeliis afficiendus. Psal. 34, v. 16 : *Tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione, frenduerunt super me dentibus suis.* Psal. 68, v. 8 : *Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam ;* et v. 13 : *Adversùm me loquebantur qui sedebant in portâ, et in me psallebant qui bibebant vinum.* 8° Conspuendus, cædendus, opprobriis saturandus. Isai. 50, v. 6 : *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus ; faciem meam non averti ab increpantibus et con*

spuentibus in me : cap. 52, v. 14 : *Inglorius erit inter viros aspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum.* Psal. 68, v. 27 : *Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt; et super vulnera dolorum meorum addiderunt.* Thren. 3, v. 30 : *Dabit percutienti maxillam, saturabitur opprobriis.* 9° Inter contemptus et tormenta taciturus. Præter expressam antea adductam Prophetiam Isaiæ 53, v. 7, hæc ex Psalmo 37, v. 14 et 15 habemus : *Ego autem tanquàm surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum, et non habens in ore suo redargutiones.* 10° Capitis damnandus. Psal. 93, v. 21 : *Captabunt in animam justi et sanguinem innocentem condemnabunt.* Jerem. insignis Christi typus cap. 11, v. 19 : *Ego quasi agnus mansuetus, qui portâtur ad victimam ; et non cognovi quia cogitaverunt super me consilia, dicentes : Mittamus lignum in panem ejus, et credamus eum de terrâ viventium, et nomen ejus non nemoretur ampliùs.* Non omittendum est istud libri Sapientiæ fatentibus Judæis ante Christum exarati cap. 2, v. 18 : *Si est verus filius Dei, suscipiet illum et liberabit eum de manibus contrariorum. Contumeliâ et tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam ejus et patientiam illius; morte turpissimâ condemnemus eum.* 11° Pro persecutoribus et transgressoribus oraturus, etc. Psal. 108, v. 4 : *Detrahebant mihi, ego autem orabam,* Isai. 53, v. ult. : *Et pro transgressoribus rogavit.* 12° Cruci inter iniquos affigendus. Præter versum 17 Psalmi 21 jam speciatim explicati : *Foderunt manus meas,* etc., legitur Zachar. 12, v. 10 : *Aspicient ad me quem confixerunt.* Jam laudavimus illud Isaiæ 53, v. 12 : *Tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est.* Porrò crux Messiæ videtur insigniter adumbrata apud Ezech. cap. 9, v. 4 et seqq. cùm Deus piorum frontes signari jubet litterâ *Thau,* atque interficiendos decernit quotquot illo signo carerent. Nempe littera *Thau* juxta veterem usum ad Ezechielem usque figuram crucis gerebat. Hàc igitur Ezechielis visione significatum est neminem salvari, nisi crucis Christi virtus ipsi applicetur. Vide Huet. propos. 9, cap. 127, n. 4, et rursùs cap. 170, ubi varios refert typos huc pertinentes, nempè Isaaci, agni paschalis, serpentis æræi, etc. Vaticiniis ad Christi crucifixionem attinentibus quidam annumerant versum 10 Psalmi 95, ubi juxta nonnullos veteres codices Græcos, et Latinos legitur : *Dicitur in gentibus, quia Dominus regnavit à ligno.* Atque hunc locum ita exhibent vetustissimi Patres, S. Justinus, qui conqueritur has voces *à ligno* esse à Judæis deletas ; Tertull. lib. adversùs Judæos, cap. 11 et 13, et lib. 3 contra Marcionem, cap. 24 ; Arnobius, Lactantius, S. Augustinus, Cassiodorus, etc. Sed tamen, inquit Huetius, cap. 127 mox citato n. 8 : « Cùm tale nihil extet vel in exemplaribus hebraicis, vel in Targum, vel in interpretibus exoticis ; « neque ea agnoscant Symmachus, aut Theodoretus, « aut alii, nullum in hoc testimonio causæ nostræ firmamentum collocabimus. In quo quàm bonâ fide, « quàm sincerè agamus, adversarii nostri possunt « agnoscere. » 13° Messias prædictus est felle et aceto potandus. Psal. 68, v. 22 : *Et dederunt in escam meam fel, et in sitî meâ potaverunt me aceto.* 14° Vates sacri Messiam necandum præsignificaverunt. Eò enim pertinent non tantùm laudata jam Isaiæ (capite 53) et Davidis (Psalmo 21) testimonia, sed et alia multa, quæ apud Prophetas passim occurrunt. Psal. 7, David Messiæ personam sustinens, ait : *Dolores inferni circumdederunt me, prævoccupaverunt me laquei mortis.* Psal. 86, v. 5 et 6 : *Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber, sicut vulnerati dormientes in sepulcris.* Daniel. 9, v. 26 : *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus.* Zach. 12, v. 10 : *Et dolebunt super eum sicut dolere solet in morte primogeniti.* Et cap. 13, v. 7 : *Framea, suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum, percute pastorem,* etc. Horum et similium oraculorum vim agnoscens R. Simeon ben Jochai magnæ apud Judæos auctoritatis scribit Deum propter hominum peccata missurum esse Filium suum humano corpore indutum, homines verò præceptis ejus rebelles hunc esse morti tradituros.

Accedunt varii typi et figuræ Christi, quibus mors ejus adumbrata est. Tales fuêre 1°, oblatio Isaaci et immolatio arietis in ejus locum suffecti, Genes. 22, v. 9, 13. 2° Agni paschalis mactatio Exodi 12. 3° Mors pontificis, quam expectare tenebantur homicidæ involuntarii, ut ipsis in terram suam redeundi potestas fieret ; Num. 35, v. 25, de quâ figurâ Philo Judæus sermonem faciens in libro de Exulibus, ait, « hunc « Pontificem non hominem esse, sed Verbum Dei, « non spontanearum solùm, sed et involuntariarum « noxarum expers..., patrem quidem habens Deum, « matrem verò sapientiam. » 4° Occisio vaccæ rufæ, è cujus cineribus fiebat aqua expiationis juxta ritum cap. 19 Num. præscriptum ; ad hunc typum S. Paulus Hebr. 13, v. 11 et seq. alludit. 5° Hircus emissarius, cujus capiti mala sacerdotes imprecabantur, quique Israelitarum noxis veluti onustus in desertum abigebatur. 6° Omnia denique veteris legis sacrificia, quæ totidem erant figuræ sacrificii cruenti à Messiâ in cruce offerendi.

15° Demùm prænuntiatæ sunt circumstantiæ necem Messiæ juxta Evangelium subsecutæ. Nimirùm quòd non frangenda essent ejus crura ; id enim præsagiebatur ipsâ lege de non frangendis ossibus agni paschalis Messiam figurantis institutâ, Exod. 12, v. 46, et Num. 9, v. 12. Quòd latus ejus esset perfodendum, Zach. 12, v. 10. Quòd sepulcrum ejus futurum esset gloriosum, Isai. 11, v. 10. Hanc autem Christi sepulcro gloriam peperit non modò ejus resurrectio de quâ inferiùs, sed et templum insigne quo illud cinxit Constantinus imperator, ut fusè ab Eusebio narratur in vitâ ejusdem Constantini. Quòd denique anima ejus descensura esset ad inferos, piorum animas solandi et inde educendi causâ : Psal. 67, v. 7 : *Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulcris... Ascendisti in altum, cepisti captivitatem.* Osee. 6, v. 3 : *Vivificabit nos post duos dies, in die tertiâ suscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus.* Et cap. 13, v. 14. *De manu mortis liberabo*

eos, de morte redimam eos. Ero mors tua, ô mors, et morsus tuus, ô inferne. Quem locum ad Messiam applicant Judæi in Bereschit Rabba, ubi doctrina de Messiæ descensu ad inferos et captivorum liberatione, fidei nostræ consentanea traditur, ut videri potest apud Huetium, prop. 9, cap. 141, n. 3. De Messiâ quoque intelligunt Judæi caput 9 Zachariæ in quo liberatio de quâ loquimur non obscurè prænuntiatur his verbis, v. 11 : *Tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.*

Dices : Præcipuæ in hâc probatione tertiâ allatæ Prophetiæ ex Psal. 68, hebr. 69, et ex Zachariæ cap. 11, 12 et 13, excerptæ sunt; atqui nec in hoc Psalmo, nec in iis Zachariæ capitibus de Messiâ agitur. Etenim hæc ipsa verba Psal. 68 : *Dederunt in escam meam fel*, Christo non conveniunt, quippe cui non in escam, sed in potum fel datum est; congruunt verò ad Davidem, siquidem ut advertit Theodorus Mopsuest. in concilio generali V revelatus Davidi Absalomum fugienti cibus et potus instar aceti et fellis præ tristitiâ esse debuerunt. Imò et in Israelitas Babylone captivos integer ille Psalmus etiam quadrat, ut exponunt Targumista et Theodoretus. In laudatis autem cap. 11 et 12 Zachariæ ad ipsa hujus Prophetæ tempora, vel ad Machabæorum ætatem respicitur, et in 13 de falso Prophetâ sermo est; ergo, etc.

Nego minorem. Nam quod ad Psal. 68 attinet, perspicuum est in eo describi tum Christi passionem, tum calamitates quas ob necem Christo illatam passi sunt Judæi, tum legis novæ institutionem. (Vide eâ de re commentarium Ferrandi.) Nec obstat Christo non fuisse datum fel in cibum solidum; quippe *esca* nomen est generale quo potest designari quidquid in alendum et sustentandum sumitur. Præterea fel catenùs in escam dari potest, quatenùs ejus succo possunt infici quæ ad alimoniam parata sunt; ergo, etc. Theodoretus porrò partem Psalmi ad Christum transfert. Ad Judæos verò in Babyloniâ exules Davidem non respexisse probant versiculi complures, in quibus persona singularis propriè pingitur. Quantùm ad Zachariam, plura in capitibus citatis occurrunt quæ ad tempora Christi, ad ultimam Jerosolymorum conflagrationem, ad rejectionem et dispersionem populi Judaici solummodò referri possunt, non ad tempora Zachariæ aut Machabæorum. Imò facillimè cuncta Christo Domino accommodantur, si Jerusalem de quâ nonnullis in versiculis ibi agitur, de Ecclesiâ Christi intelligamus, quod antecedentium et consequentium connexio et series exigere videntur. Volunt Rupertus et alii versus 3, 4, 5 et 6 capitis 13, in quibus Prophetam à patre suo et matre suâ confixum Zacharias describit esse intelligendos de Christo, quem populus Judaicus et Synagoga cruci affixerunt ut falsum prophetam. Sed potiùs ibi exprimitur pseudoprophetas è Christi regno, nempe ex Ecclesiæ sinu ejiciendos. Quidquid sit, versus 7, quem adduximus : *Framea suscitare super Pastorem meum*, etc., necnon reliquum caput, manifestè ad Christum spectant.

Cæterùm, etsi de Zachariæ aut Machabæorum ætate in ejusmodi capitibus sermo fieret, nihilo tamen minùs quæ ex illis excerpta Christo accommodavimus in ipsum ad litteram caderent. Scilicet cùm Messias esset Prophetarum spes et expectatio, totâ lege prænuntiaretur cujus erat unicus finis, nullum ipsius exprimendi locum sacri vates prætermittere debuerunt. *Is opportunè à Prophetis*, inquit Bossuetius, *semper ex primebatur, ad quem cuncta oracula et universa lex tendebant.* Hinc in sermonibus de aliquâ Christi figurâ institutis nonnulla immiscere solent Prophetæ, quæ ad ipsum Christum immediatè pertinent, orationem à typo, ut aiunt, ad veritatem transferentes quod tunc fieri præsertim dignoscitur, ubi ea quæ exprimuntur, in rem, non in typum immediatè quadrant. Itaque cùm versiculi Zachariæ in tertiâ probatione adducti ad alium quàm ad Christum juxta litteram referri nequeant, sequeretur illos esse de ipso intelligendos, etsi, quod nullo modo concedimus, capita ex quibus excerpti sunt ad eum majori ex parte directè non spectarent.

§ 4. *De vaticiniis quibus resurrectio et ascensio Messiæ, necnon Spiritûs sancti diffusio prædictæ sunt.*

Conclusio. Quæ de Christi resurrectione et ascensione, ac Spiritûs sancti diffusione in Evangelio et in Actibus Apostolorum narrantur, ea à Prophetis præsignificata fuerant.

Prob. Nam 1°, quod ad resurrectionem attinet, notissimus est ejus typus in mirâ Jonæ ab aquis post diem tertium liberatione. Prædicitur insuper resurrectio Christi Psal. 15, v. 9 et seq. : *Caro mea requiescet in spe, quoniam non derelinques animam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecistis vias vitæ ; adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo, delectationes in dexterâ tuâ usque in finem.* Circa quem locum legenda est concio S. Petri Act. 2, v. 26 et seq., in quâ certò probat Apostolorum princeps istud vaticinium de Davide intelligi non posse, sed de uno Jesu Christo quem Deus suscitavit à mortuis. Idem argumentum urget S. Paulus Act. 13, v. 35 et seq. ; et certè quisnam esse potest ille *Sanctus* Dei, corruptionem non visurus, nisi is ipse quem Daniel cap. 9, v. 24, *Sanctum sanctorum* appellavit ? cuinam *delectationes in dexterâ Dei* promissas esse dicas, nisi cui Deus dicit Psal. 109, v. 1 : *Sede à dextris meis?* Ipsi Judæi in Midrach Thehillim Messiam hîc præsignatum agnoscunt, ut et auctor libri qui inscribitur *Anima sapientis.* Ad idem mysterium pertinet etiam laudatus jam versiculus 10 capitis 11 Isaiæ : *Ipsum gentes deprecabuntur et erit sepulcrum ejus gloriosum.*

2° Ascensum Christi in cœlum, ejusque in Patris dexterâ sessionem multis in locis Psaltes regius prænuntiat. Psal. 15, v. ult. : *Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo, delectationes in dexterâ tuâ usque in finem.* Psal. 23, v. 7 : *Elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ.* Psal. 46, v. 6 : *Ascendit Deus in jubilo, et Dominus in voce tubæ.* Psal. 47, v. 19 : *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem ;* et v. 34 : *Psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli ad orientem.* Psal. 109, v. 1:

Dixit Dominus Domino meo : Sede à dextris meis. Succinit Daniel, cap. 7, v. 13 et 14 : *Ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit ; et in conspectu ejus obtulerunt eum, et dedit ei potestatem et honorem et regnum ; et omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient ; potestas ejus, potestas æterna*, etc.

3° Spiritum sanctum Messiæ beneficio diffundendum legimus apud Ezech. 36, v. 26 et 27 : *Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri, et auferam cor lapideum de carne vestrâ, et dabo vobis cor carneum, et Spiritum meum ponam in medio vestri.* Et apud Joel. 2, v. 28 et 29 : *Effundam Spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri*, etc. ; *sed et super servos meos et ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum.* Quæ prophetia in die Pentecostes Act. 2, v. 16 et seq. effectum sortita est, eamque ad tempora Messiæ referendam patet tum ex his verbis Joelis citato cap., v. 32 : *In monte Sion et in Jerusalem erit salvatio ;* tum quia ibi agitur de diffusione Spiritûs sancti mirum in modum singulari ; tum quia consentientes habemus Rabbinos Saadiam Gaonem in lib. Fidei, Machir in Pulvere aromatico, aliosque celeberrimos. Eòdem spectat Zacharias cap. 12, v. 10 : *Effundam super domum David et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ et precum, et aspicient ad me quem confixerunt. Et plangent eum*, etc. Similia videre est apud Isaiam cap. 44, v. 3 ; et cap. 59, v. 21, etc.

Quæ à Judæis in historiam Evangelicam de resurrectione et ascensione Domini opponi possunt, eadem à gentilibus et ab incredulis objiciuntur, atque infra aptiùs diluentur, ubi ejusmodi historiæ demonstrabitur certitudo.

§ 5. *De sacerdotio, mediatione, prophetæ titulo, divinitate et variis dotibus personæ Christi secundùm Prophetas et novum Testamentum competentibus.*

Conclusio. Messias ex utroque Instrumento Sacerdos, Hostia, Salvator et Redemptor hominum, Justus et Justitia, Sanctus Dei, Propheta major Moyse Homo, Deus.

Probatur per partes. 1° Ex utroque Instrumento Messias est Sacerdos, et quidem novi et præcellentis ordinis Psal. 109, v. 4 : *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.* Hunc autem Psalmum de solo Messiâ posse explicari evidentissimum est, et à Judæis olim receptum. Vide Huetium, prop. 7, n. 14, ubi eruditè et accuratè de hoc argumento disserit. Observa autem cum Apost. Hebr. 7, eò loci Christum 1° cum jurejurando institui sacerdotem ; 2° sacerdotem in æternum ; 3° sacerdotem non secundùm ordinem Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedech, qui eximius fuit Christi Domini typus. Et verò, cùm Christus juxta Prophetas ex tribu Juda et ex Davide esset nasciturus, non poterat esse sacerdos leviticus et secundùm Aaronis ordinem. Novi igitur et præcellentis instituti sacerdos in æternum debuit esse Messias juxta prophetiam Davidis. Id porrò impletum est in Christo Jesu. *Hic*, inquit Apost. mox citato capite 7 Epist. ad Hebr., v. 24 et seq., *eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium... Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens,... qui non habet necessitatem quotidiè quemadmodùm sacerdotes, priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi ; hoc enim fecit semel seipsum offerendo. Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes ; sermo autem juris jurandi, qui post legem est ; Filium in æternum perfectum ;* cap. 9, v. 12 : *Per proprium sanguinem introivit semel in sancta ;* et cap. 10, v. 12 : *Unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dexterâ Dei.* Similia habentur passim in hâc Epistolâ. Ad sacerdotium Christi referri etiam potest istud Psalmi 34, quem de Messiâ Christiani et Judæi summâ consensione exponunt : *Unxit te, Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Nam apud Hebræos triplex personarum genus ungebatur, reges, sacerdotes, et prophetæ ; quæ triplex unctio Christo Domino afferenda : siquidem, sacerdos fuit, ut modò diximus, eum verò prophetam et regem fuisse mox aperiemus.

2° Messias juxta Prophetas et novum Instrumentum est oblatio, victima, Redemptor hominum, Mediator, Salvator. Job. 19, v. 25 : *Scio quòd Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terrâ surrecturus sum.* Isai. 45, v. 8 : *Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum, aperiatur terra, et germinet Salvatorem.* Quo in loco liquidum est prophetam à Cyro, de quo versibus antecedentibus locutus fuerat, ad Messiam sermonem transtulisse. Ibid. cap. 49, v. 6 : *Dedi te in lucem gentium, ut sit salus mea ad ultimum terræ.* Cap. 53, v. 5 et seq. : *Attritus est propter scelera nostra.... et livore ejus sanati sumus... Oblatus est quia ipse voluit.... et iniquitates eorum ipse portabit.... Peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.* Adde alia innumera testimonia in quibus Messias ab Isaiâ dicitur Salvator, Redemptor, Liberator, etc. Zach. 9, v. 11 : *Tu quoque in sanguine testamenti emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.* Ubi Messiam significari tradunt Talmudistæ et R. Salomo Jarchi. His porrò respondent quàm plurima novi Testamenti loca. Luc. 1, v. 68 : *Fecit redemptionem plebis suæ.* Matth. 26, v. 28 : *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Similia leguntur Marc. 14, v. 24 ; Luc. 22, v. 20, et 1 Cor. 11, v. 25 et seq. S. Paulus Rom. 5, v. 9 : *Christus*, inquit, *pro nobis mortuus est ;.... justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab irâ per ipsum.* Gal. 1, v. 4 : *Dedit semetipsum pro peccatis nostris.* 1 Tim. 2, v. 5 : *Unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Hebr. 10, v. 12, Christus sacerdos dicitur semetipsum *pro peccatis obtulisse hostiam*, etc.

3° Messias est pariter justus et justitia, sanctus et electus Dei.

Justus quidem sine addito et *Justitia* nominatur. Isai. 45, v. 8 : *Nubes pluant Justum*, cap. 51, v. 5 : *Prope est Justus meus.* Jerem. 23, v. 5 et 6 : *Suscitabo David germen justum.... et hoc est nomen quod vocabunt*

eum : Dominus justus noster, cap. 33, v. 15 : *Germinare faciam David germen justitiæ.* Malach. 2, v. 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ.* Vide et Isai. 53, v. 11, cap. 62, v. 1 et 2 Zach. 9, v. 9, etc. Jam verò Christus pluries etiam in novo Testamento nomine Justi designatur. Act. 3, v. 14 : *Vos autem Sanctum et Justum negâstis.* Ibid. 7, v. 5 : *Occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu Justi.* Cap. 22, v. 14 : *Deus patrum nostrorum præordinavit*, etc., *ut... videres Justum.* Jacobi 5, v. 6 : *Occidistis Justum*, etc. Dicitur etiam *factus justitia*, 1 Cor. 1, v. 3. Messias nuncupatur *Sanctus* per antonomasiam. Psal. 4, v. 4 : *Scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum.* Psal. 15, v. 10 : *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Isai. 12, v. 6 : *Magnus in medio tuî Sanctus Israel.* Daniel 9, v. 24 : *Ut... ungatur Sanctus sanctorum.* Quibus in novo Testamento cohærent ista, Luc. 1, v. 35 : *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*, Act. 3, v. 14 : *Vos autem Sanctum et Justum negâstis ;* et cap. 4, v. 27 : *Convenerunt verè in civitate istâ adversùs sanctum puerum tuum Jesum quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus*, etc. Apocal. 3, v. 7 : *Hæc dicit Sanctus et verus, qui habet clavem David*, etc. Denique Isaiæ 42, v. 1, Messiam Deus appellat Electum suum in quo ipse complacet. *Ecce servus meus*, inquit, *suscipiat eum ; Electus meus, complacuit sibi in illo anima mea ;* quod ad Christum congruit, cui Pater æternus, Matth. 3, v. 17, de cælo ait : *Hic est Filius meus in quo mihi complacui ;* et 1 Petr. 2, v. 4, Christus dicitur à *Deo electus.* Ergo.

4° Prophetam non modò Moysi similem, sed etiam majorem Moyse Messiam esse debuisse, apparet ex collatis pluribus vaticiniis. Deut. 18, v. 15 : *Prophetam*, inquit Moyses, *de gente tuâ, et de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus ; ipsum audies.* Et v. 18, ipse Dominus ait : *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tuî, et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos quæcumque mandavero ei ; qui autem verba ejus quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego ultor existam :* quæ Act. 3, v. 22, et cap. 7, v. 37, ad Christum referunt SS. Petrus et Stephanus in concionibus ad Judæos publicè habitis : unde colligere est Judæis tum persuasum fuisse ista spectare ad Messiam. Hanc prædictionem de Messiâ quoque intellexit consarcinator libri *Midrasch Coheleth*, seu *Expositio mystica Ecclesiastæ*, ad v. 9 capitis 1, dùm scripsit *qualem primum redemptorem* (Moysen), *talem futurum redemptorem postremum* (hoc est, Messiam). Res verò ipsa hanc interpretationem suadet. Nam neque Josue, neque Prophetarum ullus fuit Propheta similis Moysi ; quod et Scriptura testatur Deuteron. 34, v. 10 : *Non surrexit ultra Propheta in Israel sicut Moyses, quem nôsset Dominus facie ad faciem, in omnibus signis atque portentis.* Propheta igitur similis Moysi ab illo legislatore prænuntiatus, ipse est Messias. At non tantùm similis, sed et major esse debuit, tum ratione prædictionum et prodigiorum, tum ratione doctrinæ et fructuum, ut ex plurimis prophetiis jam allatis, et ex aliis paragrapho sequenti, de vocatione gentium et novæ legis sanctione afferendis manifestum est. Messiæ summam vim propheticam Talmudistæ quoque adscribunt, eumdemque patrandorum miraculorum potestate Moysi fore superiorem traditur etiam in Talmude et in Midrasch Coheleth ; quin et mortuos ad vitam ab eo revocandos scripsit R. Levi ben Gerson. Denique affirmant Judæi gentes ipsius ministerii et doctrinæ efficaciâ ab idololatriâ ad Dei cultum convertendas. Ergo ex scriptis propheticis et ex Judæorum consensu Messias debuit esse Propheta non modò similis, sed et major Moyse.

Atqui Christus Jesus fuit is propheta. Nam similis fuit Moysi, cùm legem novam instituerit et tradiderit, quemadmodùm veterem promulgaverat Moyses. Præterea dubitare non licet quin Moyses Christi typus insignis fuerit ; de quâ similitudine Moysem inter et Christum intercedente plura lege apud Euseb., lib. 3 Demonstr. evang. Christum porrò fuisse prophetam Moysi superiorem facilè evincitur. Is enim fuit propheta major Moyse, qui plura et majora miracula patravit, plures et insigniores edidit prophetias, sublimiorem et perfectiorem tradidit doctrinam, eamque multò pluribus persuasit ; atqui Christus, etc.

1° Seu numerus, seu splendor, seu modus, etc., miraculorum attendatur, majora Christus patravit miracula quàm Moyses. Et quidem major numero. Nam Judæi miracula solummodò septuaginta sex Moysi tribuunt horumque ita difficulter explent numerum, ut nonnulla gratis in plura dividant, quædam naturalia ut supernaturales effectus venditent, aliqua etiam confingant, v. g., Moysem esse mortuum in ore Domini, atque ejusmodi conficiendis miraculis insumpti sunt à Moyse 40 anni, Christus verò trium quatuorve annorum spatio prodigiosum edidit miraculorum numerum, ut ex Evangelistis constat ; ergo, etc. Majora etiam ratione splendoris et varietatis. Omne siquidem genus morborum Christus curavit ; cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, leprosis munditiam, paralyticis sanitatem restituit ; mortuos ad vitam revocavit ; dæmonia è multorum corporibus ejecit ; super aquas ambulavit ; motus maris compescuit ; panes multiplicavit ; seipsum à mortuis suscitavit ; in cœlos videntibus discipulis ascendit, eosdemque discipulos misso Spiritu sancto, ut promiserat, *virtute ex alto*, roboravit. Quid quòd similium, imò aliquâ ratione majorum discipulis impertitus est miraculorum patrandorum auctoritatem maximam, quâ ipsi frequentissimè usi sunt (1). Numquid in miraculis Moysis tantus splendor elucet ? ergo, etc. Majora ratione modi quo patrata sunt. Moyses miracula operabatur per intervalla tantùm, non per virtutem sibi perpetuò inhabitantem : Christus verò ubicumque et quandocumque volebat, seu præsens, seu absens, solo nutu miracula patrabat, ut ex pluribus exemplis compertum est. Majora denique ratione effectuum subsecutorum. Hebræis legem dedit Moyses, at nullam aliam gentem suis miraculis

(1) Matth. 10, v. 1, 5 et 8 ; Marc. 16, v. 15 et 17 ; Luc. 10, v. 17 et seq. ; Joan. 4, v. 11 et 12 ; in Actibus Apost. sæpissimè ; Rom. 15, v. 18 et 19 ; 1 Cor. 12, v. 12 ; Hebr. 2, v. 3, etc.

ad veri Dei cultum adduxit; Christi verò miraculis idola eversa sunt, et orbis universus ad fidem conversus; ergo, etc.

2° Plures Christus et insigniores edidit prophetias quàm Hebræorum legislator. Nam paucæ in Pentateucho leguntur prophetiæ : plurimæ verò in Evangeliis edisseruntur, quas novimus esse completas. Christus enim non semel passionem suam et mortem prædixit necnon utriusque circumstantias, Matth. 16, v. 21, et alibi sæpiùs. Prædixit se à Petro negandum, à discipulis deserendum, Matth. 26, v. 31 et seq., etc. Prædixit se vitæ post tres dies restituendum, Matth. 12, v. 39 et 40. Ibid. 16, v. 22 et aliis in locis. Prædixit Jerosolymorum cladem, templi conflagrationem, ac ejusmodi rerum adjuncta Matth. 24, v. 1, Luc. 19, v. 41 et seq., et alibi. Prædixit discipulos suos exagitandos, odio habendos, morti tradendos, Matth. 10, v. 16 et alibi. Prædixit quâ morte Petrus esset moriturus, Joan. 21, v. 17 et 18. Prædixit maxima miracula à discipulis suis edenda, Marc. 16, v. 17 et seq. et alibi. Prædixit discipulos suos futuros sibi *testes in Jerusalem, et in omni Judæâ, et Samariâ, et usque ad ultimum terræ*, Act. 1, v. 8. Prædixit gentes Evangelium recepturas, Joan. 10, v. 16. Prædixit Ecclesiæ suæ caput visibile futurum S. Petrum et ejus successores, Matth. 16, v. 18. Prædixit portas inferi adversùs Ecclesiam pugnaturas, sed non prævaliturus, ibid. Prædixit ab Apostolis eorumque successoribus doctrinam evangelicam annuntiandam, et sacramenta administranda usque ad consummationem seculi, Matth. 28, v. 19 et 20, 1 Cor. 11, 36, etc.

3° Doctrinam tradidit sublimiorem et sanctiorem. Nempe altissima ad Divinitatis essentiam pertinentia arcana hominibus revelavit; solâ bonorum æternorum spe homines sibi devinxit; inimicos etiam diligi, uxorem non dimitti, crucem ferri præcepit; præceptis decalogi concilia sanctissimâ addidit; cultum spiritualem, per se Deo placentem, homines edocuit; ergo, etc.

4° Multò pluribus veram doctrinam suasit. Scilicet virtute fidei christianæ, gentes ad unius Dei cultum adductæ sunt; lex verò Moysis nec ab Ægyptiis, nec ab aliis populis, sed solùm ab Israele et quibusdam proselytis recepta est; ergo, etc. Itaque Christus, ut de Messiâ prænuntiatum fuerat, Propheta fuit similis Moysi, et ipso major.

Quæ à Judæis Moysem inter et Christum comparationem institui ægrè ferentibus moventur vitiligationes earum solutio patebit ex dicendis.

5° Messias debuit esse homo ex Prophetis : Isai. 7, v. 14 : *Ecce Virgo concipiet et pariet filium.* Cap. 9, v. 6 : *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis.* Cap. 52, v. 14, Messias computatur *inter viros*, et *inter filios hominum.* Cap. 53, v. 3, necnon Jerem. 32, v. 2, appellatur *vir;* et apud Danielem, cap. 7, v. 13, *filius hominis.* Psal. 21, v. 23, et Psal. 68, v. 9, inducitur homines vocans fratres suos; ac tandem naturâ humanâ præditum fore Messiam arguunt pariter quæ de ejus paupertate, passione et morte Prophetæ edisserunt; neque id inficiantur Judæi. Atqui Christum fuisse hominem, habuisse homines ut fratres, appellatum fuisse filium hominis, etc., notum est ex Evangelistis; ergo.

6° Messias secundùm Prophetas futurus erat servus Dei, Isai. 42, v. 1, cap. 43, v. 10, cap. 49, v. 5, cap. 52, v. 13, cap. 53, v. 11. Idque ex eo etiam sequitur quòd et homo, et sanctus ac justus, ut diximus, esse debuerit. Porrò, docet S. Paulus, Philipp. 2, v. 7, Christum Jesum *formam servi accepisse;* ergo.

7° Messias juxta vates sacros est Deus, quod triplici argumento conficitur.

Primum petitur ex nomine et attributis Dei quæ Messiæ à Prophetis adscribuntur. Psal. 44, quem chaldæus Paraphrastes, Kimchius, Arama, et ferè omnes Rabbini de uno Messiâ interpretantur, quemque de eo solo, non de Salomone, explicari posse ex toto contextu manifestum est, sic habetur versibus 7 et 8 : *Sedes tua, Deus, in seculum seculi, virga directionis, virga regni tui; dilexisti justitiam et odisti iniquitatem; propterea unxit te, Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Audis Messiam, seu illum qui præcellenti oleo à Deo unctus est, vocari *Deum* sine addito, et *Deum* cujus *sedes in seculum seculi.* Psal. 109 : *Dixit Dominus Domino meo : Sede à dextris meis.* Ubi Messiam de quo hunc Psalmum intelligi jam diximus, David appellat Dominum suum, sedentem à dextris Domini. Isai. 7, v. 14 : *Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel*, id est, *nobiscum Deus.* Hic Messiæ divinitas simul et humanitas expressæ habentur Isai. 9, v. 6 : *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis.* Iterùm perspicuè exprimuntur eò loci natura divina et natura humana Messiæ. Absona enim Talmudistarum in lib. Sanhedrin, priscorum quorumdam Judæorum apud SS. Hieron. et Cyrill. Alexandr. in cap. 7 Isaiæ, necnon Davidis Kimchi interpretatio, eò loci dicta ad Ezechiam filium Achasi referentium. Tot quippe dotes, tanta nomina in principem vulgarem, in purum hominem non cadunt.

At, inquiunt, vox אל *el*, quam reddimus *Deus*, hic significat *fortem.* Contra : hanc significationem excludit tum vox גבור *gibbor*, *fortis* quæ statim additur; tum 70 Interpretum auctoritas, qui vertunt Θεὸς; tum usus nominis *el*, quod in Scripturis, si excipias versum 11 capitis 31 Ezechielis, semper Deum designat, ut rectè annotavit Pagninus in Thesauro linguæ sanctæ, quodque sequenti Isaiæ capite 21 junctum, ut in textu allato, voci *gibbor*, *fortis*, manifestè ad Deum refertur. Vide Huet. prop. 9, cap. 25, n. 1.

Deum hoc loco apertè significari perspiciens R. Salomo Jarchi aliam solutionem commentus est. Opponit in hebræo scribi ויקרא *vajicra*, quod significat, *et vocabit*, non verò, *et vocabitur*, vertendam proinde : *Et vocabit nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, principem pacis;* ita ut sensus sit parvulum de quo sermo est, *principem pacis*

esse nominandum à Deo admirabili, consiliario, forti, etc. Alii cuncta hæc nomina referunt ad Deum, ac si dictum esset : Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, etc., vocabit nomen ejus, seu nomen illi imponet. Sed 1°, 70 Interpretes, Symmachus, etc., legunt *vocabitur;* Aquila vertit *vocatus est*, juxta Euseb. Demonstr. evang. lib. 7. Idem chaldæus Paraphrastes et Maimonides Epist. ad Afric. à quibus omnia hæc nomina Messiæ soli tribuuntur. Eamdemque sequuntur lectionem Talmudistæ, Kimchius ut alii, quos modò diximus hunc locum de Ezechiâ esse interpretatos. 2° Vox hebræa quam Jarchius exponit *vocabit*, sæpissimè sumitur impersonaliter, et reddenda est *vocabitur*, gallicè, *on appellera*. 3° Neutra Rabbinorum recentiorum interpretatio defendi potest. Et ut à posteriori incipiam, quoties in Scripturis legimus, *vocabit nomen ejus*, vel *vocabitur nomen ejus*, vel *voca nomen ejus* (id autem sæpè contingit), totics nomen dandum in particulari appellatur; ergo, etc. Priorem autem explicationem, quæ Kimchii et Jarchii est, abjiciendam fatcantur Hebræi, vel assignent quam ob causam ex sex nominibus deinceps et sine ullâ distinctionis notâ in hebræo positis, quinque priora nominativo accipienda sint, et posterius accusativo casu; etenim de iis ad arbitrium statuere non licet. Porrò, ut Huetius observat prop. 9, cap. 25, n. 2 : « Quo « nobis approbabunt (Judæi) argumento, hoc potiùs « modo intelligendum esse locum hunc : *Et admi-* « *rabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri se-* « *culi, vocabit eum principem pacis*, quàm isto : *et* « *admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, vocabis eum* « *Patrem futuri seculi, principem pacis;* vel illo : *et* « *admirabilis, consiliarius, vocabit eum Deum fortem,* « *Patrem futuri seculi, principem pacis;* aut hoc deni- « que : *et admirabilis vocabit eum consiliarium, Deum,* « etc.? » ergo, etc.

Idem Isaias cap. 35, v. 4, de Messiâ loquens : *Deus ipse veniet*, inquit, *et salvabit vos.* Item cap. 40, v. 3 : *Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri;* et v. 9 : *Dic civitatibus Juda : Ecce Deus vester, ecce Dominus in fortitudine veniet*, etc. Jerem. 23, v. 5 et 6 : *Suscitabo David germen justum... et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Hebraicè est *Jehova*, quod est nomen Dei proprium. Eadem repetuntur cap. 33, v. 15 : *Germinare faciam David germen justitiæ... et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus* (Jehova) *Justus noster.* Perspicua sunt ista; unde hæc habet ipse auctor *Sepher Ikkarim* lib. 2, cap. 28 : *Vocat Scriptura nomen Messiæ Deum justitiam nostram.* Messias igitur debuit esse germen Davidis, seu homo, et simul Dominus, Deus, Jehova. Zachar. 12, v. 10 : *Effundam super domum David et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ et precum; et aspicient ad me quem confixerunt.* Ubi agi de Messiâ cruci affixo jam diximus. Is igitur est auctor gratiæ, ac proinde Deus. Frustra opponeres Rabbinos legere, *aspicient ad eum;* tum quia idem est sensus, si quidem sæpè in Scripturis hebraismi similes occurrunt; tum quia septuaginta Interpretes, versiones Syr. et Arab. Talmudistæ in lib. Sucah, Jonathan ben Uziel apud Jarchium, R. Hadarsan in Bereschith rabba, etc., non legunt *cum*, sed *me*, quos secutus est Aben Ezra. Mich. 5, v. 2 : *Egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* Malach. 3, v. 1 : *Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam, et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis*, etc., quo in loco Messiæ adjudicantur characteres Dei summi, quòd scilicet ipsi sit templum, quòd Prophetarum sit inspirator, quòd ut supremus Dominus mittat Angelum suum qui sibi viam paret.

Secundum argumentum iis suppeditatur locis in quibus Messias dicitur verus et proprius Dei filius ab æterno genitus. Psal. 2, v. 7 : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu,* EGO HODIE GENUI TE. Quæ sanè verba non filium duntaxat adoptivum, sed proprium et naturalem, itemque æternum, significant. Nihil enim aptius et splendidius hoc loquendi modo : *Ego hodie genui te*, ad generationem æternam designandam; scilicet quod æternum est, ut observant non modò veteres Ecclesiæ doctores, sed et antiqui philosophi, ac Philo Judæus in tract. de Immutabilitate Dei, semper idem est ac præsens, atque æternitas in uno *hodie* propriè est posita.

Negant recentiores Rabbini, Lipmannus in *Nitzachon*, Jarchius, etc., Psalmum hunc esse de Messiâ explicandum. Sed 1°, quæcumque in hoc Psalmo continentur, in Messiam aptissimè quadrare evidentissimum est, ipsique Fatentur Kimchius et Grotius, licet de Davide ad litteram illum exponere conentur. 2° Ad alium quàm ad Messiam ille Psalmus transferri non potest, namque ut omittam versiculum 7 mox laudatum, quo pacto de Davide expones vers. 8 : *Postula à me; et dabo tibi gentes hæreditatem tuam et possessionem tuam terminos terræ*, et alia quæ ibi leguntur? 3° Suffragantur veteres Judæi, Talmudistæ in lib. Sucah. cap. 5, R. Moses Hadarsan in Bereschith rabba ad cap. 37, v. 22. Saadias Gaon ad v. 13 capitis 7 Danielis, R. Simeon in Jalcut, auctor libri inscripti Animæ sapiens, et Midrasch Thehillim. Hanc veterum Magistrorum expositionem non dissimulat Jarchius in hunc Psalmum scribens, cujus verba maximè notanda sunt : *Majores nostri,* inquit, *ad Regem Messiam Psalmum hunc totum referebant : oportet tamen eum referre ad Davidem juxta apparentem sententiam sonumque verborum, propter hæreticos*, id est, Christianos. En habes ex Jarchio quâ de causâ ipse et alii recentiores Rabbini Psalmum 2 de Messiâ explicare renuant, nempe ob odium quo in christianam religionem moventur.

Psal. 109, v. 1 et 4, Messiam ab æterno et ex substantiâ Dei genitum David iterùm splendidè exprimit his verbis : *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis... ex utero ante luciferum genui te.* Ita habent septuaginta Interpretes, Syrus, Arabs, Vulgatus. In Hebræo ad litteram legitur : *Ex utero ab aurorâ tibi ros nativitatis tuæ.* Eruditissimus Houbigantius Oratorii Jesu presbyter in Psalterio suo hebraico, novæ et à punctis liberæ quam parat Bibliorum hebraicorum editionis cunctis rerum ejusmodi studiosis maximo

perè expectatæ prænuntio, censet expungenda hæc vocabula *tibi ros*, et rejectis punctis vertendum cum Vulgatâ, *ex utero ante luciferum genui te;* quia voces illas omittunt mox citatæ versiones Græcâ, Syriaca, Arabica, et codices manuscripti. Cæterùm orationis contextu satis declaratur sensum verborum à 70 Viris fuisse accuratè redditum. Eò referri debet illud Michææ 5, v. 2, ubi prædictâ Messiæ nativitate Bethleemi, additur, *Et egressus ejus ab initio à diebus æternitatis;* et istud. Proverb. 8, v. 22 et seq.: *Dominus possedit me* (sapientiam seu verbum) *in initio viarum suarum, antequàm quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequàm terra fieret. Nondùm erant abyssi, et ego jam concepta eram... Cum eo eram cuncta componens*, etc. Ex quibus colligendum est præter nativitatem temporalem quæ Messiæ ut homini competit, aliam juxta Prophetas ipsi ut Verbo Dei adscribendam, scilicet generationem æternam, quâ Dei est naturâ Filius, ac proindè Deus.

Tertium argumentum ex eo desumitur quòd peritiores è veteribus Judæis Messiam esse Deum non obscurè significaverint. In Judæos hîc afferre licet auctoritatem librorum Sapientiæ et Ecclesiastici, qui etsi canone non includantur, attamen ut genuini et longè ante Christum natum exarati, meritò ab ipsis spectantur, et inter agiographos computantur. His porrò in libris Verbum divinum exhibetur ut persona divina et distincta, Sap. 18, v. 15: *Omnipotens sermo tuus de cœlo à regalibus sedibus durus debellator.... prosilivit.* Eccli. 1, v. 4 et seq., Sapientia dicitur omnia præcedere, et à Deo omnipotente *prior omnium creata*, seu procedens. Iisdem in libris passim tribuuntur Verbo apparitiones Patriarchis factæ, maris Rubri transitus, colloquia cum Moyse, etc., quæ ad Deum Scriptura refert. Ergo auctores ejusmodi librorum Verbum ut personam divinam et distinctam à Patre, ac proindè Messiam ut Deum habuèrunt. Adhùc manifestiùs loquuntur Targumistæ. Ii 1° sæpissimè Verbi mentionem faciunt, quod *memra Jehovæ, Verbum Dei* appellant, et distinguunt à Deo à quo procedit. 2° Verbum ut personam distinctam et divinam exprimunt, ipsum nomine Jehovæ in Scripturis designatum frequenter intelligentes, illudque Moysi et Patriarchis apparuisse statuentes. 3° Traduut ab eo salvandos homines. Non minùs sublimia de Verbo tradit Philo Judæus Alexandrinus variis in operibus, quæ, paulò antequàm Christus ministerio suo fungeretur, videtur scripsisse. Doctissimus ille Judæorum Verbum Dei, quod non uno in loco distinguit à Deo, *primogenitum Dei Filium* vocat lib. de Somniis. Ibidem et in lib. de Agriculturâ, statuit ipsum esse Deum qui apparuit veteribus Patriarchis. Lib. de Confusione linguarum, Verbum appellat æternam Dei imaginem. Lib. de Officio mundi, ait ab ipso mundum creatum fuisse. Et lib. de Exulibus, disserens de pontifice ante cujus mortem non poterant homicidæ involuntarii in patriam reverti, ait hunc pontificem esse Dei Verbum omnium noxarum expers, *habens Deum Patrem, matrem verò sapientiam.* Hanc autem doctrinam de Verbi divini excellentiâ undenam hauserant Philo et Paraphrastæ, nisi ex libris sacris, et ex traditione ab oraculis divinis originem ducente quæ apud eruditiores Judæos viguerit? Ergo ex Prophetarum vaticiniis intellexerant veterum Judæorum peritiores Messiam futurum Deum.

Jam verò sacrorum oraculorum cum novo Testamento hîc consensum demonstrare operosum non est, siquidem Christus in Evangeliis et in Apostolorum libris Dominus Deus, et Dei Filius sæpissimè prædicatur. Vide Matth. 3, v. 3; Marc. 1, v. 1; Luc. 1, v. 76; Joan. cap. 1, v. 1, cap. 5, v. 18, cap. 10, v. 30 et seq., cap. 14, v. 1 et seq., cap. 16, v. 15, cap. 20, v. 27 et 28; Rom. 9, v. 5; Philipp. 2, v. 5 et 6, et alibi sæpiùs.

§ 6. *De rebus maximis seu ad Judæos, seu ad gentiles attinentibus ex adventu Messiæ juxta Prophetas nexis; ubi de Judæorum obcœcatione, de gentium vocatione, de novâ lege à Messiâ sanciendâ, de donis per ipsum concessis, et de ejus regno spirituali agitur.*

Inquirimus 1°, an Prophetæ prædixerint Messiam eo loco à Judæis habendum, quo ab eis habitus est Christus. 2° An sacrorum vatum oraculis respondeat gentium conversio quæ Christi adventum subsecuta est. 3° An nova lex, novum fœdus à Messiâ debuerit legi Mosaicæ substitui. 4° An regnum à Prophetis Messiæ adscriptum Christus possideat. Hæc quatuor sigillatim expendenda.

Quo loco Messiam à Judæis habendum Prophetæ prædixerint.— Messiam Judæi hodiè arbitrantur à suâ natione non posse recipi, atque efficacissimum adversùs christianam fidem sibi videntur argumentum depromere, cùm objiciunt Jesum Christum à magno Synedrio rejectum, ejusque miracula reprobata. Nos contra prophetias in Christo Domino exitum habuisse inde monstramus.

Conclusio. Juxta Prophetarum oracula, Messias Judæorum salvator à pluribus eorum recipiendus fuit, à natione verò abjiciendus, imò et occidendus; atque in hujusce Judæorum criminis pœnam templum et civitas dissipari, ipsi autem calamitatibus affici, è terrâ Chanaan ejici, captivique per gentes dispergi debuerunt; hæc porrò vaticinia in Christo sunt impleta.

Prob. prima pars, nimirùm Messiam ex Prophetis esse Judæorum Salvatorem, istudque Christo congruere. Isaiæ 62, v. 1 et seq.: *Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor Justus ejus, et Salvator ejus ut lampas ascendatur.... Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ, dicite filiæ Sion: Ecce Salvator tuus venit, ecce merces ejus cum eo, et opus ejus coram illo.* Jerem. 23, v. 5 et 6: *Suscitabo David germen justum.... in diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter.* Zach. 9, v. 9: *Exulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem: ecce rex tuus veniet tibi justus et Salvator*, etc. Quibus testimoniis alia plura addi possent. Iis verò non pauciora respondent de Christo dicta in novo Te

stamento. Matth. 1, 22: *Et vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Luc. 1, v. 69: *Erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui, sicut locutus est per os sanctorum;* et cap. 2, v. 11 : *Natus est vobis hodiè Salvator, qui est Christus Dominus,* etc.

Prob. secunda pars, Prophetas videlicet vaticinatos esse alia duo quæ in Christo etiam exitum habuerunt, nempe Messiam esse à pluribus Judæis recipiendum, à nationc verò ipsâ abjiciendum. Utrumque simul ab Isaiâ prædicitur cap. 8, v. 14, ubi de Messiâ verba faciens : *Erit*, inquit, *vobis* (credentibus nimirùm) *in sanctificationem. In lapidem autem offensionis et in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum et in ruinam habitantibus Jerusalem. Et offendent ex eis plurimi et cadent*, etc. Non poterat disertiùs exprimi Judæorum complures Messiæ obtemperaturos ac indè salutem consecuturos, nationem verò reliquam in ipsum rebellando ad perniciem et exitium ruituram. Idem Propheta cap. 6, v. 9 et seq., Judæorum futuram excæcationem sic describit : *Audite audientes, et nolite intelligere, et videte visionem, et nolite cognoscere. Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude; ne fortè videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur et sanem eum. Et dixi : Usquequò, Domine? Et dixit : Donec desolentur civitates absque habitatore; et domus sine homine, et terra relinquetur deserta.* Et cap. 29, v. 14 : *Ecce ego addam ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi et stupendo; peribit enim sapientia à sapientibus ejus; et intellectus prudentium ejus abscondetur.* Psal. 68, v. 9 : *Extraneus factus sum fratribus meis; et peregrinus filiis matris meæ.* Innumera his similia reperire est in Scripturis sacris.

Atqui hæc vaticinia in Christo Domino ad eventum perducta sunt : nempe *positus est hic*, ut aiebat Simeon, Luc. 2, v. 34, *in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel.* Ac 1° multi ex Judæis ei nomen dederunt. Nam præter 12 Apostolos, 72 discipulos, aliosque nonnullos in Evangeliis memoratos, dùm in terris conversatus est, *ex principibus*, teste S. Joan. cap. 12, v. 42, *multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è Synagogâ non ejicerentur.* Petro autem Jerosolymis in die Pentecostes prædicante, Act. 2, v. 41 : *Qui receperunt sermonem ejus, baptizati sunt; et appositæ sunt in die illâ animæ circiter tria millia.* Et cap. 4, v. 4 : *Multi eorum qui audierant verbum, crediderunt, et factus est numerus virorum quinque millia.* Deinde Apostolorum ac discipulorum laboribus et miraculis auctus est maximè numerus fidelium. *Verbum Domini crescebat*, ait auctor sacer ibid. cap. 6, v. 7, *et multiplicabatur numerus discipulorum in Jerusalem; multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei;* cap. 9, v. 31: *Ecclesia per totam Judæam et Galilæam et Samariam habebat pacem, et ædificabatur ambulans in timore Domini*, etc.; et cap. 21, v. 20, S. Jacobus cum senioribus testis est *plura millia in Judæis credidisse*, idemque ex toto Actuum libro, ex epistolis S. Pauli et Apostolorum, atque ex omnibus historiæ ecclesiasticæ monumentis colligere est. 2° A natione Judaicà rejectus est Christus, ut nemo nescit, atque ad hanc eorum incredulitatem et obcæcationem adductus mox ex Isaiæ cap. 6 locus refertur Matth. 13, v. 14; Marc. 4, v. 12; Luc. 8, v. 10; Joan. 12, v. 40; Act. 28, v. 26; et Rom. 11, v. 8.

Probatur tertia pars, scilicet sacris oraculis prædictum esse Judæos Messiam neci tradituros, ideòque civitatem et templum dissipanda, ipsosque per orbem dispergendos. *Post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus*, ait Daniel cap. 9, v. 26 et seq., *et non erit ejus populus qui eum negaturus est* (seu, ut reddi potest hebræum, ET NON SIBI). *Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio... Deficiet hostia et sacrificium... et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.* Ibi mors Messiæ, civitatis et sanctuarii dissipatio, ac populi usque in finem duratura desolatio ita nectuntur, ut dubitari nequeat quin primum à Prophetâ tanquàm cæterorum causa assignetur. Huic autem vaticinationi planè cohærent, ut jam alibi diximus, historia Christi, atque eventus manifesti à Judæis ipsis memoriæ traditi, et etiamnum oculis subjecti.

Eòdem pertinent plures aliæ Prophetiæ. Psal. 68 (hebr. 69), v. 22 et seq. : *Dederunt in escam meam fel, et in siti meâ potaverunt me aceto. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum* (verba sunt vaticinantis, non imprecantis), *et in retributiones, et in scandalum. Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva. Effunde super eos iram tuam, et furor iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum*, etc. Isaias 6, v. 10, cæcitate Judæorum ad Christi tempora pertinente, de quâ modò diximus, prænuntiatâ, sic pergit v. 11 : *Usquequò, Domine* (duratura est cæcitas)? *Et dixit : Donec desolentur civitates absque habitatore; et domus sine homine, et terra relinquetur deserta.* Alia addi possent.

SOLVUNTUR OBJECTIONES. — Obj. 1°: Messias à Prophetis appellatur salus, Salvator populi Judaici, ut primâ conclusionis parte probavimus; atqui Christus denominari non potest salvator et salus populi Judaici, quippe cùm, ut nos fatemur, majori Judæorum parti occasio ruinæ fuerit; ergo, etc. Nego min. Is enim salvatoris et salutis populi Judaici nominibus insigniri debuit, qui ad redimendum et salvandum Israelem venit, qui omnes salvatoris dotes possidens multis Israelitis salutem re ipsâ contulit, et à quo Judæis omnibus salus æterna oblata est, ita ut ex eorum solâ perversitate ortum sit quòd salutem æternam per ipsum non fuerint consecuti. Atqui doctrinâ evangelicâ hæc omnia Christo adscribuntur; ergo. Ad probat. distinguo : Fuit ruinæ occasio, etc., ex vitio et pravitate populi Judaici, concedo; ex defectu conditionum in Israelis salvatore desideratarum, nego. Christo fuêre omnes salvatoris dotes, ut ex operibus ejus et miraculis, et ex doctrinâ

christianâ liquet. Hinc vidimus multos ejus fidem amplexatos esse Judæos. Quòd si eam recipere noluerit Judæorum natio, id eorum cæcitati et malitiæ tribuendum. Nec ideò Christus titulo Salvatoris Israel nequit designari. Nam juxta Scripturæ usum Deus dicitur homines mundare et sanctificare, cor novum dare, etc., non tantùm cùm id reverà præstat, sed etiam ubi media sanctificationis confert quæ ex humanâ improbitate effectu suo privantur. Ezech. 24, v. 13 : *Immunditia tua execrabilis,* ait Dominus ; *quia mundare te volui, et non es mundata à sordibus tuis.* Ita pariter cùm Deus dicitur Judæos per Messiam liberaturus, salvaturus, intelligendus est daturus per Messiam uberrima salutis media quibus quotquot uti voluerint, salutem consequentur. Atque hunc prophetiis Messiam salvatorem Israeli pollicentibus sensum manifestè affigunt alia quæ attulimus vaticinia, Judæorum in Messiam rebellionis prænuntia.

Obj. 2° : Ab omni humanâ fide abhorret liberatorem tantoperè Judæis expetitum, tam sæpè à Prophetis expressum, totâ lege figuratum, nationi Judaicæ acceptum non fuisse. Ergo si Christus fuisset verus Messias, populus Judaicus et Synedrii principes eum non rejecissent. Ita Judæi quibus hìc increduli adstipulantur. 1° Dist. ant. Ab omni fide abhorret Messiam nationi Judaicæ non fuisse acceptum, si supponantur Judæi tunc temporis fuisse salutis suæ studiosi, non cupiditatibus et præjudiciis obcæcati, concedo ; si cupiditatibus irretiti et in pœnam peccatorum suorum excæcati fuerint, nego. Indubitatum est Messiæ agnitionem justis ipsis apud Judæos et salutis suæ studiosissimis fuisse opus bonum et meritorium, ac proinde liberum. Itaque quamvis ex operibus et miraculis Christi et discipulorum ejus constare debuerit ipsum esse Messiam Patriarchis promissum, attamen necesse non fuit ut ea esset hujusce rei evidentia, quæ perversum quemlibet et induratum ad fidem Messiæ vel invitum raperet. Si igitur certum sit Judæos, Christi et Apostolorum ætate, fuisse prodigiosè obcæcatos, in bona temporalia propensos, ac tenacissimos pravi, mirum non erit quòd major eorum pars Messiam doctrinæ cœlestis præconem sanctissimum, mentes à terrenis avocantem et ad spiritualia erigentem noluerint recipere. Atqui stupendam tum fuisse Judæorum cæcitatem, eorumque animos in pravitate suâ summè oblirmatos, non modò Evangelistæ et Apostoli attestantur, sed et ipsi Judæi scriptores. Josephus inprimis in opere de Bello Judaico, quod annis circiter 37 post mortem Christi cœptum est, de Judæorum criminibus et flagitiis ea scribit (1) quæ horrorem omnibus concitant, et quæ ipse judicat meruisse, ut, si cunctati essent Romani, vel dehiscente terrâ absorberetur civitas, vel undis obrueretur, vel iisdem elideretur fulminibus quibus Sodomica regio olim obtrita fuit. In Talmude, de Festis, lib. 7, cap. 3, Israelitarum pervicacia proterviæ canis, galli, hirci et spinæ comparatur. Alias Judæorum eâ de re auctoritates laudat Huetius, prop. 9, cap. 161. 2° Nego conseq. Esto, omnem fidem superet eò provehi potuisse Judæorum cæcitatem et pervicaciam, ut liberatorem à Deo ad se missum respuerent. Quò magis id à fide humanâ abhorrebit, cò ampliùs inde confirmatur Christum esse Messiam. Quid ita? quia scilicet hoc ipsum à Prophetis fuisse prænuntiatum, et ad exitum in Christo Jesu perductum esse constat, ut diximus. Quantò minùs igitur credibilis videri potest stupenda illa Judæorum incredulitas et perfidia, tantò majus erit prodigium hanc vaticiniis in Jesu adimpletis fuisse prædictam. Ergo, etc.

Inst. cum Orobio in suo scripto 2 apud Limborch, amic. Collat. : *Cùm venerit Messias, Deus Israelis solus regnabit in suo mundo... non quòd vim libero hominum arbitrio sit illaturus ; sed quòd ex affluentiâ gratiæ in bonum ferè semper dirigetur ;* ergo cùm id nondùm præstiterit, etc. Nego ant. Prænuntiàrunt quidem Prophetæ gratias uberrimas Israelitis et gentibus post Messiæ adventum concedendas, maximosque ex ejusmodi auxiliis effectus secuturos, sed non prædixerunt futurum ut omnes etiam Israelitæ illis salutis mediis uterentur. Verum est Deo non deesse media quibus voluntatem quantumvis in malo obfirmatam, illæsâ ejus libertate, *in bonum dirigat* ; sed eum statuisse ut, adveniente Messiâ *ex affluenti gratiâ in bonum semper dirigerentur* Israelitarum voluntates, non modò à Prophetis non præsignificatum, sed contra, ut vidimus, declaravit Daniel Messiam à populo Judaico neci tradendum, Isaias verò summam ætate Messiæ fore multorum Judæorum cæcitatem, ideòque in ruinam pluribus Judæis adventum ejus futurum.

De novâ Lege, quæ veteri legi, juxta Prophetas, substitui debuit. — Legem Mosaicam in perpetuum institutam volunt Judæi, ejus observationem in captivitate quâ hodiè premuntur, solummodò intermissam et suspensam contendunt, ac templum tertium aliquando reædificandum atque in eo usum cæremoniarum lege Mosaicâ præscriptarum sub rege Messiâ instaurandum censent. Advertendum autem in Mosaicâ lege, quâ spectat cultum divinum, duplicis generis præcepta distingui, moralia nempe, et ritualia. Priora continentur tabulis Decalogi, spectantque officia hominis erga Deum et proximum ipsâ lege naturali injuncta. Præcepta ritualia complectuntur sacrificia diversa et varias cultûs exterioris cæremonias lege præscriptas, quæ nomine *ritualium* generatim exprimuntur.

Sacrificia autem illa et ritus considerari possunt quantùm ad usum, et quantùm ad res cæremoniis ejusmodi præsignatas. Ritualia enim legis Mosaicæ fuisse mysteriorum Christi ejusque Legis typos et figuras, dogma est quod S. Paulus pluribus in locis inculcat et explicat ; vide præsertim Epistolam ad Hebr. Jam verò cùm inquirimus de lege novâ quæ legi Mosaicæ juxta Prophetarum oracula à Messiâ substitui debuerit, non loquimur de præceptis moralibus quæ abrogari non possunt, quæque legi Mosaicæ non propria, sed ipsâ lege æternâ imperata ad legem naturæ et christianam perinde atque ad Mosai-

(1) Vide lib. 6, cap. 37 ; lib. 7, c. 8 et 30.

cam, et ad quemcumque statum pertinent. Non loquimur etiam de rebus quas ritualia significabant ; imò ejusmodi rerum significationem in Christo completam esse credimus ; quapropter Christus, Matth. 5, v. 17, aiebat : *Non veni solvere* (legem) *sed adimplere.* Loquimur ergo de ritualium usu. Hunc lege christianâ abrogatum docet fides. Quæstio itaque est adversùs Judæos utrùm ejusmodi abolitionem ritualium et simul novam legem à Messiâ sanciendam prænuntiaverint Prophetæ.

Conclusio. Prædixerunt Prophetæ futurum ut lex Moysis quantùm ad ritualium usum abrogaretur, et novum fœdus ejus loco à Messiâ sanciretur ; quæ duo Christus executus est.

Probatur prima pars, nempè ex Prophetis, legem Mosaicam, quantùm ad ritualium usum, abrogandam fuisse. Isai. 1, v. 11 et seqq. : *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum ; holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum nolui... Ne offeratis ultrà sacrificium frustrà ; incensum abominatio est mihi. Neomeniam, et sabbatum, et festivitates alias non feram... Calendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea.* Jerem. 3, v. 16 : *In diebus illis, ait Dominus, non dicent ultrà : Arca Testamenti Domini ; neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius ; nec vivificabitur, nec fiet ultrà.* Et cap. 7, v. 14 : *Faciam domui huic, in quâ invocatum est nomen meum, et in quâ vos habetis fiduciam, et loco quem dedi vobis et patribus vestris, sicut feci Silo, et projiciam vos à facie meâ.* His sanè in locis, quibus similia addi possent, legis cæremonias et sacrificia aliquandò esse cessatura clarissimè significatur.

Respondent Rabbini illis oraculis solùm exprimi cæremonias legis esse aliquandò intermittendas, donec Judæi emendarentur et à peccatis resipiscerent. Sed hæc evasio nulla est. Nam 1° Rabbinorum explicationem eventus rerum labefactat ; siquidem à plus quàm septemdecim seculis, nempè ab anno 70 æræ vulgaris quo templum destructum est, ritualia nequeunt à Judæis observari, nullaque spes affulget futurum ut aliquandò observari possint. 2° Tantùm abest ut verba Prophetarum adducta de intermissione observationis ritualium accipi queant, ut potiùs in locum ejusmodi ritualium, aliam à Messiâ legem esse dandam, et quidem perpetuò duraturam, Prophetæ vaticinati sint, ut modò dicemus.

Eamdem conclusionis partem primam astruunt Prophetiæ in quibus templi Jerosolymitani versùs Messiæ tempora destructio, populique è terrâ suâ transmigratio et dispersio, ac gentium ad verum Dei cultum vocatio prædicuntur. Etenim 1° certum est, nec inficiantur Rabbini, intrà solam terram promissionis et in solo templo sacrificia potuisse offerri. Hinc nulla hodiè Judæi sacrificia offerunt ; et si quædam ab ipsis cæremoniæ observantur, eæ admodùm jejunæ sunt, atque à multitudine, magnificentiâ et celebritate earum quæ sacrificiis annexæ in templo olim peragebantur in immensum distant, quod Limborchius de verit. Relig. christ. (1) inductione planè demonstrat. Itaque iisdem Prophetiis quibus templum dissipandum et populus Judaicus in gentes omnes dispergendus prædicuntur, legis quantùm ad ritualia abolitio etiam præsignificatur. Ac mirum sanè à Judæis de ejusmodi negotio vitiligationes moveri. Nam diffiteri non possunt lege præscriptum esse ut soli ex stirpe Aaron sacerdotes sacrificia offerrent, solique Levitæ functionibus sacris manciparentur. Cùm ergo negare nequeant nullo pacto hodiè dignosci posse qui ex tribu Levi, qui ex Aaronis familiâ ortum ducant, ut quid sperant futurum, ut aliquandò cultus cæremonialis lege præscriptus restauretur? 2° Gentes ad verum Dei cultum à Messiâ convertendas Prophetæ sæpiùs expresserunt, ut inferiùs probabitur, et agnoscunt Judæi ; atqui conversio gentium ad verum Dei cultum, importat abolitionem legis Mosaicæ. Lex enim tum aboleri censetur, cùm fit impossibilis ; atqui gentiles non potuissent legem implere ; nemo quippe non videt, quàm absurdum sit quod Rabbini fingunt, gentiles ætate Messiæ quotannis Jerosolyma ex cunctis mundi partibus perrecturos ad festa celebranda, et sacrificia in templo offerenda ; ergo, etc. Certè hæc legis abolitio veteres Judæos penitùs non latuit. Namque in *Schebahot*, cap. 2, et in *Jalcuth* ad fin. Esdræ disertè tradunt tempore Messiæ cessatura omnia sacrificia, excepto Eucharistico ; et in *Vaicra rabba*, *Omnia festa cessabunt*, inquiunt, *præter festum Purim* (seu Sortium Esther 9, v. 28, institutum) et diem expiationum.

Probatur secunda pars, scilicet ex Prophetis Messiam debuisse novam legem in antiquæ locum substituere. 1° Id significavit pluribus in locis Isaias, ac præsertim cap. 42, v. 6 : *Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium.* Cap. 43, v. 18 et 19 : *Ne memineritis priorum, et antiqua ne intueamini : Ecce ego facio nova, et nunc orientur... Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit. Non me invocâsti Jacob*, etc., quæ verba in tract. Talmudico *Berachot* ad Messiam referuntur, ut et ab Apostolo, 2 Cor. 5, v. 17. Idem Isaias cap. 55, v. 3 et 4 : *Feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.* 2° Clariùs adhuc Jeremias, cap. 31, v. 31 : *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda* FŒDUS NOVUM ; NON SECUNDUM PACTUM, QUOD PEPIGI CUM PATRIBUS EORUM *in die quâ apprehendi manum eorum..., sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel, post dies illos, dicit Dominus : Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam ; et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum*, etc., quod vaticinium *Midrasch schir aschirim* ad v. 10, capitis 2 Cantici canticorum, R. Moses ben Nachman, et alii, ad Messiæ tempus referunt ; hoc verò allato S. Paulus Heb. 8, v. 13, sic concludit : *Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est.* Jeremiæ concinit Baruch ejus discipulus cap.

(1) Ad 3 script. quæst. 4, cap. 5, edit. Basil. 1740, p. 634.

2, v. 5, Ezechiel cap. 16, v. 1, necnon veteres Judæi in Jalcuth ad Isai. 2, v. 7, et ad Psal. 2, v. 7.

At, inquit Kimchius, in illo Jeremiæ testimonio non agitur de aliquâ novâ lege instituendâ; sed de ipsâ lege Mosaicâ renovandâ et confirmandâ; nempe juxta ipsum vox hebræa חדשה *chadascha*, non innovationem, ut reddimus, sed confirmationem sonat; ergo. Nego ant. Commentum Kimchii ipso prophetiæ textu convellitur. Nam 1°, præterquàm quòd illa vocis hebrææ acceptio prorsùs insolita est, opponit Propheta fœdus novum de quo vaticinatur, fœderi veteri cum patribus Israelitarum inito. *Feriam, inquit Dominus... fœdus novum; non secundùm pactum quod pepigi cum patribus eorum...., sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel*, etc. 2° Fœdus illud novum ex Jeremiâ futurum est solemnius et præstantius pacto veteri. *Hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel, post dies illos dicit Dominus : Dabo legem meam in visceribus eorum*, etc. 3° Denique de eodem novo fœdere sermonem faciens Jeremias, cap. 32, v. 40, et cap. 50, v. 5, vocat illud *sempiternum*, perpetuò mansurum, *nullâ oblivione delendum* : qui tamen cap. 7, v. 14, dixerat Jerusalem et templum, deserenda sicut antea delicta fuerat urbs Silo. Ergo fœdus novum tempore Messiæ ex Jeremiâ feriendum, non est mera renovatio fœderis veteris cum antiquis patribus icti.

3° Novum fœdus à Messiâ sanciendum prædixit quoque Daniel, 9, v. 27 : *Confirmabit pactum multis hebdomadâ unâ, et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium... et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.* Antea significatum fuerat post elapsas à sermone de reædificandâ Jerusalem sexaginta novem hebdomadas, *Christum occidendum;* ex quorum serie colligendum est novum fœdus per Christi mortem fuisse perfectum atque obsignatum, ut docet Apostolus Hebr. 9. Ad mortem Christi similiter alludit Zacharias, cap. 9, v. 11.

4° Tandem Malachias, Prophetarum ultimus, cap. 3, v. 1, sic habet : *Veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis;* ubi de Messiâ sermonem esse jam alibi diximus. Messias igitur est *Angelus testamenti*, seu legatus fœderis; quæ nuncupatio ipsum missum esse ad novam legem, novum fœdus sanciendum profectò significat. Sed nihil expressius eâ de re desiderari potest ejusdem Malachiæ prophetiâ cap. 1, v. 10 et 11 : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestrâ. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda : quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* En habetur distinctè significata veterum sacrificiorum abrogatio, et unius immaculati et acceptissimi sacrificii in eorum locum substitutio. Atque hoc insigni vaticinio pressi omni ævo Judæi, nonnisi dissentanea et absurda ad illud elidendum commenti sunt.

Reponit Salomon Jarchi, et post eum Kimchius et Aben Ezra, sensum vaticinii hunc esse posse : licet gentes colant falsa numina, quia tamen unum supremum Deum veneranlur, acceptiorem quàm Judæi mihi oblationem offerunt. Sed contrà : gentes, dùm vaticinabatur Malachias, soli idolorum cultui addictæ, verum Deum non colebant. Qui apud eas unius supremi numinis notitiam tunc erant assecuti, huic cultum et honorem Deo debitum vulgò non tribuebant. Non igitur tunc à gentibus offerebatur nomini Domini *oblatio munda.* Verùm esto, aliquem Deo summo cultum exhibuerint simul atque idolis immolabant, possuntne placere Deo qui ipsi simul et idolis serviunt? Nonne Deus, Exod. 20, v. 3, declarat se solum adorandum esse? numquid ab ejusmodi falsorum Deorum cultoribus offerri potest sacrificium quod à Deo *zelote*, ut oblatio munda suscipiatur? Reponit iterùm idem Jarchius populum Israeliticum inter gentes toto orbe dispersum orationes suas et preces Deo offerre, atque hanc esse oblationem mundam de quâ Malachias loquitur. Verùm obstat 1°, quòd gentes in illo Malachiæ loco opponuntur Judæis. Isti dicuntur non esse Deo grati, et munera eorum seu oblationes, Hebr. *mincha*, respuuntur; contra autem nomen Domini inter gentes magnum aliquando futurum enuntiatur, at simul adjicitur oblationem mundam in omni loco tunc offerendam Deo. Sanè vel ista ad cultum Deo acceptum ipsi quondàm à gentibus exhibendum pertinent, vel nihil omninò significant, proindeque, etc. Obstat 2°, quòd in utroque versiculo 10 et 11, eadem vox hebræa legatur, *mincha*, id est, *munus, oblatio.* Quemadmodùm igitur vox illa v. 10, ritus Judæorum et sacrificia, non nudas preces significat, ita et versiculo 11, proindeque is versus malè explicatur de precibus quas Judæi dispersi fundunt. Obstat 3°, quòd Deus magnificè ibi prænuntiet magnum futurum esse nomen suum in gentibus. Quis autem tam splendida ejus verba ita exposuerit : Judæi supremi numinis cultores alii aliò quondàm disparabuntur captivi per gentes religionis eorum contemptrices? atqui tamen Malachiæ verba id unum significarent positâ Jarchi interpretatione; ergo, etc.

Reponunt denique Kimchius et Aben Ezra verborum Dei hunc esse sensum : si à gentibus hostias mihi offerri vellem, mundas eas et selectas offerrent, non autem vitiosas et maculosas, quod vos facitis. Verùm interpretatio ejusmodi quid est aliud quàm Scripturarum corruptio manifesta? supponunt Rabbini conditionem, non modò ubi nulla est, sed et ubi nullam subjecta materia vel minimùm indicat; omnes sermonis regulas pessumdant, ac magnificis oraculis ex ore Dei prolatis exiles tantùm ac tenues alligant sensus.

Solvuntur objectiones. — Obj. 1° : Deuter. 30, v. 1 et seq., Moyses populum Israeliticum affatur : *Cùm venerint super te omnes sermones isti..., et ductus pœnitudine cordis tui in universis gentibus, in quas dispersèrit te Dominus Deus tuus, et reversus fueris ad eum..., reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam ac miserebitur tui, et rursùm congregabit te de cunctis populis, in quos te ante dispersit. Si ad cardines cœli fueris dissi-*

patus, inde te retrahet Dominus Deus tuus, et assumet atque introducet in terram quam possederunt patres tui, et ovtinebis eam..... faciesque universa mandata quæ ego præcipio tibi hodiè, etc. Ex hoc loco colligere sibi videntur Judæi cæremonias legis durante hâc captivitate solùm intermissas, rati hîc sibi promissum esse futurum ut aliquando, nempe tempore Messiæ, in terram patrum suorum revertantur; quorum argumentum ita proponi potest : Moyses eò loci vaticinatur Judæos, cùm resipuerint, ex aliquâ captivitate in terram Chanaan à Domino reducendos; atqui captivitas de quâ ibi agitur est captivitas præsens. Vel enim est captivitas præsens, vel Babylonica; atqui non Babylonica; siquidem in eâ Judæi non fuerunt dispersi usque *ad cardinales cœli*, id est, per totum orbem; ergo, etc. Deinde captivitas è quâ Moyses populum reversurum cap. 30 prædicit, eadem est quam descripserat cap. 28; atqui captivitas descripta cap. 28 manifestè est captivitas præsens. Nam v. 64, designatur : *Disperget te Dominus in omnes populos à summitate terræ usque ad terminos ejus;* quod in captivitate Babylonicâ impletum non est, in præsenti autem adimpleri oculis nostris conspicimus. Ibid. additur : *Et servies ibi diis alienis, quos et tu ignoras, et patres tui, lignis et lapidibus.* Sed, ait Orobio in scripto 3 apud Limborch, *nunquàm Israel in Babylonicâ captivitate idololatriæ crimen commisisse legitur, neque de eo ab Esdrâ aut Nehemiâ accusatur... maximè postea plurimi in Christianismum ingressi pristinâ idololatriâ infecti fuêre... Hi sunt dii alieni quos majores non cognoverunt; quippe Chaldæorum et Persarum deos Israel et nostri majores haudquaquàm ignoraverant; maximè novos, recentes quos Christianismus sibi adinvenit... in quo deos ex ligno, ex lapide*, etc. (imagines scilicet et Eucharistiam) adorare coguntur Judæi in Hispaniâ. Ergo meritò sperant Judæi se aliquando è captivitate in quâ degunt, à Messiâ liberandos, in terram Chanaan reducendos, et in templo tertiùm ædificando cæremonias legis observaturos.

1° Nego min., et dico captivitatem è quâ Moyses Deut. 30 populum vaticinatur eripiendum, non aliam esse quàm Babylonicam. Illud enim oraculum de captivitate Babylonicâ meritò explicatur, quod in reditum populi ex illâ captivitate aptè quadrat, quodque lib. 2 Esd. 1, v. 8 et 9, ad hunc reditum refertur. Atqui 1°, allatum Moysis vaticinium Nehemias loco citato de reditu è Babylonicâ captivitate interpretatur his verbis : *Memento* (Domine) *verbi quod mandâsti Moysi servo tuo, dicens : Cùm transgressi fueritis, ego dispergam vos in populos; et si revertamini ad me, et custodiatis præcepta mea, et faciatis ea, etiamsi adducti fueritis ad extrema cœli, inde congregabo vos, et reducam in locum quem elegi*, etc. 2° Idem vaticinium ad ejusmodi reditum aptè quadrat, ut maximè ex eo demonstratur, quòd duplex à Rabbinis adducta in oppositum probatio nulla sit.

Ad primam probationem, nego suppositum, nempe hoc commate : *Si ad cardines cœli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus*, etc., significari sermonem esse de captivitate in quâ per totum orbem dispersi fuerint Judæi. Nemo enim non videt hæc conditionatè et hyperbolicè, non absolutè, esse dicta. Ad secundam probationem, nego min. Nam 1° captivitas de quâ Moyses cap. 28, characteribus Babylonicæ captivitati propriis notatur. *Ducet te Dominus*, ait sapiens ille legislator v. 36, *et regem tuum quem constitueris super te, in gentem quam ignoras tu et patres tui; et servies ibi diis alienis, ligno et lapidi.* Hæc certè ad captivitatem præsentem non attinent, quæ tunc incœpit cùm jamdudùm Judæis nullus erat rex quem sibi constituissent; Babylonicæ verò captivitati omninò congruunt, in quam Joachim ac deinde Sedecîas cum principibus et optimatibus, ac maximâ populi parte, translati sunt. Ergo, etc. 2° Gentem in quam captivi abducendi prædicuntur Judæi Moyses iisdem coloribus depingit, quibus Prophetæ gentem Chaldæam : *Adducet Dominus super te*, inquit v. 9, *gentem de longinquo et de extremis terræ finibus, in similitudinem aquilæ volantis cum impetu, cujus linguam intelligere non possis*, etc., quæ non modò in Chaldæos quadrant, ut eventus docuit, sed et simil ima sunt istis Jeremiæ 5, v. 15 : *Adducam super vos gentem de longinquo,..... gentem robustam, gentem antiquam, gentem cujus ignorabis linguam*, etc. Ezechielis verò 17, v. 3 et 12, et Daniel 7, v. 4, gens eadem comparatur aquilæ. 3° Quas cap. 28 recenset Moyses captivitatis circumstantias, eæ in Babylonicam aptè cadunt. V. g., istud singulare et horrendum v. 53 : *Comedes fructum uteri tui, et carnes filiorum tuorum*, etc., quod in ultimâ Jerosolymorum obsidione sub Tito contigisse auctor est Josephus, contigit etiam dùm à Chaldæis Jerusalem fuit obsessa, testibus Jeremiâ, Thren. 4, v. 10, et Baruch 2, v. 3.

Nec obstat quod ex v. 64 objicitur, gentem Judaicam Moyse prænuntiante dispergendam esse *in omnes populos à summitate terræ usque ad terminos ejus.* Ut enim horum verborum impleatur significatio, sufficit Judæos post captam à Chaldæis Jerosolymam fuisse per multas gentes et magnâ orbis parte disjectos ac dissipatos; atqui rem ita se habere certum est. Nam toto Oriente, in Babyloniâ, in Perside, in Mediâ, etc., eos dispersos fuisse ex lib. 4 Reg. cap. 25, 2 Paralip. 36, ex libris Esdræ, Estheris, etc., colligere est. Ex iisdem Reg. et Paral. locis constat quoque complures metu Nabuchodonosoris post Godoliæ mortem in Ægyptum fugisse. Quid quòd ex eâdem captivitate secutum est ut in Græciam, in Italiam, imò et in Germaniam, si Judæis ipsis fides, diu ante Christum natum pervenerint? Non obstat etiam quod in eodem versu legitur : *Servies ibi diis alienis quos et tu ignoras*, etc.; imò istud potiùs argumento est hîc de captivitate præsenti sermonem non esse; Judæi enim in istâ captivitate vulgò degunt apud gentes ab idololatriâ alienas, ipsique nunc ab idolorum cultu remotissimi sunt. Istud autem : *Quos et tu ignoras*, etc., idem est ac, *quos tu non coluisti*, juxta modum loquendi Scripturæ non in solitum. Sed præterea falsò ponitur Chaldæorum idola Judæis ante captivitatem Babylonicam cognita fuisse. Idololatricos quidem gentium vicinarum cultus sæpiùs imitati fuerant Hebræi; eos procul dubio latebat reli-

gio Chaldæorum, apud quos nondùm vixerant; latebat religio Persarum, Medorum, etc. Num, v. g., audierant unquàm de Belo et statuâ Nabuchodonosoris à Daniele memoratis, quam statuam adorare solus Daniel cum tribus sociis suis legitur renuisse? Ergo, etc. Porrò ad rem non pertinent quæ de cultu in Ecclesiâ catholicâ imaginibus sanctorum et Eucharistiæ exhibito Orobio blaterat. Quippe solutio quæstionis ad hunc cultum spectantis, ubi res cum Judæo habetur, à solutione alterius de adventu Messiæ tota pendet, et antequàm de ejusmodi negotio inquiratur, satis Judæo esse debet in Ecclesiâ catholicâ unum Deum adorari, nec quidquam nisi in ordine ad ipsum et propter ipsum coli. Atque his omnibus manifestum est quæcumque Deut. 28 de captivitate Judæis in Deum rebellibus imminente Moyses prænuntiat, uni Babylonicæ accommodari.

Ad eamdem secundam minoris probationem paulò aliter responderi posset. Nimirùm, etsi plura ex iis quæ Moyses cap. 28 Deut. profert, soli Babylonicæ captivitati conveniant, cæteraque ad dispersionem ibi attinentia eidem captivitati possint accommodari; attamen fatendum est multa quoque ex istis quadrare tum in captivitatem decem tribuum à Salmanasare abductarum, quæ cùm nunquàm redierint, et nullibi reperiantur, gentibus permixtæ censendæ sunt; tum in dispersionem quæ sub Tito cœpit, et etiamnum perseverat. Atque istud reipsà Moysis scopo benè congruit, ut omnia mala populo contumaci eventura vaticinatus fuerit, et inter ea triplicem mox memoratam captivitatem. Jam verò hâc positâ expositione quæ apud interpretes vulgaris est, nihilominùs ruit objectio; nam statim atque captivitas Babylonica præcipuè notatur cap. 28, hoc ipso vaticinium capitis 30 de eâ splendidè exponi potest; quippe, his ita constitutis, habetur insignis eventus ejusmodi vaticinio respondens, videlicet populi è Babylonicâ 70 annorum captivitate in patriam reditus.

2° Nego consequentiam argumenti propositi; esto, non modò ad captivitatem Babylonicam, sed et ad præsentem respexerit Moyses citato cap. 30 Deuter.; esto, ab istâ etiam captivitate Judæos, cùm resipuerint, reversuros prævideri; num ideò in solidam de restituendo quondàm à Messiâ ritualium usu expectationem Judæi inducerentur? Minimè. Etenim, hâc in hypothesi, modum specialem quo Judæi ex istâ captivitate reversuri sunt, utpote à Moyse non expressum, nobis liceret ex aliis Prophetis determinare, atque eatenùs diceremus hunc Judæorum reditum esse complendum, quatenùs ad fidem Messiæ reversuri sunt, ejus populo coadunandi et inserendi et legem christianam quâ lex Mosaica, ut dictum est, adimpletur, observaturi.

Obj. 2° : Oseæ 3, v. 4 et 5, ita legitur : *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine teraphim; et post hæc revertentur filii Israel et quærent Dominum Deum suum, et David regem suum; et pavebunt ad Dominum et ad bonum ejus in novissimo dierum.* Volunt Judæi priori hujus vaticinii parte designari captivitatem in quâ ii nunc affliguntur; posteriori verò significari filios Israel finitâ illâ captivitate convertendos ad Dominum, et duce Davide, rege suo, id est, Messiâ Davidis filio, esse in terram Chanaan reversuros, ibique legem observaturos. Ergo, inquiunt, à Messiâ lex Mosaica restaurabitur.

Nego totam hanc Judæorum interpretationem, et dico 1°, illud Oseæ oraculum ad captivitatem decem tribuum pertinere. Ii enim quos vaticinium hoc respicit, designantur nomine filiorum Israel. *Dies multos*, inquit Propheta, *sedebunt filii Israel*, etc.; *post hæc revertentur filii Israel.* Atqui eò loci nomen *filiorum Israel* non sumitur in significatione illâ communi omnibus Israelitis seu Hebræis, satis in Scripturis usitatâ, sed accipitur pro decem tribubus regnum Israel constituentibus, per oppositionem ad filios Juda. Enimverò versiculo 1 capitis sequentis, qui versus in objectionem allatos immediatè subsequitur, atque toto eodem capite, vox illa hoc ipso usurpatur sensu, nempe pro decem tribubus; si quidem capite illo nihil aliud quidquam continetur quàm comminationes in filios Israel, et adhortationes ad filios Juda ut eos non imitentur. Lege integrum illud caput; lege et cap. 1 et 2, quæ illud unde objectio desumitur præcedunt; in his deprehendes agi solùm de decem tribubus, easque nomine Israel, domûs Israel, filiorum Israel ab Oseâ designari. Porrò quæ in eo oraculo prædicuntur ad decem tribuum captivitatem optimè adaptantur. Nam decem illas tribus in captivitate fuisse sine rege, sine principe, etc., nemini dubium est; tum autem reversæ sunt et quæsierunt Dominum ac Davidem, seu Messiam, quando ad fidem vocatæ sunt simul cum gentibus quibus jamdudùm permiscentur et in unum confunduntur.

Dico 2°, etsi captivitas ab Oseâ prædicta ad præsentem Judæorum dispersionem et calamitatem attineret, cui reipsà congruit aptissimè, inde nullum causæ suæ emolumentum consequerentur Judæi. Etenim hoc posito, id unum Oseas expressisset, futurum aliquando ut Judæi reverterentur, seu ex hâc captivitate liberarentur, ac quærerent Dominum et Davidem regem suum, id est, Messiæ fidem amplecterentur: sed non ideò prænotâsset, quod Judæi sentiunt, templum reædificandum, et cæremonias legis, finitâ hâc captivitate, locum rursùs sub duce Messiâ habituras. Nihil ergo prophetia Oseæ etiam ad captivitatem præsentem translata continet quod Judæorum causæ patrocinetur; sed ea tantùm confirmat doctrinam Apostoli Rom. 11, docentis Judæos ad fidem Christi Domini veri Messiæ aliquando convertendos.

Obj. 3°: Lex Mosaica in perpetuum duratura non semel in Scripturis significatur; ergo nunquàm abolenda est. 1° Dist. ant.: In perpetuum duratura, id est, tempore diuturno, et tamdiù quamdiù legis illius indoles et natura exigit, concedo; id est, sine fine, aut saltem usque ad mundi finem, subdist.: Si spectetur quantùm ad res cæremoniis et ritibus hujusce legis significatas, concedo: si spectetur quantùm ad usum

ejusmodi ritualium, nego. Hæ voces, *in æternum, in seculum*, et aliæ similes, juxta ipsos Rabbinos, in Scripturis intelligendæ sunt pro conditione rei de quâ sermo fit, adeò ut aliquando rem sine fine duraturam significent, aliquando diuturnum duntaxat tempus et durationem rerum indoli accommodatam. Cùm igitur ritualia legis Mosaicæ mysteriis Christi adumbrandis et figurandis instituta fuerint, manifestum est adveniente Christo ac legem suam instituente, ea quantùm ad usum inutilia facta fuisse, et cessare debuisse. Cæterùm res ejusmodi ritualibus præsignificatæ nunquàm antiquari poterunt. Hinc, 2° Nego suppositum consequentis. Nempe supponitur legem Mosaicam, secundùm fidem christianam, simpliciter à Christo abolitam fuisse; atqui id falsum est. Cessavit quidem, inutilis facta est, imò jure prohibita fuit quantùm ad usum cæremoniarum et sacrificiorum; sed nihilominùs verum est ejusmodi usum eatenùs cessâsse, quatenùs accedente majori rerum perfectione, significationes illis annexæ ritibus impletæ sunt; ac proinde propriè dicendum legem Moysis non fuisse à Christo *solutam, sed adimpletam*.

Objicies 4°: Falsò statuimus legem christianam esse Mosaicâ perfectiorem. Etenim in quo posita est perfectio cultûs divini, nisi in dilectione Dei et proximi quam lex Mosaica disertissimè imperat? ergo legi Mosaicæ non debuit alia substitui. Nego antecedens. Lex à Christo instituta, prout in novo Testamento explicatur, legi Mosaicæ omni ratione præstat. 1° Data est à Christo vero Dei Filio; legem veterem Angelorum ministerio divinitùs acceptam tradidit Moyses, insignis quidem Propheta, sed tamen merus homo. 2° Fœdus novum sanguinis Christi effusione confirmatum est, atque hujus sanguinis pretio infinito omnes homines redempti sunt, adeò ut, etiam sub lege naturæ et sub lege Mosaicâ, solo meritorum Christi novæ legis auctoris intuitu collata sint gratiæ divinæ auxilia, nec nisi fide saltem implicitâ in ipsum venturum potuerint olim homines justificationem et salutem adipisci, quemadmodùm non nisi per ipsum qui venit nobis Christianis salutem sperare licet. 3° Ritus et sacrificia veteris legis (onerosa præ multitudine populo quem à cæteris populis distinguebant) *infirma* erant *et egena elementa*, inquit Apost. Galat. 4, v. 9, nempe sanctitatem solùm legalem per se conferebant, et salutem per Christum dandam duntaxat significabant. Nec sanè effusio sanguinis taurorum et vitulorum lege præscripta Deo per se placere poterat. At Christus in cruce *tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis*, ut ait sanctus Paulus Ephes. 5, v. 2, ac ministerio sacerdotum novæ legis se incruentè in omni loco *oblationem mundam* et Deo dignam, juxta vaticinium Malachiæ cap. 1, v. 11, immolat. Ritus etiam paucos instituit, nempè sacramenta, quæ nomine suo ministrari voluit, et sanctitatem veram ea, ut par est, suscipientibus conferre. 4° Fidem præcipit lex nova magis evolutam et ad plura extensam. Christus scilicet multa altissima de Dei naturâ et mysteriis nos edocuit; plura sub umbris et figuris olim latitantia apertè revelavit. 5° Demùm licet præcepta moralia in amore Dei et proximi lege Moysis sæpissimè inculcato contineantur, attamen quæ ad hunc amorem pertinent clariùs à Christo explicata sunt, v. g., inimicos esse diligendos, benefaciendum odientibus, orandum pro persecutoribus, etc.; sanctissima insuper et saluberrima ab eo consilia addita sunt, ut terrenorum et caducorum bonorum posthabendam esse rationem, quærenda verò cœlestia et æterna; ergo.

Ad probationem, non est antiquata, nec antiquari potuit lex Mosaica quantùm ad dilectionem Dei et proximi; sed duntaxat quantùm ad ritus figurativos, quorum loco substituta sunt 1° sacrificium incruentum in quo Christus ipse victima Deo acceptissima pro nobis mysticè immolatur; 2° ritus seu sacramenta nomine Christi ministranda, et ex passionis ejus meritis vim sanctificandi juxta ipsius institutionem consecuta.

At, inquies, fortè, tantam novæ legi perfectionem competere, undenam Judæo suadebis? Resp. hoc unum fuisse in objectione propositum, nempe legem novam prout à Christo instituta creditur, non posse esse Mosaicâ perfectiorem; proindeque mox dicta solvendæ objectioni sufficiunt. Cæterùm hæc tanta perfectio, etsi tota spiritualis sit et cœlestis, non temerè tamen à Christianis admittitur; nam Christo et Apostolis sublimem hanc ac divinam doctrinam tradentibus credendum evincunt tum insignia quæ ab eis patrata sunt miracula, tum Malachiæ vaticinium de *oblatione mundâ* in omni loco apud gentes Deo sacrificandâ, tum aliæ prophetiæ in quibus lex nova describitur ut lex gratiæ et religio sanctificans, tum denique alia argumenta quæ religionem Christi evidenter credibilem reddunt.

De vocatione gentium ad fidem christianam. — Gentes ad veram religionem à Messiâ revocandas et adducendas, idque à Prophetis esse prænuntiatum, confitentur Judæi; verùm antea Messiam Gog et Magog cunctosque hostes suos bello domiturum et regnum temporale Israel restituturum censent. Quapropter Prophetias gentium vocationem spectantes ad eventum hactenùs perductas non fuisse obfirmatâ mente asserunt. Regnum Messiæ futurum spirituale, non terrenum, ex Prophetis ostensuri, interim duo hîc præstabimus : 1° Plura de vocatione Gentium adducemus sacrorum Vatum oracula in quibus observare erit, legis, doctrinæ et prædicationis mentionem sæpè fieri, nullam belli et armorum aut regni temporalis. 2° His vaticinationibus perfectè respondere conversionem gentium, à Christo Domino inchoatam, et Apostolorum eorumdemque successorum laboribus et prædicatione peractam.

Conclusio. Multis veteris Testamenti oraculis, quæ in Christo Jesu impleta sunt, gentium ad verum Dei cultum vocatio et conversio tanquàm fructus adventûs Messiæ prænuntiata fuit.

Probatur prima pars, scilicet vocationem gentium ad verum Dei cultum fructibus adventûs Messiæ sæpissimè à Prophetis accenseri. 1° Ex promissionibus

Abrahamo, Isaaco et Jacobo factis à Deo, futurum ut *in eorum semine benedicerentur omnes gentes terræ*. Ibi enim de Messiâ agi fatentur Judæi in lib. R. Samuelis, *Chasidim* inscripto, et ex eo satis apparet quòd solus Messias esse possit eximia illa et præcellens Patriarcharum proles ex quâ in gentes universas manare debeat insignis benedictio; Messiæ namque soli ejusmodi character attribuitur in Scripturis. Porrò benedictio insignis gentibus à Messiâ afferenda vocationem earum ad verum Dei cultum includat necesse est; ergo, etc.

2° Ex Psalmis. Ps. 2, v. 8 : *Postula à me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam*. Psal. 21, passione et resurrectione Christi enarratis, additur v. 28 : *Convertentur ad Dominum universi fines terræ, et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium*. Psal. 44, v. 17 : *Constitues eos* (Apostolos) *principes super omnem terram... propterea populi confitebuntur tibi in æternum*. Psal. 71, v. 11 : *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei;* et v. 17 : *Benedicentur in ipso omnes tribus terræ; omnes gentes magnificabunt eum*. Denique ut alia plurima omittam, Psal. 97, v. 2 : *Notum fecit Dominus salutare suum* (Christum); *in conspectu gentium revelavit justitiam suam... Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri*.

3° Ex Isaiâ, apud quem vaticinia de hoc argumento frequentissima et evidentissima habentur. Cap. 2, v. 2 : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domûs Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent : Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus; quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem : et judicabit gentes et arguet populos multos*, etc.; quibus simillima et ferè ad verbum repetit Michæas, cap. 4. Uterque autem Propheta significat Christum aliquando regnaturum et judicaturum gentes, doctrinamque illius de Sion exeuntem seu Judæis primùm traditam, ad gentes postea perferendam esse, et ab eis recipiendam. Hunc textum de Messiâ intelligunt Kimchius, Aben Ezra, et alii Judæi. Eodem Isaiæ cap., v. 17, 18 et 20 : *Elevabitur Dominus solus in die illâ, et idola penitùs conterentur... in die illâ projiciet homo idola argenti sui, et simulacra auri sui, quæ fecerat sibi ut adoraret, talpas et vespertiliones*. Paria leguntur cap. 31, v. 7. Cap. 11, v. 9 et 10 : *Repleta est terra scientiâ Domini, sicut aquæ maris operientes. In die illâ, radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur;* quæ ad Messiam pertinent juxta Targumistas, Talmud et Rabbinos. Cap. 42, v. 1 et seqq. : *Ecce servus meus... judicium gentibus proferet... legem ejus insulæ expectabunt... Ego Dominus vocavi te in justitiâ, et apprehendi manum tuam, et servavi te, et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium... Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ; qui descenditis in mare, et plenitudo ejus, insulæ et habitatores earum*. Cap. 49, v. 6 et seqq. : *Parùm est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Reges videbunt, et consurgent principes, et adorabunt... Dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, et possideres hæreditates dissipatas... Ecce isti de longè venient, et ecce illi ab aquilone et mari, et isti de terrâ australi... et dices in corde tuo : Quis genuit mihi istos?... hæc dicit Dominus Deus : Ecce levabo ad gentes manum meam, et ad populos exaltabo signum meum. Et afferent filios tuos in ulnis*, etc. Cap. 55, v. 4 et 5 : *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis, et gentes quæ te non cognoverunt, ad te current*. Cap. 59, v. 19 : *Timebunt qui ab occidente nomen Domini et qui ab ortu solis, gloriam ejus, cùm venerit... Sion redemptor;* id est, Messias, interpretibus ipsis Judæis in lib. *Sanhedrin*, et in *Echa rabbathi*. Messiæ quoque vindicatur in *Bereschit Rabba* totum caput 60, in quo hæc leguntur v. 3, et seqq. : *Ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortûs tui. Leva in circuitu oculos tuos, et vide; omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Filii tui de longè venient, et filiæ tuæ de latere surgent. Tunc videbis et affluES, et mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi*.

4° Ex aliis Prophetis. Jerem. 31, v. 17 : *In tempore illo vocabunt Jerusalem solium Domini et congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Jerusalem, et non ambulabunt post pravitatem cordis sui*. Os. 2, v. 24 : *Dicam non populo meo : Populus meus es tu, et ipse dicet : Deus meus es tu*. Joël. 2, v. 28 : *Effundam Spiritum meum super omnem carnem*. Sophon. 2, v. 11 : *Adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ Gentium*. Agg. 2, v. 8 : *Et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus*. Zach. 9, v. 10 : *Loquetur pacem gentibus, et potestas ejus à mari usque ad mare, et à fluminibus usque ad fines terræ*. Malach. 1, v. 11 : *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur*, etc.

Ex tot testimoniorum sylvâ, quibus alia multa adjici possent, patet quàm meritò doctissimus Huetius prop. 9, cap. 158, n. 1, observaverit, *rerum omnium quas prænuntiari hominibus voluit Deus, nullam omninò esse, in quam prædicendam majori consensu crebrioribusque prophetiis conspirârint sacri vates, quàm gentium vocationem ad notitiam veritatis*.

Probatur secunda pars, videlicet Evangelii prædicatione impletas fuisse has Prophetias. Ut enim ejusmodi vaticinia prædicatio fidei Christianæ omninò cohæreat, quatuor requiruntur et sufficiunt, 1° doctrinam Christi idolorum cultui summè adversam, in perfectâ et sincerâ unius supremi Numinis adoratione, in mysteriorum altissimorum fide, in sanctissimis morum præceptis esse positam; 2° hanc doctrinam à Christo et ab Apostolis primùm Jerosolymis, et in totâ Judæâ fuisse annuntiatam; 3° eamdem ad alias nationes, ad populos Judæis olim ignotos, ad insulas et habitatores earum, in idololatriæ ruinam, nec sine fructibus uberrimis, inde perlatam fuisse et hodiè adhuc perferri; 4° etsi ex hominum vitio non tot ferat

fructus Evangelii prædicatio quot producendis nata est, fidem tamen christianam, si morem loquendi usitatissimum et verissimum sequamur, dicendam esse toto orbe terram obtinere; atqui hæc certa sunt. 1° Idolorum abjectionem, vitæ sanctitatem, unius Dei in spiritu et veritate adorationem, mysteriorum divinorum et altissimorum fidem, lege christianâ præcipi nemo dubitaverit. Atque hinc Evangelii prædicatione, ut omnes nôrunt, idololatria extincta est. 2° Evangelium Christi fuisse primùm à Christo et Apostolis in Judæâ et Jerosolymis prædicatum, constat pariter ex evangelicâ historiâ, ex Actibus Apostolorum, et ex omnium consensu. Notandum inprimis istud Christi Domini Act. 1, v. 8, Apostolos alloquentis : *Accipietis virtutem supervenientis Spiritûs sancti in vos; et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæâ et Samariâ, et usque ad ultimum terræ.* Is prædicandi Evangelii ordo à Christo præscriptus, et ab Apostolis post receptum Jerosolymis Spiritum sanctum observatus (1), mirè cohæret mox adductæ vaticinationi Isaiæ 2, v. 3 : *De Sion exhibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. Et judicabit gentes,* etc., quibus et alia concinunt ex laudatis oraculis. 3° Certum quoque est ex Judæâ ad alias nationes, ad varias orbis partes, ad insulas, ad populos antea Judæis incognitos manâsse doctrinam evangelicam. Nam quòd à Judæâ manaverit, constat ex eo quòd, ut modò diximus, christiana fides Judæis primùm annuntiata fuerit. Vide capita 10 et 11 Actuum Apostolorum. Ibid. cap. 13, v. 46 et 47, hæc habentur : *Constanter Paulus et Barnabas dixerunt : Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes; sic enim præcepit nobis Dominus : Posui te in lucem gentium* (Isai. 49, v. 6), *ut sis in salutem usque ad extremum terræ.* Similia legere est Act. 28, v. 28, et Rom. cap. 11. Quòd autem ad multas nationes et per varias orbis partes ab ipsis Apostolis Evangelium prædicatum fuerit, testis est S. Paulus Rom. 1, v. 8 : *Fides vestra,* inquit, *annuntiatur in universo mundo;* et in Epist. ad Coloss. 1. v. 23 : *Prædicatum est* (Evangelium) *in universâ creaturâ quæ sub cœlo est.* Ipse Act. 9, v. 15, dicitur electus à Christo ad portandum nomen ipsius *coram gentibus, et filiis Israel.* Mirum autem quot ab ipso, præconis Christi munus implente, regiones peragratæ sunt, ut ex iisdem Actibus Apost. et ex variis ejus Epistolis colligere est. De aliis Apost. dicitur Marci 16, v. 20 : *Profecti prædicaverunt* UBIQUE, *Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.* Et Rom. 10, v. 18 : *Sed dico : Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Porrò eorum successores eidem labori incubuerunt, atque etiamnum gentes remotissimas et recens detectas fide Christi imbui curant, ita ut nullæ sint nationes ad quas, saltem successivè, lux Evangelii non perveniat. Quòd denique in idololatriæ ruinam, nec sine fructibus uberrimis doctrina christiana ad gentes perlata sit, constat ex ipso eventu. Nemo nescit ante Christum cunctas gentes falsorum numinum et idolorum cultui addictas fuisse; nemo negaverit virtute prædicationis Evangelii idololatriam fuisse disperditam, et unius veri Dei inductam agnitionem; ergo. 4° Licet fidem christianam multi nolint amplecti, quod ex eorum vitio et malitiâ, non ex defectu christianæ religionis oriri satis demonstrant vel ipsi eventus prædicationem evangelicam subsecuti; licet religio christiana totum orbem sensu physico non occupet, eumque non nisi successivè hoc sensu sit occupatura; dicendum tamen, si moraliter et juxta consuetum loquendi usum res expendamus, hanc religionem ubique obtinere. Scilicet quâ ratione dici solet Alexandrum Magnum et postea Romanos orbi universo imperâsse, quemadmodùm ipse Daniel cap. 7, v. 23, et cap. 8, v. 5 et 8, eorumdem imperia cunctis terrarum partibus diffundenda vaticinatur; eodem sensu, imò à fortiori christiana religio universum orbem invasisse dicenda est. Enimverò non tanta orbis pars in potestatem Alexandri et Romanorum redacta est quanta fidei christianæ subjicitur, et præterea apud nationes infideles, apud populos remotissimos, inter ipsosmet homines feros et barbaros ac in regionibus recens detectis Christiani multi sunt et præcones Evangelici; ergo, etc.

Objicies 1° : *Deus à majoribus mundi partibus ignoratur, gentibus in idololatriæ luto hærentibus,* vel Mahumeticâ superstitione infectis. Quid quòd in Africâ et in Asiæ partibus quæ Turcis et Sarracenis parent, *Christianismo penitùs deleto, incolæ omnes ad Mahumeticum cultum mutati fuerunt?* 2° *Christianismus totus in varias sectas divisus est* de rebus fidei inter se dissentientes; quod argumento est non ita claram, ac volunt Christiani, fuisse adductam à Christo revelationem. 3° *Vitia in toto genere humano non minùs regnant, quàm ante Christi adventum;* Christiani non obsequuntur Christi legibus, plerique quam verbis profitentur fidem operibus negant. 4° Christianorum maxima pars idololatriæ est dedita, colunt Eucharistiam et sanctorum imagines; atque in Hispaniâ et Lusitaniâ et alibi etiam ad hunc idololatricum cultum adiguntur Judæi; ergo, etc. Ita post cæteros Orobius in tertio suo scripto passim, præcipuè quæsito 1, n. 19; quæsit. 2, n. 3; quæs. 3, n. 4; et quæs. 4, n. 4.

Ad primum, dist. Deus à majoribus mundi partibus ignoratur, etc., ex vitio et malitiâ hominum, et ita tamen ut vera Christi Ecclesia Evangelium infidelibus annuntiari etiamnum curet, et singulis Mahumetarum sectis aut idololatriâ superstite multò sit diffusior, concedo; ex defectu legis evangelicæ, vel ità ut vera Christi Ecclesia præcones evangelicos non mittat, et minùs diffusa sit, quàm, etc., nego. Jam indicavimus principia quæ paucis hùc applicanda sunt, quæque à theologis, ubi de catholicitate Ecclesiæ disserunt, ex professo statuuntur et excutiantur. 1° Cùm ex fide et ex eventu compertum sit prædicationi legis evangelicæ uberrima gratiarum esse annexa auxilia, quibus ad fidem amplectendam auditores moveantur;

(1) Act. cap. 2, v. 10, 11, cap. 13, v. 46 et 47, cap. 28, v. 28, et alibi.

cùmque Deus jusserit, Evangelii lumen ad omnes populos ferri, atque istius muneris obeundi ardens studium ipse multis in Ecclesiâ semper inspiraverit et etiamnum inspiret; sequitur non legis evangelicæ vitio, sed soli hominum malitiæ et improbitati illud tribuendum, quòd magnis obicibus christianæ religionis propagatio retardetur, quòdque multi hanc fidem sibi annuntiatam nolint amplecti. Proindeque hoc concedendum est, datam à Christo esse legem de se idoneam universo generi humano, nisi ipsum divèrsimodè obsisteret, ad salutem ducendo. Vera Christi Ecclesia, ea nempe societas quæ varias inter societates christianas ex ejus sinu egressas, unitate, antiquitate et auctoritate eminet, qualis est sola Ecclesia romana; hæc, inquam, Ecclesia, ut omnes nôrunt, magnâ orbis parte splendidè adhuc diffunditur, multòque diffusior est unaquâque Mahumetanorum sectâ, et idololatriâ superstite. Quid quòd apud sectas à se separatas magnam sibi hominum multitudinem vindicat, nempe omnes infantes baptizatos, et quotquot ex adultis fidem præcipuorum articulorum servant, invincibilique ignorantiâ à schismate aut hæresi excusantur? Istud denique veræ Ecclesiæ est etiam proprium, quod studio verbi evangelici apud infideles divulgandi sola flagret, quòdque iis ipsis in locis quibus Mahumetismus aut idololatria dominantur, multos numeret veros filios, multos fidei suæ prædicatores. Ergo licèt idololatria et Mahumetismus magnam terrarum partem inficiant, vera nihilominùs Christi Ecclesia sensu morali et usitato dicenda est etiamnum toto orbe diffusa. 3° Diffusio quantacumque seu Mahumetismi seu idololatriæ superstitis non impedit quominùs christiana fides maximâ orbis terrarum parte successivè hactenùs floruerit, et ad extremos mundi fines, ad populos non ita pridem cognitos perferatur et annuntietur; proindeque prophetiæ ad vocationem gentium attinentes, iis quæ à Christo et Apostolis eorumque successoribus patrata sunt, jam maximâ saltem ex parte evidentissimè completæ sunt, et adhuc pergunt compleri. 4° Nusquàm vaticinati sunt Prophetæ nullum fore populum qui idem à se susceptam adulteraret aut etiam abjiceret. Imò in pœnam abusûs fidei populis aliquando id donum subducitur, juxta istud Christi Judæos alloquentis, Matth. 21, v. 43: *Auferetur à vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.* Nihil itaque prophetiis adversi contigisset, etiamsi Mahumetana superstitio è locis in quibus illa nunc viget, christianam religionem penitùs exturbâsset; quod cæterà falsum est; nam præter Græcos schismaticos quorum plures materialiter tantùm, ut aiunt, schismati adhærent, ac proinde Ecclesiæ vindicantur, sunt et illis in regionibus complures Catholici.

Ad secundum, distinguo: Christianismus in varias sectas divisus est ex hominum culpâ, et ita ut inter illas societates unâ præ cæteris diffusione suî, antiquitate et auctoritate, emineat, concedo; secùs, nego. Oriuntur hæreses non ex defectu revelationis claræ et mediorum ad verbi Dei intelligentiam necessariorum, sed ex hominum vitio, qui ubi cupiditatibus, superbiâ aut præjudiciis abripiuntur, de rebus etiam clarissimis disceptant, et sæpenumero in luce meridianâ perspiciuntur caligare. Non modò mysteria altissima, sensum veterum Prophetiarum, cultum sanctissimum et illibatam morum doctrinam Christus et Apostoli docuerunt, sed et revelationis custos et interpres instituta est à Christo Ecclesia, cujus pastoribus adfuturum se promisit *omnibus diebus usque ad consummationem seculi*, Matth. 28, v. 1. Nullæ fuissent hæreses si ejusmodi auctoritati tam disertè in novo Testamento expressæ, omnes, ut Christus jusserat, morem gessissent. Brevi cessarent illæ si omnes filii Ecclesiæ rebelles ad ejus obsequium, pro eo ac deberent, reverterentur. Nec certè huic sponsæ Christi desunt notæ et characteres, quorum ope à rectis corde agnosci possit. Ergo ex solo hominum vitio hæreses et schismata nascuntur. Cæterùm rebellionibus hujusmodi, quæ adversùs Ecclesiam excitantur, quasque Christus et Apostoli non semel prænuntiaverunt, Judæus à christianâ fide non avertatur: quin imò miretur Ecclesiam illam à quocumque hostium genere intùs et foris perpetuò lacessitam, usque tamen, juxta Christi promissa, stabilem manere et incolumem.

Ad tertium, si Christiani multi legibus Christi non obtemperant, id ipsis vitio vertendum, non legi Christianæ quâ redarguuntur, et quam possent implere, si mediis sibi ad id concessis uterentur. Non ideò tamen dici possunt fidem christianam non profiteri; quemadmodùm Judæi, qui non inficiantur se in præcepta legis moralia sæpè peccare, non ideò dicendi sunt legi Moysis nuntium misisse. Cæterùm Ecclesiam malos bonis admixtos sinu suo esse complexuram Christus clarè prædixit pluribus in locis, idemque prophetæ supponunt, dùm terribilem malis judicem in fine mundi Dominum futurum vaticinantur. Vide Isaiæ 13, v. 9 et seq., et cap. 66, v. 15 et seq.; Joel. 1, v. 2 et seq.; Sophon. 3, v. 8, etc.

Ad ultimum, jam observatum est Christianos omnes in eo inter se consentire quòd unum Deum adorandum esse profiteantur, et ad eum referant omnem cultum Religionis. Quòd verò hæc fides, hæc unius Dei oratio, cum adoratione Christi in Eucharistiâ et cultu inferiore exhibito sanctis optimè stare possit, facilè fateretur Judæus, si semel, quod caput est, Jesu Christi veri Messiæ fidem amplecteretur.

De Messiæ regno spirituali, ubi simul de ejus donis et officiis juxta Prophetas. — Observa 1° tantò regnum spirituale, de quo nunc disserimus, terrenis præcellere imperiis, quantò cœlestia et divina humanis ac caducis præstant. In regno terreno leges ad utilitatem corporum conducentes feruntur; bona temporalia, pax temporalis subditis accersuntur; ferro repelluntur hostes et subiguntur; præmiis temporalibus cives de republicâ benè meriti donantur, pœnis temporalibus coercentur et puniuntur mali; omnia tandem certo tempore concluduntur. At ubi inquirimus an Messias ex Prophetis rex spiritualis esse debuerit, regem spiritualem intelligimus eum, qui sanctissimus legum la-

tor instituta ad cultum Dei, et salutem commodumque animarum pertinentia tradit; qui potestatem animabus nostris insidiantium domitor, peccatoris cum Deo idoneus reconciliator, et unicus mediator, omnisque in cœlo et in terrâ creaturæ Dominus, offert, præbet hominibus media quibus sanctificentur, in gratiam Dei redeant, de hostibus salutis suæ invisibilibus triumphent, cupiditatibus suis frena injiciant, sicque pacem super omnia bona terrena desiderabilem sibi concilient; qui severus et æquissimus vindex, et magnificus munerum largitor, malos pœnis spiritualibus et supplicîis æternis plectit, bonos verò cœlestibus præmiis remunerat, et regni sui in cœlis æternùm participes facit.

Observa 2° nemini dubium esse posse quin Christus in novo Testamento ejusmodi rex spiritualis prædicetur. Ipse docuit se esse *regem*, Matth. 27, v. 11; Marc. 15, v. 2, etc., et *regnum suum non esse de hoc mundo*, Joan. 18, v. 36. Dixit Matth. 28, v. 18, *datam sibi esse omnem potestatem in cœlo et in terrâ*, atque ex hâc suâ auctoritate, ibid. v. 19, Apostolos misit qui *docerent* quæcumque *mandaverat*, et baptismo sanctificarent *omnes gentes*, ipsis eorumque successoribus auxilium juge et perenne pollicitus. Alibi, nempe Matth. 18, v. 18, et Joan. 2, v. 23, potestatem ligandi et solvendi, retinendi et dimittendi peccata ipsis impertivit. Sacerdos novi ordinis, *tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiàm Deo*, Ephes. 5, v. 2, et sanguinis sui effusione homines redemit ac Deo reconciliavit *medium parietem maceriæ solvens, et interficiens inimicitias in semetipso*, Ephes. 2, v. 14 et 16. Legem instituit sanctissimam; Sacramentorum suorum usui vim sanctificandi annexuit; media salutis uberrima largitur; arma præbet spiritualia quibus dæmones vincantur, mundi illecebræ superentur, cupiditates reprimantur, pax animæ acquiratur, regnum cœlorum comparetur. Impios conscientiæ stimulis exagitat, bonorum spiritualium privatione in hâc vitâ sæpè punit, et supplicio æterno afficit in alterâ; justos verò hìc gratiæ suæ unctione solatur et reficit, et post mortem in consortium sempiternæ suæ felicitatis cooptat. Hæc et alia ejusmodi, quæ in libris novi fœderis passim occurrunt, manifestè ostendunt characteres omnes regis spiritualis modò descriptos Jesu Christo secundùm doctrinam ab Evangelistis et Apostolis ad nos transmissam competere.

Observa 3° quæstionem non esse an Messiam futurum esse regem Prophetæ prædixerint: de eo nobis Judæi consentiunt, Messiam soliti *Regem* cognominare. Sed controversia est an regnum illud spirituale, quod Christo ut homini fides adjudicat, vaticiniis Prophetarum ad regnum Messiæ attinentibus respondeat. Id Rabbini negant, rati dominationem Israelis in terrâ Chanaan à Messiâ juxta Prophetas esse restituendam, Jerusalem ejus regni sedem futuram, ferro et armis gentes ab eo domandas regesque subigendos; tum pacem temporalem ubique obtenturam, ac populos universos legem Mosaicam amplexuros, et ad templum, quod tertiò extruendum sperant, munera et hostias allaturos. Docent ex adverso Christiani divina sacrorum Vatum oracula Messiam spectantia, dùm ad terrenam et temporaneam dominationem applicantur, dignitate suâ spoliari, demonstrantque non nisi de regno spirituali hæc posse explicari, ac proinde in Christo Domino adimpleta fuisse. His præmissis,

Conclusio. Vaticinia regni Messiæ prænuntiâ de regno spirituali intelligenda sunt.

Prob. Vaticinia in quibus characteres regni spiritualis imperio Messiæ adscribuntur, et quæ eatenùs aliis pluribus sacrorum Vatum oraculis concordant, quatenùs de regno spirituali intelliguntur, ea, inquam, vaticinia de regno spirituali accipi necesse est. Quippe si Prophetiis Messiæ regni prænuntiis hæc duo congruere ostendantur, quis dubitaverit metaphoricè et figuratè sumenda esse illa loca in quibus terrenum Messiæ regnum describi volunt Judæi?

Atqui ut à posteriori exordiar, 1° eatenùs vaticinia regni Messiæ prænuntia aliis prophetarum oraculis concordant, quatenùs de regno spirituali intelliguntur. Enimverò in allatis superiùs, præsertim parag. 3, perspicuis vaticiniis Davidis, Isaiæ, Danielis, Zachariæ, etc., prædictus est Messias multa ab inimicis suis perpessurus, contemptui habendus, crucifigendus, necandus; et urbs Jerusalem templumque prænuntiata sunt versùs ejus ætatem destruenda; quibus omnibus evidentissimum est omninò concordare prophetias regni Messiæ prænuntias, si istas cum Evangelistis et Apostolis de regno spirituali mox descripto interpreteris. Quid quòd ejusmodi interpretatione cuncta hæc vaticinia sese invicem mirificè illustrant, sensumque referunt sublimem, mysteriis altissimis plenum, in omnibus mirabiliter cohærentem, quem solus Deus aperire potuerit. Sin autem regnum Messiæ quod prophetæ præsignârunt, velis esse terrenum, non minùs liquidum est omnem conciliandorum inter se vaticiniorum spem penitùs adimi; Rabbinorum namque interpretationes de summâ et universali terrestris imperii Messiæ gloriâ et felicitate, de victoriis ab eo reportandis, de cunctis gentibus et regibus potestati ejus submittendis, de pace temporali sub imperio ejusdem toto orbe obtenturâ, ejusmodi, inquam, interpretationes quomodò stabunt cum oraculis Messiam pauperem, derelictum, in manus hostium suorum traditum, opprobriis saturandum cruci affigendum, occidendum exhibentibus? Quomodò urbs Jerusalem, regni Messiæ futura sedes, quomodò ad templum munera et hostiæ à cunctis gentibus afferenda, quandoquidem tempora Messiæ Jerosolymorum et templi dissipatione, populique in consummationem desolatione esse signanda prædixerunt Prophetæ? Ergo de regno spirituali interpretemur necesse est vaticinia regni Messiæ prænuntia. Miserum Rabbinorum quorumdam effugium, duos Messias, alterum obscurum et morti dandum, alterum victoriis et restauratione regni Israel insignem futurum distinguentium, jam antea præclusimus.

2° Etsi non rarò vates sacri sub imaginibus terrenorum regnorum imperium Messiæ describant, atta-

men iis characteribus illud quoque sæpiùs exprimunt, quibus regnum spirituale designatur. Præsignificaverunt enim 1° regnum Messiæ justitiâ, æquitate et sanctitate commendabile futurum. Psalm. 44, v. 7 et seq.: *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi; virga directionis, virga regni tui. Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem; propterea unxit te, Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ*, etc. Daniel 9, v. 24 et 27: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt..... ut..... deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum.... Confirmabit autem pactum multis hebdomadâ unâ*, etc. In his regni Messiæ descriptionibus commemorantur æquitas, sanctitas, peccati abolitio, *justitia* seu religio *sempiterna* adducendâ, nihil verò de splendore terreno et opibus habetur, imò alibi legitur Messiam pauperem vitam acturum, humilem, abjectum, despectum futurum, etc. Vide supra, parag. 3 passim.

2° Tribuunt Messiæ ea officia, eas dotes, quæ sunt regis spiritualis, nempè quòd legem sanctam, novum fœdus esset instituturus; quòd concionatoris, doctoris, magistri, pastoris, Prophetæ, sacerdotis, munia sustenturus et miracula editurus; quòd pacem eximiam et sempiternam allaturus, Isai 9, v. 6 et 7: *Vocabitur nomen ejus.... Pater futuri seculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis*, etc. Cap. 16, v. 1: *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ*. Mich. 5, v. 5: *Et erit iste Pax*. Agg. 2, v. 10: *Et in loco isto dabo pacem*, etc. Quòd crimina esset expiaturus, pro peccatoribus rogaturus, homines sanguine suo redempturus; quòd salutem æternam allaturus, Isaiæ 45, v. 17: *Israel salvatus est in Domino salute æternâ; non confundemini et non erubescetis in seculum seculi*, et cap. 51, v. 6: *Salus mea in sempiternum erit*, etc. Quòd esset potestates tenebrarum spoliaturus mortemque et inferos victurus, Oseæ 13, v. 14: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos; ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero, inferne*, etc. Itaque cùm hæc omnia officia simul sumpta regi duntaxat spirituali competant, sequitur, etc.

3° Durationem æternam regno Messiæ Vates sacri assignant, inprimis verò Daniel, cap. 2, v. 44, his verbis: *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum quod in æternum non dissipabitur..... Et ipsum stabit in æternum*; et cap. 7, v. 13 et 14: *Ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat... et dedit ei* (Antiquus dierum) *potestatem, et honorem, et regnum; et omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient: potestas ejus, potestas æterna quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur*. Igitur caduca non est et temporalis potestas Messiæ, sed æterna et nunquàm auferenda; atqui quod terrenum est, caducum sit et temporale necesse est, non æternum et nunquàm auferendum; ergo, etc.

4° Prophetæ præsignârunt dona spiritualia à rege Messiâ esse distribuenda. Prædixerunt scilicet peccatorum remissionem, et gratiam justificationis per ipsum concedendam, Psalm. 129, v. 7, 8: *Copiosa apud eum redemptio, et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus*. Isai 53, v. 11: *Justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit*; et c. 61, v. 1: *Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem*, quæ RR. Saadias Gaon, et David Kimchi in lib. Radicum ad Messiam referunt. Vide etiam Isai. 42, v. 6 et 7, et cap. 49, v. 8 et 9, etc. Zach. 3, v. 8 et 9: *Adducam servum meum Orientem.... et auferam iniquitatem terræ illius in die unâ*. Prædixerunt Baptismi sanctificantis institutionem, Isai. 12, v. 3: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Ezech. 36, v. 25: *Effundam super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*. Zach. 13, v. 1: *In die illâ erit fons patens domui Duvid et habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris*. Prædixerunt legis divinæ cognitionem hominibus infundendam, ac uberrima ad eam implendam gratiarum auxilia regnante Messiâ esse impertienda. Jerem. 31, v. 33 et 34: *Hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel; post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam... Omnes cognoscent mè à minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus*, et loco mox citato Ezechielis: *Effundam super vos aquam mundam.... et dabo vobis cor novum et spiritum novum ponam in medio vestrî; et auferam cor lapideum de carne vestrâ, et dabo vobis cor carneum, et spiritum meum ponam in medio vestrî* (Hebr. *in interiori vestro*), *et faciam ut in præceptis meis ambuletis*, etc. Similia ab eodem dicta fuerant, cap. 11, v. 19. Ergo imperio Messiæ alligantur dona spiritualia, propriisque regno spirituali characteribus imperium illud describitur, proindeque, etc.

Solvuntur objectiones. — Obj. 1°: Clarè à Prophetis prædictum est Messiam futurum Dominum, dominatorem, bellatorem, victorem, servatorem, ducem, regem, principem, etc.; ergo, etc. — Resp. 1° in pluribus hujusmodi Prophetiis Messiæ gloriam exprimentibus agi de secundo Messiæ adventu, quem cum splendore et majestate futurum Christus etiam nos docuit. — Resp. 2° hæc omnia in Christum quadrare aptissimè, si intelligantur, non sensu terreno et materiali, prout accipiuntur à Judæis, sed sensu vero et spirituali quem Prophetiarum inter se collatarum connexio et series indicat, ut ostendimus, quem Apostoli exposuerunt, quemque eventus manifestum facit. Etenim Christus, etiam ut homo, Dominus est et dominator, cùm Matth. ult. v. 18, ipsi *data sit omnis potestas in cœlo et in terrâ*, et Philip. 2, v. 10, *in nomine Jesu omne genu flecti debeat, cœlestium, terrestrium et infernorum*. Est bellator et victor, cùm de potestatibus tenebrarum et de morte ipsâ triumphaverit, cùm idololatriam destruxerit et dissipaverit; cùm, eo duce et auspice ac vires suppetente, hostes suos Ecclesia usque superaverit, atque invitis idololatrarum furoribus, hæreticorum et schismaticorum machinationibus, malorum Christianorum scan-

dalis, semper firma consistat et inconcussa, cùm postremò ipse auctor sit victoriarum quas adversùs dæmones, adversùs mundi terrores, errores et amores, ac in proprias cupiditates plurimi quotidiè referunt. Est salvator, cùm sanguine suo nos redemerit et Deo reconciliaverit, nobisque media, quibus ad vitam et ad regnum æternum pervenire valeamus, meruerit. Tandem rex est, dux, princeps, quippe non modò rex est Ecclesiæ in cœlis triumphantis, sed et Ecclesia hìc militans eum regem suum et supremum principem agnoscit, ejus regitur legibus, ejusdem nutritur et sanctificatur donis, promissis reficitur, et per eum solum se æternæ salutis consortem futuram sperat. Quid quòd ejus imperio subduntur ipsi rebelles Ecclesiæ filii et ab eâ separati? hos quippe ad illam redire jubet, eisque, ni fecerint, judicium horrendum et pœnas sempiternas minatur. Neque etiam ab ejus dominatione ipsimet eximuntur Judæi, qui eum non agnoscunt; ii siquidem tenentur Christum auscultare, dùmque illi renuunt fidem, rebellionis in ipsum sese reos constituunt. Rex denique est omnium infidelium, quippe ad quos voluit Evangelium nuntiari, et qui legi christianæ, ubi eis proponitur, amplectendæ ab eo adstringuntur.

Inst. 1° cum Orobio in tertio scripto, quæst. 1, n. 4, et aliis Judæis : Illius regnum non est spirituale, sed terrenum, qui à Prophetis prædictus est super solium Davidis sessurus, ejusque regnum possessurus; solium quippe Davidis in terris fuit, non in cœlo, et regnum ejus terrenum fuit et temporale, non spirituale et cœleste. Atqui Messias à Prophetis prædictus est in solio Davidis sessurus, ejusque regnum possessurus; ergo, etc. — Dist. maj. illius regnum est terrenum, qui prædictus est possessurus Davidis regnum in eâdem formâ et specie quâ possessum est à Davide, concedo; qui prædictus est possessurus regnum Davidis in aliam omninò formam et speciem immutatam, nego. Similiter dist. min. et nego conseq. Ea veteris Testamenti loca, in quibus Messias dicitur Davidis regnum obtenturus, nihil speciale continent quod in novo Testamento itidem non occurrat de Christo dictum. Quemadmodùm Isai. 9. v. 7, de Messiâ dicitur : *Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis; super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud et corroboret in judicio et justitiâ amodò et usque in sempiternum;* ita et Angelus Mariam alloquens, Luc. 1, v. 32, de Christo hæc profert : *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus; et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.* At quando seu à Prophetis, seu in Evangelio solium et imperium Davidis Christo adscribuntur, sensus non est nullum esse regni ejus à Davidico discrimen. Certè dùm ea Prophetæ docuerunt quæ de vitâ, passione, morte, etc., Messiæ adduximus, dùm tot spiritualium donorum auctorem et largitorem illum exhibuerunt, satis significavêre à se imperium Davidicum Messiæ attribui aliâ prorsùs ratione et formâ possidendum, quàm à Davide possessum est. Atque hanc discriminis rationem accuratè explicârunt Evangelistæ et Apòstoli, recensendo, ut diximus, varios regni spiritualis Christi characteres.

Quid ergo vaticiniis Prophetarum præsignatur, cùm in iis regnum et solium Davidis asseruntur Messiæ? illud unum, quod in Christo ex novo Testamento impletum est, nempe Messiam Davidis filium à Deo, ut olim David, excellentiori tamen ratione, auctoritatem suam desumpturum, ipsumque populo Dei imperaturum id est, populo quem Deus pro suo jam agnoscit, sicut in populum Dei ex Abrahamo satum David imperium, olim obtinebat. Etenim Vates sacros 1° nemo procul dubio dixerit eo sensu intelligendos quòd in eâdem sede materiali voluerint sessurum Messiam, in quâ sedebat David; solium igitur Davidicum in iis de quibus agitur Prophetarum locis accipiendum est tantùm pro imperio Davidico. 2° Nec etiam prædixisse censendi sunt Prophetæ, sedem Messiæ in eodem loco collocandam ac sedem Davidis; siquidem regni sedem sæpè contingit immutari, regno eodem permanente; sic quando Constantinopolis facta est caput imperii romani, non ideò illud imperium desiit. Nihil ergo ad rem pertinet quòd Davidis sedes fuerit Jerosolymis, sedes verò Christi ut hominis, in cœlis existat. 3° Pariter non præsignificârunt fore ut regnum Messiæ ratione legum, bonorum subditis distribuendorum, extensionis et finis, à regno Davidico non differret; imò, ut ex dictis patet, fœdus novum, legem sanctificantem à Messiâ instituendam, remissionem peccatorum, sanctitatem et gratias uberes ejus mortis pretio concedendas, gentes ad ejus fidem adducendas et conversis populi Judaici reliquiis inferendas vaticinati sunt; ergo, etc. 4° Oracula regnum Messiæ spectantia non possumus interpretari de gloriâ humanâ et terrestri; quæ cum vitâ paupere, passione et morte Messiæ multoties prædictis stare non possunt. Itaque istud solùm superest, Messiam idcircò dictum fuisse solio et regno Davidis potiturum, quia sicut David fuerat à Deo rex populi Dei constitutus, ita et Messias à Deo verum, etsi alterius generis, imperium erat in ejus populum obtenturus.

Et verò ille possidet regnum Davidis, qui eodem jure imperat quo David, et eumdem populum regit. Atqui Christus 1° eodem jure regnat quo David; Christo enim ut homini (Matth. ult. v. 18) *data est* à Deo *omnis potestas in cœlo et in terrâ;* et (Philipp. 2, v. 9 et 10) *Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum,* etc. Christus eumdem, quem rexit David, populum regere dicendus est, tum quia Ecclesia successit Synagogæ, populus christianus Christum regem agnoscens, populo Judaico cui præfuit David; adeò ut quemadmodùm populus Judaicus ex Abrahamo satus olim ut populus Dei proprius habebatur, ita Christiani soli populum vero Dei cultui addictum nunc constituant; tum quia Christus et Apostoli primùm Judæis, prout ejusmodi populi prærogativæ postulabant, Evangelium nuntiavêre, quorum plurimi statim fidem amplexi sunt; unde contigit ut ex solis illis Judæis Christianis

primùm coaluerit Christi populus, eorumque solorum ministerio Ecclesia Christi deinde per gentes dispersa fuerit, et fructus tulerit uberrimos, juxta illud Isaiæ 37, v. 31 : *Quod salvatum fuerit de domo Juda... faciet fructum; quia de Jerusalem exibunt reliquiæ, et salvatio de monte Sion; zelus Domini exercituum faciet istud.* Quapropter gentes ad Christum conversæ tanquàm insertæ Christi populo ex Judæis primùm coagmentato, ac veluti quædam ejusmodi populi accessiones habendæ sunt. Ergo quemadmodùm David acceperat à Deo potestatem regendi ejus populi, ita et populum Dei, auctoritate à Deo acceptâ, Christus ut homo regit; proindeque vero sensu dicendus est solium et imperium Davidis obtinere. Certè quidem, si Deus alicui Davidis filio eam in 12 tribus, et in nationes auctoritatem contulisset, quam reges in subditos exercent, restauratum esse sceptrum Davidis fateretur Judæus. Ergo, cùm Christus Davidis filius jugi et perpetuâ fruatur in Judæos et in gentes potestate quæ solito regum imperio infinitè præstat, planum est in eo eximiè impleri vaticinia de semine Davidis æternùm in domo Jacob regnaturo. Accedit, quòd valdè premi posset, Christum esse hominem Deum, filium Davidis simul et naturâ Filium Dei, ipsique proinde supremam et omnimodam in temporalia ipsa auctoritatem competere.

Inst. iterùm cum eodem ibid. : Messias ex Prophetis non tantùm regnaturus est in Judæos, sed *et hoc in terrâ Israelis, in terrâ quam Deus dederat patribus suis, ubi patres sui habitaverunt.* Ergo, etc. Dist. antecedens : Regnaturus est in terrâ Israelis, etc., id est, regnum spirituale ibi obtenturus, concedo; regnum terrenum et caducum, nego. Terram Israelis seu Palæstinam Messiæ imperio adscribendam ultrò concedimus, et quidem non modò terram Israelis, sed et totum orbem et universas gentes ipsius dominio Prophetæ vindicant, Psal. 2, v. 6 et 8, Psal. 71, v. 8 et seqq., etc. Solummodò negamus ipsi imperium terrenum et caducum attribuendum esse : regnum Messiæ interpretamur regnum longè excellentius, spirituale videlicet, prout explicatum est. Præcellens autem illud in ipsam Israelis terram imperium Christo competere in dubitatum est. Ipse enim trium saltem annorum spatio regis spiritualis munere hâc in terrâ per sese fungi cœpit, Judæis Evangelium prædicans, et miraculis cujusvis generis se à Deo missum evidenter confirmans. Idem imperium post ascensionem suam per Apostolos ibidem exercuit, dùm voluit ab ipsis primùm *in Jerusalem* (Act. 1, v. 8), *et in omni Judæâ et Samariâ* fidem christianam annuntiari. Deinde nemo nescit per plura secula totius Israeliticæ regionis incolas Christi legibus paruisse. Multi etiamnum in Palæstinâ occurrunt Christiani. Nec porrò jure imperii destituitur Christus in infideles populos qui has terras incolunt; quotquot enim de doctrinâ et lege ejus audierunt, ei sese subjicere tenentur, supremam alioquin ejus potentiam ac justitiam vindicem in suppliciis æternùm experturi.

Inst. 3° cum eodem : *Poterant Prophetæ prædicere Messiam obtenturum romani Cæsaris regnum. An postea posset dici id intelligendum de regno Cæsaris in cœlo? atqui non magis fuit in cœlo regnum Davidis, quàm Cæsaris*, non magis spiritualis fuit Palæstina quàm Italia; non magis fuit in cœlo populus Judæorum quàm Romanorum; ergo, etc. Respondeo : Non magis collocamus solium Davidis in cœlo, quàm solium Cæsaris. Fatemur insuper quòd si Prophetæ prædixissent Messiam potiturum esse Cæsaris imperio, absurdè id explicaretur de regno spirituali; quia scilicet cùm Cæsar in populum merè profanum dominationem exerceret, nulla esse posset convenientia inter regnum Cæsaris et regnum spirituale quod Messiæ adscribimus. At verò cùm David, Deo auctore, ejus populo imperaverit, is sanè dici potest Davidis regnum obtinere, qui à Deo constitutus est rex populi Dei, quocumque modo illud imperium se habeat, id est, seu spirituale, seu temporale sit : proindeque Christus meritò à nobis dicitur thronum Davidis occupare, nec ad rem pertinet quæ cum throno Cæsaris comparatio instituitur.

Inst. 4° : Judæi non possunt Messiam regem spiritualem agnoscere, nisi nobiscum admittant Israelem mysticum, Jerusalem mysticam, terram mysticam; atqui desiperent Judæi, si propter hujusmodi sensus mysticos à Christianis confictos, clara et aperta Prophetarum verba desererent, et nova gentium dogmata consectarentur; ergo. Ad majorem, resp. à nobis non negari Christo competere imperium in veram terram Israeliticam, ut modò diximus, et in verum Israelem, id est, in Judæos omnes seu conversos et Ecclesiæ adscriptos, seu in alios, quos ad fidem Christi amplectendam teneri contendimus. Totius controversiæ cardo in hoc solùm vertitur an terrenum et caducum sit illud Messiæ regnum, ut volunt Judæi, an verò spirituale, cœleste et æternum, sicut à nobis explicatum est, et sentiunt Christiani. Ad minorem, falsò supponunt Judæi, clarè et apertè vaticinatos esse Prophetas Messiæ regnum futurum esse terrenum. Eos quidem non possumus de spirituali Messiæ regno interpretari, quin pluribus in vaticiniis agnoscamus metaphoras, seu verba à regnis temporalibus designandis ad imperium spirituale significandum translata; sed sensus metaphoricos sæpè in Scripturis, ac præsertim in scriptis Prophetarum occurrere, quis negaverit? Cavendum novimus ne verba Dei sensu proprio accipienda ad metaphoras detorqueantur; at nihil metuendum ubi ex ipsomet Dei verbo figuratam esse locutionem apparet. Atqui hìc ita se res habet. Nam 1° his ipsis in prophetiis Messiæ regnum contingentibus, quas volumus metaphoricè accipi, plerumque Vates sacri aliqua immiscent ad regnum spirituale mentem appellantia. 2° In benè multis aliis vaticiniis characteres regni spiritualis imperio Messiæ assignantur. 3° De regno spirituali easdem explicari prophetias manifestè postulant, ut jam supra dictum est, insignia oracula Davidis, Isaiæ, Danielis, etc., vitam, passionem et mortem Messiæ spectantia; ergo, etc. Falsò etiam in adductâ minore supponitur, gratis à nobis fingi mysti-

cos sensus, quos in probationem afferamus. Pluribus quidem vaticiniis Messiæ regni prænuntiis alligamus sensum metaphoricum et eà ratione spiritualem quòd spiritualia exhibeat, ac rebus terrenis et caducis, quas Judæi volunt iis Prophetiis designari, opponatur. At cùm is sensus verbis immediatè exprimatur, accuratè loquendo pertinet ad sensum litteralem, qui in proprium et metaphoricum solet dividi, non verò ad merè mysticum qui rebus expressis immediatè significatur, verbis non nisi mediatè designatur. Fatemur autem sensus mysticos ad probationem nihil conferre, nisi aliunde probentur à Deo revelati; atque ideò à sensibus merè mysticis nullo momento stabilitis argumentari hactenùs abstinuimus. Fatemur quoque Scripturas sensu proprio accipiendas, nisi ubi metaphoram esse adhibendam ex verbo Dei ostenditur. At quando vaticinia quædam sensu verborum proprio hìc non exponimus, iisque per translationem sensum metaphoricum ac sublimiorem affigimus, non nostro arbitratu hæc comminiscimur; sed nostras validè confirmamus expositiones tum ex ejusmodi vaticiniorum indole et adjunctis, tum ex eorumdem accuratà cum aliis multis vaticiniis in Christo manifestè impletis collatione, tum etiam ex perspicuo eventu, et ex interpretatione Apostolorum, quos à Deo missos et inspiratos fuisse ad explicandas sacrorum vatum Prophetias, innumera quæ ipsi ediderunt miracula evidentissimo argumento sunt. Ergo nec sensus mysticos gratis fictos in probationem adducimus, nec expositiones metaphoricas pro arbitrio comminiscimur, nec proinde desiperent Judæi, imò saperent maximè, si nostras interpretationes et christiana dogmata consectarentur.

Inst. 5°: Nulla afferri potest ratio cur Prophetiæ ad regnum Messiæ attinentes à nobis accipiantur metaphoricè ac spiritualiter, aliæ verò sensu proprio et ad litteram; ergo, etc. Resp. rationem disparitatis in promptu esse, atque ex dictis facilè colligi. Scilicet ubi voces à Prophetis de Messiæ regno adhibitas metaphoricè et spiritualiter intelligendas esse ducimus, metaphora obvia est et naturalis, et longè præcellentior Deoque dignior est sensus spiritualis seu metaphoricus, quàm proprius et litteræ superficie expressus. Deinde et rerum eventus manifestus, et aliorum vaticiniorum consideratio, et miracula Christi ac Apostolorum, sensum hunc metaphoricum exigunt, ut jam dictum est. At verò nonnisi absurdè assignaretur sensus spiritualis vaticiniis quæ nos ad litteram interpretamur, v. g., iis quæ Christi vitam pauperem, passionem, mortem, etc., contingunt. Et præterea, tantùm abest ut ejusmodi vaticinationum cum aliis quæ spiritualiter explicamus collatio officiat ne ad rigorem litteræ et sensu proprio accipiantur, ut potiùs quocumque illæ intelligantur sensu, necessariò designent eam futuram esse Messiæ conditionem, quæ cum glorià et splendore regni terreni conciliari non possit. Postremò quæ vaticinia accipimus litteraliter, etsi innumera sint, ea tamen hoc modo accepta eventui, ut ostendimus, perfectè consentiunt et Apostolorum interpretationibus; ergo, etc.

Inst. 6°: Priusquàm adveniret Jesus Nazarenus et ulla de regno Messiæ lis moveretur, Judæi veteres existimabant Messiam fore regem terrenum; nec in Prophetiis de regno Messiæ sensus metaphoricos ac spirituales agnoverunt; quod patet ex Judæorum et paganorum scriptis, ex agendi ratione Herodis, filiorum Zebedæi, et aliorum Judæorum tempore Christi viventium. Ergo nec nos ejusmodi sensus debemus agnoscere. Nego anteced. Nulla veterum Judæorum profertur certæ fidei traditio quæ nostris adversetur interpretationibus. Prisci Judæi Prophetis viciniores de Messiæ regno temporali aut spirituali quidquam determinâsse non leguntur, fortè quia, ante rei exitum, sacra oracula de hoc negotio non satis erant perspicua, ut quidquam circa illud expressè statui posset. Fatemur quidem versùs Jesu Christi ætatem Judæos in hanc abiisse sententiam, regnum Messiæ futurum esse terrenum; sed contendimus et ex dictis liquet, id tribuendum esse præcipiti eorum judicio atque effuso in temporalia et terrena affectui, ex quo factum est ut Scripturas carnali sensu acciperent, et ab aliis prophetiis vitæ pauperis, afflictionum, dolorum, mortisque Christi prænuntiis mentem avocarent.

Inst. ultimò: *Regni cœlestis* (Messiæ) *nullum signum huc usque visum, neque in gentibus, neque in Israele, neque in Ecclesiâ christianâ.* Ita Orobio ibid. in ipso titulo numeri 19, in quo singula illa deinde probare nititur argumentis quæ jam præoccupavimus supra paragr. 6; ergo, etc. Nego ant. Nam Christum Dominum esse regem spiritualem, regem cœlestem, probant 1° cuncta illa oracula quæ in eo adimpleta esse hactenùs ostendimus; hæc enim planè evincunt Christum esse Messiam à Deo missum, ac proinde esse regem spiritualem et cœlestem, cui *data sit omnis potestas in cœlo et in terrâ*, sicut ipse docuit Matth. ultimo, v. 18. Fatemur quidem aliqua de Messiâ ad litteram prædicta nondùm completa in Christo conspici; nec mirum, cùm eorum implendorum nondùm tempus advenerit. Verùm oracula in Christo ad eventum perducta certam fidem faciunt cætera quoque suo tempore adimplenda esse, ubi videlicet gentium plenitudo introiverit, infidelitatique Israel suæ finem imponens Christi Ecclesiæ insertus fuerit. Probant 2° innumera à Christo et ab Apostolis ejus edita miracula, quæ, ut jam aliquando diximus, splendidiora adhuc sunt et certiùs constant quàm miracula Moysis, et quorum certitudinem inferiùs in gentiles demonstrabimus. His namque miraculis firmatur christiana fides, juxta quam Christus est rex spiritualis et immortalis. Probant 3° fructus insignes et uberrimi ex Evangelii prædicatione consecuti. Olim in solâ Judæâ Deus Israel agnoscebatur; gentes reliquæ idolis serviebant: jamdudùm idola sunt contrita, verus Deus à gentibus agnoscitur et colitur, et, ut supra dictum est, vera Christi Ecclesia per totum orbem diffusa cernitur. Probant denique mira religionis christianæ propagatio, et quæcumque alia in ejusdem gratiam argumenta proferuntur.

Obj. 2°: *Si sensus litteralis nunquàm rejiciatur, sed religiosè observetur, quantumvis majora ibi latere cre-*

dantur, templum illud ab Ezechiele (cap. 40, 41 et 42) *depictum cum suis porticis et mensuris, aliquando realiter construetur, et bellum Gog et Magog* (ibid. cap. 38 et 39 descriptum) *verè continget; atque Israel carnalis, domus Jacob et Judæ in propriam patriam, quam habitaverunt patres sui, verè revertentur; venient ex omnibus regionibus, et ex Septentrione in propriam hæreditatem, et omnes gentes in nomine Adonai in Hierusalem. Sic adest clarissimè in litterâ hic sensus litteralis, tamen à vobis* (Christianis) *nunquàm admittendus, qui templum id mysticum, bellum id mysticum, Israelem illum mysticum, Hierusalem mysticam, terram mysticam interpretari, intelligere cogimini.* Ita post multos rabbinos Orobio in secundo suo scripto apud Limborch. Ergo regnum Messiæ tale futurum est quale à Judæis expectatur.

Resp. duas esse antecedentis partes sigillatim considerandas. Quod ad primam partem attinet, dist.: Templum ab Ezechiele depictum aliquando realiter construetur, si nondùm constructum fuerit, concedo; si constructum jam olim fuerit quantùm ferebant circumstantiæ temporum, et scopus vaticinii exigebat, nego. Dico igitur nihil obstare quominùs templum Ezechieli in visione repræsentatum ipsummet fuerit templum Salomonicum, quale Jerosolymis extitit cùm jussu Nabuchodonosoris eversum et combustum est. Scilicet ubi Prophetiarum Ezechielis series ac scopus attenduntur, omninò apparet eo consilio templi imaginem illi Prophetæ fuisse exhibitam et accuratè ab ipso delineatam, ut ad ejus exemplar Judæi è captivitate reduces, quantùm angustiæ temporum et facultatum paterentur, templum denuò extruerent. Atque hoc fuisse Dei consilium non obscurè indicatur cap. 43, v. 10, 11 et seq. Nec certè ullo modo probabile est Ezechielem, qui de captivitate Babylonicâ et proximè futuro ab ipsâ reditu indesinenter vaticinatur, prorsùs siluisse templum à Judæis reducibus reædificandum, atque mentionem tantùm fecisse ac minutatim descripsisse omnes mensuras alterius templi post tria demùm annorum millia, ex sententiâ Judæorum, extruendi. Ex adductis igitur Ezechielis capitibus 40, 41 et 42, etiam sensu proprio intellectis, non possunt Judæi evincere templum tertium à Messiâ, cujus ibi ne verbum quidem, aliquando ædificandum. Quàm verò inani spe arca templi illius tertii extructionem alantur, non uno in loco jam ostensum est. Quòd si observes templum illud, quale ipsum Ezechiel describit, à templo Salomonico prout in libris Reg. et Paral. delineatur, nonnihil differre; id non inficiabimur. At quemadmodùm templum secundum à Zorobabele exstructum, deinde plurimùm ab Herode amplificatum est; nonne credibile est successores Salomonis ex immensis illis donariis et tributis annuis curâsse Dei domum exornari, et pro datâ occasione amplificari?

Ad secundam partem antecedentis, resp. varias de duobus Ezechielis capitibus prælium Gog spectantibus esse interpretationes. Multi volunt agi de prælio propriè dicto, de Israele et terrâ Israeliticâ propriè acceptis, ac referunt illud vaticinium alii ad blasphemum et homicidam Antiochum Epiphanem; ita interpretum vulgus; alii ad Cambysem Cyri filium et successorem, Ecbatanis in Carmelo versùs extremitatem Palæstinæ post expeditionem Ægypti fato functum teste Herodoto lib. 3, cap. 21 et seq. Ita Calmetus in Dissert. de Gog et Magog; alii *opinantur Gog esse regem ipsum Babylonis, non quidem personaliter, ut aiunt, sed ratione regiæ dignitatis spectatum, terram verò Magog esse imperium ipsum Chaldæorum;* ita novus Vatabli editor in hunc locum. Complures de Antichristi temporibus explicant eamdem Ezechielis prophetiam. Non pauci sentiunt à Prophetâ adumbrari victorias quas in idololatriam ac falsos Deos Christus retulit, vel prælia quæ adversùs justos committunt impii, aliquando debellandi et puniendi. De his omnibus fusè inquirere necesse non est; ad solutionem sufficit 1° in illis Ezechielis capitulis nullam prorsùs haberi vel minimam Messiæ mentionem, ex quo sequitur objectionem penitùs corruere; 2° ibidem multa occurrere metaphoricè et figuratè accipienda: v. g., quòd dicitur cap. 38, v. 20, in die adventûs Gog *commovendos pisces maris, et volucres cœli, et bestias agri, et omne reptile quod movetur super humum, cunctosque homines qui sunt super faciem terræ; et subvertendos montes*, etc., et cap. 39, v. 12, septem insumendos menses sepeliendis iis qui ex exercitu Gog infecti fuerint; 3° non videri posse secerni quæ in hâc Prophetiâ proprio sensu accipienda sunt, ab iis quæ metaphoricè debent intelligi; hæc tamen à Judæis priùs esse discernenda, quàm possint de sensibus metaphoricis hîc assignatis conqueri. Fortè hîc duplex sensus distingui debet, alter proprius et ad regem Babylonis, vel ad Antiochi tempora referendus, alter præcellentior et sublimior ad persecutiones quas Propheta prævidebat in Ecclesiam et in pios singulis seculis, ac præsertim versùs mundi finem suscitandas.

Objicies 3°: Sensus spiritualis quem in Prophetiis regnum Messiæ contingentibus admittere cogimur, Deum fecit deceptorem. Nam ille est deceptor qui non intendit eum sensum quem verba naturaliter præ se ferunt; atqui juxta nostras expositiones Deus ita se gerit in præsenti casu; verba enim Prophetarum naturaliter et ad litteram sumpta exhibent regnum terrenum; ergo, etc. Ita idem Orobio passim.

Nego anteced.: Aliud est non revelare clarè et apertè, aliud in errorem inducere. Ad probationem, nego min. Sensus litteralis generatim, ut jam notavimus, ille est quem verba immediatè significant, et duplex distinguitur; alter est proprius, alter metaphoricus: proprius est ille quem verba sensu proprio et nativo sumpta referunt, ut quando à Jonâ dictum est cap. 3, v. 4: *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur;* metaphoricus ab analogiâ quâdam seu rerum convenientiâ ducitur, ut cùm Christus dixit, Joan. 10, v. 9, se esse *ostium*, et cap. 14, v. 6, se esse *viam*. Prophetæ quidem exprimunt Messiam regnaturum, et regnum ejus iis sæpè describunt verbis quæ sensu proprio terrena regna designarent; sed cùm, ut dictum est, hæc eadem verba sensu metaphorico accepta ad regnum spirituale denotandum idonea sint; cùm præterea expressis à se regni Messiæ characteribus multa

Prophetæ immiscere solcant, quæ propriè sunt regni spiritualis; cùm denique plurima ab iisdem de Messiâ prænuntientur terrenum ipsi regnum abjudicantia, sequitur verbis Prophetarum naturaliter et ad litteram sumptis non exprimi regnum Messiæ futurum esse terrenum et temporale, sed potiùs ea sacrorum Vatum oracula in quibus voces regnis terrenis significandis natæ ad Messiæ regnum applicantur, debuisse rebus omnibus accuratè perpensis, metaphoricè et sublimiori sensu intelligi; ergo, etc.

Inst. 1° : Si Messias sit rex spiritualis et cœlestis, non terrenus; si plura vaticinia regnum ejus spectantia spirituali ac metaphorico sensu accipienda sint, fatendum erit prophetias illas obscuras fuisse et intellectu difficiles; sed si prophetiæ ad regnum Messiæ attinentes fuerunt obscuræ et intellectu difficiles, saltem culpandi non sunt Judæi quòd Messiam non agnoverint; ergo, etc. Dist. maj. : Fuissent obscuræ et intellectu difficiles ante adventum ipsius Messiæ, concedo; post ejus adventum, nego. Itaque sacrorum Vatum oracula quædam, antequàm recipiendus esset Messias, aliquibus nubibus obtegi Deus sapientibus de causis voluit, fortè ne populus ad terrena supra modum propensus regem spiritualem et cœlestem sibi clarè cognitum minùs appeteret et haberet in levi. Quidquid sit, fatemur vaticinia ad regnum Messiæ attinentia obscuritatibus non sine aliquo labore discutiendis obvoluta fuisse; at ubi Christus apparuit et cum hominibus conversatus est; ubi se esse Messiam et regem spiritualem ipse docuit; ubi idipsum miraculis innumeris confirmavit; ubi à Joanne testimonium accepit; ubi Prophetiæ ejus nativitatem, præcursorem, vitæ rationem, prædicationem, miracula, etc., spectantes adimpleri visæ sunt; ubi deinde temporis decursu compertum fuit omnem sacrorum oraculorum seriem ejusdem passione, morte, resurrectione, discipulorum miraculis, et prædicatione, multorum Judæorum conversione ac gentium vocatione, etc., compleri; ubi primùm, inquam, hæc fieri cœpta sunt, evanuit profectò omnis obscuritas, adeò ut magni criminis rei sint Judæi, quòd regem suum sibi à tot seculis prænuntiatum, olim non receperint, quòd eum morti tradere non dubitaverint, quòd postea Apostolorum prædicationi restiterint, ac successoribus Apostolorum eos ad Christi fidem adhuc vocantibus etiamnum obluctentur.

Inst. 2° : Deus Israelem sincerè diligebat, et aliunde ab eo certò prævidebatur fore ut si obscurè tantùm revelaret quale futurum esset Messiæ regnum, illud Judæi non agnoscerent. Ergo si Messiæ regnum debuisset esse spirituale, Deus clarè et apertè prænuntiâsset eum ut regem spiritualem et cœlestem, non ut temporalem expectandum. Respondeo 1° hoc argumento nimis probari, ac proinde nihil probari; nam inde sequeretur peccatum nunquàm à Deo permitti potuisse : sic enim retorqueri potest argumentum : Deus sincerè diligebat Adamum et Evam, et prævidebat eos peccaturos si fructus arboris scientiæ boni et mali eis interdiceretur; ergo Deus non potuit Adamum et Evam ejusmodi constringere præcepto. 2° Nego conseq. Nam ab iis quos diligit, non semper Deus avertit mala quæ futura prævidet; aliàs qui semel justificati sunt, nunquàm peccarent; ipsi satis est si media illis ad vitandum malum aptissima suppeditet. Horumce Dei consiliorum rationem quidem ignoramus; sed nihilominùs coguntur Judæi cum Christianis fateri rem ita se habere, et adorandas hìc esse, ut in cæteris, vias divinæ providentiæ investigabiles. Porrò non defuisse Judæis media, quibus si uti voluissent, Jesum Christum esse Messiam sibi promissum agnovissent, ex dictis in totâ istâ disputatione liquet; ergo, etc.

CAPUT III.

De variis aliis momentis et indiciis, quibus Messiam venisse, eumque esse Jesum Christum confirmatur.

Adductis hùc usque adversùs Judæos argumentis, septem octove alia adjicienda supersunt momenta, quæ paucis exponemus.

Primum momentum ex typis quibus olim Messias figuratus est, petitum. — Typi Messiæ sunt veluti quoddam prophetiarum genus, non verbis, sed rebus personisve et actionibus expressum. Non inficiantur Judæi multos ejusmodi fuisse olim Messiæ typos et figuras, Isaacum videlicet, Josephum, Moysen, Davidem, Salomonem, Jeremiam, Agnum Paschalem, etc. Christum porrò inter et typos illos tanta est in præcipuis convenientia, ut inter figuram et rem figuratam, inter umbram et veritatem major desiderari nequeat. Lege Huetium prop. 9, cap. 170, singulos illos typos eruditè, more suo, recensentem, et post SS. Patres accuratè explicantem; neque enim nobis hìc licet varia hujusmodi admirandæ consensionis capita sigillatim evolvere. Atqui, quamvis argumentum quod ex ejusmodi typis eruitur, tanti non sit ponderis, quanti illud invictum quod ex prophetiis hactenùs deductum est, eam tamen, quæ in Christo Jesu cum tot insignibus Messiæ typis deprehenditur, admirabilem cohærentiam nemo sanè casui fortuito adscripserit. Multùm ergo Messiæ typis firmatur quod jam demonstratum est, nempe Messiam non ampliùs exspectandum, sed jam diù venisse et esse Christum Dominum.

Secundum momentum, ex Prophetiarum Messiæ prænuntiarum cessatione. — Ex quo Joannes Baptista, qui Christo præivit ipsique testimonium perhibuit, neci ab Herode Antipâ traditus est, nullus apud Judæos prodiit Propheta Messiæ prænuntius. Hoc ipsum prænuntiaverat Christus Luc. 16, v. 16, his verbis : *Prophetæ usque ad Joannem.* Jam verò quid causæ esse potuit cur ab ævo Joannis Baptistæ, id est, à plusquàm septemdecim seculis, vaticinia Messiæ prænuntia desierint, nisi quòd ille jamdudùm advenerit in quo prædictum fuerat *implendam* esse *visionem et prophetiam*, hoc est, Messias, isque sit Christus Jesus?

Tertium momentum : Christus tunc venit, cùm Messias à Judæis expectabatur. — Si illo ævo quo Christus natus est Messias venerit, fateantur Judæi necesse est hunc alium esse non posse quàm Christum. Quis enim alter illius ævi homo Messiæ titulo cum vel mi-

nimâ veri specie insigniri posset? Atqui præter evidentia argumenta quibus supra stabilitum est Christum eo tempore natum esse quo Messias ex prophetiis nasci debuit, illud insuper in Judæos urgemus, eorum videlicet majores non dubitâsse quin Messias tum adventurus esset. Atque id quidem evincitur 1° ex testimonio Evangelistarum. Luc. 2, v. 25 et 26, de Simeone sene hæc leguntur : *Homo iste justus et timoratus, expectans consolationem Israel, et Spiritus sanctus erat in eo; et responsum acceperat à Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini.* Ibid. v. 38, Anna Prophetissa inducitur *loquens de illo* (Christo) *omnibus qui expectabant redemptionem Israel.* Et ex Joan. 1, v. 19 et seqq., colligitur Judæos omnes, ubi Joannes Baptista prodire cœpit, in hanc dubitationem fuisse adductos, annon is esset Messias quem expectabant; quapropter ut ibi habetur, *miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes et Levitas ad eum, ut interrogarent eum : Tu quis es?* nempe, an esset Christus. Hinc, *cùm natus esset Jesus in Bethleem Juda, et Magi ab Oriente venissent Jerosolymam* ut eum inquirerent et *adorarent, audiens Herodes rex turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo, et congregans omnes principes sacerdotum, et scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei : In Bethleem Juda.* Omitto Joannem Baptistam, Matth. 11 v. 3, et Luc. 7, v. 9, misisse duos è discipulis suis ad Jesum, ut interrogarent eum : *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Omitto et verba mulieris Samaritanæ ad Jesum Joan. 4, v. 25 : *Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus; cùm ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.* Testes itàque sunt Evangelistæ pro certo tenuisse Judæos futurum ut illo ævo, quo Christus venit, Messias esset oriturus.

2° Idem Rabbinorum ipsorum testimonio comprobatur. Nam ex eorum libris clarè eruit Huetius, propos. 9, cap. 8, n. 1, eam fuisse doctorum paulò ante Christi tempora florentium sententiam, tempora adventûs Messiæ tunc institisse. Testatur verò Josephus, lib. 6 de Bello Judaico cap. 5, aliàs 12, n. 4, Judæos spe et opinione Messiæ mox venturi incitatos fuisse ab bellum illud in Romanos suscipiendum, quod ultimâ Jerosolymorum conflagratione conclusum est. Tandem Talmud Babylonicum in Gemarâ tract. Sanhedrin, in cap. 11, sic habet : *Traditio domûs Eliæ : Sex mille annos durat mundus. Bis mille annis inanitas et vastitas. Bis item mille annis lex. Denique bis mille annis dies Christi.* Quæ, interprete R. Manasseh lib. 3 de Resurrectione, significant bis mille annis ante Abrahamum homines sine lege scriptâ vixisse; bis mille annos alios ab Abrahamo ad Messiam interjacere; *ita ut elapsis à mundo condito quater mille annis, illustris ac mirabilis dies exoriturus sit quo Messias in has terras veniet.* Ergo cùm juxta acceptam Judæis chronologiam versùs annum mundi quater millesimum Christus natus sit, consequens est eum venisse eo tempore quo Messias ex traditione domûs Eliæ venire debuit.

3° Suffragantur historici profani. A Judæis quippe procul dubio orta fuerat, quæ fidejussore Suetonio in Vespasiano, cap. 4, *percrebuerat Oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judææ profecti rerum potirentur.* Eadem iterùm tradit in Nerone cap. 40. Iis similia quoque scribit Tacitus, lib. 5 Histor. *Pluribus*, inquit, *persuasio inerat, antiquis sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore ut valesceret Oriens, profectique Judææ rerum potirentur.* Eòdem referri solet, tum quod in Tullio, lib. 2 de Divinat. legitur de rege, cui nisi parerent Romani à salute exciderent; tum istud Virgilii, Eclog. 4 de Deo juxta Sibyllinos versus nascituro :

Chara Deûm soboles, magnum Jovis incrementum.

4° Adeò certum est versùs Christi tempora opinatos esse Judæos Messiæ adventum imminere, ut, cùm antea nemo sese Messiam perhibuisset, tunc multi pseudo-Messiæ prodire cœperint, et ex illo tempore varii variis seculis eruperint. Herodes, juxta plurimos, ab Herodianis Messias est habitus. Josephus Theudæ et aliorum pseudo-prophetarum mentionem facit, à quibus ante excidium urbis non semel deceptus est populus et in desertum abductus.

Omnium porrò falsorum Messiarum famosissimus fuit insignis ille impostor, qui nomen Bar-Kokebæ, id est, *Filii stellæ* sibi eo consilio imposuit, ut *stella Jacob* à Balaamo prævisa haberetur. Is juvante celebri R. Akiba, Synagogæ principe, quem sibi comitem seu potiùs præcursorem elegerat, Messiam se esse Judæis persuasit, immensoque eorum in Judæâ congregato exercitu, adversùs Adrianum Imperatorem anno Christi circiter 129, vel ut aliis placet 134, rebellare ausus est, sicque Romanis bellum difficile, gentique suæ novam stragem et horrendas calamitates intulit. Quapropter Judæi fraude hominis agnitâ, eum cognominaverunt *Bar-Kosiba*, id est, filium mendacii. Legi possunt de hoc falso Messiâ Eusebius Chronico ad annum 17 Adriani; Sanctus Justinus in apologiâ 2 pro Christianis, olim 1; S. Hier. in Catalogo script. ecclesiastic.; R. David Ganz in Tzemach David ad annum 4880. Hujus etiam mentio fit in Talmude et in Echâ rabathi.

Id obiter notandum, R. Ahibam, etsi tantæ fraudis artifex præcipuus, et tot malorum causa extiterit, haberi tamen à Judæis ut doctorem summum, quem maximâ veneratione prosequuntur.

Quartum momentum, ex multitudine pseudo-messiarum, à quibus, juxta Christi vaticinium, decepti sunt Judæi. — Ineptâ credulitate Judæos laboraturos, et falsis quibuslibet Messiis temerè adhæsuros disertè prædixerat Christus Joann. 5, v. 43, his verbis : *Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Prædictioni porrò eventus stupendum adeò in modum respondet, ut certo indicio sit criminis à natione commissi, dùm eum, à quo hæc prædicta sunt, noluit ut Messiam agnoscere. Scilicet, quoties eruperunt pseudo-messiæ, aut Messiæ pseudo-præcursores, toties plebs Judaica, et Rabbini ipsi, non sine magno plerumque miseræ

nationis detrimento eis fidem adhibuerunt. Quod non solùm eo seculo quo venit Christus aut sequenti, ut mox dicebamus, observatum est, sæpiùs etiam temporibus subsecutis. Narrat Socrates, Hist. lib. 7, cap. 38, magnam Judæorum multitudinem Christo Domino fidem dedisse, postquàm se à falso Messiâ, cui nomen Moyses, ineptè delusam intellexisset; quod anno Christi 434 contigit. Anno 529, Justiniano imperante, alter pseudo-messias, nomine Julianus, plures sibi Judæos in Palæstinâ devinxit, gentium domitoris sibi nomen arrogans; sed brevi à Romanis oppugnatus est, et ipse captus, morte pœnas temeritatis suæ dedit. Octavo seculo alter prodiit de quo loquitur Theophanes. Octo novemve alii seculo duodecimo variis in regionibus apparuêre. Famosus fuit seculo desinente decimo quinto et ineunte decimo sexto David Leemlein, qui anno 1499 audacter pronuntiare non dubitavit futurum ut ipso anno sequente 1500 Messias oriretur. Cui adeò confidenter crediderunt Judæi, ut eorum multi furnos suos azymis panibus coquendis destinatos demoliti sint, rati se anno sequenti panes azymos Jerosolymis esse comesturos. Auctor est R. David Ganz, avum suum Selikman Ganz Rabbinum celebrem in eam cæcitatem cum cæteris impegisse, suumque paschalem furnum etiam destruxisse. Atque ad iter Jerosolyma peragendum plerique se accingebant, cùm impostor promulgavit propter populi iniquitates paulisper retardatum esse adventum Liberatoris. Natio tamen adhuc erroris tenax anno 1502 jejunium solemne celebravit, ut quam frustra expectabat liberationem acceleraret. Alter Messias exortus est in Hispaniâ anno 1532. Alius in Indiâ orientali visus est anno 1615; alter patriâ Smyrnensis anno 1666, totam nationem seduxit : qui ne à Turcarum imperatore ob tumultuationes inter Judæos in imperio Turcico excitatas capite plecteretur, de Messiâ Judæorum factus est Musulmanus eodem anno, die 17 septembris. Tandem anno 1682, alter se esse Messiam in Italiâ et in Germaniâ mentitus est. Vide plura apud Imbonatum Biblioth. Latino Hebr. in dissert. de adventu Messiæ pag. 111 et seqq., et apud scriptores seu Judæos seu Christianos ibidem citatos.

Quintum momentum, ex statu dispersionis et captivitatis in quo Judæi detinentur. — Desolationem populi Judaici, à tot seculis è solo patrio extorris; et per gentes varias toto orbe disjecti, jam consideravimus et pœnam quam prædixerant Prophetæ Judæis ob Messiæ interempti scelus irrogandam. Nunc stupendum hunc nationis Judaicæ statum alio modo attendimus, eumque habitâ ratione promissionum Dei et consuetæ ejus erga hunc populum benevolentiæ statuimus non posse oriri nisi ex illâ causâ quam Evangelium assignat; nempe ex eo quòd Judæi Messiam crucifigendum tradiderint, *sanguinem ejus super se* (Matth. 27, v. 25) *et super filios suos* esse consenserint, atque hujusce patrum suorum criminis adhuc sese reos efficiant Christum respuendo. Sic itaque argumentari licet : Si Judæis pœna sit alicujus sceleris, ut in præsenti captivitate versentur, atque id criminis non aliud esse possit quàm rejectio et occisio Messiæ, quarum eas esse reos contendimus, profectò Messias venit, isque est Christus Jesus, à Judæis neci traditus. Atqui 2° Judæis pœna est sceleris alicujus gravissimi, quòd in hâc captivitate detineantur. Quippe tamdiù Judæos terram Chanaam possessuros Deus expressis verbis sæpiùs promiserat, quamdiù mandata ejus observarent; simulque eosdem à quâvis dispersione in illam terram revocandos pollicitus fuerat, ubi eos pœniteret. Scelus ejusmodi non aliud esse potest quàm Messiæ rejectio et occisio, quarum eos reos esse contendimus. Debuit enim esse crimen cujus se natio tota participem reddiderit, et cui etiamnum illa consentiat; siquidem propter alicujus privati facinus, cæteris execrandum, toti nationi irrogata non fuisset adeò singularis, gravis, et diuturna pœna. Debuit quoque esse crimen summum et ipsâ idololatriâ pejus; etenim delictum quod gravitate suâ idololatriam non superâsset, tam lugendâ captivitate à Deo non puniretur. Certè captivitas Babylonica, quâ in populum propter effusam ejus in idololatricos ritus libidinem Deus animadverterat, annis solùm 70 duravit, atque per id tempus populo solamen afferebant tum Prophetæ Ezechiel et Daniel qui tunc vixêre, tum certa spes Dei ipsius promissis innixa in patriam post illos 70 annos redeundi. Præsens verò captivitas à plusquàm septemdecim seculis perseverat, nec ulla spes affulget ejus aliquando finiendæ. Dubitari itaque non potest quin præsenti Judæorum dispersione et captivitate puniatur crimen aliquod idololatriâ pejus, quo se illi obstrinxerint et obstringere se etiamnum pergant.

Jam verò solam Messiæ rejectionem et occisionem Judæis in Evangelio adscriptam, posse esse illud populi Judaici crimen idololatriâ pejus, facile perspicere est. Si enim attendatur Judæos præ cæteris gentibus à Deo specialiter electos fuisse, qui ejus cultui manciparentur, atque eos innumeris perpetuisque beneficiis cumulatos; quis inficias ierit cultûs divini desertionem ut se idolis dederent, maximum fuisse crimen quod in se admittere illi possent, unâ Messiæ rejectione et occisione exceptâ? Quodnam aliud ita enorme scelus assignabunt Judæi quo eorum natio sese devinxerit et adhuc devinciat, nisi quod ipsis attribuimus? Illud fatemur de quo conqueruntur Rabbini, plerosque Judæos gravioribus sese obligare peccatis; at peccata hæc privatorum sunt, non nationis, quæ contra profitetur ea esse vetita et à Deo punienda. Deinde ejusmodi peccata, saltem respectu Judæorum, idololatriâ minora sunt, à quâ prorsùs abstinent Judæi. Et præterea inquiro num ab ejusmodi noxis sese immunes olim servaverint omnes Israelitæ, cùm terram Chanaan incolucrunt, cùm è captivitate Babylonicâ redierunt, cùm eorum respublica maximè floruit? Fateantur ergo illi, hujuscemodi peccata dispersionis captivitatis in quâ nunc versantur causam non esse, sed potiùs istud unum quòd Messiam occiderint, et etiamnum obfirmato animo abjiciant.

Confirmatur. Vel propter Messiæ rejecti et occisi

facinus Judæi in hâc captivitate affliguntur, vel ii soli dicendi sunt in orbe universo veræ legis divinæ observantes, veræ religionis cultores, et veritatis assertores; hanc propositionem tenetur Judæus libenter admittere. At si Judæi soli legem Dei observarent, si soli veram religionem colerent, ac veritatem tuerentur, num erga dilectum suum populum nullo Deus flecteretur misericordiæ motu? num adeò constans legi Mosaicæ adhæsio nullam delictorum veniam nationi conciliaret? numquid Deus promissorum suorum oblitus populum suum è patriâ extorrem in captivitate et dispersione à septemdecim seculis perseverante desereret? Ergo Judæi non possunt dici soli legis divinæ cultores et veritatis assertores; proindeque, etc.

Dices 1° : Secula ferè quinque supra viginti effluxerunt, ex quo decem tribus à Salmanasare Assyriorum rege abductæ, manent à solo patrio extorres; quæ tamen Messiæ occisi insontes sunt; ergo captivitas similis quâ ab annis plus quàm septingentis supra mille affliguntur Judæi, infirma res est ad probandum Messiam ab ipsis rejectum et trucidatum fuisse. — Nego paritatem. Ut aliqua paritatis species institueretur, ostendendum esset 1° propter crimen idololatriâ minùs decem tribus fuisse in manus Assyriorum traditas; 2° eas in terram longinquas deportatas ad meliorem frugem sese aliquando recepisse, sicque meruisse ut in terram patrum suorum reducerentur. Judæorum namque in præsenti dispersione conditio utrumque, ut dictum est, complectitur, si Messiæ rejectio et occisio captivitatis hujusce causam non attulerint. Atqui non modò hæc duo de tribubus decem non probantur, sed contra 1° ex Scripturis indubitatum est ideò tribus illas fuisse captivitati traditas, quòd ab execrando idolorum cultu nollent recedere. 2° Cùm Israelitarum in captivitatem à Salmanasare deportatorum nullum jamdudùm vestigium supersit, nec ulla eorum certa apud veteres deprehendatur mentio, ii censendi sunt ad ritus gentium inter quas deportati fuerant sese adjunxisse, sicque omni distinctionis ratione sublatâ, in unum corpus cum iisdem coaluisse; unde nihil mirum quòd in terram Chanaan, juxta verbum Moysis Deut. 30, reducti non fuerint. Nec tamen eos Deus deseruisse dicendus est, quippe qui hos ad fidem Messiæ simul cum gentibus, quibus erant immixti, Apostolorum prædicatione vocavit.

Saltem istud certissimum est, totam stirpem Israelitarum à Salmanasare abductorum vel gentibus, vel Judæis reliquis esse insertam et confusim conjunctam, siquidem nullibi exstitit separatim. Si primum, nulla est objectio, ut dictum est. Si secundum, ex quo illi Israelitæ aliis Judæis sese adjunxêre, eorum conditionem secuti sunt. Nempe tam potuêre ante Christum in patriam remeare, quàm cæteri Judæi; cunctis namque indiscriminatim Israelitis facta fuit à Cyro potestas in Judæam revertendi. Ubi verò à natione rejectus et occisus est Christus, tanti criminis facti sunt consortes quotquot ex Israelitis etiam tum temporis per orbem dispersis Christo nomen dare noluerunt.

Dices 2° : Captivitas præsens spectari debet ut continuatio captivitatis Babylonicæ, hæc enim edicto Cyri soluta non fuit, cùm major pars Judæorum dispersorum in patriam tunc non redierit. Igitur captivitas præsens non fuit inflicta propter Messiæ necem. — Nego ant. Solutam fuisse captivitatem Babylonicam patet 1° ex prophetiâ Jeremiæ, qui cap. 25, eam post 70 annos solvendam prædixerat. 2° Ex prophetiâ Danielis 9, de civitatis et sanctuarii restauratione. 3° Ex oratione Nehemiæ, qui 2 Esdr. 1, ad reditum populi è captivitate Babylonicâ transfert et applicat promissionem nomine Dei à Moyse factam de Judæis, si ipsi resipuerint, ab extremis terræ in terram Chanaan reducendis. 4° Ex decreto Cyri, 2 Paralip. 36, v. 22, et 1 Esdr. 1, v. 1, atque ex edicto Artaxerxis, 1 Esdr. 7, v. 11, quibus fit facultas universis è populo Dei in Judæam revertendi. 5° Ex eventu, si quidem ex Judæis quotquot voluêre, in patriam cum Zorobabele post edictum Cyri, et cum Esdrâ post decretum Artaxerxis reversi sunt, ibique religionem et rempublicam gentis suæ restaurârunt.

Ad probationem dist. : Major pars Judæorum extra terram Chanaan mansit lubens et volens, concedo; remansit invita et coacta, nego. Solvitur captivitas, cùm potestas revertendi in solum patrium conceditur; ad id necesse non est ut captivi cogantur discedere. Si captivus qui donatur libertate abeundi, malit in terrâ alienâ remanere, quàm ad suos reverti, nihilo seciùs liber est et à captivitate solutus.

Dices 3° : Judæi non debuerunt puniri ob rejectum et occisum Jesum. 1° Enim ipsum non occiderunt Judæi, sed Romani. 2° Eos ignorantia excusabat, ut patet ex his Christi verbis Luc. 23, v. 34 : *Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt;* et ex testimonio Apostoli, 1 Cor. 2, v. 8 : *Si cognovissent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent;* ac tandem ex eo quòd idem Paulus, 1 Timoth. 1, v. 13, ait se, cùm Christi discipulos persecutus est, *ignorantem fecisse.* — Nego ant. Ad primam prob. Etsi à Pontio Pilato præside romano Christus cruce damnatus fuerit, attamen cùm id judicium latum fuerit Christum accusante Judæorum concilio, quod eum morte dignum pronuntiaverat; cùm nihil non moliti sint Judæi ut ad ferendam istam sententiam mortis judicem romanum invitum adducerent; cùm impiâ voce conclamaverint Matth. 27, v. 25 : *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros;* cùm denique hanc patrum suorum agendi rationem approbent omnes Judæi ad Christum non conversi; evidens est occisionis Christi reos esse Judæos, ac totam nationem criminis tam horrendi sese constituere participem. Ad secundam prob. nego ant. Ignorantia vincibilis ex invidiâ et cupiditatibus orta minimè excusat; atqui ea fuit ignorantia quâ Judæi circa Christum laboraverunt. Terrenarum rerum cupidine irretiti Salvatorem à bonis temporalibus avertentem, ad cœlestia animos erigentem, noluerunt recipere. Præ invidiâ eum Pontio Pilato tradiderunt principes sacerdotum et seniores populi, Matth. 27, v. 18 et Marc. 15, v. 10. Christus rogans Patrem ut

illis dimittat, hos à crimine immunes non fuisse satis ostendit. Dùm verò addit : *Non sciunt quid faciunt*, affert qualemcumque eorum excusationem, non autem eam legitimam fuisse significat. Inde patet quid respondendum sit ad testimonium adductum ex cap. 1 Epistolæ 1 ad Corinthios. Porrò Paulus quem zelus legis nimius discipulis Christi infensum reddiderat, minori scelere constrictus fuit quàm cæteri; nec tamen se criminis insontem judicavit, qui se *blasphemum, persecutorem et contumeliosum* fuisse confitetur, et ideò indiguisse *misericordiâ* Dei.

Dices 4° : Non puniuntur Judæi quòd Messiam occiderint; sed potiùs quia unus gentis suæ, nempe Jesus Nazarenus sese Filium Dei prædicare ausus est; ergo, etc. — Nego ant., in quo insulsè non minùs quàm impiè supponitur propter crimen ab aliquo homine privato commissum quod ejus natio detestatur et execratur ac supplicio ultimo animadvertit, posse Deum æquissimum pœnas maximas ab illâ natione per longam seculorum seriem repetere.

Sextum momentum : Judæi sibi conscii sunt tempora adventûs Messiæ à Prophetis præfixa, præteriisse.— Id à nobis non temerè affirmari probatur 1° ex imprecatione quâ temporis Messiæ computatorum caput solent deligere. Nimirùm, cùm omnem ejusmodi temporum computationem sibi adversari sentiant, ab illâ prorsùs abstinendum statuunt, quamvis tamen ratio temporum unum sit ex insignioribus adventûs Messiæ indiciis apud Prophetas assignatis. Imprecatio illa in Talmude cap. 11 Gemaræ tract. *Sanhedrin* his verbis exprimitur : *Inflata rumpantur ossa eorum qui periodos temporum computant*, atque in consuetudinem proverbii venit inter Judæos. Probatur 2° ex eorum vulgari dicto, Messiæ adventum peccatis populi retardatum esse; seu, quod eòdem recidit, Messiam, secundùm Prophetarum vaticinia, jamdudùm advenire debuisse, sed Dei promissorum executionem propter populi iniquitates procrastinatam. *Elapsi sunt omnes termini*, inquiebat jam olim celebris Raf, relatus in Talmude loco mox citato, et *res non pendet nisi à resipiscentiâ et bonis operibus*. Ejusmodi effugium supra non semel præclusimus, præsertim quia, cùm ex Prophetis Messias venturus sit ad delenda peccata, et homines ab iniquitatibus liberandos, non potest intelligi promissio sub eâ conditione quòd ante ejus adventum homines non peccarent. Sed præterea num sperant Judæi futurum ut aliquando peccare desinant ante Messiæ adventum? nonne eorum Rabbini finem peccato imponendum vulgò habent ut fructum adventûs Messiæ? numquid ex solis justis constitutam sese tunc existimabat natio, quoties à falsis Messiis delusa est? ergo, etc. Probatur 3° ex variis celeberrimorum Rabbinorum eâ de re opinationibus, quas paucis sic recenset illustriss. Huetius, Demonst. evang. prop. 9, cap. 8, n. 1 : *Fertur in libris Rabbinorum, confessos esse majores ipsorum, qui temporibus Christo Jesu paulò superioribus vixerunt, Messiæ adventum imminere; qui non multò recentiores fuerunt, et templum exscindi viderunt; Messiæ tempus jam venisse. Sunt qui non alium quàm Ezechiam fuisse velint; quàm sententiam pentùs damnari posse negat R. Joseph Albo in libro Ikkarim. Tradit R. Selomoh Jarchi asseverâsse vetustos gentis suæ doctores jam venisse Messiam, eoque die esse natum quo excisa Jerosolyma. Referunt R. Gedalias in Catenâ Cabalæ, et R. Azarias in Lumine oculorum, quid ipsi de tempore adventûs Messiæ quid R. Bechai, quid R. Saadias, quid is quem proximè laudavi R. Selomoh Jarchi, quid R. Levi ben Gerson, quid R. Abraham Hanassi, quid R. Moses Gerundensis, quid Abrabanel senserint, quid et in libro Zohar proditum sit; ex quorum rationibus sequitur jam id tempus esse elapsum. Quocirca in eodem libro Sanhedrin venisse quidem Messiam aiunt de verporum grege nonnulli, at Romæ inter ægros lepris laborantes latitare* (nam ex his Isaiæ verbis : ET NOS PUTAVIMUS EUM QUASI LEPROSUM, nomen ipsi leproso esse fingunt). *ratum verò tempus, quo ex his latebris emersurus sit, non assignant. Quidam inter horti Eden delicias ævum agitare volunt cum Eliâ, à quo ungendus sit olim lætitiæ oleo, cùm ad muneris sui administrationem foras prodibit.* Hinc Raf modò confitentem audivimus, *elapsos esse omnes terminos.* Hinc excogitata à Judæis distinctio duplicis Messiæ, quorum alter sit filius Joseph seu de tribu Ephraim, pauper, morti traditus, et à Christianis adoratus, alter filius David ad Judæos mittendus eosque liberaturus. Quæ omnia deliramenta non aliunde orta sunt, quàm quòd Messiæ adventûs tempora esse præterita Judæi perspicerent.

Septimum momentum, ex miraculis Christi et Apostolorum. — Diximus hæc prodigia fuisse à Prophetis prædicta; nunc ea spectamus in se. His autem, si semel de eorum veritate constiterit, evidentissimum est planè confici divinam esse Christi et Apostolorum missionem, nec proinde recedi debere à sensu quo Christus et Apostoli veteres prophetias explicârunt, nullumque esse posse dubium quin Dominus Jesus sit verus Messias Patriarchis promissus. Atqui miracula Christi ejusque Apostolorum ipsismet editis à Moyse miraculis certiora esse aliquando docuimus, atque eadem extra omnem dubitationis aleam longè esse posita mox evincemus adversùs gentiles et incredulos; tandem vel ipsi Judæi ejusmodi miraculorum fidem augent, dùm iis elevandis incumbunt. Namque cùm maxima à Christo prodigia edita fuisse inficiari non potuerint Judæi, adeò scilicet nationem affecerant ejusmodi prodigiorum magnitudo et numerus, eò sese converterunt, ut magicis artibus ac ineffabilis nominis Dei prolationi illa attribuerint. Quâ in re eos non esse audiendos manifestè liquet vel ex ipsâ ratione quâ fabulam hanc ipsi compingunt. Ita rem narrant in Toldoth Jesu, libro absurdissimis in omni genere commentis et blasphemiis referto quem Wagenselius hebraicè et latinè edidit Altdorfii Noricorum an. 1681, ut quàm ineptis mendaciis Judæi à christianâ religione avertantur manifestum faceret : « Tum temporis erat « in templo insculptum nomen Dei ineffabile lapidi τοῦ « στερεώματος (*fundamenti*). Etenim cùm David rex fo- « deret fundamentum, reperit ibi lapidem quemdam « ἐπὶ τοῦ στόματος τῆς ἀβύσσου (*super os abyssi*), in quo

« Dei nomen incisum conspiciebatur, quem inde su-
« stollens in Sanctum sanctorum deposuit. Cùm verò
« metuerent sapientes ne fortè studiosi juvenes nomen
« hoc discerent, orbique (quod Deus omen prohibeat!)
« inferrent vastitatem, confecêre incantationibus æneos
« leones duos, quos ante fores Sancti sanctorum, unum
« à dextris, alterum à sinistris statuerunt. Si quis igi-
« tur intrâsset illùc, et arcanum nomen didicisset,
« hunc exeuntem allatrabant leones, et in causâ erant
« ut ob ingentem pavorem ac consternationem no-
« mina menti excíderent, et oblivio illorum eum per-
« vaderet... Jesus itaque venit clanculùm Jerosolymas,
« ingressusque templum didicit ibi τὰ ἱερὰ γράμματα
« (*sacros characteres*) nomenque ἀνεκφώνητον (*ineffabile*)
« membranæ cùm inscripsisset, nomine hoc enuntiato,
« ne dolorem persentiscerel, scindit carnem, ibique
« membranam cum mysteriis condit. Mox prolato rur-
« sùs nomine effecit ut caro consolidaretur. Necesse
« est autem arte magicâ et vi incantaminum templum
« introierit, secùs enim si foret, quomodò permissuri
« erant sanctissimi sacerdotes Aaronis progenies, ut
« illùc ingrederetur? Pròinde manifestum est eum ope
« impuri nominis et magicâ arte patrâsse ista omnia.
« Egredientem per ostium allatrabant leones, unde ἡ
« τοῦ ὀνόματος λησμονὴ (*nominis oblivio*). Ergo extra ur-
« bem se confert, ac dissectâ rursùs carne educit scri-
« pturam, et cùm characteres probè perpendisset, te-
« net nomen. Abiit denique Bethlehemum Judæ, locum
« nativitatis suæ, ac voce magnâ clamare occipit: Et
« quales sunt isti nequam homines?..., Annon mater
« virgo me peperit?..... De me vaticinatus est Isaias
« Propheta : *Ecce virgo concipiet*, etc... Afferte hùc
« ad me hominem mortuum; cum ego vitæ reddam.
« Festinat plebs et sepulcro quodam effosso nihil ibi
« reperit præter mera ossa arida..... Iis allatis combi-
« nat inter sese ossa singula, eaque obducit pelle, in-
« que pedes erectum ibi staret quod fuerat cadaver....
« Cùmque ante eum statuisset leprosum, hunc simili-
« ter per nomen ἀνεκφώνητον (*ineffabile*) sanitati resti-
« tuit, » etc. Hæc illi quæ retulisse refutâsse est. Qui plura voluerit, adeat Wagensellium in confutatione illius libri.

Octavum momentum, ex testimonio Josephi. — Flavius Josephus, Hebræus, Mathathiæ filius, ex genere sacerdotali, Judæorum historicus insignis, lib. 18 Antiquitatum Judaicarum cap. 3, aliàs 4, n. 3. de Christo Jesu sic loquitur : *Eo etiam tempore fuit Jesus vir sapiens, si tamen virum eum appellare fas est; fuit enim mirabilium operum effector, magister hominum qui verum cum voluptate accipiunt; multosque Judæos, multos item gentiles ad se pellexit. Hic erat Christus. Quem cùm Pilatus, ab hominum nostrorum primis delatum, crucis supplicio addixisset, eum tamen amare non desierunt, qui primùm amaverant. Apparuit enim eis tertio die redivivus, divinis vatibus et hæc et mille alia de eo miranda effatis; atque ab eo denominata Christianorum natio durat usque ad hunc diem.*

Circa hujusce textûs authenticitatem, quam nemo ante seculum decimum sextum in dubium vocaverat, gravis inter eruditos proximè elapso præsertim seculo controversia exorta est, à nobis mox expendenda. Sed in antecessum sic argumentari licet : Vel is textus Josephi genuinus est, vel gesta Christi prorsùs siluit insignis ille Judæorum historicus, quippe cùm nullo alio in loco eum commemoret nisi lib. 20 Antiq. cap. 9, aliàs, n. 1, ubi injustè illatam Jacobo mortem referens, ait eum fuisse *fratrem illius Jesu qui dicebatur Christus*. Si prius, nemo non videt quantùm ex adeò illustri testimonio clarissimi historici causæ christianæ robur accedat. Si posterius, nempe si gestorum Christi nullam Josephus mentionem fecerit, dico hoc ipsum scriptoris celeberrimi silentium vel apertissimo quod ipse proferre potuisset testimonio æquivalere. Liceat enim inquirere quâ de causâ res Christi gestas siluisset Josephus. Num quòd ignoraverit quæ ad ipsum spectabant? Verùm is rerum Judaicarum diligentissimus indagator, qui prima etiam reipublicæ munia exercuerat, potuitne ea ignorare quæ ante per paucos annos acta fuerant, quæ, fatentibus ipsismet Judæis, celeberrima fuerant, quæ ad Judæorum religionem maximè pertinebant, quæ in Judæâ tot fuerant concertationum causa, quæ demùm ab Apostolis et in Judæâ et in toto orbe promulgata fuerant? Non ergo Christi gesta silentio pressisset Josephus, quòd ea perspecta non haberet. An verò quòd negotium illùd minoris momenti arbitraretur, quàm ut ad posteros transmitteretur? At nonne de Joanne Baptistâ sermonem instituit, libro eodem 18, cap. 5, aliàs 7, n. 2, et de ipso Jacobo, quem ut notiorem faceret, *fratrem* fuisse ait *illius Jesu qui dicebatur Christus*, lib. 20, cap. 9, aliàs 8, n. 1? Quomodò igitur Christum prætermisisset, Christum, inquam, qui se esse Messiam patribus promissum primus prædicâverat, qui maxima prodigia, Judæis confitentibus, patraverat, qui religionem de nomine suo condiderat quam ad Judæos primùm, et deinde ad gentes universas jusserat ab Apostolis perferendam et prædicandam, qui tum per se, tum per discipulos, sibi ex Judæis multos, ex gentilibus longè plures toto orbe devinxerat, cujus denique fama apud ipsos imperatores paganos, ut infra dissert. 3, cap. 1, dicemus, etc., erat celebratissima? Itaque fateamur quod res est, si nullam Christi mentionem fecisset Josephus, idcircò siluisset quia veritatis amator et propriæ existimationis studiosus noluisset fictis opprobriis famam Christi lædere, simulque metuens ne Judæis invisum se redderet, verum ipsi non ausus fuisset testimonium perhibere; ergo, etc.

Jam de insignis hujusce textûs authenticâ fide disserendum.

An allatum Josephi testimonium genuinum sit. — Illud Josephi testimonium Judæis omnibus adulterinum esse testatur R. Menasseh ben Israel in epist. ad Arnoldum, quæ extat ad calcem tomi 2 operum Josephi edit Havercampi pag. 254. Quod ad Christianos spectat, textus ille ad seculum usque decimum sextum ab iis unanimiter habitus fuerat ut genuinus historici fœtus. Lucas Oziander, celebris discipulus Lutheri, in Epitome historiæ ecclesiasticæ, cent. 1, lib. 11, cap. 7,

primus scripsisse videtur ejusmodi testimonium adulterinâ manu insertum fuisse. Fertur ita enim opinatum fuisse Hubertum Gifanium insignem in Germaniâ jurisconsultum. Eamdem sententiam amplexi sunt quidam è Catholicis, Alphonsus Salmeron, Salianus, etc. Et ex Protestantibus plurimi, uterque videlicet Capellus, Dallæus, Christophorus Noldius, Sebaldus, Snellius, Christop. Arnoldus, Blondellus, Tanaquillus Faber, etc. Isti duo ultimi, Faber nempe et Blondellus, hic in lib. 1 de Sibyllis cap. 7, ille in Epist. ad Chabrolium, quæ ad calcem operum Josephi, pag. 267, extat, præ cæteris huic tractando argumento incubuerunt; quorum præcipua et valentiora, ut putat, momenta collegit et lectori obtrudit Dupinus in suis Bibliorum Prolegomenis lib. 2, cap. 7, § 5, ubi observandum neque genuinum illi critico esse Josephi de Joanne Baptistâ testimonium, quod solus antea Blondellus in suspicionem suppositi fœtûs vocaverat; uterque autem, cum cæteris omnibus, parcit textui ad Jacobum Christi fratrem attinenti.

Causæ christianæ illud cripi subsidium, quod ipsi Josephus eo loci subministrat, haud passi sunt eruditi plurimi seu inter Catholicos, seu inter Protestantes. Legi possunt eâ de re Spencerus, Commentario in libros Origenis contra Celsum, Henricus Valesius in Annotat. ad Eusebii historiam, Franciscus Regius (de Roye) jurisconsultus Andegavensis in dissert. super hoc argumento publici juris factâ anno 1656; illustriss. Huetius episcopus Abrincensis in Demonst. Evang. prop. 3, n. 11 et seq. Isaac Vossius in Chronolog. sacrâ, Natalis Alexander in Hist. ecclesiast. veteris Testam. dissert. 6, Samuel Parkerus, episcopus Oxoniensis, in Demonstr. Relig. christianæ; Tillemontius, t. 1 Hist. Imperatorum, notâ 40, Pagi in dissert. ad Annales Baronii, Pearsonius, Annalium Paulinorum pag. 29, Houttevillius in tractatu gallicè scripto de Relig. christianâ, t. 2, edit. 2, Carolus Daubuz in eximiâ dissert. ad calcem operum Josephi ab Havercampo editâ, et alii complures, quibus præiverat tota virorum summè eruditorum à Carolo Daubuz recensitorum manus, qui de hoc testimonio, antequàm nasceretur aut excalesceret controversia, paucis sententiam dixerunt. Cum iis sit

Conclusio. Testimonium Josephi de Christo genuinus est hujusce historici fœtus. Probatur. Illud testimonium est genuinus Josephi fœtus, quod in omnibus exemplaribus tum impressis, tum manuscriptis extat; quod ab initio quarti seculi à compluribus et accuratis auctoribus ecclesiasticis laudatur; quod à nemine unquàm expressè rejectum est ante medium seculi decimi sexti; de quo olim dubitatum aut disputatum fuisse nulla extat memoria, cujus denique stylus stylo Josephi simillimus est. Atqui sic se habet textus de quo agimus.

Ut majoris propositionis veritas ampliùs pateat, advertendum est Josephum fuisse scriptorem suâ ætate celeberrimum, ejus libros de Bello Judaico manu imperatoris Vespasiani subsignatos ne corrumpi possent, in Bibliothecâ romani imperii repositos fuisse, atque hoc opere insignem historicum meruisse ut sibi statua Romæ erigeretur. Itaque dubium esse non potest quin omnes Josephi libri citiùs vulgati fuerint, et in omnibus bibliothecis asservati, omniumque manibus triti. Jam verò probanda est minor per partes. 1° Testimonium de quo agitur, extat in omnibus Josephi exemplaribus seu editis, seu manuscriptis; neque enim hactenùs laudatum est vel unum exemplar in quo desideraretur. Observantur quidem in hoc textu, ut et in aliis promiscuè Josephi locis, leves quædam inter varia exemplaria diversitates; sed nemo nescit variæ ejusmodi lectiones ad substantiam non attinentes in omnibus veterum scriptis sæpissimè occurrere, nec eorum authenticitati et integritati officere. Hìc nota obiter vetustum codicem hebraicum M. S. Bibliothecæ Vaticanæ, in quo Baronius censuerat testimonium istud fuisse erasum, quique multis eruditorum concertationibus locum dederat, ad rem de quâ agitur non attinere. Erraverat eminentiss. Annalium ecclesiasticorum parens. Manuscriptus ille codex non Josephum genuinum exhibet, sed impostorem illum qui se Josephum Gorionidem simulavit, atque textus qui in eo codice erasus est, non spectat ad Christum.

2° Ab initio quarti seculi illud testimonium laudârunt multi ecclesiastici scriptores. Nam Eusebius qui initio 4 seculi, ducentis circiter post Josephum annis vixit, bis illud protulit, nempe lib. 3 Demonstr. evang. cap. 5, et lib. 1 Hist. eccles. cap. 10. Eumdem textum in Catalogo scriptorum ecclesiast. exhibens S. Hier. nullam adjicit suspicionis notam. Ruffinus Aquileiensis, æmulus S. Hieronymi, lib. 1 Hist. ecclesiasticæ, Isidorus Pelusiota, S. Joannis Chrysostomi discipulus, Epistolarum lib. 4, n. 225, auctor antiquus libri de Excidio Judæorum qui Hegesippo tribuitur, Sozomenus lib. 1 Hist. cap. 1, Cassiodorus Senator qui libros Antiquitatum latinè verti curavit, Nicephorus Calixtus, Cedrenus, Zonaras, Suidas, et alii, illud testimonium suffragiis suis comprobârunt, cæterique omnes posteriorum temporum scriptores.

3° A nemine expressè rejectus est textus ille Josephi ante seculum decimum sextum. Adversarii objiciunt quidem plures è veteribus illum prætermisisse ubi illud adhibere potuissent; sed neminem citare possunt qui illum suppositìtium esse significaverit.

4° De ejusmodi testimonio olim dubitatum fuisse aut disputatum nulla mànet memoria. Imò illud aut certum et indubitatæ fidei proferunt Eusebius, S. Hier. aliique, nec à quoquam reprehensi sunt quòd hunc textum attulissent.

5° Stylus testimonii, de quo agitur, simillimus est stylo Josephi. Stylum intelligo verba, phrases, nominum phrasiumque dispositionem ab unoquoque scriptore usurpari solita. Itaque si enim testimonio quod expendimus, eæ occurrant voces phrasesque, ac vocum et phrasium dispositiones quæ sæpiùs in Josephi scriptis ac præsertim in postremis Antiq. libris deprehenduntur, fatendum erit textum hunc genuinis Josephi fœtibus tam similem non posse ipsi abjudicari. Atqui jam comperta et explorata est omnimoda

illa consensio et cohærentia styli inter cætera Josephi opera et testimonium quod ipsi adscribimus. Jam dixerat illustriss. Huetius, prop. 3, n. 18, Fabrum hìc obtendentem styli discrepantiam refellens, *nec ovum sibi videri ovo similius, quàm* περιοχὴ *hæc reliquarum Josephi scriptionum similis est.* Longiùs progressus est laudatus modò Carolus Daubuz. Is nimirùm singulas ejusdem periochæ voces, phrases, constructiones, cum vocibus, phrasibus, constructionibus Josepho usitatis labore indefesso contulit; sicque non modò judicii Huetii æquitatem, et Fabri, quem Dupinus secutus est, in hoc negotio inconsiderantiam demonstravit, sed et authenticitatem testimonii nostri valido argumento firmavit. Unum duntaxat hujus auctoris diligentiæ exemplum referam; ad hanc vocem, Γίνεται, quâ textus incipit, « non insolitum, « inquit, Josepho, sicubi filo orationis abrupto, in « aliam rerum seriem transit, hoc verbum præponere. « Sic enim libro Archæologiæ 18, cap. 12, cùm superiore capite de imagine Caii Cæsaris in templo Jerosolymæ statuendâ disseruisset, ad res Babylonicas « conversus his exorditur verbis : Γίνεται δὲ περὶ τούς, « etc. Sic libro 20, cap. 2 : Γίνεται δὲ πρᾶξις, etc. « Unum tantùm addam ex eodem libro cap. 6 : « Γίνεται δὲ καὶ τῶν Καισάρειαν οἰκούντων Ἰουδαίων « στάσις, etc. Confer lib. 1, cap. 3, Archæologiæ...., « et cap. 16...., lib. 20, cap. 5,.... et de Bello Judaico, « lib. 1, cap. 1... et cap. 4... et lib. 4, cap. 15... et « iterùm Archæologiæ lib. 3, cap. 6... et cap. 8... « Quin etiam dignum est observatu, Josepho esse ferè « solemne, verbum quod vocant principale, in sententiâ statim à principio ponere; quippe quòd verbum sic positum, tanquàm fundamentum, vim ac « pondus addat orationi. » Jam vero cùm unicuique scriptori suus sit stylus ac dicendi color, quo casu fieri potuisset ut impostor eâ ætate quâ ad ejusmodi exiliora artis critices minùs attendebatur, Josephi stylum in brevi illo textu adeò accuratè imitatus esset? Ergo, etc.

Solvuntur objectiones. —Objicies : 1° Illud testimonium in textu Josephi adulterinâ manu insertum est, quod filum et seriem orationis abrumpit et intersecat; atqui sic se habet testimonium de quo agimus. Nam post ejusmodi testimonium ita legitur : *Circa eadem tempora etiam mali quippiam aliud Judæos perturbavit*, etc., quod nullam cum iis quæ nostrâ continentur periochâ habitudinem dicit, ad eædem verò Judæorum ante illud testimonium, commemoratam planè refertur; ergo, etc. — Respondet Tillemontius loco citato, poni posse Josephum non nisi ex post facto testimonium illud addidisse, tuncque transitionis mutandæ esse oblitum. Sed ad hanc hypothesim necesse non est ut recurramus. Itaque dist. maj. : Illud adulterinâ manu insertum est, quod filum et seriem orationis intersecat, modo historicis optimis ac ipsi Josepho insueto, concedo; modo consueto, nego. *Familiare est historicis*, inquit, Huetius, prop. 3, n. 14, *disconvenientes et diversas narrationes congerere, prout rerum postulat varietas, nullâ argumentorum commissurâ. Ni fiant, magnâ quippe voluptate lector, magis historia fraudetur ornamentis, infinitis sese scriptor angustiis impediat, et in connectendis singulis et aptandis frustra desudet; ac legem præterea pervertat historiæ, quæ temporum ordinem, non rerum persequi debet.* Atque is mos est nobilissimorum historicorum, præsertim ubi memorabile quoddam factum paucis indicare volunt. Tunc autem sufficit 1° si ab iis habeatur ratio temporis; 2° si transitio quâ ad orationem priùs incœptam se reverti exprimunt, hanc eorum mentem haud perplexè notam faciat. Utrumque verò Josephus hìc præstitit. Et quidem habuit rationem temporis. *Nam*, ut ait Huetius ibidem, *quamvis ea quæ proximè subest Paulinæ et Decii mundi historia contigerit ante Christi mortem, quæ narratur in hoc Josephi loco, non minùs propterea ordo temporum ab eo servatus est; nec enim mortem tantùm Christi, sed vitam etiam, munus ac res gestas, velut in brevi tabellâ complexus est; quam in id tempus conjecit, quo vixisse eum constabat : non verò singula per annos digesta explicare instituit.* Et reverà nullo alio in loco aptiùs de Christo potuisset sermonem instituere. Deinde transitio quam his memoratis Josephus adhibet, hunc ad incœptum antea propositum redire haud perplexè indicat; ita ut nemo sit qui attentâ rerum expressarum naturâ, id statim non habeat perspicuum; ergo, etc.

Ad probationem, dico res ejusmodi ad normam exiliorum grammatices regularum non esse expendendas, quarum nimis anxia observatio, in transitionibus præsertim, tantùm molestiæ lectori intelligenti, quantùm laboris auctori parit. Narratio quibusdam solùm constans lineis non ita sermonem abrumpit, ut ad eam necesse sit transitionem referri. Quot in Thucydide historico eximio occurrunt digressiones et intempestivæ narrationes, quibus longè amplìùs mens lectoris perturbatur quàm hoc Josephi loco? quot in aliis omnibus historicis similia? Sed ut res planè conficiatur, in ipso Josepho loca alia ejusdem generis habentur. Nam 1° Blondellus et Dupinus idcircò dubitant an testimonium in quo de Joanne Baptistâ loquitur Josephus, genuinum sit, quia ibi orationis seriem abrumpi arbitrantur; atqui tamen illius loci authenticam fidem tot testimonia demonstrant, ut de eo dubitari non possit; nec sanè à Christo potuit ille locus corrumpi, cùm in eo aliqua Evangelistis non consona occurrant. 2° Hæc verba lib. 5 Antiq. cap. 10, aliàs 11, n. 1, *Hebræi autem, rebus eorum in deterius lapsis, rursùs bellum movent Palæstinis ratem ob causam*, etc., tam exigerent quæ immediatè præcedunt ad bellum aliquod adversùs Philistæos gestum attinere, quàm ista lib. 18, quæ objiciuntur : *Circa eadem tempora etiam mali quidpiam aliud Judæos perturbavit*, videri possunt postulare ut cædi illi Judæorum Pilati jussu factæ immediatè connectantur. Atqui verba laudata capitis 10 lib. 5, immediatè non præceduntur illius belli narratione, sed historiæ Ruthæ, quæ ibi perinde inserta est ac testimonium de Jesu suo loco opponitur, et quæ multò longior est, seriemque orationis magis interrumpit; ergo.

Obj. 2° : In hoc testimonio asseritur 1° Christum, utpote plurium miraculorum effectorem, non esse appellandum duntaxat hominem, ac proinde esse Deum; 2° hunc esse Christum, id est, Messiam; 3° cum tertiâ die resurrexisse; 4° ejusdem resurrectionem oraculis Prophetarum confirmari; 5° eum fuisse magistrum veritatis, et miracula edidisse quibus ejus divinitas adstrueretur. Quis unquàm crediderit Judæum aliquem, sectâ Pharisæum, nationis suæ causæ addictissimum, talia sensisse et protulisse? ergo, etc. Ita Dupinus Blondelli, Fabri, aliorumque rationes exhibet. Resp. duo in hoc argumento esse vitia, quibus tota vis ejus labefactatur. Nimirùm supra modum amplificantur tum ea quæ in laudem Christi Josephus narravit, tum studium quo ille nationis suæ causam est amplexus. Et 1° falsum est Christum in testimonio Josephi appellari Deum; imò falsum est ibi asseri eum non esse hominem duntaxat appellandum. Hæc sunt verba Josephi : *Si tamen virum eum appellare fas est*, quibus mirum est viros eruditos putâsse exprimi Christum non fuisse purum hominem, seu eum esse Deum. Enimverò, ubi de eximio quodam viro, doctrinâ et operibus præcellenti agitur, nonne apud quoscumque auctores hæc aut alia similis figura frequentissimè occurrit? Innumera ejusmodi locutionis exempla suppeditat vel unus Cicero; quæ cum aliis compluribus ex multiplici scriptore depromptis in dissertatione Caroli Daubuz legi possunt p. 218 et seq. Josephus ipse duplici in loco eumdem loquendi modum adhibet, de puris hominibus sermonem faciens, nempe lib. 3 Antiq. cap. 15, aliàs 13, n. 3, et lib. 9, cap. 8, aliàs 9, n. 6. In priori sic habet de Moyse : *Quin et alia plurima auctoritatis ejus* PLUSQUAM HUMANÆ *argumenta sunt*, etc., in alio verò de Elisæo : *Postquàm fatis excessisset;* inquit, VI DIVINA *pollebat.*

2° Ubi Josephus de Domino Jesu dixit : *Hic erat Christus*, non eo sensu intelligendus est quòd hunc esse Messiam ipse tenuerit, sed ita tantùm ut voluerit significare Jesum de quo loquebatur eum esse qui toto orbe *Christi* nomine designabatur, quasi dixisset : Hic ille est qui *Christus* appellatur. Scilicet cùm Josephus scripsit, Christi nomen, Apostolorum prædicatione, necnon Neronis persecutione, omnibus innotescebat, nec aliâ appellatione apud gentiles nuncupabatur Salvator noster. Narrans ergo Josephus quæ ad Jesum spectabant, monere debuit gentiles, hunc de quo verba faciebat eum esse qui Christus apud omnes cognominabatur et audiebat. Porrò ad id exprimendum cùm hâc phrasi usus est, *Hic erat Christus*, locutionem usurpavit quam nemo non adhibet in simili occasione. Sic et Pilatus Christi cruci inscripsit : *Hic est rex Judæorum*, quamvis Christum ut regem Judæorum neque ipse haberet, neque ab aliis haberi vellet.

3° Falsum est in testimonio, de quo agimus, à Josepho agnosci multa Christum in divinitatis suæ confirmationem edidisse miracula; imò de divinitate Christi ibi ne verbum quidem.

4° Ait quidem Josephus Christum fuisse magistrum eorum qui vera libenter amplectuntur; at non dixit simpliciter eum fuisse magistrum veritatis. Istud Christo assereret infallibilitatem. Prius ipsi ejusque discipulis non vindicat nisi magnum veritatis studium et amorem, cum assecutione veri saltem in plurimis.

5° Non ait absolutè Josephus Christum resurrexisse, quâ voce certò certiùs usus esset Christianus, sed minùs confidenter et apertè loquitur; dicit duntaxat eum discipulis suis *apparuisse rursùs viventem*; ἐφάνη πάλιν ζῶν. Pariter non definit an miracula ab eo patrata, doctrinæ quæ à Christianis prædicabatur adhærendum probarent. Itaque in argumento proposito amplificatur multùm ea quæ in laudem Christi testimonium nostrum continet.

Jam verò in eodem argumento studium et zelus Josephi erga Judæorum causam nimium etiam exaggerantur. De Judæis post Christi passionem et Josephi tempore viventibus idem volunt adversarii esse judicium ac de Judæis hodiernis. Falluntur. Multi ex Judæis veteribus etiam legi addictis, non ita fuêre iniqui erga Christum, ut sunt cuncti Judæi posteriores. Creverunt odia multis de causis. Isti omnes sunt zelotæ, ut aiunt. At primo seculo alii, et quidem multi, etiam ex numero sacerdotum, ad fidem christianam conversi sunt, ut ex Actibus Apostolorum discimus. Alii christianæ veritatis fuerunt osores et Christianis apertè inimici. Alii fuêre quasi semi-christiani, qui nec amplectebantur christianam fidem, nec tamen odia cæterorum adversùs Christum et ejus discipulos approbabant. Josephum porrò etsi sacerdotem, etsi Pharisæum, quid vetat in tertiâ istâ Judæorum classe collocari, cum aliis multis, qui, ut sæpè fit, veritatem prodere nefas putant, quam tamen ob cordis duritiem non amplectuntur? Certè si multi sacerdotes ad religionem Christi conversi sunt, aliqui ex eis potuerunt esse in Christum ejusque fidem propensi, quin ei se devoverent. Conjecturam hanc de Josepho quibusdam argumentis firmamus. 1° Observant ipsi adversarii Josephum ut apud gentiles fidem faciliùs inveniret, quædam miracula in libris Judæorum sacris relata imminuisse, imò de iis aliquando videri dubitâsse; quæ, si ita sint, certè in Judæum, in Pharisæum zelotam non cadunt. 2° Judæi veteres in libro *Zohar*, quem ii scriptum volunt initio secundi seculi, distinguunt Messiam duplicem : alterum filium Davidis, regem magnum, victorem, et liberatorem Israelis; alterum filium Joseph Ephraimitam, pauperem, contemptum, quem Romanis et Christianis colendum relinquunt. Vide Lud. Capell. ad cap. 2 Geneseos, v. 4, 5, 6. Qui porrò in eâ fuêre sententiâ, quæcumque de Jesu Josephus attestatur potuerunt ut vera libenter agnoscere. 3° Josephus post Jerosolymorum cladem Romæ vixit, Romanorum præsidio fretus, nationi suæ invisus. Ergo immeritò habetur ut partibus Judæorum addictissimus; proindeque cùm in conscribendâ historiâ sola ipsi veritas cordi fuerit, nihil mirum esse debet quòd de Christo ea protulerit quæ ipsius testimonio comprehenduntur.

Obj. 5° cum Blondello. Christus multos ex gentili-

bus ad se non pellexit, ut in textu quem defendimus, legitur ; ergo, etc.

Dist. ant. : Non pellexit per se, esto ; non pellexit per discipulos, nego. Certissimum est tempore quo Josephus scripsit à magnâ Gentilium multitudine fidem Christi fuisse susceptam ; quod satis est ut dici potuerit Christus multos ex gentilibus ad se pellexisse. Cæterùm ex cap. 2 S. Matthæi ubi sermo fit de Magorum adoratione, et ex cap. 12, v. 20 S. Joannis liquet ipsi, dùm viveret, plures ex gentilibus fuisse addictos.

Obj. 4° : S. Justinus in Dialogo cum Tryphone, Tertull. in lib. adversùs Judæos et in Apologet. S. Clemens Alexandr. Origines, etc., non laudaverunt illud testimonium, ergo eorum ætate antequàm ab Eusebio adduceretur, deerat in scriptis Josephi. 1° Nego conseq. Quia 1° plurima auctorum ecclesiasticorum, qui tribus prioribus Ecclesiæ seculis floruerunt, scripta perière, in quibus fortè textus de quo agimus, referebatur ; 2° quia quò propiores erant illi scriptores temporibus Christi, eò minùs necesse fuit ut testimonium Josephi adversùs Judæos adducerent. Quid ita? quia quo tempore recentia adhuc erant facta evangelica, multis poterant firmari argumentis, quibus non magnum addidisset pondus auctoritas Josephi scriptoris non coætanei.

2° Resp. ad singula. Ad S. Justinum, is si testimonium Josephi in Dial. cum Tryphone Judæo attulisset, à proposito declinâsset. De factorum evangelicorum veritate non disputabat Tryphon ; sed negabat divinos honores Christo tribuendos. Ex libris sacris Judæorum, ex Prophetarum oraculis efficit S. Justinus Messiam seu Jesum esse Deum. Ad illud adstruendum quorsùm allatum fuisset Josephi testimonium ? Ad Tertull. In Apologetico non affert quidem Josephi testimonium ut facta evangelica confirmet Gentilibus ; sed ratio in promptu est ; majoris ponderis ipsi erant instrumenta. Laudabat epistolam Pilati ad Tiberium, et ipsius imperii romani archiva. Ubi verò contra Judæos disserit, de factorum evangelicorum veritate non disputat, quam fortè ii, quibuscum res ipsi erat, Judæi non inficiabantur. Ad S. Clementem Alexand. Fatemur in libris Stromatum collocari potuisse Josephi testimonium ; verùm non probabunt adversarii illud, si genuinum sit, à S. Clemente non potuisse omitti. Cæterùm cùm eruditissimi illius operis pars non modica perierit, quis non videat ex S. doctoris silentio nihil posse confici ? Ad Origenem, resp. duo ejus testimonia objici. Primum extat tract. 10 in Matth. n, 17 T. 3, edit. 1733, pag. 463 ; alterum lib. 1 contra Celsum, n. 47, T. 1, pag. 362. Prius nullam difficultatem facessit, siquidem eò loci nihil erat quod Origenem cogeret facta evangelica ex testimonio Josephi adstruere Ibi quidem dicitur *hoc esse mirabile* (Josephum), *cùm Jesum nostrum esse Christum non crediderit, tantam tamen Jacobo justitiam testimonio suo tribuisse;* ex quo id unum sequitur juxta Origenem à Josepho Jesum non fuisse habitum ut Messiam, quod et nos statuimus. Quod ad alterum Origenis locum spectat, major in eo difficultas est, quia propositæ à Celso objectioni diluendæ videtur alicui usui esse potuisse nostrum Josephi testimonium. Attamen cùm Celsus de solo Christi baptismo quæstionem movisset, satis fuit Origeni afferre testimonium in quo Josephus de Joanne Baptistâ et de baptismo ab eodem in remissionem peccatorum collato sermonem instituerat. Quod addit ibidem, Josephum non agnovisse Jesum pro Christo, significat duntaxat Josephum in Christum ut Messiam non credidisse. Vide Spencerum in notis ad libros Origenis contra Celsum.

Obj. 5° : In Bibliothecâ Photii tria observantur, quæ probant erudito illi viro Josephi textum fuisse suppositium. Nam 1° dùm Josephi opera recenset, et de libris Antiq. sermonem facit cod. 76, nullam habet mentionem illius testimonii. 2° Idcircò abjudicat Josepho librum de Universo, cod. 48, quia illius libri auctor *de Christo vero Deo nostro aptissimè loquitur, quando et ipsam Christi appellationem ipsi attribuit, et inenarrabilem ex Patre generationem citra reprehensionem describit.* 3° Loquens de Justo Tiberiensi, cod. 33, ait eum *communi Hebræorum vitio laborantem, Judæus genere cùm esset, de Christi adventu, deque iis quæ ipsi acciderunt, aut de miraculis ab illo patratis nullam prorsùs fecisse mentionem.* Ergo tam honorificum Josephi de Christo testimonium non prætermisisset Photius.

Nego ant. ; imò si Photius ut suppositium habuit celebrem illum textum, quare more suo alios non carpit auctores à quibus id testimonium tanquàm genuinum afferri non potuit ignorare? Ad primum neque etiam meminit Photius loco citato testimoniorum Josephi de Joanne Baptistâ et de Jacobo *fratre illius Jesu qui dicebatur Christus.* Ergo ne hæc testimonia supposititia sunt, quorum posterius à nemine hactenùs rejectum est, priùs verò ab Origene etiam laudatum tot characteribus sinceritatis vestitur, ut mirum sit à Blondello et Dupino in suspicionem vocatum fuisse. Ergo sinceritati testimonii quod expendimus, non nocet silentium Photii, librorum de Antiq. argumenta paucis duntaxat exponentis. Quinimò ex illo silentio potiùs evincitur hoc testimonium esse genuinum. Nam si Photius illud ut suppositium habuisset, qui ergo, ut mox dicebamus, Eusebium, totque alios scriptores more suo carpit nusquàm aut notat, à quibus probè sciebat textum illum ut authenticum laudari ? Cæterùm cod. 238 videtur Photius ex Josepho facere de Christi passione mentionem.

Ad secundum, 1° Photius non abjudicat Josepho librum de Universo, sed tantùm dubitat utrum ipsius sit. 2° Quæ auctor illius libri circa Christum verum Deum et ejus *inenarrabilem ex Patre generationem*, teste Photio, *aptissimè et citra reprehensionem* disserit, in immensum distant ab iis quæ continentur in Josephi textu quem expendimus. Illa christianum theologum produnt ; ista sincerum duntaxat historicum.

Ad tertium facilis responsio. Quod occasione Justi Tiberiensis Judæi zelotæ, id est religioni suæ addictissimi, Romanorum et Christianorum osoris, Photius eloquitur, necesse non est extendi ad Josephum eo-

dem vitio non laborantem, et cujus scripta fortè nondùm legerat Photius, cùm de Justo Tiberiensi sermonem faceret. Sed si conjecturis certandum sit, cur, quæso, Photius Justum Tiberiensem redarguit quòd de Christo sileat, nihil verò ejusmodi opponit Josepho? quare isti parcit, non illi, si in historiæ leges ambo et perinde peccaverint? Ergo ex eo argumento potiùs sequitur nihil simile Josepho objici potuisse proindeque, etc.

Dissertatio iij.

QUOMODO ADVERSUS GENTILES EFFICIATUR MYSTERIUM INCARNATIONIS EXISTERE.

Adversùs gentiles et incredulos divinam Scripturarum inspirationem non agnoscentes eatenùs valet mysterium Incarnationis demonstrari, quatenùs missio Christi et Apostolorum ejus, à quibus mysterium illud prædicatum est, divina esse ostendi potest. Si enim Christus et Apostoli à Deo missi sint, doctrina christiana, juxta quam Christus est Homo-Deus, vera sit necesse est et fide tenenda. Porrò missionem Christi ejusque Apostolorum esse à Deo profectam, eadem evincunt argumenta, quibus ipsamet religionis christianæ veritas et revelatio adstruitur. Quapropter, si de propositâ quæstione, eâ quam res ferre posset diligentiâ dissereremus, tractatio integra veritatis religionis christianæ esset instituenda, quod præsentis propositi ratio non patitur. Itaque, ut scholarum mori hìc obsequamur et simul brevitati consulamus, præcipua tantùm hujusce negotii capita summatim attingemus. 1° Ex factis evangelicis, præsertim verò ex miraculis Christi et Apostolorum, hunc esse à Deo missum adversùs gentiles et incredulos ostendemus. 2° Ex resurrectione Christi speciale ducemus argumentum. 3° De miraculis in historiâ ecclesiasticâ relatis quidquam addemus. 4° Ex mirabili religionis propagatione, et 5° ex Prophetiis divinam Christi missionem confirmabimus.

CAPUT PRIMUM.

Ex factis evangelicis, præsertim verò ex miraculis Christi et discipulorum ejus, hunc esse à Deo missum adstruitur.

Miraculorum nomine ab omnibus intelliguntur effectus illi rari, sensibiles, stupendi, hominis facultatem excedentes, nulli causæ physicæ, saltem naturaliter, seu ratione, seu experientiâ cognitæ, connexi, cujusmodi complures in Scripturis et in historiâ memorantur, ut sunt mortuorum resurrectiones, subitæ morborum etiam desperatorum curationes, transformationes variæ, v. g., aquæ in vinum, virgæ in serpentem, etc. Hæc miraculi notio, quam omnes recipiunt, haberi potest instar definitionis nominis.

Quod ad definitionem rei attinet, variæ sunt opiniones quas nec referre, nec expendere eò loci possumus. Annotare satis sit, dubitari non posse quin miracula legibus communicationis mortuum abjudicanda sint; unde generatim finiri debent, exceptiones legum generalium communicationis motuum, seu quod eòdem redit, effectus sensibiles iis oppositi effectibus ad quos iisdem in circumstantiis physicis producendos, leges communicationis motuum destinatæ sunt. Enimverò licèt determinare nemo possit quousque pateat legum communicationis motuum potestas in speciali; id est, quamvis non valeas assignare singulas effectuum species ex ejusmodi legibus nexas; attamen si rem expendas non ad amussim metaphysicæ subtilioris, sed pro sano et ut sapientem physicum decet, facilè perspicies ad effectus miraculosos has leges non extendi. Nonne enim opera miraculosa iisdem in circumstantiis physicis patrantur, in quibus exploratum est effectus dissimiles vi legum naturalium produci? Quis, v. g., resurrectionêm mortui, id est, organorum penitùs destructorum restitutionem, et animæ ad corpus reditum? quis paucissimorum panum pluribus hominum millibus reficiendis multiplicationem? quis vel ipsum Petri super aquas incessum, aut vestimentorum populi Israelitici perseverantem quadraginta annis in deserto integritatem? quis, inquam, hosce effectus judicaverit esse totidem legum communicationis motuum appendices? Certè non ita sentiet prudens quisque physicus, prima omnium principia, prima plantarum et animalium organa Deo speciali voluntate operanti adscribens, legibus verò generalibus motuum id unum tribuens, ut corpora dividant, componant, coagmentent, et succorum accessu prima rerum rudimenta et lineamenta explicent ac evolvant. Ergo miracula non sunt consecutiones legum communicationis motuum; proindeque, etc.

Miracula dividi solent in propriè dicta et improprièdicta. Illa solus Deus producit; hæc ab Angelis seu bonis seu malis patrari possunt. Quod ut intelligatur, sciendum est omnes effectus miraculosos vel esse *transformationes*, ut aiunt, id est, introductiones formarum essentialium seu configurationum quibus corpora diversi generis constituuntur, ut cùm aqua in vinum à Christo versa est; vel consistere in iis tantùm mutationibus quæ *alterationes* appellantur; vel in merâ translatione aut quiete corporum. Transformationes duplicis generis distinguuntur; aliæ quæ fieri possunt vi alicujus agentis materialis effectui producendo applicati; sic, v. g., ope ignis lignum mutari potest in fumum et in cineres; aliæ ejus naturæ sunt ut excedant omnis agentis materialis vires, ita ut nihil in corporalium rerum naturâ existat, quod, quocumque modo applicatum, ejusmodi effectui producendo sufficiat; sic, v. g., nullum datur agens materiale quod organa plantarum aut animalium corrupta penitùs et destructa restituere possit, proindeque cùm virga Aaronis floruit, cùm Lazarus resurrexit, factæ sunt transformationes vim omnem agentium materialium superantes.

Supponunt passim Scripturæ, et omnes theologi docent, Angelis seu bonis seu malis datam à Deo esse lege aliquâ generali potestatem transferendorum corporum. Nempe cùm Angeli sint substantiæ nobiliores corporibus, statim atque creati sunt, ac dùm adhuc

erant in viâ, aliqua ipsis fuit in corpora potestas, quæ ab Angelis bonis profectò amitti non debuit, in malis verò Angelis quantùm ad substantiam remansit, sicut nec intellectu nec voluntate ob peccatum privati sunt. Sed hæc potestas non extenditur ad transformationes aut alterationes immediatè inducendas; nec enim independens esse debet à legibus naturæ sapienter à Deo institutis. Ubi itaque Angelus seu bonus, seu malus vult in corpus aliquod novam formam inducere, utatur oportet agentibus naturalibus à Deo ad hunc effectum producendum institutis, hæc agentia transferat, et, ut aiunt, activa applicet passivis. Ex quo sequitur, quamlibet transformationem, quæ omnium agentium materialium activitatem superat, esse etiam supra virtutem naturalem Angeli sive boni sive mali.

Aliis insuper modis restringitur Angelorum potestas circa corpora transferenda. Nam ipsi Angeli boni non exercent sine ullâ lege ejusmodi facultatem; ordo quippe immutabilis, quem in ipsâ Dei substantiâ contemplantur, eorum actus omnes dirigit, nec potentiâ sibi concessâ eos uti sinit, nisi prout gloriæ Dei et attributorum ejus manifestationi magis expedierit. Fortè etiam singulorum potestas non ad omnia corpora pertinet, sed ad aliqua solùm.

Quantùm verò ad dæmones, potestas eorum intra angustiores adhuc limites coarctatur. Et 1° quidem ratione objecti; nempe nec simul nec successivè omnia corpora movere possunt, alioquin universum orbem subverterent. 2° Ratione circumstantiarum : fortassis enim, v. g., eis non est concessum, ut singulis momentis quidquam agere possint. 3° Per potentiam oppositam Angelorum beatorum, à quibus oppugnantur et vincuntur. 4° Id generatim certum est, nihil quidquam ab iis fieri, nisi quod Deus permiscrit.

Ex his colligere est quid sit miraculum propriè dictum seu divinum, et miraculum impropriè dictum seu angelicum. Miraculum propriè dictum, seu quod soli Deo tribuendum est, excedit naturalem facultatem omnis creaturæ, etiam angelicæ; nempe consistit in inducendis immediatè et sine ullo agente materiali formis essentialibus. Ubi autem sic se habet ejusmodi effectus à Deo immediatè productus, ut alicujus causæ materialis ope ab Angelo applicatæ produci potuisset, miraculum dicitur divinum quantùm ad modum duntaxat, non quantùm ad substantiam; appellatur verò divinum per se et quantùm ad substantiam, ubi agitur de inductâ formâ essentiali ad quam introducendam nullâ causa materialis à quocumque agente creato applicata idonea sit. Miraculum angelicum constituunt alii effectus sensibiles et stupendi, ex legibus communicationis motuum non sequentes, et facultatem hominis excedentes. Aliud verò producitur ab Angelo bono, et semper ordini consentaneum est, nec ullo perverso fine, nullâ pravâ circumstantiâ vitiatur. Aliud à dæmone patratur, permittente Deo, ut mox explicuimus. Non omittendum autem dæmonem seu præstigiis, seu unius corporis in locum alterius substitutione, posse aliquando simulare miracula etiam divina.

Non difficulter assignantur regulæ certæ quibus miracula divina et angelica à diabolicis secernantur; nempe si operis substantia, si circumstantiæ, si principium, si finis, si miraculorum numerus, auctoritas et splendor attendantur, facilè dignoscere erit opus diabolicum, quod semper vitio quodam manifesto proditur. Etsi porrò quæ de naturâ miraculi divini aut angelici paucis exposuimus, verissima sint, nec videantur posse à theologo prudenter philosophante rejici, attamen necesse non est ea omnia perspecta habere, ut intelligatur vim summam inesse miraculis ad probandam doctrinæ veritatem. Ita enim genus humanum à Deo constitutum est, ut miraculis maximè alliciatur ad credendum, nec quisquam sapiens possit iis non assentiri, ubi certis characteribus vestiuntur. Hæc potissimùm regula eâ de re statuenda est tanquàm evidentissima : Quisquis novit Deum unum, optimum, maximum rebus omnibus præesse, sapienter non potest temperare se ab adhibendâ fide homini pio, doctrinam sanctam, dogmata sublimia etsi rationi impervia prædicanti, qui se à Deo missum perhibens, miraculis innumeris, indubitatis, splendidissimis, nullâ pravâ circumstantiâ vitiatis, nullo iis comparando prodigio impugnatis missionem suam comprobat. Quapropter cùm fateri omnes cogantur miracula Christi et Apostolorum ejusmodi fuisse, modò facta evangelica extra omnem dubitationis aleam posita demonstrentur, is nobis hic erit præcipuus scopus, ut illorum factorum fidem indubitatam faciamus.

Factorum evangelicorum veritas demonstratur. — Sic arguimus : Facta possibilia, publica et magni momenti, à pluribus testibus oculatis aut coætaneis, qui nec falli potuerunt, nec mendacii et fraudis possunt insimulari, unanimiter nulloque alio scriptore contradicente narrata, cum factis aliis posterioribus extra omnem controversiam positis necessariò connexa, ac tandem usque ad nos sine ullâ corruptione et depravatione transmissa, ejusmodi, inquam, facta vera et certissima sunt; atqui facta quæ in Evangelio narrantur sic se habent; ergo, etc.

Major negari nequit. Enimverò qui facta hisce characteribus vestita in dubium revocaverit, is circa facta historica incidat necesse est in Pyrrhonismum universalem, cui hominis ratio et natura, ipsorumque deistarum in rebus humanis cogitandi et agendi modus prorsùs repugnant; idem ille apud se statuat homines nullo motivo ductos, imò motivis omnibus posthabitis, posse veritatem odisse, mendaciis et falsitatibus manifestissimis delectari; judicet fieri posse ut cuncti ad eum decipiendum conspirent; neget Romam olim extitisse aut etiamnum extare; plerasque demonstrationes mathematicas rejiciat, quippe quæ ejusmodi factorum certitudinem moralem evidentiâ non superant, sunt verò plerumque hominum indoli ac ingenio multò minùs proportionatæ. Non tot autem et tantas enumeravi certitudinis factorum notas, quòd omnes crediderim ad unamquamque veritatem historicam firmiter stabiliendam requiri; sed eâ mente ut quæcumque facto alicui suadendo prodesse possunt,

in unum collecta ostendam factis evangelicis competere.

Jam probanda est minor propositio per partes : 1° Possibilia sunt facta quæ in Evangelio narrantur. De solorum miraculorum possibilitate post Spinosam dubitatio moveri posset; atqui evidens est miracula esse possibilia, seu nullam contradictionem involvere. Miracula enim, ut ex dictis colligere est, seu quæ à Deo solo, seu quæ ab Angelis producuntur, sunt effectus rari, sensibiles, stupendi, ex legibus generalibus motuum excepti, seu quod idem est, dissimiles iis effectibus quos iisdem in circumstantiis physicis leges naturales producunt. Atqui ejusmodi exceptiones, ejusmodi effectus nullam contradictionem involvunt. Deus enim, qui liberè instituit leges naturæ, potuit, eas instituendo, quas voluerit exceptiones decernere; potuit statuere futurum ut illæ leges ad speciales quosdam non pertinerent casus, in quibus volebat alios effectus produci. Rem explico exemplo. Leges motuum à Deo institutæ exigunt, v. g., corpus aquâ gravius ipsi superpositum mergi; quis negaverit Deum, cùm illam legem tulit, potuisse eum excipere casum in quo S. Petrus super aquas incessit, et contra præfinire ut in ejusmodi casu produceretur effectus ei quem in iisdem circumstantiis physicis leges motuum producunt oppositus? Ergo miracula ac proinde omnia facta quæ in Evangelio narrantur, possibilia sunt.

2° Ejusmodi facta publica fuerunt. Id inductione aliquâ patebit. Namque Joannem Baptistam, hominem sanctissimum, baptisma pœnitentiæ prædicantem, Christi præcursorem fuisse et ipsi testimonium reddidisse; pariter Christum Bethleemi natum; Magos cœlesti phænomeno ab Oriente deductos ad eum adorandum venisse, eâque occasione infantes omnes in Bethleem et in omnibus finibus ejus à bimatu et infra Herodis jussu fuisse occisos; anno ætatis suæ duodecimo Christum, stupentibus et sapientiam ejus admirantibus Judæorum magistris, in templo docuisse; dùm à Joanne baptizatus est, apertos fuisse cœlos, et auditam de cœlo vocem dicentem : *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui;* duodecim Apostolis plebeiis viris, rudibus, illitteratis, quibus doctrinam suam traderet, selectis, ipsum per tres annos prædicâsse, et sese Messiam perhibuisse; innumera interim ab ipso edita miracula, in civitatibus, in pagis, in domibus, in plateis, in templo, ubique, coram scribis et pharisæis, coram Samaritanis, coram alienigenis; filium archisynagogi, puerum centurionis romani, cæcum à nativitate, innumerosque alios, leprosos, clausos, cæcos, mutos, et morbis quibuslibet etiam desperatis affectos, ab eo sanatos fuisse, quatuor mortuos suscitatos, mare sedatum, aquam in vinum versam, paucos panes pluribus hominum millibus saturandis multiplicatos; eumdem nihilominùs, promoventibus Judæis, à Pontio Pilato cruci affixum; tenebras, eo moriente, super universam terram factas fuisse; sepulcrum ipsius à principibus sacerdotum et pharisæis obsignatum et militibus traditum fuisse custodiendum; in eo tamen corpus ejus tertiâ die non repertum, sicque ipsâ Judæorum cautione auctam resurrectionis ejus certitudinem; Apostolos in die Pentecostes audiente hominum multitudine ex omni natione quæ sub cœlo est, variis linguis locutos, et i nullam didicissent, ac instar magistri sui, ejusque nomine, maxima patrantes miracula, evangelicam fidem primùm Judæis, et deinde gentibus usque ad extremas terras prædicâsse, etc.; hæc, inquam, omnia facta, aliaque similia quæ in novo Testamento narrantur, manifesta fuisse, eorum natura ipsa satis ostendit, eaque tanquàm publica, id est, ut nota Synagogæ, magistratibus et nationi Judaicæ in Evangelio narrari ex solâ ejus lectione perspicuum est; ergo, etc

2° Eadem facta erant magni momenti, adeò ut ea attendi necesse fuerit, nec sine maturo examine prævio potuerint recipi. Namque ejusmodi factis Apostoli Judæis suadere conabantur *et Dominum eum et Christum à Deo factum esse hunc Jesum quem illi crucifixerant*, Act. 2, v. 36; fidem illi homini esse adhibendam, *nec aliud nomen, esse sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*, Ibid. 4, v. 12; in ipso vaticinia omnia Prophetarum compleri, et regnum ejus non esse illud terrenum quod cupiditatibus ducti inaniter sperabant, sed regnum spirituale quo bona summa quidem, sed insensibilia et cœlestia subditis conferuntur. Receptum ubique et cupiditatibus faventem deorum cultum infidelibus interdicebant, ejusque loco ipsis porrigebant religionem severam, sensibus et præjudiciis adversam, cupiditatibus inimicam, dogmatum suorum sublimitate percellentem, morum sanctitate absterrentem, afflictiones, ærumnas, persecutiones, cruces cultoribus suis prædicentem nec nisi cœlestia bona promittentem, malis pœnas in altero ævo æternùm duraturas comminantem. Hæc ut suaderent Apostoli testes se evangelicorum factorum præbebant, Christum resurrexisse affirmabant, miracula innumera edebant, sævissimis suppliciis sese alacres offerebant. Quis autem non videat facta cum rebus tanti ponderis connexa non facilè recipi debuisse, nec nisi post sufficiens examen potuisse admitti?

4° Facta evangelica referuntur ab auctoribus coætaneis quorum plurimi fuerunt testes oculati. Primus Evangelistarum S. Matthæus è telonio ad apostolatum, ut ipse refert, à Christo vocatus, et unus deinceps ex ejus comitibus individuis, Evangelium suum anno æræ vulgaris circiter 39, paulò post Christi mortem, Jerosolymis conscripsit.

Marcum fuisse unum è 72 Christi discipulis quidam opinati sunt; sed Apostolorum duntaxat, præsertim verò S. Petri discipulus videtur extitisse. Quidquid sit, auctoris coætanei ab Apostolis eruditi titulus ipsi denegari non potest; sed præterea constat Evangelium ejus à S. Petro fuisse approbatum, et proinde eamdem (humano modo loquor) auctoritatem habere ac si à S. Petro exaratum fuisset.

S. Lucas pariter coætaneus historiæ Christi scriptor dicendus est. Is in locis Palæstinæ vicinis natus,

et in eâ diù versatus, sese S. Paulo discipulum adjunxit. Non ea quidem ipse vidit quæ in Evangelio suo litteris consignat; sed testatur cap. 1, v. 2 et 3, se *assecutum omnia à principio diligenter*, eaque scribere *quæ tradiderunt qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis.* Cùm autem ejus Evangelium ante Apostolorum mortem exaratum fuerit, et ab omnibus Ecclesiis semper et unanimiter receptum, dubitari non potest quin illud approbaverint Apostoli.

Porrò S. Joannes è Galilæâ oriundus Apostolorum collegio sociatus, et ob acceptâ à Christo singularis prorsùs dilectionis testimonia, Dilecti discipuli nomen adeptus, Christum ad crucem usque secutus est, primusque testis et præco resurrectionis ejus fuit, et ad extremum usque spiritum per annos ferè septuaginta assertor indefessus. Hæc et alia quæ de eo sive in Evangeliis, sive in historiâ ecclesiasticâ leguntur, testem gestorum Christi ipso graviorem et locupletiorem desiderari non posse ostendunt.

Actuum Apostolorum auctor S. Lucas, plerarumque rerum quas in hâc historiâ commemorat, spectator fuit.

Quæ autem in Evangelio edisseruntur, Apostoli in suis Epistolis pro certo et inconcusso habent, et suo testimonio confirmant. *Non doctas fabulas secuti*, inquit S. Petrus, Epist. 1, cap. 1, v. 16, *notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et præsentiam; sed speculatores facti illius magnitudinis.* Et S. Joan. Epist. 1, cap. 1, v. 1 et 2 : *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ, et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis*, etc. Nec omittendum est curavisse Apostolos ut in locum Judæ proditoris seligeretur aliquis factorum Christi oculatus testis, qui apostolatûs officium exerceret, adeò interesse existimabant facta evangelica idoneis testimoniis muniri. *Oportet*, ait super hâc re S. Petrus Act. 1, v. 21, *ex his viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore quo intravit et inter nos Dominus Jesus incipiens à baptismate Joannis usque in diem quâ assumptus est à nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis.*

5° Testes factorum evangelicorum falli non potuêre. Eos enim decipi natura ejusmodi factorum plerumque non sinebat. Facta illa erant visibilia, sensibus objecta, manifesta, publica, circa quæ error in testem oculatum non cadit. Num, v. g., decipi potuerunt Apostoli et discipuli circa Christi et Præcursoris ejus prædicationem, circa miracula multiplicationum panum, circa restitutionem visûs cæci nati, circa resurrectionem Lazari, circa resurrectionem ipsius Christi, qui vulnera sua ipsis palpanda præbuit, circa donum linguarum quo in die Pentecostes à Spiritu S. donati sunt, circa alia innumera quæ enarrare longius foret? Insuper, ne in ejusmodi rebus stolidè allucinari potuisse judicentur vetat etiam sapientia illa planè divina quæ in Evangelistarum et Apostolorum scriptis elucet. Expolitum quidem et elegans dicendi genus non adhibent, nempe, ut ait Apostolus, 1 Cor. 2, v. 4, *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis.* At verò quanta in doctrinâ quam tradunt deprehenditur ubertas! Quanta in morum præceptis gravitas et sanctitas! Quanta in dogmatibus et mysteriis divinis altitudo et majestas! Quanta in factis exponendis ingenuitas, diligentia et perspicuitas! Quantam Numinis supremi ac cultûs ipsi debiti ideam ingenerant animis, eâ ætate quâ in densissimis tenebris, in errôribus turpissimis, universum genus humanum circa religionem versabatur! Quàm sapienter tandem ad rerum quas tractant diversitatem, ad varias circumstantias, ad fines à se intentos sermonem accommodant! Res gestas accuratè, ut congruit, et simpliciter narrant; ratione, exemplis, parabolis regulas morum, ubi opus est, confirmant, explicant, suadent; quæ miraculis ac Prophetarum oraculis fuerunt stabilienda, ut missionis suæ divinitas et mysteria fidei, hæc prodigiis Dei virtute patratis, et testimoniis Scripturarum, prout expediebat, adductis, adstruere nôrunt. Ergo seu doctrinæ præcellentia, seu forma dicendi attendatur, fatendum erit Evangelistarum et Apostolorum libros summâ fulgere sapientiâ, quæ testes factorum evangelicorum circa ejusmodi facta turpiter allucinari non potuisse demonstrat.

Sed decipi potuerint Apostoli et alii discipuli circa miracula quæ patravit Christus, numquid ipsi sibi videri potuerunt innumera miracula edere? atqui miraculorum Christi testes, Apostoli scilicet, miracula et ipsi innumera ediderunt, ut ipsi et alii scriptores novi Testamenti auctores sunt. *Per manus Apostolorum*, inquit S. Lucas, Act. 5, v. 12 et seq., *fiebant signa et prodigia multa in plebe... ita ut in plateas objicerent infirmos, et ponerent in lectulis ac grabatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis. Concurrebat autem et multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes ægrotos et vexatos à spiritibus immundis, qui curabantur omnes.* Et Act. 19, v. 11, et 12 : *Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli; ita ut etiam super languidos deferrentur à corpore ejus sudaria et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur.* Hinc S. Paulus. 1 Cor. 2, v. 4 : *Sermo meus et prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs et virtutis.* 2 Cor. 12, v. 12 : *Signa apostolatûs mei facta sunt super vos in omni patientiâ, in signis, et prodigiis, et virtutibus.* Et Hebr. 2, v. 4 : *Contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus, et Spiritûs S. distributionibus secundùm suam voluntatem.* Vide etiam Luc. 10, v. 17, Joan. 14, v. 12; Act. cap. 2, 3, 5, 6, 8, 9, 10, etc.

6° Sinceri fuêre testes factorum evangelicorum, nec fraudis et mendacii insimulari possunt, quod argumento ducto ex eorum fortunâ, conditione, moribus, genio, indole et officiis, et ex horumce factorum promulgatione, modo, circumstantiis ac fine planè efficitur. Si enim quo genere nati factorum evangelicorum testes, quâ disciplinâ innutriti fuerint, inquiras; viri fuêre rudes, sine litteris, piscatores, quibus proinde universi orbis decipiendi consilium

tribuere insulsum foret. Si doctrinam inspicias quam tradiderunt, nihil eâ sanctius et illibatius, nihil majori dignum veneratione, nihil ab omni dolo abhorrens magis. Si ad eorum mores et vitæ rationem attendas, terrena contemnebant, fidei propagandæ, muneri suo implendo sese toti dedebant, sanctissimæ magistri sui, quam prædicabant, doctrinæ vita eorum tam pulchrè congruebat, ut nullum in iis vel minimum vitium reliquerint Porphyrius, Celsus, aliique religionis christianæ hostes. Si modum scribendi consideres, res candidè et ingenuè narrant, sine fuco, sine ullâ exaggeratione aut dissimulatione, sine animi motu et ostentatione. Nec Apostolorum cum Christo conversantium inscitiam, asperitatem et in fine ipsi adhibendâ tarditatem, nec eorumdem in sese invicem jurgia et altercationes; nec denique ipsorum, dùm Christus passus est, pusillanimitatem et fugam tacuerunt. Omnia fidei historiæ commisêre, unius veritatis studiosi. In Christi osores, in principes sacerdotum et alios Judæos ejus necis auctores, in Judam proditorem, in Pilatum et milites romanos, in eos à quibus ipsi contumelias, carceres, flagra, et alia supplicia passi sunt, non invehuntur, non effervescunt, nihil convicii proferunt, nihil querimoniarum sibi permittunt. Iis satis est singula nudè exponere. Ipsum Christi supplicium ejusque mortem sedato animo et simpliciter referunt : *Ibi*, inquiunt, *crucifixerunt eum*, Luc. 24, v. 33. Si tandem motivum perpendas quo ducti Evangelistæ et Apostoli facta evangelica attestati sunt; nullâ eos spe depastos, nullo temporali emolumento illectos fuisse deprehendes. Quid enim Apostolis munus crucis Christi prædicandæ parere poterat, nisi labores plurimos, paupertatem, ignominias, supplicia, neces? Propter Christum et salutem æternam sibi à Christo promissam iis ærumnis et periculis sese libenter obtulêre; atque adeò ipsis persuasa erat factorum evangelicorum veritas, ut eam sanguinis sui effusione consignaverint. Denique si modum, tempus, et varia adjuncta promulgationis evangelicorum factorum ab Apostolis vel eorum jussu editæ observaveris, hæc ea esse facilè perspicies, cum quibus voluntas fallendi consistere non possit. Enimverò paucis post Christi ascensionem diebus, ipso scilicet festo Pentecostes, multitudinem Judæorum, quæ, propter *factum repentè de cœlo sonum tanquàm advenientis spiritûs vehementis*, convenerat in domum ubi manebant Apostoli, alloquens Jerosolymis S. Petrus, Act. 2, v. 22, 23 et seq. : *Viri Israelitæ*, inquit, *audite verba hæc : Jesum Nazarenum, virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus et prodigiis et signis quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut et vos scitis : hunc definito consilio et præscientiâ Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis ; quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni..... hunc Jesum resuscitavit Deus, ejus omnes nos testes sumus.* Audis Apostolorum principem, cæterorum nomine verba facientem, præcipua facta evangelica ob Judæorum oculos ut res ipsis compertas et in medio eorum factas tunc subjicientem, cùm vix à morte Christi dies 52 elapsi essent. Se igitur et alios discipulos resurrectionis Christi testes esse confidenter eo tempore perhibuit, quo, si res falsa fuisset, facillimè potuissent mendacio convinci. Quod ad alia facta virtutesque et prodigia Christi attinet, illa commemorat ut res apud Judæos publicas et nemini in Judæâ non exploratas : *Quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut et vos scitis.* Idem Apostolus in alio sermone Act. 10, v. 37 et seq., summario factorum Evangelicorum quod exhibet, hæc præmittit, auditores compellans : *Vos scitis quòd factum est verbum per universam Judæam.* Porrò ex eodem Actuum libro passim colligere est alios quoque Apostolos iis in concertationibus quæ cum Judæis seu in Palæstinâ, seu alibi commorantibus, frequentes ipsis de Christo fuerunt, de factis evangelicis pari fiduciâ esse locutos. Ergo testes illorum factorum, ut Judæis suaderent Christum esse Messiam, facta ejusmodi promulgârunt ac testificati sunt, cùm eorum recentissima adhuc esse debuit apud Judæos memoria, diebus videlicet paucis post Christi obitum et resurrectionem. Numquid hæc cum voluntate fallendi consistunt?

Ad hæc, quæ facta Apostoli sæpiùs vivâ voce in memoriam revocaverant et oraculis Prophetarum consona ostenderant, unus ex illis S. Matthæus cæterorum jussu anno à morte Christi sexto, æræ vulgaris 39, Jerosolymæ litteris consignavit. Anno abhinc circiter 18, prodiit Evangelium à S. Lucâ in Achaiæ et Beotiæ partibus conscriptum. Fortè priusquàm scriberet S. Lucas, aut saltem paucis post annis, S. Marcus Romæ Evangelium Christi concinnavit. Tandem anno æræ nostræ 96, Evangelium à Joanne Ephesi exaratum est. Interea diversis temporibus et variis in locis conscripti sunt alii novi Testamenti libri, quibus facta evangelica supponuntur et confirmantur.

Jam verò hæc advertenda sunt : 1° Ab Evangelistis magnâ diligentiâ notantur circumstantiæ vel minimæ annorum, dierum, locorum, personarum, principum tum regnantium, summorum sacerdotum, etc. Id non assolent deceptores, nec sanè possent quin statim mendacio evincerentur. 2° S. Matthæus, utpote Jerosolymis scribens, sermonem adhibuit hebraicum, seu potiùs syriacum quo tunc Judæi utebantur; cæteri verò librorum novi Testamenti auctores, cùm aliis in regionibus scriberent, græcam linguam usurpavêre, quam populis omnibus, atque ipsis Judæis apud Græcos et Romanos degentibus valdè usitatam fuisse constat. Voluêre igitur ejusmodi scriptores historiam à se promulgatam posse non difficulter ab unoquoque comprobari. 3° Etsi annis à se invicem aliquo intervallo dissitis, et in diversis regionibus scripserint auctores novi Testamenti, attamen de factis evangelicis summè consentiunt, quod non leve est veritatis argumentum. Certè si Matthæus falsi convictus fuisset, eadem prorsùs ac ille non ausi essent proferre Evangelistæ subsequentes, aut saltem nonnisi rebus quibusdam et circumstantiis ad earum substantiam pertinentibus immutatis hæc protulissent. Nempe fraus

pro varietate circumstantiarum varias induit formas, nec iisdem semper armis pugnat, quorum infirmitatem est experta. 4° Quantumvis inter se similes sint Evangelistæ quatuor, attamen simul à se invicem nimium diversi deprehenduntur, quàm ut collusionis possint accusari. Si falsa narrâssent, nunquàm potuissent non communicatis consiliis adeò perfectè concordare. Si communicatis consiliis colludere voluissent, minor in eorum historiis dissimilitudo deprehenderetur. Itaque cæteris, quæ attulimus, Apostolorum sinceritatis evidentibus argumentis, istud addendum est non minùs manifestum, eo de fine, iis in circumstantiis quæ cum voluntate fallendi consistere nequeunt, promulgata fuisse facta evangelica.

7° Unanimiter ab Evangelistis narrantur facta evangelica, ut modò dictum est, iisque concinunt alii librorum novi Testamenti auctores.

8° Factis evangelicis non contradicunt alii scriptores, imò vel infestissimi christianæ religionis hostes, Judæi, Pagani, Mahumetani; magna à Christo edita fuisse prodigia et miracula non inficiati sunt. Et quidem Judæi. De coætaneis testes sunt Evangelistæ, à quibus habemus sæpè Judæos prodigia Christi admiratos esse. Hinc ipsum *alii* existimabant esse *Eliam, alii verò Jeremiam aut unum ex Prophetis, alii*, ipseque Herodes Antipas, *Joannem Baptistam*, à mortuis suscitatum. Vide Matth. 16, v. 14 · Marc. 8, v. 28; Luc. 9, v. 19. Ne ipsi quidem Pharisæi negabant à Christo miracula patrari. Conquesti sunt non semel quòd die sabbati ægros curaret; dixerunt eorum quidam in nomine Beelzebub principis dæmoniorum ejici ab ipso dæmonia; sed et his querimoniis et conviciis maximè apparet illum manifestissima prodigia esse operatum. Tandem post resurrectionem Lazari Joan. 11, v. 47, 48 et seq.: *Collegerunt pontifices et pharisæi concilium, et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum..... Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum.* Quantùm ad posteriores Judæos, jam diximus in Talmude et in utroque libro Toldoth Jesu, prodigia Christi adscribi virtuti ineffabilis nominis Dei, quod magicis artibus è Sancto sanctorum ab eo ereptum fuisse comminiscuntur fabulam ridiculam, quam eâ de re proferunt, exposuimus, atque ex eâ collegimus Christi prodigiis Judaicam gentem olim stupendum in modum fuisse affectam, quippe cùm ejusmodi miracula, licèt tot fabellis eorum traditiones scateant, nondùm penitùs apud eos obliterari potuerint. Pagani etiam fidem miraculorum Christi confirmant. Porphyrius enim (1), Celsus (2), Julianus imperator (3) facta evangelica non impugârunt; aliqua à Christo edita esse miracula non negârunt, imò fassi sunt expressè. Sed quod majoris est ponderis, Christi sapientiam et opera admirati sunt ipsi imperatores pagani. Tiberius, cognitis ex Pilati relatione, miraculis, morte et resurrectione Christi, divinos illi honores decerni, re ad senatum delatâ, postulavit. Id affirmat in Apologetico cap. 5, Tertullianus, qui profectò, veritus ne causæ noceret suæ, factum ejusmodi, quod ex archivis imperii comprobatu facillimum erat, nunquàm tantâ confidentiâ senatui ipsi objecisset, nisi illud compertum et exploratum habuisset. Magnâ veneratione Christum prosecutos esse Adrianum et Alexandrum Severum, auctor est Lampridius scriptor paganus in Severo. Loquitur Chalcidius Commentario in Timæum de stellâ seu phænomeno cœlesti quod Magis apparuit, et Phlegon (1) Olymp. Chronic. lib. 13, mentionem facit stupendæ illius defectionis solis quæ tempore mortis Christi contigit. His addi possunt quæ in gratiam Christianorum dicta sunt à Plinio lib. 10, epist. 102, ad Trajanum, à Severo Graniano proconsule in Epist. ad imperatorem Adrianum (2), ab Adriano imperatore in epist. ad Minutium Fundanum (3), à Tito Antonio imperatore in epist. ad Asian. (4).

Factis evangelicis Mahumetani quoque suffragantur. Mahumetes in Alcorano, et Moslemi doctores Alcorani interpretes Christum Dominum magnum Prophetam fuisse prædicant, et hominem à Deo missum, atque innumera ab eo patrata fuisse miracula confitentur, inter quæ nonnulla commemorant quæ nos non agnoscimus.

9° Facta evangelica necessariam connexionem habent cum factis posterioribus extra omnem controversiam positis. Nempe orbem ferè integrum densis paganismi tenebris obsitum ante Christi tempora jacuisse certissimum est. Constat pariter idola fuisse eversa, et cultum christianum, etsi à nullâ errorum nostrorum causâ ortum habere potuerit, idololatricorum rituum loco obtinuisse. Hæc porrò tanta rerum immutatio non nisi à factis evangelicis originem duxit, adeò ut planum sit nullam illius assignari posse causam, nisi eorum veritas agnoscatur. Accedet huic argumento robur maximum ex infra dicendis de propagatione religionis christianæ.

10° Facta evangelica ad nos usque transmissa sunt sine ullâ corruptione et depravatione. Ad hoc enim satis est libros novi Testamenti, et præsertim Evangeliorum, integros et incorruptos usque ad nostram ætatem pervenisse. Atqui argumento triplici id facilè adstruitur. Primum est, librorum hujusmodi et rei christianæ statum ab initio eum semper fuisse ut illi libri à nemine corrumpi et adulterari potuerint. Nam si adulterati et depravati fuissent, vel à Judæis, vel à paganis, vel à Christianis; sed nullum horum dici potest. Non à Judæis, quippe cùm tot ipsis adversantia in hisce libris etiamnum contineantur. Deinde passine essent Christiani libros, quos manibus quotidiè terebant, quos tanquàm fidei suæ regulam summè venerabantur, ab extraneis corrumpi? Istud postremum evincit pariter neque à Paganis ejusmodi depravationem inductam; qui præterea nullo motivo ad eam tentandam impelli

(1) Apud Euseb. Præp. evang. lib. 5, cap. 1.
(2) Apud Orig. lib. 2, contra Celsum.
(3) Apud S. Cyril. lib. 6, contra Julianum.

(1) Apud Euseb. in Chron. Lat. et alios.
(2) Apud Euseb. Hist. Eccl. l. 4, c. 7.
(3) Ibid. cap. 9.
(4) Ibid. cap. 13.

potuerunt. Jam verò neque à Christianis. Namque an ab omnibus uno consensu Christianis id tentatum, an ab aliquibus tantùm? Non ab omnibus communi consilio. Quomodò enim omnes Christiani consentire inter se potuissent de sacro librorum suorum textu corrumpendo? quomodò sperâssent non divulgandam ejusmodi librorum toto orbe disseminatorum corruptionem communi tot hominum consilio peractam? quomodò ejusmodi fraude et se et religionem suam ludibrio et irrisioni paganorum et Judæorum certò exponere non dubitâssent? quomodò detectâ illâ fraude potuisset christiana religio, quæ factis evangelicis tota innititur, propagari? quomodò Christianis turpem hanc librorum suorum depravationem Celsus, Porphyrius, Julianus, etc., non objecissent? Ergo evidentissimum est ab omnibus simul Christianis corrumpi non potuisse novi Testamenti libros. Planum est pariter ab uno aut paucis aliquibus Christianis id fieri nequivisse. Etenim novi Testamenti ac præsertim Evangeliorum libri, statim atque exarati sunt, in varias orbis partes fuêre deportati et disseminati; innumera eorum exemplaria transcripta sunt; plures subinde in varias linguas editæ versiones; illorum intelligentiæ et meditationi præcipuè incumbebant pastores; terebantur assiduè à cæteris Christianis et ab iis memoriter disci solebant; legebantur quotidiè et explicabantur in cœtibus fidelium; maximâ asservabantur curâ præsertim in Ecclesiarum matricum archivis; atque ex historiâ ecclesiasticâ compertum est, quod et res ipsa loquitur, Christianos tantâ erga illos libros veneratione semper affectos fuisse, ut in iis quidquam immutari tulissent nunquàm, ac vel unius litteræ inter pronuntiandum mutatio de se indifferens magno crimini versa aliquando sit; ergo, etc.

Ne adulterari potuerint novi Testamenti libri, illud etiam maximè obstitit quòd ab Ecclesiæ incunabilis extiterint hæretici, Ebionitæ scilicet, Valentiniani, Carpocratiani, Gnostici, etc. Ii adversùs Ecclesiam pugnantes perversa sua dogmata malè intellectis Scripturæ locis adstruere conabantur, et ex Scripturarum auctoritate etiam revincebantur. An ergo Catholici libros sacros corrumpere ausi fuissent? Sed ab illis hæreticis cum ignominiâ et dedecore illicò fracti fuissent. An illud moliti fuissent hæretici? Verùm à pastoribus catholicis contra fraudem apertè reclamatum fuisset, sacrilegumque erroris ausum et temeritas repressa, quod et adversùs Valentinum et Marcionem id facinoris attentantes factum legimus. Novi igitur Testamenti et præsertim Evangeliorum libros corrumpi potuisse nunquàm permisit eorum librorum et rei christianæ status.

Alterum incorruptæ ejusmodi librorum integritatis argumentum est, citationes locorum novi Testamenti in SS. Patrum operibus et in variis traditionis monumentis frequentissimè occurrentes, exemplaribus textûs sacri, quibus hodiè utimur, planè concinere; quod argumentum sic proponi potest : Si libri novi Testamenti corrumpi potuerint, vel antequàm fidei illustrandæ ac defendendæ causâ scriptores ecclesiastici opera edere cœperint, vel nonnisi postea; neutrum dici potest. Non prius; si quidem Evangelistarum et Apostolorum libros et Epistolas excepêre scripta ab eorum discipulis exarata. Nec etiam posterius; cùm enim loca quæ in ejusmodi auctorum ecclesiasticorum operibus leguntur, eamdem in nostris librorum sacrorum exemplaribus extent, corruptionis argui non possunt exemplaria nostra, quin scripta auctorum ecclesiasticorum aut supposita, aut saltem quantùm ad textus Scripturæ in iis citatos corrupta statuantur. Atqui non supposita; quid enim repugnat magis quàm tot ejusmodi scripta et monumenta suppositionis insimulare, quorum priora ab immediatè sequentibus, et ista rursùs ab aliis nostro ævo vicinioribus laudantur et fidem certam obtinent? Eadem scripta et inscripta et instrumenta adhuc absurdiùs dicerentur solùm corrupta quantùm ad loca textûs sacri in iis allata; enimverò scriptores ecclesiastici loca illa explicant, ex iis argumenta eruunt; atque eorum interpretationes et ratiocinationes testimoniis ejusmodi, prout in illorum scriptis nunc leguntur, consentaneæ sunt et accommodatæ; sed si testimonia illa in eorum operibus immutata fuissent et corrupta, quomodò staret hæc cohærentia et consensio? Ergo scriptores ecclesiastici qui variis Ecclesiæ seculis floruerunt, eosdem reverà adhibuerunt sacrarum Scripturarum textus quos in eorum operibus legimus; cùmque ejusmodi textus frequentissimè ab iis laudentur, et nostris librorum sacrorum exemplaribus consonent, consequens est libros nostros non fuisse adulteratos.

Tertium argumentum ex consensione omnium exemplarium et versionum eruitur. Etenim si textus librorum novi Testamenti corruptus et vitiatus fuisset, variarent eorum exemplaria et versiones, atque in rebus maximis secum invicem non constarent. Atqui, quantùm ad mores, ad fidem et ad substantiam factorum attinet, inter tot varia exemplaria seu manuscripta seu edita textûs primigenii librorum novi Testamenti, inter tot versiones diversas et ejusmodi textum, inter varia illarum versionum exemplaria summam esse consensionem affirmant unanimiter eruditi qui rem ejusmodi accuratissimè expenderunt. Ita testatur Richardus Simon in Hist. criticâ textûs novi Testam. cap. 30. Ita Ludovicus Capellus Criticæ sacræ lib. 1, cap 2, n. 13. Ita etiam liquet ex immensâ illâ variantium lectionum sylvâ, quas ex innumeris propemodùm novi Testamenti codicibus manuscriptis, versionibus et editionibus, ac ex SS. Patrum scriptis, continuo triginta ferè annorum labore collegit Joannes Millius in suo novo Testamento græco : de quibus meritò Ludolphus Kusterus in præfatione ad secundam hujusce operis editionem observat, *plerasque codicum MSS. lectiones variantes ita comparatas esse, ut parùm vel nihil inter eas intersit. Quid enim, quæso, inquit, interest utrum, exempli gratiâ, scribatur* κἀγω *an* καὶ ἐγὼ, etc., *et innumera alia hujus generis, quæ longè maximum variantium lectionum numerum in hâc editione implent? Sanè* (spergit ille), *si leviora illa à reliquis separaveris, mirum quàm exiguus eorum relinquatur numerus*

videantur alicujus esse momenti, et erudito pioque lectori dubitandi materiam præbere possint utra lectio alteri præstet. Idem advertit Daniel Whitby in suo Examine variantium lectionum Joannis Millii in novum Testamentum, ubi ideò operam Millii tanquàm inutilem et nocivam reprehendit.

Objiciuntur aliqua, sed levioris momenti : 1° Decipi potuisse Apostolos, quippe qui rudes erant et sine litteris; 2° non repugnare eos nobis voluisse illudere, ac fortè ex collusione natam esse consensionem illam summam quæ inter eos deprehenditur; 3° periisse autographum historiæ evangelicæ, superesse tantùm exemplaria ab amanuensibus et librariis transcripta aut impressa, proindeque innumeros potuisse irrepere errores; 4° Celsum olim Origeni (1) objecisse à Christianis quibusdam textum Evangelii primigenium variis modis mutari; 5° referri à Victore Tudunensi in Chronico (2), *Messalâ consule, jubente Anastasio imperatore, sancta Evangelia tanquàm ab idiotis Evangelistis composita, reprehensa fuisse et emendata;* quod etiam narrat Isidorus Hispal. in Chron. 6° Duodecim postremos versus S. Marci olim in melioribus manuscriptis desideratos fuisse, testibus S. Greg. Nysseno, S. Hieron. et Euthymio; pariter in pluribus græcis exemplaribus Evangelii S. Joannis desiderari vel obelo confodi historiam mulieris adulteræ; ac tandem deesse in plerisque codicibus græcis latinisque nonnullis versiculum 7 capitis 5 Epistolæ 1 S. Joannis : *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt.*

Resp. ad singula breviter. Ad primum et secundum, jam demonstratum est Apostolos nec falli nec fallere potuisse. Illud duntaxat hìc observandum superest, nempe incredulos in manifestam labi contradictionem, dùm ex unâ parte volunt adeò rudes fuisse Apostolos, ut circa facta visibilia et manifestissima, eorum oculis subjecta, decipi potuerint, et ex alterâ ponunt eos potuisse decipiendi universi orbis consilium suscipere et exequi. Ad tertium, 1° nullius historiæ veteris autographum habemus; ergone ideò de omnibus historiis dubitandum est? 2° Agitur hìc de libro, ubi primùm prodiit, per totum orbem disseminato, de libro cui omni ævo addictissimi fuerunt Christiani, quem illi summè venerabantur, quem quotidiè legebant atque meditabantur, quem in suis sermonibus et scriptis perpetuò pastores adducebant et explicabant, cujus omnes versiones, omnia exemplaria inter se quantùm ad substantiam maximè conveniunt. Ergo si multi exstent veterum libri, de quorum authenticitate, etsi perierit autographum, nemo sapiens dubitaverit; summæ profectò foret insaniæ de integritate libri Evangeliorum dubitare, quamvis autographum ejus exhiberi non possit. Sed ut quid autographum Evangelii sibi exhiberi increduli postulant? Num, si exhiberetur, ideò tricas movere et cavillari desinerent? Si sincerè veritatem quærant, nonne ipsis satis esse debet certò ostendi authentica esse quæ adhibemus exemplaria? Certè si ipsummet exemplar autographum superesset, quibuscumque momentis probaretur illud esse autographum (non temerè conjicimus), de ejusmodi probationibus eâdem calliditate altercarentur, quâ de argumentis evidentibus nostrorum exemplarium authenticitatem adstruentibus vitiligant.

Ad quartum, ipse reposuit Origenes, fideles illos quos vocabat Celsus, non alios fuisse reverà quàm hæreticos, qui Christianorum titulum sibi impudenter arrogavêre; neque à se quosquam cognosci Evangelia corrumpere ausos, præter Marcionitas et Valentinianos quorum corruptiones jam diximus à SS. Patribus fuisse graviter notatas et confutatas.

Ad quintum, Victor Tudunensis refert unam voculam textûs sacri jussu Anastasii imperatoris in Nestorianismi gratiam à quodam episcopo mutatam fuisse, reclamantibus Catholicis. Nonne hæc potiùs argumento sunt integritatis librorum sacrorum maximâ curâ servatæ?

Ad ultimum, 1° nullum factum in duodecim postremis S. Marci versiculis exprimitur, quod ab aliis Evangelistis non fuerit relatum. Ex historiâ mulieris adulteræ nihil prorsùs in gratiam religionis à nobis deducitur. Dogma sanctissimæ Trinitatis aliis in locis exprimitur, quæ præcludendis Arianorum effugiis magis idonea sunt quàm versiculus 7, cap. 5, Epist. 1 S. Joannis; ergo causæ christianæ parùm interest ejusmodi locorum authenticitas. 2° Seu amanuensium incuriâ, seu quocumque casu factum sit ut circa tria illa loca codices varient, ea tamen esse authentica meritò et facilè defendi potest. Nam quantùm ad duodecim ultimos S. Marci versiculos, ii in omnibus exemplaribus seu manuscriptis, seu editis, et in omnibus versionibus leguntur. Præterea laudati sunt à S. Irenæo, ab Ammonio, Eusebio, à SS. Athanasio et Augustino, à Theophylacto, etc., proindeque de eorum versuum authenticitate non est quod dubitemus. Cur autem in pluribus manuscriptis codicibus olim omissi fuerint, rationem reddit S. Hier. *quòd diversa atque contraria* cæteris Evangelistis continere videantur; quæ ratio nulla omninò est, ut ex commentariis interpretum ad hunc locum videre est; ergo, etc. Porrò historiam mulieris adulteræ, licet in pluribus græcis exemplaribus desit, et à quibusdam Patribus omittatur, omnes tamen Stephanici codices retinent, et plerique alii optimæ notæ quos Millius viderat. Eamdem laudant Ammonius Alexandrinus, Origenis magister, Tatianus, Eusebius, SS. Athanasius, Hier., Ambr., Augustin. Hanc habent versiones persica, arabica, æthiopica, coptica, et Vulgata latina. Ergo tanquàm authentica omninò habenda est. Cæterùm ex SS. Ambr. in Apolog. 2 pro Davide, cap. 1, et Aug. lib. 2 de adulterinis conjugiis, cap. 7, colligere est, unde factum sit ut in aliquibus codicibus hæc historia non habeatur; nempe in iis omissa est, ne, ait S. Ambr., *si quis eam auribus accipiat otiosis, incentivum erroris occurrat,* vel, ut ait S. Aug., ne quis putaret *peccandi impunitatem dari mulieribus.* De versiculo 7 cap. 5 Epist. 1 S. Joan. major

(1) Apud Orig. lib. 2 contra Cels.

(2) Editio Chronic. Euseb. Amstelod. an. 1668, p. 6.

est difficultas, de quâ consule jam laudatum Millium in hunc locum, et Rogerium Ecclesiæ Bituricensis decanum in Dissert. quam super hâc re edidit an. 1713. Interim cùm testimonium illud reperiatur in antiquissimo codice græco britannico quem viderat Erasmus in alio codice græco montfortiano, licèt recentiori manu descripto, de quo P. Lelong Biblioth. sacr. T. 1, pag. 172, col. 2, et in uno aliquo antiquissimo Vaticanæ Bibliothecæ codice in quo se illud reperisse asserit P. Amelotte; cùm idem exhibeant quàm plurimi MSS. codices latini antiquissimi, et vetus correctorium Sorbonicum cujus auctor circa decimum seculum scripsit; cùm in multis antiquis codicibus græcis ad marginem suppleatur ille versiculus, et sæpè eâdem manu; cùm ferè omnes MSS. codices græci, à quibus ille abest, sexcentis annis minores sint ipso fatente Simonio in Dissert. criticâ de MSS. novi Testam.; cùm Ecclesia Græca versum hunc legat in suo Lectionario cui titulus ἀπόστολος, feriâ 5 hebdomadis 35 post Pascha, et in omnibus suis Bibliis, similiterque Ecclesia Moscovitica, quantumvis Latinis inimicæ; cùmque præsertim adductus ille fuerit à Tertull., auctore apostolicis temporibus vicino, lib. contra Praxeam, cap. 25; à S. Cypr., epist. ad Jubaianum et lib. de Unit. Eccles.; ab auctore disputationis in conc. Nicæno habitæ, inter opera S. Athanasii; à Pseudo-Athanasio, lib. 11 de Trinit., qui in editione Paris. anni 1627, nonus est; à S. Fulgent., lib. de Trin. cap. 4, et in lib. Respons. contra Arianos ad object. 10; ab auctore Prologi in Epistolas catholicas S. Hieronymo adscripti; ab Idatio, lib. 1 contra Varimadum, cap. 5; à quadragintis episcopis Africanis in Sardiniâ exulibus in confessione fidei oblatâ Hunnerico Vandalorum regi an. 484; apud Victorem Vitensem, lib. 3 de persecut. Vandal.; à Vigilio Tapsensi aliisque sexti seculi scriptoribus, ac tandem à Cassiodoro, cujus eâ de re summa est auctoritas, in Summario hujus loci; versiculum hunc juxta prudentis critices regulas rejici non posse judicamus. Omnes verò corruent difficultates, si attendatur versum octavum ejusdem capitis itidem ac 7 vocibus incipere : *Tres sunt qui testimonium dant*, adeòque versiculi septimi, de quo agimus, sine dolo prætermittendi facilem ansam amanuensi præbuisse. Certè in hebraicis græcisque codicibus alia reperiuntur loca simili lapsu omissa, ut vers. 36 capitis 21 libri Josue, qui versus in longè pluribus exemplaribus hebraicis deest; quem tamen restituendum evidentibus argumentis demonstrant eruditi.

CAPUT II

Ex resurrectione Christi speciale argumentum eruitur.

Resurrectio Christi, si verè contigerit, evidentissimum est veritatis ejus doctrinæ, ac proinde mysterii Incarnationis argumentum. Etenim tria in eâ includuntur maxima miracula : nempe 1° est resurrectio quod ostentum cætera quævis prodigia, omnibus fatentibus, superat; 2° est resurrectio ipsius Prophetæ cujus missio probanda erat, et quidem resurrectio effecta sine ullius alterius hominis sancti interventu; 3ª hanc sui resurrectionem ejusque diem Christus pluries conceptis verbis prædixerat. *Dixit illis* (discipulis) *Jesu*, inquit S. Matthæus, cap. 17, v. 21 et 22 : *Filius hominis tradendus est in manus hominum, et occident eum, et tertiâ die resurget.* Vide etiam Matth. 16, v. 21, et cap. 20, v. 19; Marc. 8, v. 31, cap. 9, v. 30, et cap. 10, v. 34; Luc. 9, v. 22, et cap. 18, v. 33; Joan. 2, v. 19, etc.

Atqui Christum resurrexisse indubitatum est; quod duplici confício argumento. Primum sic se habet : Illud factum indubitatum est, quod plurimorum testium oculatorum, qui nec decipi nec deceptores fuerunt, auctoritate comprobatur; atqui resurrectio Christi, etc. 1° Resurrectio Christi plurimorum testium auctoritate comprobatur. Christus enim post crucem et mortem sibi irrogatam multis se vivum compluries exhibuit. Matth. 28, Marc. 16, et Luc. 24, narratur quomodò Christus apparuerit tum mulieribus sanctis, quæ cum aromatibus ad ejus sepulcrum venerant, ut ejus corpus ungerent, tum discipulis duobus in castellum Emmaüs euntibus, tum undecim Apostolis aliisque discipulis qui cum illis erant congregati. S. Joannes, Evangelii sui cap. 20 et 21, Christum Apostolis ter apparuisse commemorat. Ex Actib. 1, v. 3, Apostolis Christus *præbuit se ipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei.* Testatur S. Paulus, 1 Cor. 15, v. 3 et seq., *quoniam Christus mortuus est,... et quia resurrexit tertiâ die secundùm Scripturas; et quia visus est Cephæ, et post hoc undecim; deinde visus est plusquàm quingentis fratribus simul; ex quibus*, inquit, *multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus. Novissimè autem omnium* (subdit ille), *tanquàm abortivo visus est mihi.* Plurimorum igitur oculatorum testium auctoritate resurrectio Christi confirmatur.

2° Illi testes non fuerunt decepti. Ii namque in ejusmodi negotio falli non potuerunt qui ad credulitatem minimè proni, non facilè, nec nisi cunctis cautè perpensis, rem esse sibi persuaserunt. Atqui Apostoli et discipuli, Scripturarum juxta quas Christus à mortuis suscitandus erat adhuc nescii (Joan. 20, v. 9,) non facilè, nec nisi cunctis cautè perpensis, Christum resurrexisse sibi persuaserunt. Ne ipsæ quidem mulieres sanctæ ad fidem resurrectionis suscipiendam plus æquo sese ostenderunt proclives, et ex Evangelio (Joan. 20, v 11 et seq.) apparet præter earum expectationem id prodigii evenisse. Quoad Apostolos autem, dùm *regressæ è monumento* mulieres *nuntiaverunt hæc omnia*, quæ ipsæ viderant, *illis undecim, et cæteris omnibus*, S. Lucâ teste cap. 24, v. 9 et 11, *visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, et non crediderunt illis* Apostoli. Neque etiam ut Apostoli hoc sibi miraculum persuaderent, satis iis fuit (Marc. 16, v. 12 et 13) testimonium discipulorum quibus in castellum Emmaüs euntibus Christus sese manifestaverat. Ad eorum frangendam incredulitatem necesse fuit ut Christus ipse ante eorum oculos se sisteret; ut eis, Luc. 24, v. 39, manus suas et pedes confixos ostenderet; ut sese iisdem palpandum exhi-

beret, v. 41 et 43. Atque adeò oppositum credulæ temeritati affectum et animum gerebant, ut Thomas, qui tunc aberat cùm Christus cæteris sese ostenderat, redux deinde noluerit uniformi Apostolorum testificationi credere. *Nisi videro*, inquiebat ille Joan. 20, v. 25, *in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam;* et reverà ab ejusmodi obstinatione suâ non recessit Thomas, donec die abhinc octavo Christus iterùm discipulis apparens, illum in manus suas et in latus suum digitos inferre jussit, ut ejus incredulitatem sanaret, Joan. 20, 26 et 27. Decepti ergo non fuerunt resurrectionis Christi testes,

3° Noluerunt decipere. Hùc ea recurrunt invicta momenta ex conditione, moribus et indole Apostolorum, et ex eorum prædicationis fine ac adjunctis deprompta, quibus supra, cap. 1, demonstravimus Apostolos non fuisse deceptores. Quæ quidem eò aptiùs huic loco accommodata sunt, quòd, ad persuadendam Christi fidem, Apostoli ab initio prædicationis suæ resurrectionem ejus maximè et perpetuò (1) attulerint. Nempe resurrectio Christi ipsis fuit fundamentum prædicationis suæ ac totius fidei et spei christianæ. *Si autem Christus non resurrexit*, inquiebat S. Paulus, 1 Cor. 15, v. 14, 17 et seq., *inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est et fides vestra... adhuc enim estis in peccatis vestris. Ergo et qui dormierunt in Christo, perierunt. Si in hâc vitâ tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Ergo Apostoli idcircò tot laboribus se dediderunt, tot periculis caput objectârunt, quia ipsis persuasissima erat Christi resurrectio, atque in ejusmodi facti, quo tota eorum spes innitebatur, confirmationem, sanguinem suum fuderunt.

Alterum argumentum ejusmodi est : vel Christus verè surrexit à mortuis, vel ejus discipuli, corpore ejus sublato, hunc à mortuis resurrexisse divulgârunt. Enimverò si Christus non resurrexisset, et Apostoli, corpore ejus non subrepto, hunc tamen resurrexisse statim et tanto apparatu prædicâssent, id facinoris viri illi religiosi et sapientes ausi essent, quod ne quidem ab hominum impudentissimis attentaretur ; atque ipsum sepulcrum Domini et corpus ejus penès principes sacerdotum et pharisæos existens illos adeò turpis mendacii manifestos fecisset, ut nemo eos audire voluisset. Atqui Apostoli corpus Christi non sustulerunt, ut ipsum à mortuis resurrexisse persuaderent. Nam 1° cautiones, ne id eveniret, à principibus sacerdotum et pharisæis adhibitæ furtum illud impossibile effecerant. Nempe ii obsignandum curaverant magnum illud saxum advolutum ad ostium monumenti novi et in petrâ excisi, quo Christi corpus reconditum erat, ac sepulcrum illud militibus usque in diem tertiam, quâ sese resurrecturum Christus asseruerat, curâ maximâ custodiendum commiserant. Vide Matth. 27, v. 63 et seq., et cap. 28, v. 4, 11 et seq. Ad suffurandum itaque Christi corpus, vel adversùs milites armis dimicandum et prævalendum fuisset ; vel custodum hujusmodi, quos pharisæi et sacerdotum principes è sinu suo (Matth. 27, v. 63 et 66) apposuerant, vigilantia fallenda, aut corrumpenda fides ; vel ad monumentum in petrâ excisum via sibi aliqua subterranea aperienda, cujus nulla vestigia remansissent. Atqui tria hæc, ut patet, perinde impossibilia erant. Cautionibus igitur quas pharisæi et principes sacerdotum adhibuerant id effectum, ut Christi corpus à nemine potuerit è sepulcro subripi. 2° Si ejusmodi furtum aliquo modo fieri potuisset, certè non ab hominibus exterritis, periculi metuentibus, pavidis et consternatis : atqui passione Christi ita exterriti et consternati fuerant ejus discipuli, ut *omnes, relicto eo, fugerint*, Matth. 26, v. 56, ut ipse Petrus, qui omnium fortissimus videbatur, ter eum negaverit, ibid. v. 33, 35, 51, 70 et seq., ut denique mortuo Christo omnes in cœnaculum se receperint, ibique manserint *foribus clausis, propter metum Judæorum*, Joan. 20, v. 19 ; ergo, etc. 3° Denique si hoc furto sese obstrinxissent Christi discipuli, nonnè facillimè illo crimine convicti fuissent? Certè illi nec fugâ, nec latebris, inquisitiones, judicium, aut pœnam subterfugerunt. Vel initio prædicationis suæ, id est, ipso quinquagesimo tertio die à morte Christi, sese apertè coram Judæis promulgaverunt resurrectionis ejus testes, atque ex hoc præsertim prodigio ipsum à Deo constitutum Dominum et Christum Judæis demonstrare aggressi sunt. Exinde perpetuò, constanter, confidenter idem testati sunt, et ut invictum fidei christianæ argumentum auditoribus subjecerunt. Judæorum igitur Christo adversantium referebat maximè ut discipuli circa resurrectionem Christi, quam prædicabant, doli mali convincerentur. Quare igitur id à principibus sacerdotum et à pharisæis non tentatum? Numquid timendum fuit ne ejusmodi facinus discipulorum ita occultè et secretò patratum esset, ut nullo pacto posset detegi? Nonne potiùs tum ipsum rei genus, tum cautiones quas jam diximus à Judæorum principibus adhibitas fuisse, fraudis, si qua fuisset, certò certiùs detegendæ indubitatum erant indicium? Quare ergo nullam de ejusmodi negotio inquisitionem principes sacerdotum et pharisæi præscripsêre? Nodum solvit S. Matthæus cap. 28, v. 11 et seq., hæc scribens : *Quidam de custodibus venerunt in civitatem, et nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia quæ* (resurgente Domino) *facta fuerant. Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes : Dicite quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis dormientibus ; et si hoc auditum fuerit à præside, nos suadebimus ei, et securos vos faciemus.* Ubi contradictio manifesta cum S. Aug. advertenda est. Nam *si dormiebant* milites, inquit S. doctor, *quid videre potuerunt? Si nihil viderunt, quomodò testes sunt?* Verùm principes sacerdotum, pharisæi, et seniores, veriti ne quò major inquisitio circa Christi resurrectionem ageretur, eò ampliùs illud confirmaretur prodigium, quidquid sibi

(1) Vide Act. cap. 1, v. 22, cap. 2, v. 24 et 32, cap. 3, 15, cap. 4, v. 2, 10, 33, cap. 5, v. 31, cap. 7, v. cap. 10, v. 40 et 41, cap. 13, v. 30, 33, 37, v. 3, 31, etc.

mente oblatum est avidè arripuerunt, obstinati non decernere ut eâ de re legibus quæreretur.

Dices 1° : Si Christus resurrexisset à mortuis, resurrectio ejus fuisset publica sicut et ejus mors fuerat, nec solùm discipulis post resurrectionem suam apparuisset, sed omni Israeli; ergo, etc. 2° Auctores profani nullam Christi resurrectionis mentionem faciunt; ergo. 3° Repugnat Christum semetipsum resuscitâsse; ergo. 4° Apostoli apud Luc. cap. 24, et Joan. cap. 20, referuntur vulnera Christi à mortuis suscitati inspexisse et tetigisse; at quomodò vulnera, quæ Christo mortem intulerant, potuerunt post ejus resurrectionem, in ipsius corpore remanere, conspici, et tangi? ergo, etc. — Resp. ad primum : Nego ant. Ut factum aliquod certissimum sit, necesse non est illud perinde esse publicum ac mors Christi fuerat; sufficit planè auctoritas plurimorum testium oculatorum, qui nec falli nec fallere potuerunt. Et certè nonne satis publica facta est resurrectio Domini vel ex solis cautionibus quas Judæi adhibuerunt ne quid fraudis eâ in re posset obrepere? Quo autem fine Deus Christum, quem *suscitavit tertiâ die, dederit manifestum fieri, non omni populo*, ut ait S. Petrus, Act. 10, v. 40 et 41, *sed* tantùm *testibus præordinatis à Deo*, Apostolis scilicet et discipulis, *qui manducaverunt et biberunt cum illo, postquàm resurrexit à mortuis;* quo, inquam, fine Deus ita disposuerit, certò assignare non possumus, quia sapientissimas et altissimas consiliorum suorum vias hìc, ut et in aliis multis, non dignatus est hominibus revelare. Id tantùm novimus, populum Judaicum malitiâ, incredulitate et pervicaciâ suâ sese illâ gratiâ indignum præbuisse, ac tum ipsi tum nobis satis esse testes resurrectionis Christi præordinatos à Deo, fuisse ejusmodi, ut fides indubitata et inconcussa ipsis debeatur.

Ad secundum, resp. auctores profanos, dùm Christi et prodigiorum ejus generatim mentionem faciunt, omnia facta evangelica, ac ipsam proinde resurrectionem Domini confirmâsse. Eorum porrò de Christi speciatim resurrectione silentium abundè suppletur et compensatur tot gentilium ad fidem Christi conversione, qui accuratiùs et propiùs rem inspexerant quàm profani historici.

Ad tertium, nego ant. Posito incarnationis mysterio, non magis repugnat Christum semetipsum resuscitâsse, id est, divinitatis Christi virtute corpus ejus et animam in pristinum statum reddita et sibi invicem denuò unita fuisse, quàm impossibile est alium hominem à Deo resuscitari. Verùm hoc unum impræsentiarum volumus gentilibus et incredulis suadere, Christum à Deo fuisse suscitatum, ac proinde doctrinam ejus esse veram; quod si semel illi faterentur, citò convinci possent Dominum Jesum, in unâ Verbi personâ, naturæ divinæ et naturæ humanæ esse consortem, ac proinde semetipsum resuscitare potuisse.

Ad quartum, falsò ponitur Evangelistas loqui de vulneribus quæ post resurrectionem Christi eodem in statu fuerint ac quando ille in cruce pendebat. Sermonem faciunt tantùm de ostensis à Christo manibus, pedibus et latere, de *fixurâ* et *loco clavorum;* quibus nemo non videt significari solùm ejusmodi vulnerum notas et cicatrices; ergo, etc.

CAPUT III.

De miraculis quæ ab Apostolis eorumque discipulis et primis fidelibus edita sunt.

Maxima et splendidissima ab Apostolis et eorum discipulis aliisque piis religionis christianæ cultoribus patranda esse miracula, prænuntiaverat et præmiserat ipse Christus Dominus. Marc. 16, v. 17 et 18 : *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient; linguis loquentur novis; serpentes tollent; et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super ægros manus imponent, et benè habebunt;* et Joan. 14, v. 12 : *Amen, amen, dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet.* Quod oraculum in Apostolis completum fuisse, ex supra dictis cap. 1, indubitatum est. Similiter autem innumera ab Apostolorum discipulis, à martyribus et aliis fidelibus edita esse primis Ecclesiæ seculis miracula, testes sunt S. Justinus Apol. 2 (olim 1) in 6, et Dialog. cum Tryphone, n. 88; S. Iren. lib. 2 contra hæreses, cap. 32 (olim 57), n. 4; Orig. contra Celsum passim, præcipuè verò lib. 1, n. 2 et 46, et lib. 2, n. 8, etc.; Tertull. ad Scapulam, cap. 2 et 4, et Apologet. cap. 23; S. Cypr. ad Demetrian., et epist. ad Donatum, etc., aliique illorum temporum scriptores ecclesiastici. Unius S. Irenæi textum exhibere liceat : *In illius* (Jesu Christi) *nomine*, inquit loco citato, *qui verè illius sunt discipuli ab ipso accipientes gratiam, perficiunt ad beneficia reliquorum hominum, quemadmodùm unusquisque accepit donum ab eo; alii enim dæmones excludunt firmissimè et verè, ut etiam sæpissimè credant ipsi, qui emundati sunt à nequissimis spiritibus, et sint in Ecclesiâ. Alii autem et præscientiam habent futurorum, et visiones et dictiones propheticas. Alii autem laborantes aliquâ infirmitate per manûs impositionem curant, et sanos restituunt. Jam etiam, quemadmodùm diximus, et mortui resurrexerunt, et perseveraverunt nobiscum annis multis. Et quid autem? Non est numerùm dicere gratiarum, quas per universum mundum Ecclesia à Deo accipiens in nomine Christi Jesu crucifixi sub Pontio Pilato, per singulos dies in opitulationem gentium perficit... Nec invocationibus angelicis facit aliquid, nec incantationibus, nec reliquâ pravâ curiositate; sed mundè et purè, et manifestè orationes dirigens ad Dominum qui omnia fecit, et nomen Domini nostri Jesu Christi invocans, virtutes ad utilitates hominum, sed non ad seductionem, perficit.*

Ipsis paganorum adversùs Christianos calumniis confirmantur hæc scriptorum ecclesiasticorum testimonia. Quare enim Christiani à gentilibus veritati repugnantibus sæpè appellati sunt incantatores, et incantatorum secta? Non aliam sanè ob causam, quàm propter frequentia illa, quæ edebant, signa et prodigia. Videatur Celsus apud Orig. lib. 1, n. 16, etc.; Suetonius in Nerone, Lucianus de morte Peregrini, etc.

Jam verò hæc miracula non leve esse veritatis chri-

stianæ, ac proindè Incarnationis argumentum, nemo non videt, atque illorum pondus ex eo etiam maximè augetur, quòd ea, ut vidimus, prædixerit Christus Dominus; undè nihil mirum, si religionis propagationem juverint et promoverint.

CAPUT IV.

Christum esse à Deo missum ex ejus religionis propagatione ostenditur.

Religionis christianæ propagatio Christi missionem esse divinam adeò manifestè evincit, ut mirum videatur vi hujus argumenti incredulorum pervicaciam non frangi; ea quippe omnium miraculorum maximum est, præsertim si virtute miraculorum Christi et Apostolorum non fuerit peracta, ut increduli statuunt. Sic enim argumentari licet : Maximum sanè est prodigium ope paucorum hominum simplicium, omni humano auxilio destitutorum, latè per orbem et velocissimè propagatam fuisse religionem sanctam, eorum quibus annuntiabatur affectibus planè contrariam, et omni genere potentissimorum hostium impugnatam; solus enim Deus qui voluntatum humanarum quò voluerit inclinandarum habet omnipotentissimam voluntatem, tanti prodigii auctor esse potest.

Atqui 1° religio Christi latè per orbem et velocissimè propagata est. Testis est S. Paulus qui in Epistolâ ad Romanos aiebat cap. 1, v. 8, *fidem eorum annuntiari in universo mundo;* et cap. 10, v. 18, *in omnem terram exivisse sonum* vocis discipulorum Christi, *et in fines orbis terræ verba eorum;* et cap. 16, v. 25 et 26, gratias esse agendas Deo quòd Evangelium esset *in cunctis gentibus cognitum.* Idem Apostolus in Epistolâ ad Coloss. 1, v. 6, scribit *Evangelium in universo mundo fructificare et crescere sicut in illis;* et v. 23, *illud in universâ creaturâ, quæ sub cœlo est, prædicari.* Vide etiam cap. 3 Epist. 1 ad Tim. v. 16.

Testes sunt omnes scriptores ecclesiastici, S. Justinus Apologiâ primâ; S. Irenæus, lib. 1 adversùs Hæreses, cap. 5; Tertullianus, lib. 1 adversùs Judæos et in Apologetico; Origenes tum homiliâ 4 in Ezechielem, tum lib. 1 contra Celsum; S. Clemens Alexandrinus, lib. 5 Stromatum; Arnobius lib. 2, etc. Testes sunt ipsimet auctores pagani; Seneca Christianos Judæorum nomine designans, quod scriptoribus profanis tunc temporis non infrequens est, eò quòd Christiani ex Judæis essent orti, sic habet apud S. Augustinum lib. 6 de Civit. Dei, cap. 11 : *Sceleratissima gentis consuetudo usque eò invaluit, ut per omnes jam terras recepta sit; victi victoribus leges dederunt;* quæ verba Rutilius Nomentianus, Itinerarii lib. 1, sua fecit. Tacitus, Annalium lib. 13, c. 44, immensæ multitudinis Christianorum qui in persecutione Neronis, variis suppliciis affecti mortem subierunt, mentionem facit. Plinius Junior in celebri epistolâ quam, dùm Pontum ac Bithyniam regeret, versùs annum 104, ad Trajanum imperatorem de Christianis misit, non modò innocentiæ Christianorum fidejussor est locuples, sed et eorum multitudinis et diffusionis. Ait enim illam religionem, quam superstitionem vocat, in urbibus ac in vicis apud cujuslibet ætatis, conditionis ac sexûs personas obtinere. Dion, lib. 37, loquens de Christianis sub nomine Judæorum : *Est etiam*, inquit, *apud Romanos genus istud imminutum quidem sæpè numero, adeò tamen auctum, ut vim legum pervicerit.*

Atque hæc quidem spectant priora secula ante imperium Constantini elapsa. Quòd si seculorum subsecutorum rationem habeas, nonne mirum nationes barbaras à quibus imperium romanum destructum est, Christo se subdidisse? hæresim Arianam, etsi dogma rationi penitùs impervium impugnaret, etsi omni imperatorum auctoritate fulciretur, nunquàm prævalere potuisse? per ipsum decimum seculum plures nationes Christo fuisse partas, atque etiamnum ad Indias seu Orientales seu Occidentales ab Ecclesiâ catholicâ tot mitti Evangelii præcones qui juxta præscriptum Christi illarum regionem incolas ad ejus fidem convertant? denique religionem christianam, quæ perpetuò et undequàque impugnatur, semper firmam et stabilem sine ullâ sui mutatione permansisse.

2° Ope quorumdam hominum simplicium omni auxilio humano destitutorum christiana religio sic propagata est; Apostoli enim, ut constat non modò ex historiâ evangelicâ, sed etiam ex omnium consensu, erant viri simplices, plebeii, illitterati. Media humana quibus homines seducuntur, vel sunt promissiones de honoribus et divitiis concedendis, vel minæ de ejusmodi bonis auferendis. Hæc media ab Apostolis adhiberi non potuerunt, quippe qui ad gentes verbo Dei subigendas missi fuerant pauperes, neque aurum, neque argentum possidentes, viri privati, sine auctoritate, vexationibus ac insectationibus obnoxii, quorum arma patientia, crux Christi, verbum Dei.

3° Religio Christi eorum quibus annuntiabatur affectibus erat contraria. Hi enim vel erant Judæi vel pagani. Judæi verum quidem agnoscebant Deum, sed cupiditatibus et affectibus terrenis plerique irretiti divina sacrorum vatum oracula carnali sensu interpretabantur, atque ideam Messiæ longè diversam ab eâ quam Christus exhibebat sibi efformabant. Denique cæremoniis legis suæ plus æquo addicti dignos morte judicabant quotquot eas abolendas esse sentiebant. Pagani verò, de quibus præsertim hìc agitur, extincto in se sensim rationis lumine in cæcitatem mentis et corruptionem summam inciderant. Astris, fluminibus, bestiis, animalibus vilissimis, plantis, manuum suarum operibus, ipsis morbis et calamitatibus quibus homines affliguntur, ipsi amori impudico honores divinos exhibebant. In honorem Veneris celebrabantur projectæ libidines, diis homines immolabantur, vel nobilissimæ nationes ejusmodi abominationibus erant addictæ, tantisque in tenebris ac corruptione miseri mortales tunc temporis erant demersi, ut maximi philosophi, Socrates, Plato, etc., unicum summum Deum quem agnoscebant non ausi sint populo colendum proponere, ne se irrisioni ac periculo mortis exponerent. Hæc ex historiâ certissima sunt.

Itaque suadendum erat Judæis virum nomine Jesum, pauperem, multis modis exagitatum, opprobriis

saturatum, cruci tandem affixum, hunc esse Messiam quem expectabant, eorumque legis cæremonias tandem abolendas. Non ergo admirari subit quòd tot Judæi terrena appetentes Christo non crediderint; sed ad istud potiùs, si Christus miracula, ut increduli volunt, non patrâsset, maximè obstupendum quòd Judæorum magna multitudo Christi fidem susceperit, eique ut vero suo Messiæ regi spirituali adhæserit. Gentilibus porrò persuadendum erat eos omnes deos quos colebant, quique cultorum suorum cupiditatibus favebant, esse rejiciendos, omnia sacrificia, omnes superstitiones ab ipsis adhibitas debere deseri; ejusmodi numinum loco non modò adorandum esse in spiritu et veritate supremum Deum, criminum vindicem, sed et Jesum Christum Hominem-Deum à Judæis crucifixum; hujus fidem tenendam; legi ipsius obtemperandum; exemplis adhærendum; refrenandas proinde cupiditates, etc. Religio igitur christiana, cùm ab Apostolis et eorum discipulis promulgata est, eorum quibus annuntiabatur affectibus summè repugnabat.

4° Omni genere hostium impugnabatur. Nam ut religio Christi stabiliretur, vincendi fuêre adversarii quos in religionem suscitabant præjudicia et cupiditates quibus adversabatur. Vincenda fuit philosophorum facundia atque subtilitas religionem suam pro virili defendentium, ac christianam fidem summo conatu aggredientium; vincenda fuit imperatorum religionem paganam legibus confirmantium et in Christianos tyrannicè desævientium ipsamet suprema auctoritas; hæc, inquam, vincenda fuêre crucis Christi et verbi Dei virtute, patientiâ in tribulationibus et suppliciis, ac sanguinis sui effusione. Superandum fuit et aliud hostium genus religioni magis adhuc reformidandum, hæresis nempe et schisma perpetuò pullulans, atque auctoritate totâ imperatorum aliquando suffultum. Denique religio debuit integra permanere, etsi major eam profitentium pars mores sequeretur perversos, etsi maxima exstiterint scandala, ut à Christo prædictum fuerat; etsi, quod ad doctrinam fidei et morum attinet, nunquàm sese tempori accommodare voluerit Ecclesia, nec suis definitionibus quidquam detrahi permiserit ut suæ securitati consuleret.

Ergo religio christiana, nisi fuisset opus divinum, neque hocce modo propagari, neque hactenùs illibata stare potuisset.

CAPUT V.

Ex prophetiis adstruitur Christi missionem esse divinam.

De veteribus sacrorum Vatum oraculis in Christo Domino adimpletis, jam fusè antea adversùs Judæos diximus; superest ut quæ ibi statuta sunt, ad hunc locum contra gentiles et incredulos transferamus. Quod antequàm exequamur, nonnulla de Prophetiâ et Prophetis generatim prætermittenda sunt, quæ explicari non postulavit controversia cum Judæis habita. Prophetia, vero et proprio sensu accepta, definiri potest: Rei futuræ, contingentis et liberæ prædictio infallibilis, ubi nihil quod eò pertineat, nullam proclivitatem prævium mens detegit. V. g., veri Prophetæ nomen procul dubio is meretur, qui cujusdam hominis, nonnisi post plura secula nascituri, infallibiliter prænoscit nomen, vitæque et mortis diversas ac singulares circumstantias, atque multa prodigiosa præsignificat ab eo patranda, quorum indicia nulla habentur. Cùm soli Deo competat nomen *scrutatoris cordium*, eaque sit futurorum liberorum natura, ut nonnisi ab infinitâ intelligentiâ certò cognosci queant, evidentissimum est solo Deo auctore futura ejusmodi infallibiliter prædici posse, ac proinde veram prophetiam inconcussum esse veritatis argumentum; seu, quod idem est, hanc à Deo indubitanter profectam esse doctrinam, quæ manifestò talium prophetiarum eventu confirmatur. Jam verò nemo nescit juxta libros veteris Testamenti, quos ut à Deo inspiratos Judæi perinde ac Christiani venerantur, plures à Patriarchis editas esse prophetias; Moysen fuisse Prophetam insignem, simul et legislatorem Judæorum; Prophetas paucos tempore judicum extitisse; ab ætate verò Samuelis multos continuatâ serie usque ad templi restaurationem sibi successisse; denique in Prophetarum illorum libris sæpè mentionem fieri liberatoris quem Judæi exspectabant, atque insuper multa de gentium diversarum ac præsertim nationis Hebrææ statu vaticinia ibidem occurrere.

Observant theologi veros Prophetas fuisse viros sanctos ac cultui divino summè addictos, non quòd sanctitas morum et veræ religionis professio vel satis sint vel absolutè requirantur ut homo spiritu prophetico afflatur, sed quia Deus sanctissimus hominem impium ac moribus corruptum non seligit, quem extraordinariè et miraculosè mittat mandata sua hominibus denuntiaturum. Observant præterea indubitata quædam fuisse indicia, quibus divina verorum Prophetarum missio tum ipsis Prophetis tum aliis hominibus innotesceret. Et se ipsos quidem à Deo inspiratos cognoscebant Prophetæ, sive ex dono miraculorum sibi aliquando concesso, sive per signum aliquod peculiare et miraculosum quo Deus eos à se missos esse certiores reddebat, quemadmodùm de Moyse Exod. 4, et de Gedeone Judic. 6, refertur; sive ex vocatione præcellenti et miraculosâ quam certò ab iis percipi Deus efficiebat, ut Jeremiæ contigit, Jer. c. 1, v. 5, etc. Quod ad alios attinet, iis missionem suam comprobabat Propheta vel miraculis quæ edebat, vel prophetiis temporalem reipublicæ Judaicæ statum contingentibus manifestè ad exitum perductis, vel etiam alterius Prophetæ jam cogniti testimonio et auctoritate. Observant etiam necessum non fuisse ut prophetiarum sensus, quo tempore illæ edebantur, semper esset clarus et manifestus. Oportet quidem, cùm res prædicta evenit, tunc saltem prophetiæ sensum dignosci posse, alioqui hæc inutilis foret. At verò non ea est prophetiarum indoles ut ante eventum ipsæ necessariò debeant esse omninò claræ et apertæ. Ratio est quia Deus sese manifestat liberè et secundùm modos quos in altissimis sapientiæ suæ

consiliis constituit, ac ejus verba, quocumque tandem modo ipse loqui dignetur, summâ cum veneratione semper suscipienda sunt. Et reverà, licèt multa de Christo vaticinia ante eventum aperta fuerint et perspicua, alia tamen eventu illustrari egebant, et pleraque post eventum pleniùs intelliguntur. Nec mirum, cùm et in ipsis historicorum scriptis sæpè non pauca difficulter percipiantur, quæ olim quo tempore res contigerunt, omnibus obvia fuerunt et manifesta.

Atque ex his colligere est sensum prophetiarum quæ Judæorum statum temporalem spectabant, ipsis olim cognitu faciliorem fuisse, quàm nunc à nobis intelligi possit; siquidem multa procul dubio de rebus Judaicis nos latent, quæ Judæis veteribus comperta erant et explorata. At prophetias ad Christum, et ad Ecclesiam attinentes faciliùs intelligere debemus quàm Judæi ante Christum, cùm eventus ejusmodi prophetiis prænuntiati nobis ex historiâ jam innotescant.

Denique observandum est, in prophetiis, ut et in cæteris Scripturis, locum habere distinctionem sensûs litteralis, et sensûs mystici. Sensus litteralis immediatè verbis exprimitur, et in proprium ac metaphoricum dividitur. Mysticus non significatur immediatè verbis ipsis, sed rebus quas verba exprimunt designatur. V. g. hæc verba Exodi 12, v. 46: *Nec os illius confringetis*, quæ litteraliter accepta ad agnum paschalem referuntur, mysticè ad Christum attinent agno paschali figuratum. Fatentur omnes nullam sensui mystico per se inesse vim ad probandum, id est, nisi is aliunde ostendatur à Spiritu S. intentus. Quidam post Grotium statuere non dubitârunt in prophetiis Christum spectantibus duplicem esse sensum litteralem, seu immediatè verbis expressum et à Spiritu S. directè intentum, quorum unus referatur ad facta quædam historiæ Judaicæ Christum figurantia, alter sublimior et spiritualis ad Christum pertineat. Non inficiamur quibusdam paucis in prophetiis hunc duplicem litteralem sensum non absurdè admitti. Sed omnibus aut plerisque vaticiniis quisquis illum affingit, is certè invictum quod ex prophetiis ducitur argumentum valdè saltem infirmat. Nam si quis è duplici sensu litterali prophetiæ cuidam assignato, eum velit tantùm agnoscere qui ad historiam Judæorum pertinet, quomodò duplicis sensûs indagatores nimii poterunt alterum suum de Christo sensum huic homini persuadere? Opponent magnam consensionem quæ intercedit factum historicum inter et rem aliquam ad Christum contingentem. Dicent sublimiori sensu accepta prophetiæ verba in Christum perfectè quadrare, idque sine speciali Spiritûs sancti directione non factum. Hæc alicujus esse ponderis fatebor libenter. Sed argumenta hujusmodi iis nonne simillima sunt quæ ex typis eruuntur? Quis autem argumento ex typis Christum præsignificantibus deducto tantam vim tribuat, quantam sibi vindicat argumentum quod prophetiâ solum Christum litteraliter spectante subministratur? Verùm hæc ad præsens institutum non pertinent. Sensûs illius duplicis distinctionem, quantùm adversùs gentiles et incredulos satis est et oportet, supra confutavimus, dùm contra Judæos agendo, plurima sacrorum vatum insignia oracula recensentes, ea ostendimus ad solum Christum litteraliter referenda. His præmissis, sit

Conclusio. Christum Jesum à Deo esse missum plurima vaticinia evincunt.

Prob. Hunc enim à Deo esse missum plurima vaticinia evincunt, qui plures edidit prophetias ad eventum perductas, et in quo innumera vaticinia Messiæ prænuntia impleta sunt. Atqui 1° Christus plures insignes edidit prophetias, de quarum præcipuis supra in suo loco egimus. 2° Innumeræ prophetiæ ipsius prænuntiæ in eo completæ sunt. Prædicta enim fuerant, longè antequàm ille nasceretur, quæcumque attinent ad ejus originem, nativitatem, infantiam, vitæ rationem, prædicationem, miracula, passionem, mortem, resurrectionem, ascensionem, discipulorum missionem, etc.; necnon et quæ spectant ad Spiritûs S. effusionem, novi fœderis sanctionem, Baptismi et sacrificii novæ Legis institutionem, donorum cœlestium collationem, Judæorum plurium conversionem, aliorumque punitionem, gentium vocationem, Ecclesiæ diffusionem et durationem, etc. Hæc omnia dissertatione præcedenti fusè exposuimus, adeò ut ad illa hùc applicanda, et propositionem nostram stabiliendam, unum eo loci probandum supersit, nempe libros ex quibus hæc vaticinia eruuntur, diù antequàm nasceretur Christus fuisse exaratos et diligenter custoditos, non verò post Christi adventum ex industriâ conflictos et suppositos, aut quantùm ad substantiam adulteratos. Istud igitur argumentis aliquibus evincendum.

Et quidem ejusmodi libros, diù antequàm nasceretur Christus, fuisse exaratos, prob. 1°, quod ad libros Moysis spectat, ex populi Israelitici totâ constitutione. Nationem Judaicam ante Christum extitisse, eamque juxta leges sibi proprias vixisse ac Deo uni cultum adhibuisse, non modò ex historiâ hujus nationis, sed et ex aliis innumeris paganorum historiis, omninò constat et indubitatum est. Vide Josephum contra Appionem. Atqui Judæorum religio integra, omnes eorum ritus et cæremoniæ, quæ propemodùm infinitæ fuerunt, omnia festa ab ipsis certâ serie celebrata, eorum reipublicæ status et gubernatio, judiciorum formæ, ipsummet privatum familiarum regimen, uno verbo quæcumque ad nationem Judaicam pertinent, Moysis libros exaratos supponunt, atque ex factis quæ in iis narrantur, et legibus quæ ibidem præscribuntur, originem ducunt. Ergo jam habemus libros Moysis, in quibus Messias Patriarchis promittitur, et insignia leguntur oracula ipsum contingentia, nempe oracula Jacobi, Balaami, etc., longissimo tempore ante Christi nativitatem fuisse conscriptos. 2° Judæis Christianorum hostibus infensissimis libri prophetici concrediti fuerant, atque ex eorum manibus Christiani ac gentiles libros veteris Testamenti acceperunt. Etsi porrò vaticinia Prophetarum perpetuò referta sint durissimis in populum Judaicum objurgationibus, etsi noverint Judæi Christianos ex illis maxi-

mum causæ suæ præsidium quærere, ea tamen ut à Deo inspirata semper venerati sunt, atque etiamnum, licet orbe toto disjecti, usque ad superstitionem venerantur. Non ergo post Christi adventum exarati et suppositi sunt illi libri, sed diù antea, et eo tempore, quo Prophetæ, quorùm nomine inscribuntur, vixerunt. 3° Antequàm Christus nasceretur, in græcum sermonem, tunc temporis apud populos omnes valdè usitatum, translatos fuisse ejusmodi libros, sicque per orbem universum disseminatos, certum est; ergo, etc. 4° Libri Moysis cæteris omnibus veteris Testamenti libris supponuntur; ex istis alii plerumque alios supponunt et confirmant. Præterea, in libris novi Testamenti, quos ab Evangelistis et ab Apostolis initio prædicationis evangelicæ editos fuisse nemo ambigit, libri veteris Testamenti sæpissimè citantur; ergo, etc. 4° Si libri veteris Testamenti non sint genuini, vel unius tantùm, vel plurium impostorum erunt fœtus, neutrum dici potest. Non prius; si quidem in iis diversissimus est stylus, diversum dicendi genus, pro diversorum auctorum varietate, nec fieri potest ut unus idemque homo tantam in scribendo diversitatem inducrit. Non posterius; quippe inter omnes hujusmodi libros summus deprehenditur consensus quantùm ad doctrinam, mores et facta. Deinde, vel illi impostores fuissent amici, vel inimici Judæorum. Si amici, non tot in illis libris extarent objurgationes contra Judæos, totque alia Judaicam nationem valdè deprimentia. Si inimici, non tot in iisdem reperirentur Judæis favontia. Denique dicant deistæ quomodò impostores potuissent simul tot facta prodigiosa et tanti momenti, integræ Judæorum nationi per orbem dispersæ suadere, illisque tam difficile imponere jugum quod in cæremonialium et judicialium legum observatione constituitur? ergo libris veteris Testamenti diù antequàm Christus nasceretur exarati sunt.

Jam verò ejusmodi libros mansisse integros et incorruptos non minùs evidenter ostenditur. Nam si corrupti fuissent, vel ante, vel post Christi tempora. Atqui non ante; nemo enim nescit quantâ veneratione libros suos Judæi semper prosecuti sint: Pentateuchum Moysis à Samaritanis asservatum inter et Pentateuchum quem Judæi exhibent, nulla quod ad rem spectet discrepantia reperitur, quamvis sibi invicem illi inimici fuerint; versio græca diù ante Christum peracta et pervulgata etiam argumento est integritatis librorum veteris Testamenti. Sed in hâc parte probandâ diutiùs immoramur, nemo quippe dixerit vaticinia in Christo adimpleta, antequàm ipse oriretur, ab impostore conficta fuisse. Quòd autem libri veteris Testamenti post Christi ætatem non fuerint corrupti, probatur 1° ex consensu exemplarium et versionum, ac locorum ejusmodi librorum quæ in scriptis auctorum ecclesiasticorum perpetuò occurrunt. Probatur 2° quia, si fuissent corrupti, vel à Judæis, vel à Christianis, vel ab infidelibus. Non ab infidelibus; id nec Judæi nec Christiani passi essent; deinde non consentirent codices; postremò infideles in illis libris non inseruissent vaticinia in Christo ad exitum perducta. Non à Judæis, qui sanè illa vaticinia non confecissent, quique à Christianis fuisse fraudis accusati et revicti, ut quantùm ad loca quædam rarissima contingit. Non à Christianis: reclamàssent Judæi; nec jam exemplaribus quibus per orbem dispersi utuntur, nostri codices essent consentanei; ergo, etc. Plura addi possent, sed hæc instituto nostro sufficiunt.

Dissertatio iv.

MYSTERIUM INCARNATIONIS EXISTERE ADVERSUS HÆRETICOS ADSTRUITUR.

Errores hæreticorum de mysterio Incarnationis ad tria revocantur capita. Aut enim circa Christi divinitatem, aut circa ejus humanitatem, aut circa utriusque naturæ nexum et conjunctionem versantur. Circa divinitatem Christi triplici modo erratum est. Alii divinam naturam ipsi Verbo divino abjudicantes, eam proinde Christo detraxêre. Alii Verbum divinum cui humanitas in Christo conjungitur, seu Filium Dei, à Patre nomine tenùs distinxerunt. Alii Christum esse purum hominem ideò statuerunt, quòd negarent naturam humanam à Filio Dei assumptam fuisse Postremus hic error ad Nestorianismum mox memorandum referendus est, et simul cum eo erit confutandus. De duplici altero speciatim hìc non agemus, quippe utriusque confutatio ad tractatum de SS. Trinitate pertinet, in quo adversùs Arianos, ex unâ parte et ex alterâ adversùs Sabellianos, Noetianos, Paulianistas, etc., demonstratur præcipuum hoc esse fidei christianæ mysterium: Filium Dei esse personam à Patre divino realiter distinctam, ipsique æqualem et consubstantialem. Itaque licèt humanitatis cum Verbo divino conjunctionem postea evincendo, plurima testimonia Verbi divinitatem adstruentia allaturi simus, attamen ex professo et datâ operâ ejusmodi non tractabimus quæstionem. Non unâ etiam ratione, ut modò videtur, à pluribus olim hæreticis impugnata est Christi humanitas. Denique, qui de nexu naturæ humanæ et divinæ in Christo falluntur, ii vel unionem physicam seu hypostaticam humanitatis cum Verbo divino nolunt agnoscere, qui fuit error Nestorii; vel unionem illam ita explicant, ut unicam naturam in Christo esse arbitrentur, quod docuit Eutyches; vel dictinctionem naturarum fatentes, unicam Christi esse voluntatem et operationem contendunt, in quo positum fuit perversum Monothelitarum dogma.

Quatuor igitur capitibus complectemur quæcumque hìc discutienda veniunt. In 1° natura humana Christo vindicabitur. In 2° ostendemus humanitatem in Christo esse Verbo divino personaliter unitam, matrem proinde Christi Mariam esse titulo Deiparæ insigniendam. Ibidem de Nestorii erroribus, condemnatione, et asseclis disseremus. In 3° Eutychianismum exponemus et refellemus, seu comprobabimus unionem hypostaticam non obesse quominùs in Christo sint duæ naturæ, divina et humana, integræ et perfectæ. In 4° adversùs Monothelitas ostendemus eâdem unio-

ne non effici ut unica sit in Christo operatio et voluntas; ubi de facto Honorii dicendum erit.

CAPUT PRIMUM.

Adversùs plurimos veteres hæreticos asseritur Christi natura humana.

Inter veteres hæreticos humanitatis Christi oppugnatores fuêre plurimi, qui fictam, umbratilem, et phantasticam carnem ei tribuerunt, non veram et solidam. Juxta alios, habuit quidem Christus carnem solidam, sed è cœlo delapsam, ex elementis coagmentatam, non ex Mariâ Virgine sumptam. Alii animam aut mentem humanam Christo tribuere noluerunt. Hi errores triplici articulo refellendi.

ARTICULUS PRIMUS.

An Christo fuerit verum et solidum corpus.

Ipsâ Apostolorum ætate nonnulli veram et solidam Christo fuisse carnem inficiati sunt, quos S. Joannes Epist. 1, cap. 4, v. 1, perstringit his verbis : *Multi pseudo-prophetæ exierunt in mundum..... Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est; ut omnis spiritus qui solvit Jesum* (græca habent : *Qui non confitetur Jesum in carne venisse), ex Deo non est, est Antichristus.* Ejusmodi hæreticorum princeps extitit Simon Magus cujus insanos errores refert S. Irenæus, lib. 1, cap. 23, aliàs 20; Simoni, ut Eusebius refert, lib. 3 Hist. eccles., cap. 26, successit Menander, qui et ipse discipulos habuit Saturninum Antiochenum, et Basilidem Alexandrinum. Hi docuerunt Christum specie tenùs hominibus apparuisse, ac corpus ejus fuisse merè phantasticum, unde Phantasiastæ appellati sunt. Addebat Basilides loco Christi crucifixum fuisse Simonem Cyrenæum. Vide S. Iren., lib. 1, cap. 24, aliàs 22; Euseb. lib. 4 Hist. cap. 6 et 7; S. Epiphan., hæresi 24. In disseminandâ impietate Saturnini cæteros omnes ita superavit Julius Cassianus, ut à Clemente Alexandr. lib. 3 Stromatum, *Princeps Phantasiastarum* nuncupetur. Idem dogma insulsum amplexati sunt Heracleonitæ, apud S. Epiphan. ab Heracleone orti; Ophitæ, sic dicti quòd serpentem à quo decepta est Eva venerarentur; Cerdo, teste Tertull. lib. de Præscriptionibus, cap. 51; Marcion, ex eodem in libris contra Marcionem et de Carne Christi; Manes seu Manichæus, à quo Manichæi apud S. Augustin. lib. de Hæresibus cap. 46. Consule Petavium integro lib. 1 de Incarnatione Verbi divini, varios errores qui circa illud dogma eruperunt, fusè et accuratè exponentem.

Conclusio. Christus habuit verum et solidum corpus, non fictum, umbratile et phantasticum.

Probatur 1° ex Scripturis. Joan. 1, v. 14, disertè exprimitur unio Verbi cum carne in Christo. *Verbum caro factum est,* inquit Evangelista; atqui corpus phantasticum caro non est, sed mera umbra carnis; ergo, etc. Rom. 1, v. 3, de Christo hæc leguntur : *Qui factus est ei ex semine David secundùm carnem.* Unde sic arguitur : Qui secundùm carnem est ex semine David, is certè veram ac solidam carnem habuit, atqui Christus, etc. Hebr. 5. v, 17, de eodem ait Apostolus : *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est,* etc. Ubi dies vitæ mortalis Christi appellantur *dies carnis* ejus; verâ ergo carne fuit indutus. Ibid. cap. 10, v. 5, ex Psal. 39, v. 7, istud de Christo affertur : *Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptâsti mihi.* Audis Christo aptatum corpus, et quidem corpus quod substituceretur hostiis veris et realibus veteris legis; ergo ejus humanitas verum et solidum corpus complectebatur. Denique Matth. 1, et Luc. 3, genealogia Christi secundùm carnem texitur; eodem in capite Matthæi, et Luc. 1 et 2, conceptus in utero Mariæ et ex eâ natus perhibetur; Matth. 26, v. 26, et 1 Cor. 11, v. 24, corpus ejus morti tradendum, et sanguis ejus in remissionem peccatorum effundendus dicitur; Matth. 27, Marc. 15, Luc 23, Joan. 19, cruci affixus est Christus : 1 Petr. 2, v. 24, *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum;* Coloss. 1, v. 22 : *Reconciliavit nos in corpore carnis ejus per mortem;* Matth. 27, v. 59, corpus ejus sepulcro fuisse conditum narratur. Act. 2, v. 31, significat S. Petrus carnem ejus in sepulcro à corruptione divinitùs fuisse servatam; Joan. 20, v. 27, ipse à mortuis redivivus se ipsum Thomæ palpandum præbuit, ut veritatem corporis sui probaret; et Luc. 24, v. 39 : *Videte manus meas et pedes,* inquiebat discipulos alloquens, *quia ego ipse sum; palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Ergo solidam et realem carnem Christus habuit. Alia multa omitto testimonia, quibus idem etiam conficitur. Horum plurima deinceps, aliud agendo passim adhibebimus. Ea potissimùm notanda in quibus significatur Christum esse hominem, quæ ad quæstionem dirimendam sola sufficerent, cùm homo mente et corpore vero essentialiter constituatur.

Probatur 2° ex Symbolis fidei, in quibus Filius Dei dicitur caro factus, ex Mariâ Virgine natus, passus, crucifixus, sepultus, etc., quæ omnia veritatem carnis ejus exprimunt.

Probatur 3° rationibus theologicis, quibus in hoc argumento usi sunt SS. Patres. Prima est Christum, nisi verum corpus habuerit, non potuisse pro salute nostrâ verè pati, et veram mortem subire. Hoc argumentum validè Tertullianus in Marcionem premit lib. de Carne Christi, cap. 5. Secunda petitur ex veracitate Verbi divini. Si phantasma fuit corpus Christi, inquit S. Aug. lib. 83 Quæstionum, quæst. 14, 14, fefellit Christus; et si fefellit, veritas non est; est autem veritas Christus; non igitur phantasma fuit corpus ejus. Similia habent S. Irenæus, lib. 3, cap. 20, S. Epiphanius et alii. Tertia ejusmodi est : Illusoria non fuêre exempla, quibus ad cruces, ærumnas et labores hujus vitæ patienter tolerandos Christus nos exstimulavit; atqui exempla ejusmodi illusoria fuerunt, si nonnisi phantasticum ei fuerit corpus, in quo solummodò fictè et apparenter pati potuerit; ergo. Ita S. Irenæus loco

mox citato. Quarta : In Scripturis clariùs non exprimitur Christi divinitas, quàm ejus humanitas ; proindeque si liceat eum habere ut hominem fictum, potuerit etiam spectari ut fictus Deus. Sic ad hominem argumentatus est Tertull. contra Marcionem, lib. 3, c. 8.

Dices 1° : Frustra in Manichæos et Marcionitas adducuntur testimonia ex Evangeliis S. Matthæi et S. Joannis deprompta; idem dicendum de Christi genealogiis. Ii enim hæretici unicum recipiebant Evangelium secundùm Lucam, et ex eo genealogiam resecabant ; ergo. 1° Neg. ant. Ad probationem nego conseq. Perditam fuisse horumce hæreticorum causam vel maximè ex eo manifestum fit, quòd eam tueri non valerent, nisi Scripturas auctoritatis certissimæ et ubique receptas rejicerent aut mutilarent. 2° Nego conseq. In Evangelio S. Lucæ ab illis admisso evidentissima soliditatis corporis Christi argumenta sæpè occurrunt, quorum aliqua inter probationes attulimus.

Dices 2° : Rom. 8, v. 3, Apostolus sic loquitur : *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis.* Ergo Christo fuit duntaxat similitudo carnis, nec proinde verâ et solidâ carne indutus est. Nego ant. Habetur in textu, *in similitudinem carnis peccati ;* quo solùm significatur Christum, nullius peccati sontem, habuisse similitudinem carnis peccatricis et pœnas peccatorum ab hominibus commissorum dedisse. Nempe *posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrùm.* Et 2 Cor. 5, v. 21 : *Eum qui non noverat peccatum*, inquit Apostolus, (eum Deus) *pro nobis peccatum fecit*, (id est, hostiam pro peccato). Hæc ubi de satisfactione Christi fusè exponentur.

Dices 3° : Apostolus, 2 Cor. 5, v. 16, hæc habet : *Et si cognovimus secundùm carnem Christum ; sed nunc jam non novimus.* Ergo nunc Apostolo compertum erat veram carnem Christo non esse. Nego conseq., et dico hæc verba *secundùm carnem*, in textu allato non ad Christum, sed ad fideles qui ipsi adhærent referri, et idem sonare ac *affectus terrenos* juxta quos Christo jam non est adhærendum; quasi dictum esset : Si olim gloriati sumus in Christo secundùm affectus humanos, nempe quòd inter nos natus, quòd ex gente nostrâ esset oriundus, jam ad ejusmodi temporalia et sensibilia non attendimus ; sed ad spiritualia, ad cœlestia quæ in Christo sunt, mentem ducimus erigendam. Atque is sensus perfectè consonat tum aliis S. Pauli testimoniis, in quibus vocem *carnis* pro humano et terreno affectu accipit ; cùm maximè isti loco quem expendimus; siquidem ibi Apostolus hortatur ut Christo vivamus, agitque de bonis spiritualibus quæ per Christum sumus consecuti. Deinde, hæc verba : *Itaque nos ex hoc neminem novimus secundùm carnem*, quæ locum S. Pauli objectum immediatè præcedunt, de exclusione humanorum et terrenorum affectuum optimè intelliguntur ; absurdissimè verò de carne solidâ et mortali explicarentur, quâ cæteros homines spoliatos esse dixisset Apostolus ; ergo verba subsequentia ad eamdem periodum pertinentia, absurdè etiam de carne solidâ exponerentur. S. Augustinus, lib. 11 contra Faustum, et synodus septima generalis, actione 6, nomen *carnis* hîc acceperunt pro conditione carnis passibilis, secundùm quam Christus post resurrectionem suam jam non cognoscitur. Favent huic interpretationi eamque innuunt verba antecedentia (v. 15), *ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.*

Dices 4° : Verbum divinum, juxta plurimos veteres Ecclesiæ doctores, olim apparuit Patriarchis in corpore assumpto, quod non erat verè humanum, nec tamen ideò finxisse dicendum est. Quòd si reponas Angelos, non ipsum Verbum, tunc apparuisse, idem argumentum recurret, cùm sanctis Angelis nullum liceat mendacium adscribere; ergo, etsi Christus non habuisset corpus solidum, non ideò nos decepisset. Nego conseq. et paritatem. Etenim seu Verbo, seu Angelis attribuantur illæ apparitiones, constat eas fuisse duntaxat transeuntes, et ad certum quoddam functionum et actionum genus restrictas; atque sive ex circumstantiis et prodigiis eas comitantibus, sive ex modo quo cessabant, sive ex declaratione angelorum apparentium cognoscere erat quid de ejusmodi visionibus esset judicandum. Præterea, dùm apparitiones quasdam in veteri Testamento memoratas Verbo divino SS. Patres adjudicant, ii docent simul eas fuisse signa veritatis cujusdam insignis; nempe illas habent ut totidem Incarnationis futuræ prælusiones. At verò Christus constanter exhibetur in Scripturis ut verus homo; juxta ipsas ex Mariâ conceptus est, natus est, crevit, adolevit, ampliùs triginta annis vixit, passus est, mortuus, sepultus, resurrexit, etc. ; quæ sanè ad meram fictionem et oculorum fascinationem referri nequeunt, quin Verbum divinum deceptionis insimuletur. Deinde Incarnatio phantastica nullius veritatis fuisset indicium, nec nisi illusionem purum mendacium obtrusisset; ergo.

ARTICULUS II.

An corpus Christi terrenum fuerit, ex Mariâ Virgine sumptum.

Valentinus inter varia absurdissima quæ finxit commenta, istud etiam protulit, teste Tertull. de Præscript. cap. 9 : « Christum in substantiâ corporis nostri non fuisse, sed spirituale nescio quod corpus de cœlo deferentem, quasi aquam per fistulam, sic per Mariam Virginem transmeâsse, nihil inde vel accipientem, vel mutuantem. » De Valentini figmentis legi possunt S. Irenæus lib. 1, cap. 1 ; Tertull. integro adversùs Valentinianos libro ; S. Epiphan. hæresi 31, et Theodoret. lib. 1 hæreticarum fabularum, cap. 7. Valentinianis accensendus est Apellas, à quo Apelliani. Is Marcionem, quem aliquando secutus fuerat, deseruit, docuitque Dominum *Christum neque in phantasmate fuisse, sicut Marcion tradiderat, neque in substantiâ veri corporis, ut Evangelium docet, sed eò quòd è superioribus partibus descenderet, ipso descensu sideream sibi carnem et aeream contexuisse. Hunc in resurrectione singulis quibusque elementis, quæ in descensu suo mutata fuissent, in ascensu reddidisse, et sic dispersis quibusque*

corporis sui partibus, in cœlo spiritum tantùm rediisse. Ita Apellem sensisse refert Tertull. De Præscript. cap. 51. Similem errorem Apollinari impingunt S. Greg. Nazianz. Orat. 46, et S. Ambr. lib. de Incarnat. cap. 6. Huic Apellianorum hæresi valdè affine fuit dogma Theopaschitarum, quos deinceps dicemus ex Eutychianis prodiisse.

Conclusio. Christo fuit corpus terrenum ex Mariâ Virgine conceptum, non sidereum vel è cœlo delapsum. Prob. ex Scripturis. Et 1° quidem ex testimoniis in quibus Christus ex hominibus originem traxisse asseritur. Gen. 22, v. 18, Deus promittens Abrahamo Christum ex ejus stirpe nasciturum : *Benedicentur*, inquit, *in semine tuo omnes gentes terræ ;* quæ in Christo completa sunt juxta Apost. Galat. 3, v. 8. Matth. 1, et Luc. 3, Christi genealogia ex veteribus Patriarchis exhibetur, ut art. præcedente observavimus. Hebr. 2, v. 16, significatur Christum fuisse *semen Abrahæ ;* et cap. 7, v. 14, eum esse ortum ex Judâ : *Manifestum est*, inquit Apostolus, *quòd ex Judâ ortus sit Dominus noster.* Passim etiam Christus dicitur *filius David, fructus lumbi ejus, et ex semine ejus factus.* Vide Matth. 1, v. 1, Marc. 1, v. 1, Act. 3, v. 3, Rom. 1, v. 3, etc.

2° Ex testimoniis in quibus Christus dicitur secundùm carnem ex B. Virgine factus, conceptus, natus. Isaiæ 7, v. 14 : *Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel ;* quod oraculum ad Christi ortum pertinere et res ipsa ostendit, et testatur S. Matthæus cap. 1, v. 22 et 23. Idem S. Matth. ibid. v. 16, Christum ex B. Virgine natum esse his verbis declarat : *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de quâ natus est Jesus, qui vocatur Christus.* Et v. 20, narrat Josephum virum Mariæ sic ab Angelo compellatum fuisse : *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam ; quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est : pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* Et v. 25 : *Peperit* (Maria) *filium suum primogenitum, et vocavit nomen ejus Jesum*, ait Evangelista. Luc. 1, v. 31, Gabriel Archangelus mysterium Incarnationis Beatæ Virgini annuntians : *Ecce*, inquit, *concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum.... Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Gal. 4, v. 4 : *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere.* Animadverte in ipso textu particulam *ex*, quam Tertull. lib. de Carne Christi cap. 20, et S. Athanas. in Epist. ad Epictetum apud S. Epiphan. hæresi 77, n. 7, adversùs Valentinianos validè premunt. Enimverò, si Christus *factus* sit *ex muliere*, ergo falsum est eum per Virginem duntaxat transiisse, et nihil ex eâ sumpsisse.

3° Ex testimoniis in quibus Beata Maria dicitur mater Christi. Matth. 1, v. 18 : *Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph ;* cap. 2, v. 11 : *Invenerunt puerum* (Jesum) *cum Mariâ matre ejus.* Et v. 13, 14 : *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens : Surge, et accipe puerum et matrem ejus... Qui consurgens, accepit puerum et matrem ejus.* Eadem verba repetuntur v. 20 et 21. Luc. 1, v. 42 et 43 : *Exclamavit voce magnâ* (Elizabeth), *et dixit... Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Joan. 2, v. 1 : *Nuptiæ factæ sunt in Canâ Galilææ, et erat mater Jesu ibi ;* et v. 3 : *Deficiente vino, dicit mater Jesu ad eum*, etc. Cap. 17, v. 25 et seq. : *Stabant*, inquit S. Joannes, *juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus..... cùm vidisset ergo Jesus matrem..... dicit matri suæ*, etc. Act. 1, v. 14 : *Erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus et Mariâ matre ejus* (Jesu). Accedit quòd Christus se passim *filium hominis* nuncupet, quæ appellatio idcircò tantùm in eum quadrat, quòd sit Mariæ filius.

In probationem conclusionis innumera facilè afferri possent Patrum et conciliorum testimonia; sed in negotio tam facili et obvio id supervacaneum habemus. Observabimus tantùm in Symbolo Nicæno Jesum Christum dici *Incarnatum de Spiritu sancto ex Mariâ Virgine.*

Dices 1° : Angelus, Matth. 1, v. 20, ait Christum *in* Mariâ natum, non ait *ex* Mariâ : *Quod* IN *eâ natum est*, inquit, *de Spiritu sancto est.* Atqui hæc loquendi ratio non obscurè indicat in Mariæ sinum aliunde adductam fuisse Christi carnem, non ex eâ genitam ; ergo. — Nego min. ; ut enim observat Tertull. lib. de Carne Christi, cap. 20, ideò Angelus dicit, *in eâ*, quia *in eâ erat, quod ex eâ erat.* Nimirùm utraque particula suum in doctrinâ catholicâ verum habet intellectum. Verum est juxta fidem Christum in utero Virginis esse conceptum, et simul verum est hunc ibi esse conceptum ex eâdem Virgine. Atque istud posterius, quod satis ex priori intelligitur, conceptis verbis exprimitur à S. Lucâ, cap. 1, v. 3 : *Quod nascetur* EX *te sanctum*, etc., et ab Apostolo, Gal. 4, v. 4, jam laudato : *Misit Deus Filium suum factum* EX *muliere.* Nihil etiam expressius in rem nostram citato Isaiæ oraculo : *Ecce Virgo concipiet et pariet filium*, et dicto Angeli Luc. 1, v. 31 : *Ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum ;* si enim Maria *concepit* Christum, ergo *ex eâ* Christus carnem habuit.

Dices 2° : Matth. 12, v. 48, Christus nullam agnoscit matrem, nullos fratres et cognatos : *Quæ est mater mea*, inquit, *et qui sunt fratres mei?* Joan. 2, v. 4, nihil sibi cum Mariâ commune fuisse declarat his verbis : *Quid mihi et tibi est, mulier?* Tandem, nunquàm Christus legitur Mariam appellâsse matrem suam, sed nudè ac simpliciter mulierem ; ergo. — Resp. ad singula. Ad 1, neg. ant. Dùm ait Christus, *Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei ?* non significat nullam sibi esse cognationem secundùm carnem, sed solummodò docet cognationem cum ipso spiritualem, quæ in gratiâ sanctificante quâ filii Dei et fratres Christi efficimur, et in observatione mandatorum consistit esse, longe anteponendam cognationi illi quam secundùm carnem Maria ipsa cum eo habuit. Monet igitur beatiorem esse Virginem Mariam quòd mente, quam quòd carne Christum tulisset. Quapropter statim *extendens manum in discipulos suos, dicit : Ecce mater mea et fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.* Vide Luc. 11, v. 27 et 28. Ad 2, dist. ant., nihil sibi cum Mariâ commune fuisse ratione divinitatis, quam pa-

trando miraculum mox erat ostensurus, concedo; ratione naturæ humanæ, nego. Agitur eò loci de miraculo patrando, non de cognatione. *Nec nos*, inquit S. Aug. lib. de Fide et Symbolo cap. 4, n. 9, *ad negandam Christi matrem cogit, quod ab eo dictum est :* QUID MIHI ET TIBI? etc., *sed admonet potiùs ut intelligamus secundùm Deum non eum habere matrem, cujus majestatis personam parabat ostendere, aquam in vinum vertendo.*

Ad 3, nego conseq. 1° Quia Mariam esse matrem suam toties Christus non obscurè declarat, quoties semetipsum appellat *filium hominis*, siquidem eatenùs erat filius hominis, quatenùs ex Mariâ conceptus et natus. 2° Quia in aliis multis Scripturæ locis jam allatis Maria dicitur Jesum concepisse et peperisse. 3° Quia S. Joannes, cap. 19, v. 25, et S. Lucas, Act. 1, v. 15, conceptis verbis Mariam appellant matrem Jesu. Observat S. Epiphan. hæresi 79, Christum nomine matris suæ non eam designare ne fortè errandi occasionem aliquibus daret.

Dices 3° : S. Paulus 1 Cor. 15, v. 47, docet Christum esse hominem de cœlo cœlestem : *Primus homo de terrâ, terrenus; secundus homo de cœlo, cœlestis.* Ergo Christo fuit corpus cœleste. Præterea pluribus in locis Christus dicitur descendisse de cœlo, Joan. 3, v. 13, cap. 6, v. 38, etc. Ad primum nego conseq. Christus secundùm fidem nostram est cœlestis tum ratione personæ suæ divinæ, tum ratione modi quo corpus ejus virtute Spiritûs sancti sine viri consortio formatum est; tum denique ob dona cœlestia quibus Christus ut homo donatus est ac vitam cœlestem quam duxit, et ad quam suos instituit et erudivit; ergo ex eo quòd Apostolus eum cœlestem appellaverit, non sequitur ipsi fuisse corpus è cœlo delapsum. Loco allato S. Paulus opponit hominem cœlestem homini terreno seu terrena sapienti et cupienti; quapropter v. 49, Christianos hortatur ut, sicut *portaverunt imaginem terreni*, studeant portare et *imaginem cœlestis*, spiritualia scilicet et cœlestia cogitando ac sectando. Nihil igitur est in textu objecto, quod ad corpus ex cœlesti materiâ, ex elementis sidereis compactum attineat.

Ad 2, nego quoque conseq. In locis quæ objiciuntur, agitur de personâ divinâ Verbi, quod figuratè dicitur descendisse de cœlo, quia suî ipsius Incarnatione cœpit novo quodam modo esse in terris, nempe secundùm humanitatem assumptam, sicque *semetipsum exinanivit*, ut Apostolus loquitur Philip. 2, v. 7, *formam servi accipiens*, id est, sibi uniens personaliter naturam humanam quæ Deo omnimodè subjecta est, et à perfectione ac majestate naturæ divinæ Verbi in infinitum distat. Vide S. Hilarium lib. 10 de Trinitate.

ARTICULUS III.

Utrùm Christus habuerit animam et mentem humanam.

Arianis visum est animam Christo detrahendam. Docuêre scilicet Verbum solam carnem assumpsisse, eam eâ, vice animæ extitisse. Ita refert S. Athanasius in utroque lib. contra Apollinarium t. 1, pag. 935 et 942, ubi eis exprobrat, quòd ipsam divinitatem Verbi, quam suo modo admittebant, pro nobis passam esse dicerent. Illum Arianorum errorem commemorant quoque S. Epiphan. hæresi 69, n. 49 et 50; S. Aug. de Hæresibus, cap. 49; Theodoret. lib. 5 Hæret. fabul., cap. 11, etc. Maximo studio eamdem hæresim propugnârunt Apollinaristæ, à magistro suo Apollinari Laodiceno nuncupati, quam tamen subindè paululùm temperârunt, mentem ab animâ separantes, et illâ, tantùm, non istâ, Christum spoliantes. Rem dilucidè exponit Socrates, lib. 2 Hist. cap. 46 : *Initio quidem*, inquit, *dicebant* (Apollinaristæ) *hominem absque animâ à Deo Verbo assumptum esse in dispensatione Incarnationis. Postea verò tanquàm pœnitentiâ ducti, ac pristinum emendantes errorem, adjecerunt animam quidem assumptam esse, sed quæ mentem non haberet; Deum autem Verbum loco mentis esse in homine assumpto.* Lege et Athanas., lib. 1 contra Apollinar. t. 1, pag. 923; S. Epiphanium, hæresi 77; S. Aug. de Hæresibus cap. 44; Theodoret. Hæretic. fabul. l. 4, cap. 8. Tradunt insuper SS. Athanasius et Epiphan. locis modò citatis Apollinaristas aliquando dixisse Christi carnem esse increatam et divinitati consubstantialem. Quod incarnationem penitùs labefactat et ad Eutychianismum deinde expendendum recidit.

CONCLUSIO. Christus verè habuit animam et mentem humanam. Probatur 1° ex Scripturis duplici argumento. Primum petitur ex iis locis in quibus Christus dicitur *homo*, *filius hominis*, etc. Ea loca innumera sunt tum in veteri, tum maximè in novo Testamento. Planum autem est quòd Christus non potuisset toties homo appellari, nisi naturâ humanâ fuisset præditus, seu nisi animam rationalem, hoc est, animam cum mente, simul et corpus assumpsisset. Enimverò si animam distrahas à carne, quid manebit, nisi merum corpus organisatum, quod homo appellari non poterit? Si verò eam spectes sine mente, quid erit? anima nimirùm irrationalis, anima solùm sentiens, seu nonnisi sensationum capax. Ejusmodi anima bruti est, non hominis. Homo mente et corpore essentialiter constituitur. *Non est homo perfectus*, ait S. Aug., Epist. 187, aliàs 57, ad Dardanum, n. 4, *si vel anima carni, vel animæ ipsi mens humana defuerit.* Secundum petitur ex iis locis, in quibus Christo ut homini tum anima, tum intellectus et voluntas, ac proinde mens, adscribuntur, et ipsi quidem tribuitur anima. Joan. 10, v. 15 : *Animam meam pono pro ovibus meis.* Et v. 17 : *Ego pono animam meam, ut iterùm sumam eam. Nemo tollit eam à me; sed ego pono eam à me ipso et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Matth. 26, v. 38 : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Ex quibus et similibus sic arguere est : Anima illa, quam Christus pro ovibus suis posuit, quam spontè et libenter dimisit, quam iterùm sumpsit, quæ pridie passionis usque ad mortem tristis fuit, vel est anima humana, vel ipsa Verbi divinitas; atqui absurdum est hanc animam de divinitate accipi, à quâ Christus nunquàm separatus fuit, et in quam cadere tristitia

non potest; ergo. Adde eosdem animæ affectus qui nobis adhærescunt, pavorem scilicet, tædium, tristitiam, etc., detractis imperfectionibus quas in nobis secum important, Christo in sacris paginis adjudicari. Matth. 26, v. 38 : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Marc. 14, v. 33 : *Cœpit pavere et tædere*, etc. Ii affectus vel sunt animæ humanæ in Christo, vel ejus divinitatis; atqui in ipsam divinitatem cadere nonnisi impiè et insulsè judicarentur; ergo sunt animæ humanæ, proindeque anima humana Christo tribuitur in Scripturis. Ipsi attribuuntur pariter intellectus humanus et voluntas; 1° intellectus humanus : Isai. 11, v. 2 : *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectûs, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis*, etc. Luc. 2, v. 52 : *Proficiebat ætate et sapientiâ*, Coloss. 2, v. 3 : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi.* Quæ dona nemo non videt ad intelligendi vim attinere, Christique humanitatem, non divinitatem spectare; ergo ostendunt intellectum humanum inesse Christo, ac proinde intellectus humanus Christo adscribitur in Scripturis. 2° Adscribitur pariter humana voluntas. Luc. 22, v. 15 : *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum.* Illud desiderium fuit Christi ut hominis, ac consequenter ejus voluntatis humanæ certum est argumentum. Ibid. v. 42 : *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Hîc Christo assignatur voluntas distincta à voluntate Patris æterni; atqui voluntas ejusmodi non potest alia esse in Christo, quàm voluntas humana, siquidem voluntas ejus divina, seu quæ ipsi ut Deo Verbo competit, una et eadem est ac voluntas Patris; quippe tribus personis SS. Trinitatis unica est voluntas summè perfecta. Idem argumentum erui potest ex isto Joan. 6, v. 38, testimonio : *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Vide infra quæ adversùs Monothelitas afferentur.

Prob. 2° ex conciliis. Concilium Constantinop. I, quod est secundum generale, in Epist. synodicâ ad Damasum Sum. Pontif. profitetur se « nec animæ aut « mentis expertem, nec imperfectam carnis œconomiam admittere, verùm nôsse se perfectum ante « sæcula Dei Verbum, et perfectum hominem in novissimis diebus propter nostram salutem fuisse. » Synodus Romana contra Macedonianos et Apollinaristas congregata, eos anathemate percutit qui dixerint Verbum assumptæ carni esse loco animæ rationalis. Adjici possent plurima alia conciliorum decreta, ac præsertim Chalcedonensis generalis IV, et II Constantinop. generalis VI, in quibus fides catholica de naturâ Christi humanâ integrâ et suis facultatibus ac perfectionibus omnibus prædità, clarissimè explicata et determinata fuit.

Prob. 3° ex Symbolis fidei. Cùm in Symbolo Nicæno dicitur Filium Dei *hominem factum esse*, perspicuè et sine ambiguitate significatur eum assumpsisse naturam humanam, ac proinde mentem et corpus. Symbolum quod sub nomine S. Athanasii circumfertur, idem fidei caput ipsâ hominis adductâ definitione magis adhuc evolvit et explicat. « Perfectus Deus « (Christus), inquit, perfectus homo, ex animâ rationali et humanâ carne subsistens. »

Prob. 4° auctoritate et testimonio SS. Patrum qui ante Appollinarium vixerunt (nam de aliis nulla potest esse controversia), videlicet : S. Justini Apol. 1, aliàs 2, quæ est ad senatum, in fine; Tertulliani lib. de Carne Christi, cap. 10, et lib. de Resurrectione carnis, cap. 34; Origenis, lib. 6 contra Celsum, etc.

Prob. 5° rationibus theologicis. Prima desumitur ex passione Christi. Si Christus animâ caruerit, ergo dolores non tulit, vel ipsa ejus divinitas est passa; caro enim ipsa à spiritu sejuncta nullum potest doloris sensum recipere; atqui ex fide constat et Christum esse passum, et divinitatem ejus nullis posse doloribus affici; ergo Christus animam habuit. Jam porrò si animâ fuerit instructus, ergo et mente, seu anima ejus fuerit rationalis necesse est. Quid enim absurdius, quàm animam irrationalem, animam sine mente, animam sentientem tantùm, quæ belluæ esse possit, fuisse assumptam à Verbo? Numquid hanc insulsam et indecentem Incarnationis Dominicæ ideam Scripturæ et traditio exhibent! Secunda ratio petitur ex orationibus Christi, ex ejus sacerdotio, mediatione, etc. Nam functiones Redemptoris, Mediatoris, Sacerdotis, postulârunt ut Christus offerret Patri sanguinis sui pretium, ut seipsum in victimam vellet immolari, ut preces ad Patrem funderet, ut obsequii erga Deum, et voluntariæ suî demissionis actus exerceret; et hæc omnia reverà Christus præstitit ex Scripturis. Atqui ejusmodi officia non potuerunt impleri à Christo ut Deo, nec illos actus elicere potuit illius divinitas; ergo per humanitatem suam hæc munera obiit, et illas actiones edidit Christus. Jam verò quis non videt ad ista peragenda, nec corpus sine animâ, nec animam sine mente satis fuisse, sed animam rationalem prorsùs fuisse necessariam? ergo. Tertia desumitur ex Christi morte et ad inferos descensu. *Et inclinato capite*, inquit S. Joannes, cap. 19, v. 30, *tradidit* (Jesus) *spiritum.* In eo igitur Christi mors fuit posita, quòd ejus spiritus à corpore avulsus et separatus fuerit. Ille autem spiritus non fuit Verbum ipsum vices animæ gerens; nam ut aliquando dicemus, unio humanitatis cum divinitate in Christo triduo mortis ejus interrupta non fuit. Ergo mors Christi ut et aliorum hominum, in animæ ejus à corpore secessu constitit. Anima autem Christi post ejus à corpore separationem, juxta Scripturas (1 Petri 3, v. 19, etc.) ad inferos descendit, ibique detentas animas sanctorum liberavit; quod opus animæ sentienti et mentis experti insanè attribueretur. Ergo.

CAPUT II.

An sit unica in Christo persona, nempe persona Verbi

Humanam Christi naturam unâ Verbi divini personâ terminari et subsistere inficiati sunt, 1° quotquot ex veteribus hæreticis Christum esse purum hominem ausi sunt asserere. Quæ impietas fuit Cerinthi, adversùs quem, auctore S. Hier. lib. de Scriptoribus eccles., Joannes ab Asiæ episcopis rogatus suum con-

scripsit Evangelium, quod à Verbi et Christi divinitate orditur ; Ebionis, à quo Ebionitæ ; Nazarenorum seu Nazaræorum ; Carpocratis Gnosticorum parentis ; Theodoti, Artemonis, Pauli Samosateni in duobus conciliis ann. 257 et 260 Antiochiæ damnati, Photini, etc.; de quibus consule Petavium lib. 1 de Incarnatione. Iis adjungendi sunt Sociniani, qui censent Filium Dei non extitisse priusquàm de Mariâ nasceretur, docentque (etiam posito SS. Trinitatis mysterio quod negant), repugnare penitùs naturam humanam in personæ unitatem Verbo divino copulari. 2° Nestorius, qui etsi diceret Christum non esse hominem purum, hypostaticam tamen in Christo naturæ humanæ cum Verbo divino unionem quinto seculo impetivit. Verùm, cùm de erroribus ipsi adscribendis, necnon de eorum condemnatione, defensoribus et impugnatoribus lites moveantur, operæ pretium erit de ipsâ Nestorii hæresi priùs disserere, quàm catholicum dogma Nestorianismo oppositum asseramus. Impiam aliorum hæreticorum Christum esse purum hominem statuentium doctrinam hic specialiter non refellemus ; tum quia plerorumque error ex negatâ ab iisdem Verbi divinitate manat, quam, ut jam dictum est, in tractatu de Trinitate assertam ponimus ; tum quia eadem argumenta quibus errores Nestorii convelluntur, à fortiori illorum hæresim confodiunt. Istud igitur caput in duos distribuetur articulos.

ARTICULUS PRIMUS.

De hæresi Nestorianâ.

Nestorius monasticam vitam primùm professus in monasterio sancti Euprepii propè Antiochiam, deinde in clerum Antiochenum cooptatus et factus presbyter, tandem ob sanctimoniæ et eloquentiæ famam anno 428, mense Februario, Cœlestino I Rom. pontifice, et Theodosio juniore imperante, in episcopum Constantinopolitanum consecratus, dùm acerrimè impugnat hæreticos, nefandæ ipse hæreseos sectator et princeps effectus est. Summa ejus erroris fuit, Mariam Virginem appellandam non esse Θεοτόκου seu Deiparam, quia homo quem illa genuit, scilicet Christus, ejusdem tantùm generis unione ac cæteri sancti, Deo Verbo conjunctus fuit, licet modo præcellentiori, et à primo conceptu, et inseparabiliter. Uno verbo, hypostaticam unionem humanitatis Christi cum Deo Verbo è medio sustulit, solamque admisit conjunctionem moralem, ex quâ consequens erat duas in Christo propriè personas agnoscendas, nempe personam Verbi et personam hominis. Hanc fuisse Nestorii doctrinam mox evincendum erit. Eam hauserat ille ex scriptis Diodori, Tarsensis episcopi, et præsertim Theodori Mopsuesteni, quem ad sedem Constantinopolitanam properans etiam inviserat.

Dogma verò ejusmodi, ubi primùm Clero et populo Constantinopolitano seu ab Anastasio presbytero, seu à Dorotheo episcopo, Nestorii familiaribus, etc., tum ab ipso Nestorio fuit obtrusum, novitate suâ vehementer animos perturbavit, strenuosque Constantinopoli et alibi oppugnatores expertum est. Nihilo seciùs tamen erroris sui disseminandi cupidus novator, quas câ de re Constantinopoli pronuntiaverat homilias toto Occidente et Oriente divulgari curavit, easque deinceps unà cum litteris et tribus tractatibus, ad Cœlestinum rom. pontificem misit. Interim S. Cyrillus, patriarcha Alexandrinus, in epistolâ quâdam ad monachos directâ, errorem, tacito auctoris nomine, confutârat, duasque ad ipsum Nestorium dederat epistolas, quarum secunda accuratissimam catholici dogmatis continebat expositionem. Utrâque nitebatur ad meliores fruges leniter hominem reducere, sed irrito conatu. Quapropter, cùm hunc accepisset Cœlestino scripsisse, ad eumdem pontificem maximum litteras Possidonio diacono dedit deferendas, quibus eum totius hujus negotii certiorem fecit, misitque simul plura Nestorii scripta, tum epistolas à se ad illum datas, et responsa quæ ab eodem acceperat. Cœlestinus, coactâ Romæ synodo, post diligentem rei discussionem, Nestorium damnavit, vicesque suas Cyrillo litteris ad eum datis die 11 Augusti anno 430 committens, novatorem jussit, (nisi intra decem à monitione dies impia dicta revocaret,) omni christiani nominis communione interdici, et episcopali sede indignum declarari. Mandatum pontificis executus est Cyrillus. Ejus sententiam Nestorio denuntiavit epistolâ in concilio episcoporum Ægypti eam ob causam Alexandriæ congregato exaratâ, quâ ipsi fidem de Incarnatione tenendam assignabat, duodecimque anathematismos subscribendos proponebat. Nestorius acceptis his litteris, sententiæ adeò non paruit, ut anathematismis seu capitulis Cyrilli totidem alios contrarios opposuerit. Nihil intentatum reliquit ut omnibus suaderet ejusmodi Cyrilli capitula erroribus Apollinarii esse referta ; atque reipsà Joanni Antiocheno patriarchæ, et Theodoreto episcopo Cyri, jamdudùm sibi conjunctissimis, necnon pluribus aliis orientalibus episcopis hanc persuasionem induxit. Insuper Theodosii imperatoris animum tum illâ accusatione, tum aliis artibus, in sanctum Cyrillum maximè exacerbavit. Postremò rogavit ut synodus œcumenica, quæ litem decideret, imperatoris jussu congregaretur ; quod à Basilio abbate et monachis in postulatione adversùs Nestorium jam petitum fuerat, quodque à S. Cyrillo expostulatum fuisse Theophanes et Nicephorus scribunt.

Res igitur ad concilium totius Ecclesiæ deducta est. Hoc fuit generale tertium. Theodosius, litteris XIII kal. decembris an. 430 datis, illud Ephesi celebrandum ad diem Pentecostes anni sequentis indixit, qui dies illo anno 431 incidit in 7 junii ; quamvis non ante diem ejusdem mensis 22 cœptum illud fuerit. Septem actionibus fuit absolutum. In primâ post accuratam causæ discussionem, adversùs Nestorium qui secundùm canonum præscripta vocatus venire renuerat, sententiam depositionis Patres universi, numero circiter ducenti, unanimiter protulerunt ; quibus etiam consensêre paulò post plures alii episcopi, qui etsi tunc Ephesi adessent, huic tamen actioni interesse noluerant. Gestis ejusdem actionis, post eorum recognitionem, legati tres Apostolicæ Sedis ac totius Occi-

dentis, Arcadius et Projectus episcopi, ac Philippus presbyter, qui nonnisi die 10 julii Ephesum appellere potuerant, actione tertiâ subscripserunt.

Jam antea cœperat schisma in gratiam Nestorii à Joanne Antiocheno creatum. Is die junii 27 vel 28, post amici sui depositionem quintâ, suis stipatus episcopis advenerat; qui se ad tanti momenti negotium non expectatum ægrè ferens, ipso adventûs sui die confestim episcopos secum adductos, et alios quosdam Nestorio adhærentes in synodum convocat, et in ejusmodi synodo triginta tantùm, vel ad summum quadraginta tribus episcopis constante, S. Cyrillum, et Memnonem episcopum Ephesinum, ne citatos quidem, deponere aggreditur, et consilii Ephesini rescindere sententiam. Deinde, adjuvante comite Candidiano quem pacis tutandæ causâ ad synodum Theodosius miserat, Joannes et alii fautores Nestorii, falsis rerum Ephesi gestarum narrationibus variisque artibus animum imperatoris præoccupant, ac per aliquod tempus sacræ synodo minùs æquum reddunt. Eò res deducta est, ut Theodosius utriusque partis legatos ad se Chalcedonem accersere coactus fuerit; quos cùm audivisset, compertâ tandem veritate, decreta concilii summâ veneratione suscepit; Joannem Antiochenum cum Cyrillo in concordiam redire curavit, quæ pax anno 433 est inita; ac Nestorium, qui in monasterium suum jam amandatus, errores suos variis colloquiis et epistolis spargere, Ecclesiasque turbare pertinaciter pergebat, monente ipso Joanne Antiocheno, Oasim Ægypti oppidum in exilium anno 434 relegavit; ubi infelix hæresiarcha miserè obiit, vermibus, si Evagrio fides, linguam ejus depascentibus.

His delibatis et historicè præmissis, ut dicendis major lux affulgeret, quorum accuratam narrationem legere est præsertim apud Petavium lib. 1 de Incar. cap. 7, 8 et 9, et Tillemontium in S. Cyrillo, tom. 14 Hist. eccl.; nunc de triplici quæstione disserendum. Prima est, utrùm Nestorius eum tenuerit errorem, propter quem damnatus est. Altera, an canonicè fuerit in concilio Ephesino damnatus; ubi structæ à quibusdam hæreticis in sacram synodum et S. Cyrillum calumniæ diluentur. Tertia, num Joannes Antiochenus, dùm favit Nestorio, ejus erroribus imbutus fuerit.

§ 1. *Utrùm Nestorius eum tenuerit errorem propter quem damnatus est.*

Nonnulli apud Calvinianos extitêre, qui etsi unicam in Christo personam agnoscerent, odio tamen in concilia et SS. Patres, quod non dissimulabant, impulsi, Nestorium ut virum orthodoxum et ab omni errore immunem exhibuerunt, Cyrillumque et Patres Ephesinos ut hæreticos Eutychis antecessores, et Nestorii improbos vexatores traduxerunt. Primus eò temeritatis devenisse fertur Ægidius Gaillard vir nobilis è Provinciâ oriundus, qui ab Ecclesiâ catholicâ ad partes Calvini defecerat. Hunc secutus est David à Rodone pseudo-minister Nemausensis et philosophiæ professor, in singulari libro quem inscripsit de Supposito, quemque tacito suo nomine anno 1645 Francofurti edidit. Nestorii quoque patrocinium suscipiunt, et simul tamen in Nestorianismum anathema contorquent Albertinus in suo de Eucharistiâ opere, Saurinus in Apologiâ suâ, et in Examine theologiæ Juriæi, etc. Non prætermisit Baylius in Dictionario hanc adversùs concilia, Ecclesiam et Patres blaterandi occasionem. Verbo *Nestorius*, notâ A, totam S. Cyrillum inter et Nestorium controversiam exhibet ut meram nominis quæstionem, in quâ non de re ipsâ, sed de modis aliquibus loquendi retinendis aut proscribendis obfirmatiùs disputatum fuisse pronuntiat.

Richardo Simoni, viro alioqui catholico et doctissimo, sed in seligendis opinionibus quandoque incautiori, illud in libro de Fide Ecclesiarum orientalium, cap. 7, pag. 96, temerè excidit, Nestorii sententiam remotis consectariis quæ ex eâ S. Cyrillus eruebat, esse simpliciorem et minoribus difficultatibus implicitam. Plura etiam de eodem Nestorio, de S. Cyrillo et de synodo Ephesinâ imprudentiùs scripserat Ludovicus Ellies du Pin, tom. 3 Biblioth. auctorum ecclesiastic. part. 2, quæ retractatione expunxit.

Conclusio. Duplicem in Christo personam admisit Nestorius. Probatur 1° quatuor argumentis, ex pluribus ejus scriptis, quæ supersunt, depromptis. Primum argumentum ea testimonia suppeditant in quibus Nestorius illud apertè inculcat principium, quo dogma duplicis in Christo personæ continetur. Hoc enim dogma principio isto includitur, Incarnationem in merâ unione morali naturæ humanæ, seu hominis assumpti, cum Verbo consistere, id est, in affectu, in concordiâ, in prædestinatione quâdam eximiâ, in largitione donorum, etc., quæ unio cum Deo cunctis competit sanctis aliquo in gradu. Atqui istud principium docuit sæpissimè Nestorius. Sermone 1, n. 6 et seq., Mariam non esse Deiparam probare aggressus, hoc potissimùm argumento nititur, totam Incarnationis rationem in eo duntaxat constitui, quòd *homo* sit *Deitatis instrumentum*, quòd Verbum in illo homine *habitet* ut in *templo*, quòdque homo assumptus, ratione honoris, dignitatis et reverentiæ ipsi exhibendæ, unus sit cum Verbo divino. Maximè verò advertendum, quâ ratione explicet unam et parem homini assumpto ac Verbo Deo reverentiam deberi. Scilicet, non eam rationem adhibet quam fides amplectitur, nempè Christum hominem esse ipsam Verbi Dei personam prout humanitatem sibi hypostaticè conjunctam habet; sed istud tantùm premit, hominem qui assumptus est, *Divinitatis verè inseparabilis esse simulacrum, et imaginem absconditi judicis*. Voluit ergo Nestorius Incarnationem triplici hominis assumpti ad Deum Verbum relatione seu habitudine constitui, nempe instrumenti, templi et imaginis, atque eatenùs unam esse hominis assumpti et Verbi dignitatem, unumque honorem, quatenùs homo assumptus, cùm sit ratione donorum imago Verbi, propter Verbi dignitatem colitur; quemadmodùm imagines coluntur propter unam personæ, quam repræsentant, dignitatem. Atqui tres illi respectus et alii similes, meram cum Deo Verbo unionem moralem sonant, qualem re-

perire est in cæteris sanctis et piis. Sunt enim justi divinitatis instrumentum, cùm voluntati divinæ pareant, eaque exequantur quibus Dei providentiâ destinantur. Sunt templa Dei, quippe in quibus Deus colitur, et infusione virtutum inhabitat. *Si quis diligit me*, inquit Christus Joan. 14, v. 23, *sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Et Apostolus 1 Cor. 3, v. 16 : *Nescitis quia templum Dei estis*, etc. Postremò sunt imagines Dei, siquidem Deum, ad cujus imaginem conditi sumus, sic charitate imitantur, *ut non solùm ipsum*, ait S. Leo serm. 1 de jejunio decimi mensis, cap. 1, *sed etiam quidquid diligit, diligant.* Ergo in his statuit Nestorius Incarnationem consistere, quæ solùm unionem moralem sonant, qualis est sanctorum cum Deo ; hoc tantùm adhibito discrimine, quòd illam unionem excellentiorem senserit esse in Christo quàm in cæteris sanctis. Hæc Nestorius sermone illo primo, *in quo*, inquit Marius Mercator Præfat. ad sermones Nestorii, *de Incarnatione dominicâ malè lapsus infeliciter corruit.* Sermone 2, suam de Incarnationis dogmate, seu Θεογωνίας doctrinam studiosè exponens : *Dic de assumente*, inquit, *quòd Deus sit; adjice de assumpto, quòd servi forma ; infer postea conjunctionis dignitatem, quòd communis sit duorum auctoritas, quòd eadem sit duorum dignitas ; manentibusque naturis, confitere unitatem*, scilicet, *dignitatis*, ut habetur in græco, τὴν τῆς ἀξίας ἑνότητα. Hic iterùm Nestorius Incarnationem reponit in communi Verbi et hominis assumpti dignitate, seu *unitate dignitatis*, quæ unionem merè moralem sonat. Serm. 5, qui adversùs Proclum secundus est, n. 5 et 6, hæc profert quæ controversiæ finiendæ sufficere deberent : *Beata Virgo etsi pepererit hominem simul cum illo pertranseunte Deo Verbo, non ideò est Dei genitrix. Non enim Verbi dignitas* (ut habetur in græco) *à beatâ Virgine est, sed erat naturâ Deus. De beato Joanne Baptistâ prædicatur à sanctis angelis, implendum esse infantem Spiritu sancto, adhuc ex utero Matris suæ ; atque ita beatus Joannes Spiritum sanctum habens editus est. Quid igitur ? Appellabisne ipsam Elizabeth Spiritûs genitricem ?* Audis ex Nestorio unionem hominis assumpti cum Verbo, ei esse similem quæ fuit Joannis Baptistæ cum Spiritu sancto ; atqui unio Joannis Baptistæ cum Spiritu sancto moralis tantùm fuit, nemine diffitente, in eo scilicet posita quòd Spiritus sanctus per charitatem et donorum diffusionem habitaret in Joanne, quòd voluntas Joannis Spiritui sancto esset subjecta, ejusque voluntati conformis, etc. Ergo, etc. In primo ex anathematismis quos S. Cyrillo opposuit Nestorius, negat Emmanuelem *esse Deum Verbum*, sed eum definit esse *nobiscum Deum, hoc est, inhabitâsse eam, quæ secundùm nos est, naturam, per id quod unitus est massæ nostræ*, etc. Quæ ab eo dicta sunt, ut Incarnationem solâ inhabitatione Dei in homine constitui exprimeret.

Ab afferendis similibus aliis testimoniis, quæ multa sunt, supersedemus. Confidenter verò asserimus, quotiescumque Nestorius exponit unionis, de quâ agimus, naturam, toties hanc ab eo significari factam, vel secundùm operationem, quòd scilicet homo sit instrumentum Verbi, vel secundùm inhabitationem, vel secundùm participationem honoris et dignitatis, et aliis ejusmodi rationibus nihil ad unionem hypostaticam attinentibus. Ergo Nestorius illud principium docuit, quo hæresis duplicis in Christo personæ continetur.

Eòdem pertinet similitudo celebris quâ utebatur Theodorus Mopsuestenus, et quæ refertur in quintâ synodo can. 12, *talem nimirùm factam esse unitionem Dei Verbi ad Christum, qualem dicit Apostolus de viro et muliere :* Erunt duo in carne una. Sicut ergo vir et mulier, etsi verè et propriè duas personas constituant, dicuntur tamen propter vinculum matrimonii *una caro* et unius dignitatis ; ita et secundùm Nestorianos Filius Dei et filius hominis dicuntur unus Christus propter spiritualem conjunctionem, tametsi duæ sint realiter personæ. Huic Incarnationis explicandæ modo S. Cyrillus quartum opponit anathematismum.

Secundum argumentum petitur ex iis locis, in quibus duas in Christo personas verè distinguit Nestorius. Serm. 1, jam laudato, n. 10 : *Intende*, inquit, *in hæc quæ dicuntur : Non per seipsum Deus est, qui in utero figuratus est ; nam si sic esset, essemus hominis verè cultores ; sed quoniam in assumpto Deus est, ex illo qui assumpsit, qui assumptus est appellatus est et appellatur Deus.* Hic duas in Christo personas significari apertum est, nempe eum qui in utero figuratus est, qui assumptus est, quem dicit Nestorius non esse per se Deum, ac proinde non esse personam divinam, sed humanam, et illum qui assumpsit, nempe Deum Verbum, à quo habet homo assumptus, seu persona assumpta, ut Deus appelletur, ob unionem moralem de quâ modò diximus. Serm. 3, n. 6 : *Verbum ergo Deus*, inquit, *non est natus ex Mariâ, sed in illo, qui ex eâ natus est, mansit.... Aliud est autem dicere : Cum illo qui natus est, manet ; et aliud, illum qui cum nato manet, hunc esse cui, ut nasceretur, mensium opus fuisset curriculo.* En iterùm persona duplex in Christo clarissimè distincta, Verbum scilicet, et ille qui natus est ex Virgine et qui non est Verbum, sed cum quo Verbum mansit. Serm. 7, n. 22 : *Numquid ego duplicem Christum solus appello ? Nonne semetipsum et templum solubile, et Dominum nuncupat suscitantem ? Si autem Deus erat, qui solvebatur* (quæ in caput Arii blasphemia convertatur), *dixisset Dominus :* Solvite Deus istum, et in triduo suscitabitur. *Si Deus mortificatus est in sepulcro, mentitur Christus qui dixit :* Quid me quæritis occidere hominem qui vera locutus sum vobis ? Itaque juxta Nestorium duplex est Christus, quia homo qui suscitatus est, non est persona Verbi. Ibid. n. 38 : *Quoniam in assumpto Deus, ex assumente, qui assumptus est, tanquàm assumenti conjunctus appellatur Deus... Ideò et judex venturus est iste qui visui patuit, quoniam omnipotenti conjungitur deitati.* Ibi Nestorius distinguit Deum qui assumpsit, ab eo qui assumptus est ; atqui ille qui assumptus est reverà est persona humana juxta Nestorium. Nam si nomine illius qui assumptus est, intelligeret naturam humanam sine

subsistentiâ, et, ut aiunt, in abstracto, profectò non diceret hanc eò quòd Deo conjuncta sit, Deum appellari, et esse judicem venturum. Similia passim apud Nestorium occurrunt, ut patet ex ejus testimoniis hactenùs relatis et mox referendis, ex quibus proinde idem ratiocinium colligi potest. Serm. 8, n 3, in fine, conceptis verbis duplicem in Christo filium confitetur : *Separa naturam*, inquit, *sed unitionem conjunge; Filium Dei Christum confitere,* SED FILIUM DUPLICEM, *hominem et Deum, ut passio quidem humanæ deputetur naturæ, passionis verò absolutio, quæ in homine, qui passus est, facta est, solius sit Divinitatis.* Fatendum est Nestorium à voce *duplicis filii, duplicis Christi*, plerumque abstinuisse, imò illum loquendi modum non semel rejecisse; sine ullo tamen, ut dicemus, hæresis suæ præjudicio. Hìc verò apertè mentem suam exprimit; fatetur duos, quos reverà admittebat, filios, unum æternum et naturalem, alterum temporalem et adoptivum. Anathematismo 7 in S. Cyrillum : *Si quis*, inquit, *hominem qui de Virgine creatus est hunc esse dixerit Unigenitum qui ex utero Patris ante luciferum natus est, et non magis propter unitionem ad eum qui est Unigenitus naturaliter Patris, Unigeniti eum appellationis confiteatur participem factum... anathema sit.* Certè si, ut fides docet, unica sit in Christo persona, credendum est hominem in Christo seu personam quæ humanitatem habet, et ex Virgine secundùm carnem nata est, ipsum esse Unigenitum, qui à Patre ante luciferum natus est. Duplex igitur persona apertè designatur, dùm dicitur *hominem qui de Virgine creatus est*, non esse *Unigenitum* à Patre ante secula natum; istumque esse Unigenitum naturâ, alterum appellationis Unigeniti participem factum propter unionem. In confessione Nestorianâ, quæ refertur actione 6 conc. Ephesini : *Neque duos filios*, inquiunt, *aut duos Dominos dicimus, quandoquidem unus tantùm est per essentiam Filius, nempe Deus Verbum, Filius Patris unigenitus, cui conjunctus hic, et deitatis comparticeps, consors etiam est appellationis et honoris Filii*, etc. Adverte quâ arte Nestoriani intacto suo dogmate, duos filios aut Dominos in Christo esse negent, quia, inquiunt, *unus tantùm est per essentiam Filius, nempè Deus Verbum.* An verò ideò negant duas esse personas ? Minimè. Imò alteram apertè confitentur, dùm à Verbo *hunc* distinguunt qui propter conjunctionem appellatur filius. *Cui*, aiunt, CONJUNCTUS HIC, *et Deitatis comparticeps, consors etiam est appellationis et honoris filii.*

Ex multis aliis testimoniis, quæ afferri possunt, unum duntaxat addam, in quo Nestorius explicavit quâ ratione intelligeret participem divinitatis factum esse eum qui assumptus est. *Quemadmodùm*, inquit serm. 2, et quaternione 27, *dicimus Deum omnium opificem, et Deum Mosem,.... et Israel filium Dei,.... et quemadmodùm dicimus Christum Saül,..... similiter et Cyrum,. .. et Babylonicum sanctum..... Ita dicimus Dominum et Christum, et Deum, et filium, et sanctum; sed communio quidem nominum similis est, dignitas verò non eadem est.*

Frustra reponeres Nestorium tria aliquando esse confessum, quibus dogma catholicum unius in Christo personæ significari solet; nempe 1° Christum non esse purum hominem; 2° hunc in duos filios, in duos Christos non esse dividendum; 3° duas naturas in unâ personâ esse conjunctas. Nam quod ad primum attinet, fatemur quidem serm. 7, qui est quartus adversùs Proclum, n. 23, Nestorium ita locutum esse : *Non nudus homo Christus, ô calumniator, sed homo simul et Deus.* Et serm. 12, n. 2 et seq., eumdem vehementer invehi in Paulum Samosatenum; quòd is *Dominicam humanitatem nudam à Deitate deliret, et solam, præter Divinitatem, fabuletur hanc quæ semper conjuncta est atque connexa*, etc. At hæc proferre potuit Nestorius, quin à pravo suo de duplici in Christo personâ dogmate recederet. Enimverò ad eum ab hæresi absolvendum, non satis est ea catholicæ fidei exprimendæ esse idonea, quæ in utroque textu allato protulit. Requiritur insuper ut solo sensu distinctioni duarum personarum opposito potuerint hæc ab illo proferri. Nemo quippe nescit quantâ curâ hæretici verba Scripturæ et traditionis fidem vel maximè significantia, suis erroribus subtiliter accommodare soleant, ut nempe fucum faciendo, minorem, dogmatum suorum promulgatione, horrorem concitent, faciliùs incautos fallant, novitatis difficiliùs convincantur, controversias alant et in longum ducant, Scripturasque et SS. Patres sibi esse contrarios non cogantur confiteri. Quod quidem cùm sit omnibus hæreticis commune, in Nestorio præsertim et ejus discipulis concilia et Patres observaverunt. *In his* (libris tuis) *à nobis investigatus*, inquiebat S. Cœlestinus ad eum scribens, *deprehensus et tentus es quòd multiloquio labebaris; dùm vera involvis obscuris; rursùs utraque confundens, vel confiteris negata, vel niteris negare confessa.* Vide eam relationem concilii Ephesini ad imperatorem, tom. 3 Concil. pag. 747, et præsertim synodum quintam generalem, collatione 8, in anathematibus contra Nestorianos; Concil. tom. 5, pag. 570. Hujus rei exempla plurima ex Nestorii scriptis deprompta facilè colligi possent. Quædam passim referemus.

Itaque propositiones in speciem catholicæ à Nestorio prolatæ eum ab hæresi excusare non valent, nisi saltem excludant disertè errorem duplicis in Christo personæ, de quo ille accusabatur et quem sæpiùs clarè exprimit, ut vidimus. Atqui mox allata ejus verba, non satis hunc errorem excludunt; cùm enim Nestorianismus in eo positus sit, Christum constare et personâ Dei Verbi, et personâ hominis assumpti, summo quodam et perpetuo nexu morali conjunctis, planum est illius erroris auctorem et patronum, ut catholicas voces hæresi suæ adaptaret, potuisse, non mutatâ sententiâ asserere, 1° Christum non esse purum hominem, sed esse Deum et hominem simul, id est, personam humanam personæ divinæ spiritualiter conjunctam; 2° Christi humanitatem, utpote Divinitati cujus est templum et instrumentum, morali nexu semper copulatam, *non esse nudam*, seu separatam *à Divinitate.* Atque reipsà non alius fuit in locis allatis sen-

sus Nestorii, ut patet non modò ex iis quæ hactenùs in ipsum adduximus, sed vel ex lectione sermonum è quibus ea quæ solvimus excerpta sunt.

Nota obiter Nestorium à Paulo Samosateno, quem citato serm. 12 insectatur, in multis reverà discrepâsse, etsi non in eo quod ad Incarnationem præcipuè attinet. Errabat Samosatenus circa Verbi divinitatem; aiebat Christum esse hominem purum, volebat hunc operibus suis, unionem suam cum Deo promeruisse. Nestorius contra de Trinitate orthodoxè sensit; Christum esse purum hominem nunquàm pronuntiavit, atque tandem docuit hominem qui è Mariâ natus est, vel à primo conceptu fuisse inseparabiliter unitum Verbo. At reverà sensit hunc hominem assumptum qui ex Virgine natus est, qui pro nobis passus est, personam esse à Verbo distinctam, seu Verbum non esse humanitati unitum *secundùm substantiam* κατὰ ὑπόστασιν, sed duntaxat moraliter *secundùm affectum*, κατὰ σχέσιν. Hunc errorem loco allato à se non eliminat Nestorius, quo tamen præcipua Samosateni hæresis de Incarnatione continetur.

Quod spectat alterum, nempe *indivisionem* Filii in Christo, fatemur etiam Nestorium dixisse serm. 2 : *Christus, secundùm quòd est Christus, indivisus est, et Filius, secundùm quòd est Filius, indivisus est. Non enim habemus duos Christos, vel duos Filios; neque est apud nos primus Christus et secundus... Sed idem ipse est duplex, non dignitate, sed naturâ;* et serm. 11, n. 2 : *Filiationis unitatem servamus in Deitatis humanitatisque naturâ.* Et serm. 12, n. 3 : *Unus Filius,... unus Christus, et iste qui utitur, et id quo utitur : naturæ duplices, sed Filius singularis.* Verùm et ista potuit Nestorius, et quidem duplici sensu, dicere, quin suam hæresim descereret. Prior sensus ille est quem ferè integro serm. 2 mox citato ac ipsis verbis ex eo allatis indigitat; Christus, inquit, *est duplex, non dignitate, sed naturâ.* Excludit igitur à Christo solam divisionem dignitatis. Atqui jam ostendimus hanc dignitatis indivisionem, seu unitatem, nihil aliud apud Nestorium sonare, quàm unionem moralem in ratione instrumenti, templi, imaginis, simulacri Dei Verbi consistentem; ergo indivisio Christi et filiationis quam profitetur Nestorius, in conjunctione morali duplicis personæ tota sita est; proindeque, etc. Vide citatum sermonem 2. Illum sensum Nestorianis affingit synodus V generalis, collat. 8, anathem. 4.

Alter sensus est unicum à Nestorio dici in Christo Filium, quia unicus in eo Filius est ex utero Dei ab æterno genitus, unicum Verbum, cui homo conjunctus sit, filiationis quidem et honoris factus illâ conjunctione particeps, sed tamen non alter Filius Dei unigenitus. Hic sensus clarè exprimitur in professione fidei Nestorianorum, quam Charisius presbyter synodo Ephesinæ obtulit, et cujus verba jam supra retulimus. Porrò nemo non videt duos illos sensus valdè sibi affines, et Nestorianismo planè esse consentaneos. Ergo.

Denique quantùm ad vocem *unius personæ*, non inficiabimur eam fuisse aliquoties à Nestorio adhibitam. Epist. 2 ad S. Cyrill. n. 2 : *In eo laudo*, inquit, *quòd distinctionem naturarum, secundùm divinitatis et humanitatis rationem, harumque in unâ personâ conjunctionem prædicas.* Ibid. n. 1, ait *nomen hoc*, Christus, *utramque naturam, patibilem et impatibilem, in unicâ personâ denotare.* Epist. 2 ad Cœlestin. rom. pontif. ait *utramque naturam, per conjunctionem summam et inconfusam in unâ personâ Unigeniti adorari.* Quæ certè omnia sensum maximè catholicum præ se ferunt.

Atqui tamen ejus absolutioni illa non sufficiunt, dicendumque voce *personæ* Nestorium hìc esse abusum, ut et post ipsum Nestoriani. Audiatur synodus V generalis, collat. 8, anathem. 4 : *Nestoriani*, inquit, *Deum Verbum Filium et Christum vocantes, et hominem separatim Christum et Filium nominantes, et duas personas evidenter dicentes, per solam nominationem et honorem, et dignitatem, et adorationem, unam personam, unum Filium, et unum Christum confingunt dicere. Sed non confitentur unitatem Dei Verbi ad carnem animatam animâ rationabili et intellectuali, secundùm compositionem, sive secundùm subsistentiam* (κατὰ ὑπόστασιν) *factam esse, sicut SS. Patres docuerunt.* Et anathem. 5 : *Si quis unam subsistentiam Domini nostri Jesu Christi sic intelligit, tanquàm suscipientem plurimarum subsistentiarum significationem, et per hoc introducere conatur in mysterio Christi duas subsistentias, seu duas personas, et duarum personarum quas introducit, unam personam dicit secundùm dignitatem, et honorem, et adorationem, sicut Theodorus et Nestorius insanientes conscripserunt... sed non confitetur Dei Verbum carni secundùm subsistentiam* (κατὰ ὑπόστασιν) *unitum esse, et propter hoc unam ejus subsistentiam seu unam personam,... talis anathema sit.* Eò igitur, teste sacrâ synodo, devenerunt Nestorius et Nestoriani, ut voces quaslibet dogmati catholico exprimendo natas recipere quandoque viderentur, retento nihiloseciùs perverso suo de duabus in Christo personis dogmate, rejectâque duplicis naturæ unitione secundùm hypostasim. Quod quidem quàm verè à S. synodo traditum sit, facile est evincere. Nam 1°, ut jam ostendimus, et ex dicendis adhuc magis innotescet, etsi nomen duarum in Christo personarum non adhibuerit, rem tamen ipsam evidenter docuit Nestorius, easdemque personas propter unionem moralem hominis assumpti cum Verbo divino, voluit esse unius dignitatis, operationis, honoris et adorationis. Ergo cùm simul duarum naturarum in unâ personâ conjunctionem exprimit, explicandus est de unitate dignitatis, operationis, honoris et adorationis, non de unitate κατὰ ὑπόστασιν. 2° Eò libentiùs illa interpretatio admittenda, quòd vox *personæ* duplicem intellectum habeat, alium proprium et physicum, juxta quem est natura rationalis ultimò completa; alterum moralem et à legisperitis usurpatum, apud quos unam personam ii dicuntur constituere, qui etsi personæ sint physicè diversæ, communibus tamen juribus et separatim non exercendis potiuntur. Sic, v. g., vir et mulier dicuntur una persona, ut et *una caro* propter vinculum matrimonii. Cùm igi-

tur senserit Nestorius conjunctionem moralem, quæ hominem assumptum inter et Verbum intercedit inseparabilem esse, et eâ effici ut homo assumptus instrumentum sit, imago, templum et indumentum Verbi, sicque propter unam Verbi dignitatem, cujus est particeps, honoretur et adoretur; cùmque ad hujusce unionis naturam explicandam Theodorus Mopsuestenus ejus magister ipso unionis conjugum exemplo usus fuerit; nonne apertissimum est meritò quintam synodum censuisse quòd Nestorius et ejus discipuli *duas personas evidenter dixerunt*, et *per solam nominationem et honorem, et dignitatem, et adorationem, unam personam... confinxerunt dicere;* nunquàm confessi *unitatem secundùm subsistentiam?* 3° In ipsis epistolis ex quibus excerpuntur loca objecta, manifestè exprimit Nestorius dogma suum de duabus in Christo personis ratione honoris, dignitatis et cultûs solùm conjunctis. Habentur illæ tom. 3 Concil., col. 321, et seq., et col. 351, et apud Marium Mercat. edit. Garnerii, part. 2, pag. 57, et part. 1, pag. 69.

Tertium argumentum ex eo colligitur, quòd Nestorius illam obfirmatè negaverit nominum attributorum quæ utriusque naturæ communionem, quæ nonnisi negatâ unitate personæ rejici potest. Nimirùm, si humana natura Verbo divino unita sit in personæ unitatem, sequitur Christum esse ipsummet Verbum tum naturam divinam, tum naturam humanam habens; si autem Christus sit Deus Verbum naturam humanam sibi personaliter unitam habens, manifestissimum est in Christo Deum esse hominem, et hominem esse Deum, id est, personam quæ habet naturam divinam, esse personam quæ habet èt naturam humanam, et vicè versâ; ac proinde, cùm actiones sint personarum seu personis tribuantur, posse prædicari in concreto, ut aiunt, de Deo Verbo, quæcumque ipsi secundùm carnem contigerunt, nempè quòd natum sit, passum, mortuum; et vicissim de homine, seu de personâ Verbi habente humanitatem, posse prædicari quæ Dei sunt. Hæc est communicatio idiomatum, quæ aliquando magis explicabitur. Ejusmodi porrò consectarium mysterio unitatis personæ in Christo adeò connexum, et Patrum traditione constantissimè stabilitum, sæpiùs rejecit Nestorius.

Serm. 1, jam non semel citato, Mariam non esse Dei Matrem, etsi Christum pepererit, sic probare nititur, n. 7: *Non peperit creatura eum, qui est increabilis; non recentem de Virgine Deum Verbum genuit Pater:* IN PRINCIPIO ENIM ERAT VERBUM, *sicut Joannes ait; non peperit creatura Creatorem, sed peperit hominem Deitatis instrumentum.* Et rursùs, n. 8: *Incarnatus est quidem Deus, sed non est mortuus; sed illum, in quo incarnatus est, suscitavit.* Quatuor ibi negat Nestorius, quæ in communicatione idiomatum præcipuè attenduntur, nempe Deum Verbum dici posse natum, mortuum, et semetipsum suscitâsse, et pariter hominem qui ex Mariâ natus est, seu personam quæ ex eâ carnem sumpsit, esse Deum Verbum, esse creatorem, esse eum qui increabilis est.

Innumera alia afferri possent loca, in quibus similia repetit. Lege sermones ejus 2, 3, 4, 7, etc. Illud præsertim celebre est quod coram pluribus episcopis triduo ante concilium Ephesi protulit: *Ego bimestrem et trimestrem Deum non dico.* Tom. 3 Concil., col. 506, 562, 571.

Quartum argumentum est, Nestorium negâsse aliud unitatis personæ in Christo consectarium, nempe B. Virginem esse Θεοτόκον, seu Deiparam. Scilicet, si unica persona sit in Christo, nempe persona Verbi, manifestissimum est matrem Christi esse matrem Dei secundùm carnem. Atqui Nestorius, ipsis fatentibus adversariis, negavit B. Virginem esse matrem Dei; ergo, etc.

Neque 1° id ipsi incautè excidisse dicendum est. Nam contra, in unâ ejusmodi veritatis repudiatione perversum suum dogma integrum conclusisse visus fuit. Hinc à vocis *Deipara* condemnatione voluit hæresim suam diffundi incipere; cùm nempe Anastasius presbyter, quem Antiochiâ secum Constantinopolim adduxerat, et cujus consiliis solebat regi, palàm in Ecclesiâ, eo præsente, nec improbante, populum universum harumce vocum impietate commovit: *Mariam Deiparam nemo appellet*, etc. Rem narrant Socrates, Evagrius, Theophanes, Liberatus. Hinc in omnibus sermonibus, quos postea ad populum frequenter habuit, totus est ut probet Mariam non esse matrem Dei. Serm. 1, n. 5, sic loquitur: *Audiant hæc, qui in dispensatione Dominicæ innovationis cæcati non intelligunt, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant; qui sicut modò cognovimus, à nobis invicem frequenter sciscitantur an* Θεοτόκος *dicenda sit, id est, puerpera Dei sive genitrix Dei Maria, an autem* ἀνθρωποτόκος, *id est, hominis genitrix. Habet matrem Deus? Ergo excusabilis gentilitas matres diis subintroducens.... Non, vir optime, Maria peperit Deum. Quod enim de carne natum est, caro est; et quod de spiritu, spiritus est. Non peperit creatura eum qui est increabilis*, etc. Serm. 7, n. 48· Θεοδόχον (*Dei susceptricem*) dico, non Θεοτόκον, δ litteram, non κ exprimi volens. Unus est enim... Pater Deus Θεοτόκος. Et epist. 2 ad S. Cyrillum, n. 11: *Convenientius ac aptius est*, inquit, *S. Virginem non genitricem Dei, id est,* Θεοτόκον, *sed Christi genitricem, id est,* Χριστοτόκον *vocari.* Vide etiam sermones 2, 3, 4, etc. Hinc vocis *Deiparæ* usum aliquando etiam abominatus est Nestorius, ut colligere est ex anathemate quod de ejus, ut creditur, consensu, Dorotheus episcopus Marcianopolitanus coram populo in Ecclesiâ protulit: *Si quis Mariam Deiparam ipse dixerit anathema sit;* ad quam vocem exhorruêre universi, et ab Ecclesiâ exierunt, ne cum impio communicarent: siluit verò Nestorius, nec oratorem coluibuit, imò eum ad sacra mysteria admisit. Vide S. Cyrill. epist. 6 et 9 edit. Paris. 1638, pag. 30 et 37. Hinc, ut Mariam non esse Dei matrem persuaderet, tot ratiónes undequàque accumulavit, quas numero decem fuisse observat Garnerius dissert. 1 de Hæresi Nestorii, cap. 2, § 3, ad calcem 2 partis Marii Mercat. pag. 292. Ergo consultò et datâ operâ negavit Nestorius Mariam esse matrem Dei.

Non dicas 2° ab eo repudiatam quidem vocèm *Dei-*

paræ, sed propter abusus quos timebat, et solo Arii et Apollinaris sensu. Namque non solùm vocem, sed etiam ejus sensum legitimum et catholicum ab eo rejectum fuisse, constat 1° quia in serm. suo 1, ac aliis in locis, absolutè pronuntiat Mariam non esse matrem Dei, eòque devenit ut orc Dorothei anathema in eos contorqueret qui dicerent Mariam esse Dei matrem. Num ita loquerentur illi è Reformatis qui solùm illius vocis abusum timent? Imò pleno ore ii fatentur Mariam esse *Deiparam;* sed illâ voce nonnisi cautè utendum, vel etiam omninò eâ abstinendum judicant, ne imperitis detur occasio arbitrandi Mariam esse deam, et infidelibus calumniandi religionem christianam. Quâ de re dicemus infra. Ultra has metas Nestorius progreditur, Mariam verè esse Dei matrem prorsùs negans; ergo. Constat 2° ex loco jam supra citato è serm. 5, n. 5 et 6 : *Beata Virgo, etsi peperit hominem, simul cum illo pertranseunte Dei Verbo, non ideò est Dei genitrix... Beatus Joannes Baptista Spiritum sanctum habens editus est. Quid igitur? Appellabisne ipsam Elizabeth Spiritûs genitricem* Πνευματοτόκον. Hìc certè Nestorius significat non magis B. Virginem ob Christi partum esse matrem Dei Verbi, quàm ob partum Joannis Spiritum sanctum habentis, Elizabeth dici potest mater Spiritûs sancti; proindeque, etc. Constat 3° ex pluribus argumentis quibus illius vocis usum impugnat. Nam etsi aliqua ex iis argumentis solum abusum vocis *Deiparæ*, aut solum Arii et Apollinaris in eâ voce adhibendâ sensum hæreticum excludant, cujusmodi est, v. g., istud serm. 4, n. 6 : *Habet matrem Deus? ergo excusabilis gentilitas matres diis subintroducens;* et illud, quod aliàs inculcat, Divinitatem non esse natam; attamen alia urget sæpissimè, quibus sensus ejusdem vocis catholicus repudiatur. V. g., serm. 1 ideò maximè probat Mariam non esse genitricem Dei, quia 1° homo quem illa genuit, est tantùm *Deitatis instrumentum, templum*, etc., id est, quia morali solùm unione conjunctus est cum Deo Verbo. 2° Quia utriusque naturæ proprietatum et attributorum communio nulla admittenda est. 3° Quia ille qui genitus est in utero Virginis alius est à Deo Verbo. Hæ porrò rationes, et aliæ similes quæ passim à Nestorio proferuntur, sensum *Deiparæ* catholicum prorsùs excludunt. Itaque id circa vocem *Deiparæ* contigit Nestorio, quod cæteris novatoribus in quàcumque aliâ materiâ. Sensus hæreticos, errori suo extremè oppositos, adversariis suis attribuit ille, ut eis invidiam pareret, et Catholicorum odium ipse declinaret. Eosdem sensus, ut orthodoxus videretur, studiosè rejecit. At ibi non constitit, sed doctrinam catholicam simul conatus est aliâ ex parte impetere, pravosque suos ingessit sensus.

Non dicas 3° Nestorium tandem pluribus in locis, nempe serm. 5, n. 2 et 4, serm. 12, n. 7, serm. 13, n. 7, et epist. 2 ad Cœlestin. consensisse ut Maria Deipara appellaretur, modò Apollinaris et Arii excluderetur sensus. *Damna*, inquiebat, serm. 12, n. 7, *eos qui dicunt secundùm Apollinaris et Arii sensum, Dei genitricem; et ego unà tecum clamo* Θεοτόκον. Nam etsi ita locutus fuerit Nestorius, attamen simul cum hæreticâ Apollinariis et Arii sententiâ repudiavit et doctrinam catholicam, nec nisi eo sensu Mariam posse appellari *Deiparam* fassus est, quo hominem ex eâ natum appellavit Deum, ut vidimus; nempe propter moralem ejus cum Deo Verbo unionem, et dona quæ ab ipso percepit. Nimirùm triplici modo vox, *Deipara*, fuit intellecta. Primus est Arianorum et Apollinaristarum, juxta quos Maria ipsam Verbi divinitatem genuerat. Secundus Catholicorum, qui dicunt personam Verbi, quæ Deus est, secundùm carnem quam sibi hypostaticè univit fuisse à Mariâ genitam. Tertius est Nestorii, quem contendimus docuisse Mariam posse utcumque appellari Deiparam, quòd fuerit mater hominis illius qui summo quodam nexu morali cum Deo conjunctus est, et ideò est consors appellationis et dignitatis Dei. Tertium autem hunc sensum fuisse Nestorii; patet non modò quia illum exigunt quæ de duplici personâ, et de unione morali semper tenuit, ut dictum est, sed etiam quia ejusmodi sensum manifestè indicat illis ipsis in sermonibus et epistolâ quæ opponuntur. Serm. 12, sedulò inculcat B. Virginem non nudè saltem vocandam esse *Dei genitricem* Θεοτόκον, sed addendum nomen ἀνθρωποτόκον, id est, *genitricis hominis*. Similia habet in epist. 2 ad Cœlestin. et in utroque loco significat non nisi ægrè à se permitti usum Θεοτόκου et sibi multò magis probari Virginem Χριστοτόκον nuncupari. Eodem serm. 12, n. 10, rationem reddens cur possit Maria vocari *Deipara*, solam affert unionem moralem. *Genitrix Dei est*, inquit, *non propter nudam humanitate divinitatem, sed propter unitum templo Deum Verbum; hominis verò genitrix, id est,* ἀνθρωποτόκος *propter templum quod consubstantiale est naturaliter Virgini sanctæ*. Catholicus dixisset Mariam esse *Deiparam*, quia natura humana quæ ex eâ sumpta est, unitur Verbo secundùm hypostasim. Non ita loquitur Nestorius, sed ad solitam templi metaphoram recurrit, quâ unionem moralem ab eo exprimi solere jam diximus. Simillima leguntur serm. 13. Ex serm. 5 plura jam attulimus, quibus indubitatum fit, catholicum vocis *Deiparæ* sensum in eo sermone admissum non fuisse; ergo, etc. Hinc synodus V generalis, collat. 8, anathem. 6, adversùs Nestorianos ita statuit : *Si quis abusivè et non verè Dei genitricem dicit gloriosam semper Virginem Mariam... anathema sit.*

Probatur 2° conclusio ex agendi ratione Nestorii. Quædam tantùm facta annotabo. 1° Testes sunt S. Cyrillus, lib. 1, adversùs Nestorium cap. 5, et Marius Mercator, *cùm Nestorius in mediâ Ecclesiâ profanis uteretur vocum novitatibus* (quibus et Θεοτόκον et geminam Christi navitatem insectabatur), *virum quemdam sanè probum, qui adhuc inter laicos erat, sed tamen admirabilem sibi collegerat eruditionem, ferventi et religioso zelo permotum, et contentiori voce inclamâsse :* IPSUM ANTE SECULA VERBUM, ETIAM SECUNDAM SUBIISSE GENERATIONEM, *id est, illam secundùm carnem et ex muliere*. Manifestum est hâc voce plenissimè expressum fuisse catholicum dogma de unâ Christi personâ duplicique naturâ, et de temporaneâ Verbi secundùm carnem nativitate. Illud tamen dictum tanquàm *ab in*

felici homine flagitiosè prolatum rejecit Nestorius, et refellere aggressus est.

2° Jam diximus 5. Cyrillum initio disputationum, et antequàm ad S. Cœlestinum utrinque scriberetur, duas ad Nestorium dedisse epistolas, in quarum secundâ, omnibus fatentibus, dogma catholicum de naturâ duplici, et unicâ in Christo personâ accuratissimè et clarissimè proponebat ac explicabat. Quid tum Nestorius? Misit responsum acerbitatis plenum, in quo dogma suum iterùm propugnabat, et S. Cyrilli doctrinam consultò deformabat, ut omnium invidiam in eum concitaret. Habentur hæ S. Cyrilli litteræ et Nestorii responsum 3 concil. Labb., col. 313 et seqq., et apud Marium Mercat. Garnerii, part. 2, p. 42 et seqq.

3° Joannes Antiochenus, Nestorio, ut jam diximus, conjunctissimus, eximiam quoque epistolam ad ipsum misit antequàm Ephesi concilium haberetur. In eâ doctrinam Ecclesiæ perspicuè declarabat, sensum catholicum vocis *Deiparæ* exponebat, ac errore facti, ut aliquando ostendemus, ponens Nestorium orthodoxæ fidei addictum esse, et de solâ *Deiparæ* voce disputare, hunc ad eam juxta traditionem Patrum usurpandam hortatur. Refertur hæc epistola tom. 3 Concil., col. 387 et seqq. Certè si Nestorius solâ terminorum ignorantiâ laborâsset, nec mentem gessisset hæreticam, veritati sibi tam dilucidè ab amico expositæ adhæsisset. Non habemus porrò quid Nestorius Joanni responderit; sed eum in priori suâ sententiâ perstitisse, ex iis quæ ipse Ephesi et postea in monasterio suo egit certissimum est.

4° Acacius Melitenensis, vir doctrinâ et pietate celeberrimus, et Nestorio amicus, cùm eo Ephesi ante cœptam synodum collationes de dogmate habuit, in quibus illum à pravis suis opinionibus frustra conatus est revocare. Quâdam die inprimis, quæ videtur fuisse 19 junii, Nestorius adversùs Acacium dixit non potuisse Filium unigenitum fieri hominem, quin incarnarentur simul Pater et Spiritus sanctus. Tum *episcopus quidam qui cum ipso* (Nestorio) *erat, sermonem excipiens, alium asserebat Filium esse qui mortem subierat, et alium item Dei Verbum... Aderat et alius quidam ipsi qui Judæis patrocinatus, eos non in Deum, sed in hominem impios extitisse affirmabat.* Eâdem die cum Theodoto Ancyrano et aliis episcopis, Christum quem Virgo peperit, Deum esse affirmantibus, colloquens Nestorius hanc impiam vocem emisit: *Ego bimestrem et trimestrem Deum non dico*, aliasque protulit impietates, quibus Christi divinitas et Incarnationis mysterium è medio prorsùs tollebantur. Referuntur hæc in concilio Ephesino actione 1, et apud Socratem, lib. 7, Hist., cap. 34; Liberatum, in Breviario, cap. 5; Theophanem, etc.

Prob. 3° ex uniformi veterum Patrum et historicorum testimonio, et Ecclesiæ ipsius judicio. Sic enim argumentari possumus: Ille de Deo incarnato et Virgine Deiparâ perversè sensit, unamque tantùm esse in Christo hypostasim noluit agnoscere, quem ob negata ejusmodi dogmata veteres Ecclesiæ Patres et historici hæreticum fuisse tradunt, atque ut hæreticum universa Ecclesia condemnavit; atqui de Nestorio sic se res habet. Nempe ob negatam unionem hypostaticam Verbi cum naturâ humanâ, et consequenter rejectum legitimum vocis *Deiparæ* sensum, damnatus est Nestorius in synodo Romanâ an. 430, in synodo Alexandrinâ totius Ægypti eodem anno, in synodo Ephesinâ generali III, an. 431, in concilio Chalced. œcumenico IV, an. 451, et in Constantinop. II, generali V, ut omnibus notum est. Pariter eosdem errores ipsi adscribunt S. Cœlestinus rom. pontif. in resp. ad Nestorium, parte 1; conc. Ephes. cap. 18, p. 353 et seq., tom. 3 Concil.; S. Leo Magnus epist. 134, aliàs 97; S. Cyrillus Alexandrinus multis in locis; Cassianus in libris de Incarnatione; quos adversùs eum conscripsit; Vincentius Lirinensis in Commonit. 1, cap. 17; Marius Mercator, auctor coætaneus, à quo habemus plures Nestorii sermones et fragmenta; Evagrius, lib. 1 et 6 Hist. cap. 2; Liberatus Breviarii cap. 4; Facundus Hermianensis, lib. 1 et 6, etc. Quorum, ut et aliorum multorum testimonia, fusè collegit Natalis Alexander dissert. 6 in Hist. seculi V.

Adde episcopos illustres, qui, cum eo amicitiâ conjuncti, diù ipsi faverant, rati ejus fidem esse integram, tandem errores ejus agnovisse, ac illius condemnationi subscripsisse. Ita Joannes Antiochenus, qui cùm obstinatam hominis mentem variis colloquiis explorâsset, imperatori ipse auctor fuit ut illum juberet è monasterio prope Antiochiam educi et in exilium pelli. Ita Theodoretus, qui non modò in concilio Chalcedonensi ipsi palàm dixit anathema, sed et in lib. 4 hæreticarum Fabul. cap. 12, hæresim de quâ agimus, Nestorio adscribit, ejusque blasphemias recenset.

Solvuntur objectiones. — Quæ ex scriptis Nestorii objici possent, jam præoccupata sunt. Pauca supersunt diluenda. Obj. 1°: Joannes Antioch. in epist. ad Nestorium ante synodum Ephesinam scriptâ cui Theodoretus, Macarius Laodicenus, Meletius aliique episcopi subscripserant, et extat part. 1 concilii Ephes. cap. 25, p. 387 et seqq.; Acacius Berœensis in epist. ad S. Cyrill. quæ ibid. legitur cap. 23, p. 381; et Theodoretus in epistolis ad Andream Samosatenum, et Alexandrum Hieropolitanum, post pacem cum S. Cyrillo à Joanne initam exaratis, Nestorium ab omni errore vindicant. Atqui tamen ipsos latere non potuit Nestorii sententia; ergo, etc. — Nego min. Illi episcopi, cùm in Nestorii personam plus æquo essent propensi, ambiguis ejus locutionibus decepti sunt: idque eò faciliùs ipsis contigit, quòd dogma duarum in Christo naturarum in anathematismis contra Nestorium à S. Cyrillo editis læsum esse putarent. Notandum tamen est Joannem in præclarâ ad Nestorium epistolâ mox citatâ nonnisi subdubitanter esse locutum, illudque in eo improbâsse quòd nomen *Deiparæ* dogmati exprimendo aptissimum rejiceret. *Si enim*, inquit n. 3, *mens tua eadem sapit et sentit, quæ SS. Patres Ecclesiæque doctores sentiunt et sapiunt*, (nam hoc, domine mi, et ex multis, et ex communibus amicis de te accepimus) *quorsùm vereris pium sensum convenienti voce*

publicare? et n. 4 : *Si id quod nominis* (Θεοτόκος) *significatione offertur, non recipimus, restat ut in gravissimum errorem protabamur; imò verò ut inexplicabilem illam unigeniti Filii Dei œconomiam abnegemus; quandoquidem nomine hoc sublato, vel hujus potiùs nominis notione repudiatâ, sequitur mox illum non esse Deum, qui admirabilem illam dispensationem nostræ salutis causâ suscepit; tum Dei Verbum neque se exinanivisse*, etc. Cæterùm Joannes et Acacius, rebus propiùs inspectis, Nestorii condemnationi postea consenserunt; quod idem, etsi seriùs, Theodoretus quoque præstitit, ut modò dictum est.

Obj. 2° : Socrates, coætaneus scriptor, lib. 7 Hist. cap. 32 : *Ego*, inquit, *cùm libros à Nestorio editos legissem, hominem imperitum esse deprehendi... Mihi quidem videtur Nestorius nec Paulum Samosatensem, nec Photinum imitatus; neque omninò nudum hominem Christum dicere. Sed solam Deiparæ vocem, velut larvam quamdam reformidat. Idque illi ex gravissimâ contigit imperitiâ.... Arrogantiâ enim elatus ob dicendi facultatem, non satis accuratè vetustioribus legendis operam dabat... Apparet igitur Nestorium scripta veterum penitùs ignorâsse; et ob eam causam, ut jam dixi, solam* Deiparæ vocem impugnat. — Nego conseq. quia Socratis auctoritas levioris est ponderis, præsertim ubi de ejusmodi rebus theologicis agitur. Historicus enim qui de foro scholasticus et de aulâ scriptor extitit, facilè potuit artificiosâ Nestorii errores suos vulgandi ratione decipi, eum arbitrari catholicum, quem in hæreticos invehentem videret, nec satis perspicere in quo cum Paulo Samosateno et Photino consentiret, quos noverat ab eo serm. 4 et 12 confutari, et à quibus reipsâ in pluribus, ut diximus, Nestorius discrepabat. His igitur de causis maluit Nestorium imperitum et in vocibus lapsum exhibere, quàm hominem hæreticum judicare.

Obj. 3° : Non alia fuit Nestorii doctrina, ac Diodori Tarsensis et Theodori Mopsuestení, quos fuisse hæresis Nestorianæ præformatores non semel testatur S. Cyrillus. Atqui Theodorum Mopsuestenum, ejusque inprimis magistrum Diodorum Tarsensem, orthodoxam Ecclesiæ fidem tenuisse probat Facundus Hermianensis, lib. 3 et 4; ergo, etc. — Nego min. Frustra conatus est Facundus Hermianensis Theodorum, cujus scripta synodus V generalis damnavit, et Diodorum ejus magistrum à Nestorianismo purgare. Sanctorum quidem Athanasii, Basilii et Epiphanii amicitiâ usus est Diodorus, ob integram suam de Trinitate fidem, quam strenuè adversùs Arianos propugnavit. Quapropter à magno Meletio patriarchâ Antiocheno creatus est episcopus Tarsensis. At ii sancti Patres extirpandæ hæresi Arianæ toti incumbentes, Diodori ecclesiasticæ unitatis studiosissimi viri dogmata de Incarnatione non expenderunt; ergo.

Obj. 4° : Ex fide discipulorum Nestorii, qui etiamnum in Oriente numerosissimi existunt, de eorum magistri mente primorumque illius sectatorum doctrinâ judicandum est. Atqui recentiores Nestoriani circa Incarnationis fidem perèe verba tantùm à Catholicis differunt, ut patet ex eorum fidei professione an. 1610 Romæ editâ, cui concordant aliæ antiquiores, annorum videlicet 1247, 1445, 1550 et 1562; ergo. Ita juxta quosdam Richardus Simon in lib. cui titulus : *Hist. crit. de la créance et des coutumes des nations du Levant*, quem sub ementito nomine D. Moni, an. 1693, Francofurti (Rothomagi) edidit. — 1° Nego maj. Namque variis de causis fieri potuit ut Nestoriani decursu temporis dogma magistri sui sensim emollirent ac immutarent. Scilicet auctoritate SS. Patrum, quorum scripta legebant, potuerunt commoveri; frequens ipsis fuit cum Latinis consortium; eos sæpiùs adierunt viri apostolici qui illos instruerent : fœdera identidem cum Ecclesiâ romanâ ab iis redintegrata sunt, in quibus eorum professiones fidei ad normam Ecclesiæ romanæ fuerunt exactæ, hæc omnia totidem suppeditant rationes, quibus id efficitur, ex hodiernorum Nestorianorum fide certum de Nestorio et primis ejus discipulis judicium ferri non posse. 2° Minor propositio non omninò certa est. Siquidem ex ipsâ professione fidei, quam nomine Eliæ Nestorianorum seu Chaldæorum patriarchæ Babylonici Paulo V summo pontifici anno 1610 obtulit abbas Adamus primariæ Chaldæorum Ecclesiæ archidiaconus et Nestorianorum monachorum præpositus generalis, quem fœderis cum Ecclesiâ romanâ renovandi causâ Elias miserat, atque etiam ex annexo eidem fidei professioni commentario, quem Adamus conscripserat ut ostenderet Ecclesiam suam à romanâ circa Incarnationem nonnisi verbo tenùs dissentire; ex iis, inquam, scriptis apparet Orientales illos solitos esse uti vocibus exprimendo dogmati catholico minùs idoneis, et olim à Nestorio sensu perverso adhibitis. Iis quidem loquendi modis contendit Adamus sensum eumdem à suis alligari, quem Ecclesia romana recipit, constatque eum fuisse testem idoneum et eximiæ sinceritatis. Sed tamen semper superest non levis causa metuendi, ne fortè, concordiæ promovendæ studio, suorum doctrinam benigniùs sit interpretatus; vixque sub verbis tam diversis integra potest esse in fide conformitas. Quapropter Paulus V voluit ab Adamo emitti professionem fidei iis terminis conceptam, quibus dogma catholicum à conciliis expositum est; quod ille nomine sui patriarchæ et Ecclesiæ chaldaicæ libenter præstitit. Rem narrat Petrus Strozza, Paulo V à secretis, in lib. De dogmat. Chaldæorum, an. 1617 Romæ edito. Vide insuper Raynaldum in Annalibus. Ad probationem ex citatis Nestorianorum recentiorum fidei formulis deductam, eæ formulæ exactæ sunt ad fidem et loquendi modum Ecclesiæ romanæ; ac proinde ex iis id unum concluditur, quotquot apud Syros seu Chaldæos has, ut sonant, recipiunt, illos à Nestorianismo certo certiùs recessisse.

Cæterùm, objectio proposita malè Richardo Simoni attribuitur. Is quidem loco jam superiùs laudato Nestorianorum hodiernorum hæresim ait esse imaginariam, et in meris vocum æquivocationibus positam, in quo veremur ne erraverit. Addit audaciùs ibidem, fortè Nestorium et S. Cyrillum solis vocibus certâsse,

quod rationibus quibusdam jam à nobis in antecessum refutatis stabilit. Doctrinam verò Nestorianorum hodiernorum esse sinceræ Nestorii fidei indicium nullo modo sustinet.

§ 2. *De æquitate condemnationis Nestorii; ubi falsæ criminationes in sacram synodum Ephesinam et S. Cyrillum à quibusdam hæreticis structæ, diluuntur.*

Jam observavimus recentiores illos, qui Nestorium ab eâ hæresi propter quam damnatus est, eximunt, de latâ adversùs eum à concilio Ephesino sententiâ conqueri; intemperatioris studii et violentiæ S. Cyrillum accusare; eòque furoris perditos quosdam processisse, ut erroris Nestorianismo extremè oppositi, negatæ scilicet distinctionis naturarum in Christo, non modò S. præsulem, sed et sacram synodum œcumenicam insimularent. Contra quos

Conclusio I. Erroris Nestorianismo oppositi seu negatæ duplicis naturæ Christi stolidè accusatur concilium Ephesinum. Eadem accusatio in S. Cyrillum malè etiam contexitur.

Prob. prima pars, nempe de negatâ duplici naturâ Christi stolidè argui sacram synodum. Nam 1° in epist. 2 S. Cyrilli ad Nestorium, quam singuli Patres suffragiis particularibus ut genuinam fidei Nicænæ expositionem approbârunt, quæque iis definitionis fidei in Nestorium loco extitit; in hâc, inquam, epistolâ, dogma duarum in Christo naturarum distinctarum, perinde ac unitas personæ tam disertè explicantur, ut nihil clarius desiderari possit. Magnam hujusce epistolæ partem exscribere non dubitabimus, ut hominum adversùs sacram synodum blaterantium temeritas manifestissimè innotescat. Sic itaque in eâ legitur: « Neque enim dicimus Verbi naturam per suî « mutationem carnem esse factam, sed neque in to- « tum hominem transformatam ex animâ et corpore « constitutum. Asserimus autem Verbum, unitâ sibi « secundùm hypostasim carne animatâ rationali ani- « mâ, inexplicabili incomprehensibilique modo homi- « nem factum, et hominis filium extitisse... Et quam- « vis NATURÆ SINT DIVERSÆ verâ tamen unione coeuntes « unum nobis Christum et Filium effecerunt; NON QUOD « NATURARUM DIFFERENTIA PROPTER UNIONEM SUBLATA « SIT, verùm quòd divinitas et humanitas secretâ « quâdam ineffabilique conjunctione in unâ personâ « unum nobis Jesum Christum et Filium constituerint. « Ad hunc modum, qui ante omne seculum existit, et « ex Patre genitus fuit, secundùm carnem ex muliere « natus dicitur; NON QUOD DIVINA ILLIUS NATURA exis- « tentiæ suæ initium in sacrâ Virgine sumpserit, aut « quòd post primam ex Patre, alterâ propter scipsam « generatione necessariò indiguerit,... sed quia propter « nos et propter nostram salutem, HUMANA NATURA se- « cundùm hypostasim sibi unitâ, ex muliere natus est, « hinc est quòd secundùm carnem natus prædicatur..; ad « eumdem modum illud passum et resuscitatum dici- « mus: non quòd Dei Verbum aut plagas, aut clavo- « rum perforationes, aut alia id genus vulnera in PRO- « PRIAM NATURAM acceperit (nam ut divinum numen « corporis expers est, ita perpeti quoque nihil potest); « sed quia corpus quod sibi adsciverat, hæc fuit ex- « pertum, eam ob rem ipsum nostrâ causâ illa per- « pessum asserit. IMPATIBILE ENIM VERBUM IN COR- « PORE PASSIBILI exsitebat. Idem et de ejusdem quoque « morte sentimus, siquidem Dei Verbum SUAPTE NA- « TURA immortale et à corruptione alienum, et vita « rursùm et vivificans est. Verùm quia suum ipsius « corpus gratuito Dei munere mortem, attestante « Paulo, omnium causâ degustavit, fit ut ipsum mor- « tem propter nos perpessum dicatur: non quòd qui- « dem ad propriam naturam attinet, mortem excepe- « rit,..... sed quia caro illius mortem, ut modò « aiebam, degustavit. Pari modo, quia caro illius re- « surrexerit, ipsi resurrectio tribuitur... SUUM ERGO « FECIT NOSTRUM CORPUS, prodiitque homo ex muliere, « DEITATE interim aut ex Patre nativitate NON ABJECTA; « MANSIT ENIM IN IPSA QUOQUE CARNIS ASSUMPTIONE QUOD « ERAT... Ita non dubitârunt (SS. Patres) sacram Vir- « ginem Deiparam appellare: NON QUOD VERBI NATURA, « IPSIUSVE DIVINITAS ortûs sui principium ex sanctâ « Virgine sumpserit, SED QUOD SACRUM ILLUD CORPUS « ANIMA INTELLIGENTE PERFECTUM EX EA TRAXERIT, cui « et Dei Verbum secundùm hypostasim unitum, secun- « dùm carnem natum dicitur. » Hactenùs fidei expositio Cyrilli ad Nestorium, quam solemniter et summâ cum laude singuli Patres Ephesini exceperunt. Dicant sacræ synodi osores quid ad plenam et apertam duarum in Christo distinctarum naturarum confessionem expressius proferri potuerit? Ergo inductæ duarum in Christo naturarum confusionis crimen in sacram synodum stolidè moliuntur.

2° Ejusdem accusationis stoliditas ampliùs patebit, si argumenti, quo ea nititur, spectetur infirmitas. Nempe idcircò volunt Patres Ephesinos Eutychi duas Christi in unam confundenti prælusisse, quia tertiam S. Cyrilli ad Nestorium epistolam celebres S. doctoris anathematismos continentem, actione 1, approbaverint. Atqui hâc ratione nihil infirmius. Fateor quidem hâc in epistolâ tertiâ S. Cyrillum de Nestorianis erroribus, profanisque vocum novitatibus excludendis et anathemate percutiendis magis esse sollicitum, quàm de dogmate duplicis naturæ exprimendo et inculcando. Scilicet de duplici naturâ Christi nulla erat controversia, jamjamque dogma catholicum eâ de re, laudatâ epistolâ secundâ, ad tollendas ambiguitates satis superque fuerat Nestorio expositum; necesse verò erat ut unius personæ fidem Nestorius juxta sententiam Cœlestini apertè confiteretur, utque eas locutiones ambiguas, quibus errorem suum obvolvere solebat, manifestè rejiceret. Fateor insuper mirum non esse, quòd, cùm controversia primùm agitaretur, hanc epistolam, etsi orthodoxæ fidei non adversam, in sensum perversum nonnulli interpretati sint episcopi aliàs docti, sed studio partium abrepti, et in Nestorii personam propensi.

At verò 1°, quamvis tertia hæc S. Cyrilli epistola in mediâ synodo Ephesinâ lecta fuerit, nec à Patribus reprobata; imò etiamsi modus quo ea à Nestorio re-

cepta fuerat, Patribus visus sit novum ejus obstinationis argumentum; attamen ex actis concilii manifestum est eam solemniter et, ut aiunt, *conciliariter*, approbatam non fuisse (1). Quapropter S. Cyrilli anathematismi summam, quam in Ecclesiâ obtinent, auctoritatem, nonnisi longo post tempore consecuti sunt. 2° Vix concipitur, quomodò, controversiæ æstu jamdudùm sopito, et eliquatâ quæstione, reperiri possint qui epistolam, quâ de agimus, non modò alicujus obscuritatis, sed et Eutychianismi protervè redarguant. Nam, etsi non ex professo et datâ operâ S. Cyrillus in hâc epistolâ fidem duplicis in Christo naturæ inculcare satagat, hanc tamen satis designat non uno in loco. Docet enim, n. 5, Verbum ut *naturâ Deum et ex paternâ substantiâ genitum*, nemini esse subjectum; quamvis ut homo, *secundùm legem humanæ naturæ congruentem Deo subjectum sit. Ad hunc quoque modum, subdit, sub lege factus est*, quatenùs est homo; *etiamsi ut Deus legem ipse tulerit ac promulgârit.* Et n. 6: *Confitentur*, inquit, *ipsum Unigenitum Dei Filium ex Patre natum, etiamsi secundùm* PROPRIAM NATURAM *impassibilis sit, nostrî tamen causâ* IN CARNE *secundùm Scripturas passum esse.* Quæ certè significant duas esse in Christo naturas planè diversas, divinam et humanam. Similiter n. 8: *Cùm ut Deus de se ipso ait:* QUI VIDET ME, VIDET ET PATREM MEUM; *et*: EGO ET PATER UNUM SUMUS; *divinam ineffabilemque illius naturam concipimus, secundùm quam unum est cum suo Patre propter eamdem quam cum ipso sortitur essentiam: est enim imago, et character, et splendor gloriæ illius. Quando verò humanæ naturæ infirmitatem, non aspernatus, Judæos hâc oratione alloquitur:* NUNC QUÆRITIS ME INTERFICERE, HOMINEM QUI VERITATEM DIXI VOBIS; *æquè iterùm ac ante, ipsum Dei Verbum, quod in æqualitate et similitudine Patris consistit, per humanæ etiam suæ naturæ conditiones agnoscimus.* En rursùs utraque natura apertè expressa. Earumdem naturarum distinctionem indigitat S. Doctor, dùm anathematismo 1, definit B. Virginem *genuisse incarnatum Dei Verbum* SECUNDUM CARNEM; anath. 12, *Dei Patris Verbum carni secundùm hypostasim unitum, et unum unà cum suâ carne esse Christum*, EUMDEM NIMIRUM DEUM SIMUL ET HOMINEM; anath. 6 *post Verbum secundùm Scripturas incarnatum unum*, EUMDEMQUE DEUM SIMUL HOMINEM ESSE; anath. 12, *Dei Verbum secundùm carnem crucifixum*, etc., *etsi idem vita est vivificum ut Deus*; ergo.

Sed præterea nihil in hâc epistolâ, neque in ipsis anathematismis, distinctioni duplicis naturæ Christi legitur adversum. Plura quidem in scripto ejusmodi olim redarguit Theodoretus; sed ex superstite parte scriptorum de hâc controversiâ ab eo editorum, liquidò colligitur doctum hunc virum in hoc argumento mirum in modum cæcutiisse, ac disputationis æstu, nimioque in Nestorium studio abreptum continuas et inanes movisse tricas, nec mentem Cyrilli esse assecutum. Idem judicium ferendum est de iis quæ Andreas Samosatenus nomine Orientalium adversùs anathematistos objecit. Vide utriusque illius, Andreæ scilicet et Theodoreti objectiones simul et defensionem Cyrilli tom. 3 Concil. part. 3, pag. 809 et seq. Illud autem præsertim objicit calvinianus scriptor quem citavimus, unionem scilicet Verbi cum naturâ humanâ in hoc scripto, n. 4 et 8, comparari unioni animæ et corporis; unde concludit hujus auctorem S. Cyrillum, ac proinde et Patres Ephesinos, censuisse unam esse Christi naturam, sicut ex unione animæ et corporis una exurgit natura humana. Verùm adeò infirmum est illud argumentum ad tantas accusationes fulciendas, ut nonnisi ex præconcepto in concilia et Patres odio vehementi prodire potuerit. Nam in epistolâ de quâ agimus comparatio illa solùm instituitur ad explicandum unionem naturæ humanæ cum Verbo esse personalem et secundùm hypostasim; cui rei exponendæ hanc comparationem esse natam nemo inficiabitur; quapropter eâ pariter utitur auctor Symboli quod S. Athanasio tribui solet, eamdemque frequenter adhibent concilia et Patres etiam post natam Eutychianam hæresim; Eutychiani, qui illâ aliquando voluerant errorem suum confirmare, intellexêre tandem se in eâ causæ suæ præsidium aliquod frustra quærere, et ab illâ recesserunt. Ergo erroris Nestorianismo oppositi stolidè accusatur Ephesina synodus.

Prob. secunda pars, nempe adversùs S. Cyrillum similem insimulationem præposterè instrui, accuratâ consideratione scriptorum quæ de Incarnationis fide S. doctor edidit. Is enim malè arguitur duas Christi naturas in unam confudisse, qui fidem duplicis naturæ Christi ab initio controversiæ ad ejus finem apertè et pluries expressit, quique eam planè supponit et indicat iis ipsis in locis quibus adversariorum criminatio fulcitur. Atqui ex accuratâ scriptorum S. Cyrilli consideratione utrumque manifestum est. Primum facilè evincitur, duarum videlicet in Christo naturarum fidem, ab initio controversiæ usque ad finem pluries et apertè à S. Cyrillo expressam et inculcatam. Jam retulimus perlongum et disertissimum eâ de re S. doctoris testimonium, ex epistolâ ejus ad Nestorium secundâ vel ab initio controversiæ conscriptâ depromptum. Quædam alia addere sufficiet. In homiliâ Ephesi dictâ, cùm synaxes peragerentur deposito Nestorio, seu die dominicâ 28 junii an. 431, sic habet: *Non enim cùm homo esset* (Christus), *fecit se ipsum Deum; sed Deus suâpte naturâ cùm sit, sine ullâ mutatione ac sine confusione factus est homo; et qui ineffabili modo ex Deo Patre generatus est secundùm carnem ex muliere nasci sustinuit, ac filius hominis appellatus est ut nos salvaret. Factus est tibi similis propter te, et mansit propter se ipsum hoc ipsum quod erat.* Audis ex S. Cyrillo Verbum divinum sine ullâ naturæ suæ *confusione* aut *mutatione*, atque *manens hoc ipsum quod erat*, factum esse hominem nobis similem, seu naturam humanam in suppositi unitatem assumpsisse; ergo, etc.

(1) Vide Christian. Lupum in Schol. et not. ad cap. 17 Variar. Epist. p. 70, et ad caput 22, p. 110; et Tillemont. notâ 26 in S. Cyrillum t. 14 Hist. Eccles. p. 758 et seqq.

In explicatione duodecim anathematismorum Ephesi pronuntiatâ, sanctâ synodo clariorem illorum declarationem exigente, ad secundum anath. sic habet : *Qui nobis assimilatus est, licet id quod erat manserit, quæ nostra sunt non aversatur; imò verò propter dispensationem ea omnia quæ ad humanam naturam pertinent, cum humanitatis mensuris simul admittit; neque ullum hinc tamen secundùm propriam naturam vel gloriam detrimentum capit.* Lege totam hanc expositionem. Lib. 2 contra Nestorium : *Illud quoque*, inquit, *haud inutiliter addiderim, aliam esse carnem à Deo Verbo* (quod ad suæ naturæ rationem attinet), *aliamque rursùs essentialiter ipsam Verbi naturam. Sed quamvis hæc differre intelligantur, et naturali diversitate esse disjuncta, unus tamen ex utroque Christus intelligitur dùm per veram unitatem deitas simul et humanitas invicem conveniunt.* In Epist. celebri ad Joan. Antiochenum quâ pax cum Orientalibus anno 433 redintegrata et definita fuit, integram refert S. Cyrillus et suam facit confessionem fidei Orientalium, dogma duarum Christi naturarum disertissimè continentem. Deinde Joannem rogat, *ut illorum ora comprimere dignetur, qui concretionem, vel confusionem, vel commixtionem Verbi cum carne factam esse dicunt.* Additque *tantùm abesse ut quid simile à se unquàm cogitatum fuerit, ut eos etiam insanire existimet, qui vel aliquam conversionis adumbrationem in divinam Verbi naturam cadere vosse suspicantur. Manet enim illa*, pergit, *quod est semper; neque alterata est, sed neque unquàm alterabitur; neque ullius erit mutationis capax.* Tandem explicat, et S. Petri auctoritate probat Christum non esse passum in *ineffabili divinitatis naturâ*, sed in *carne*, id est, in humanâ naturâ quam Verbum assumpsit. Ergo ab initio disputationis ad ejus finem S. Cyrillus duarum Christi naturarum fidem pluries et apertissimè professus est et inculcavit.

Alterum perinde evidens est, scilicet iis ipsis in locis quibus adversariorum criminatio innititur, eamdem fidem duplicis in Christo naturæ planè supponi et indicari. Præcipua ejusmodi loca ea sunt, in quibus S. Cyrillus ait in Christo *unam esse Verbi Dei naturam incarnatam* (1); quam locutionem minùs esse claram non diffitemur. At 1° observa S. Cyrillum non dixisse *unam esse Christi naturam*, quod Eutyches docuit; sed *unam* Verbi Dei, seu, Filii Dei *naturam*. Observa 2° neque etiam unquàm ab ipso positum simpliciter *unam esse in Christo Verbi Dei naturam*, sed adjunctum semper ab eo fuisse vocabulum *incarnatam*, aut aliud æquivalens. Atque his annotatis, fidem duplicis in Christo naturæ hâc S. Cyrilli locutione planè supponi et indicari sic conficio : Qui divinam Verbi naturam esse ab omni mutatione alienam censet et simul hanc in Christo docet incarnatam, ille planè supponit et significat, præter naturam divinam Verbi integram et perfectam, aliam esse in Christo naturam, nimirùm carnem, seu naturam humanam; alia quippe est natura divina et immutabilis quæ incarnàta est; seu quæ carnem assumpsit, et alia natura carnis seu humanitatis assumptæ. Atqui Deum Verbum suâpte naturâ esse immutabile sæpè docuit S. Cyrillus; ut videre est in locis superiùs laudatis, quibus alia multa addi possent; nec ullo sanè in loco legitur immutabilitati Verbi quidquam vel minimùm detraxisse. Ergo, cùm dixit unam esse in Christo naturam Verbi Dei incarnatam, planè indicavit et supposuit duas reipsà in Christo esse naturas distinctas et inconfusas.

Et verò, vel hæc S. Cyrilli locutio naturam duplicem esse in Christo supponit et indicat, vel accipienda est de naturâ unâ compositâ ex divinitate et humanitate, ut eam interpretatur calvinianus ille scriptor David de Rodone, qui S. Cyrillo tantoperè adversatur. Atqui clarum est locutionem ejusmodi accipi non posse de naturâ hoc modo compositâ. Implicat enim in terminis, naturam ex divinitate et humanitate coalescentem, dici unam naturam incarnatam, seu unitam humanitati; totum aliquod duas partes complectens, malè dicitur uni ex illis partibus unitum; ergo, etc. Nec certè nova hæc est et incerta conjectura, quâ S. Cyrilli mentem assequi contendamus. Dictum S. doctoris, prout sonat, explicamus : illudque olim ita exposuerunt, non modò antiqui S. Cyrilli defensores, Eulogius Alexandrinus apud Photium Cod. 230; S. Maximus martyr in Opusculis theolog. et polemicis, T. 2, edit. Combefis.; Petrus Diaconus in lib. de Incarnat. T. 9; Biblioth. PP. Lugd. et alii complures; sed et ipse S. præsul adversùs sui obtrectatores sententiam hanc suam propugnans : *Si dicentes unam Verbi naturam*, inquit, epist. 2 ad Successum, num. 3, *tacuissemus, ac minimè adjunxissemus* INCARNATAM, *excluso propemodùm dispensationis mysterio, esset illorum fortassè oratio non inepta..... sed quia et illa in humanitate perfectio, et essentiæ nostræ declaratio illata est, dùm dicimus* INCARNATAM, *desinant baculo inniti arundineo. Is enim*, pergit, *qui excluderet dispensationis mysterium, incarnationemque negaret, jure coargui posset tanquàm à Filio perfectam humanitatem auferret. Sed si, ut jam dixi, in eo quòd illum incarnatum esse dicimus, perspicua et certa confessio continetur, quâ etiam hominem esse factum profitemur, nihil jam intelligere prohibet, Christum, cùm sit unus ac solus filius, eumdem Deum esse et hominem, ut in Deitate, ita etiam in humanitate perfectum.* Deinde, ille loquendi modus ab Eutychis errore immunis fuit, quem usurpare, vel etiam adversùs hunc hæresiarcham premere non dubitârunt ejus erroris impugnatores SS. Patres; quem admittere ipse Eutyches renuit; quem denique approbaverunt ipsa concilia contra Eutychen et Monothelitas habita. Atqui 1°, SS. Patres sententiam S. Cyrilli, de quâ agimus, usurpavêre, vel etiam adversùs Eutychen pressêre; Flavianus nempe Constantinop. patriarcha in suâ *fidei Professione* imperatori Theodosio oblatâ, hanc locutionem adhibet. Eamdem

(1) Vide epist. 1 et 2 ad Success.; epist. ad Acacium Melitenens.; alteram ad Eulogium presbyt. Constantinop.; item ad Valerianum Iconiensem, etc., quæ extant T. 5 oper. part. 2; vide et lib. 2 contra Nestorium, T. 6, etc.

contra Eutychen attulit Basilius Seleuciensis in synodo Constantinop. sub eodem Flaviano an. 448 celebratâ. Quibus adjungendus Justinianus imperator in *Professione fidei*, itemque Eulogius, S. Maximus martyr, Ephremius, Joannes Damascenus, etc. 2° Hanc admittere renuit Eutyches. Cùm enim in concilio Constantinop. mox memorato Athanasii et Cyrilli sese tueretur nominibus, ipsum Basilius Seleuciensis adhortatus est, ut cum illis diceret *unam Verbi naturam incarnatam*; hanc verò loquendi rationem usurpare noluit hæresiarcha, quippe quâ errorem suum destrui pervidebat. 3° Eamdem S. Cyrilli sententiam approbârunt concilia in Eutychen habita. Nimirùm in concilio Chalcedonensi generali IV, an. 451, S. Flaviani defendendi causâ adducta fuit mox laudata ejus professio fidei, quæ, ut dictum est, sententiam de quâ agimus continet. Quinta verò synodus probavit Professionem fidei imperatoris Justiniani, quâ prædictus loquendi modus in Eutychen urgetur. Tandem synodus Lateranensis sub Martino I rom. pontifice celebrata, quâ Monothelitæ proscripti sunt, in *Definitione fidei*, can. 5, legitimum hujus dicti sensum sic determinat juxta vim græci textûs: *Si quis secundùm SS. Patres non confitetur propriè et secundùm veritatem, unam naturam Verbi Dei incarnatam, per hoc quod incarnata dicitur, nostram substantiam perfectè in ipso Christo Deo et indiminutè absque tantummodò peccato, significare, condemnatus sit.* Adde quòd hanc loquendi rationem à S. Athanasio traditam fuisse censuerit S. Cyrillus pluribus in locis (1); cui eâ de re consenserunt Basilius Seleuciensis in synodo Constantinop. contra Eutychen, Eulogius Alexandr. loco citato apud Photium, Ephremius, Joannes Damascenus, etc. Ubi tandem fatendum codice depravato fortè usum esse S. doctorem; jamdudùm enim Leontius id sensit, et reverà in lib. S. Athanasii *de Incarnatione* quem etiamnum habemus, non extat testimonium quod ex eâ S. Cyrillus laudat.

Quæres quid S. Cyrillus nomine *naturæ* intelligeret, cùm dixit in Christo *unam esse Verbi naturam incarnatam?* an ipsam Verbi naturam? an personam? Resp. veteres diversâ ratione illam phrasim S. Cyrilli esse interpretatos. Ephremius, Eulogius, et alii quidam senserunt nomine *naturæ* ibi intelligendam esse naturam ultimò completam, hoc est, personam Verbi. Et reverà potuisset S. doctor ita accipere *naturæ* nomen, appositè ad refellendum Nestorium, qui sæpè voci *naturæ* eam alligabat ideam et dotes quæ personæ competunt. Leontius tamen, Gelasius, Rusticus diaconus, Anastasius Sinaïta, Theorianus, S. Cyrillum de ipsâ divinâ Verbi naturâ accipiunt, quibus assentiendum judicamus. Nam 1°, S. Cyrillus duas esse in Christo naturas dissimiles et integras non semel confessus est, præsertim in epist. 2 ad Nestorium, et epist. celebri ad Joan. Antiochenum, in quâ professionem fidei Orientalium recepit. Ergo *naturæ* vocem juxta significationem usitatam, non verò in sensu *personæ* usurpavit; alioqui unitati personæ in Christo malè consuluisset, ac termini ejusdem tam dissimili acceptione omnia confudisset. 2° Hanc naturam Verbi incarnatam appellat naturam Deitatis in lib. de fide ad Reginas. 3° Si voce *naturæ* S. Cyrillus personam intellexisset, proclive fuisset ab ipso dici *unam* CHRISTI *naturam;* atqui id nunquàm dixit, sed tantùm unam *Verbi Dei* vel *Filii divini* naturam; ergo, etc. 4° Positâ nostrâ expositione S. Cyrillus scopum suum nihilominùs attigisse concipitur. Nempe ut unitatem personæ in Christo magis firmaret, naturam propriam Verbi, utpote præcipuam, primariò et directè solam in Christo prædicare amabat, naturam verò humanam obliquè tantùm et secundariò denotare; utramque tamen reverâ illâ locutione significans et distinguens, imò ambas directè aliquando exprimens, et à Joanne Antiocheno aliisque Orientalibus exprimi approbans, quorum fidei confessionem ad usque vitæ exitum contra ejusdem oppugnatores defendit.

SOLVUNTUR OBJECTIONES. — Obj. adversùs secundam conclusionis partem: 1° S. Cyrillus in Epist. 2 ad Successum, n. 4: *Duas quidem naturas*, inquit, *unitas asserimus, post unionem verò, tanquàm sublatâ jam illâ in duo divisione, unam esse credimus Filii naturam, tanquàm unius, sed hominis facti et incarnati.* Similia habet in Epist. 1 ad eumdem, et in Epist. ad Acacium Melitenensem. Duas igitur naturas ante unionem quidem concipiebat S. doctor, peractâ verò unione unam tantùm; atqui duæ naturæ quas ante unionem concipiebat, erant propriè dictæ; ergo sensit unam esse tantùm, peractâ unione, naturam propriè dictam, ex duabus videlicet coalescentem, ut humanitas ex animâ et corpore coalescit.—Dist. maj.: Peractâ unione, unam tantùm concipiebat naturam præcipuam, et ideò solam primariò et directè prædicandam, nempe naturam Filii divini, concedo; unam simpliciter, ex divinitate et humanitate compositam, nego. Itaque cùm S. doctor dixit unam esse, peractâ unione, naturam, non attendebat præcisè ad ea quæ naturam propriè dictam constituunt; sed solùm contendebat istud ex ejusmodi unione consequi, naturam scilicet Filii divini, utpote in Christo præcipuam, solam primariò et directè prædicari debere; ipsique videbatur illa locutio dogmati catholico adversùs Nestorium firmando magis idonea; quòd eâ obliquè tantùm et indirectè connotaretur humanitas, quam, ut personam à Verbo distinctam, pingebat Nestorius. Cæterùm, *unam* hanc *Filii naturam*, quam post unionem prædicat S. Cyrillus, non esse unam naturam ex divinitate Filii et humanitate assumptâ coalitam et compositam, ex eo patet, quòd 1° illam perpetuò dicat esse *naturam verbi Dei*, quam esse immutabilem censet; 2° quòd illam *incarnatam* prædicet, eique carnis assumptionem tribuat; quæ attributa in naturam prædicto modo compositam non cadunt; 3° quòd duas in Christo naturas distinctas et perfectas post unionem admiserit; recole superiùs dicta inter probationes.

(1) Lib. de rectâ fide, ad Reginas T. 5, part. 2, p. 48; Defens. anathematism. adversùs Orientales, ad anath. 8, T. 6, p. 178, et Epist. utrâque ad Successum, T. 5, p. 2, p. 135, etc.

Obj. 2° : Dioscorus tanquàm Eutychianus damnatus est à concilio Chalcedonensi, quamvis confusionem, commixtionem aut conversionem in Christum inducentibus anathema diceret. Ergo quamvis ab ejusmodi confusione, conversione, commixtione abhorruerit S. Cyrillus, non ideò ab Eutychianismi labe immunis est. — 1° Negari potest antecedens. Non enim compertum est an Dioscorus errores Eutychis reverà tenuerit. Ob patrocinium Eutychi præstitum, ob gesta procaciùs in R. pontificem S. Leonem, aliaque crimina, non propter hæresim ipsum à Chalcedonensi synodo depositum fuisse complures existimant. 2° Nego conseq., in quâ 1° falsum supponitur. Namque ab erroris labe non ideò tantùm censetur immunis S. Cyrillus, quòd omnem conversionem, commixtionem aut confusionem naturarum à Christo abjecerit; sed et propter alia argumenta superiùs allata; nempe propter expressam non semel duplicis naturæ distinctionem, fidemque Orientalium libentissimè et sine cunctatione ab ipso approbatam. 2° Non modò omnem à Christo conversionem, commixtionem et confusionem naturarum exclusit S. Cyrillus, sed et docuit ne ullam quidem umbram mutationis in naturam verbi cadere posse. Si eadem senserit Dioscorus, et simul unam tantùm in Christo naturam ex divinitate et humanitate compositam admiserit, ut ponit objectio, et probabilius est, certè non satis secum ipse consensit, ut aliquando patebit. Num verò in re tanti momenti pugnantes ejusmodi sententias S. doctori gratis affingere licebit?

Obj. 3° : Pluribus in locis S. Cyrillus tradit eâdem ratione naturam divinam et naturam humanam in Christo uniri, quâ uniuntur in homine mens et corpus; atqui mens et corpus in homine ita uniuntur, ut ex iis una fiat natura composita; ergo.—Dist. maj. Eâdem ratione quoad unitatem personæ, concedo; quoad unitatem naturæ, nego. Corpus et anima in homine ita uniuntur, ut ex illorum conjunctione exurgat una persona, nempe homo, et una natura. Ex unione naturæ divinæ et naturæ humanæ exurgit etiam unus Christus, unicâ Verbi divini personalitate subsistens. Sed cùm verbum divinum suâpte naturâ infinitum sit et immutabile, hinc illâ unione humanitas sola mutatur et perficitur, nullatenùs natura divina; adeòque duplex manet in Christo natura perfecta et integra etiam post unionem; natura namque divina eadem omninò est ac antea; naturæ autem humanæ per unionem nihil essentiæ et perfectionis detrahitur. Porrò S. Cyrillum hanc comparationem instituendo ad solam personæ unitatem spectâsse, tum scopus ejus, tum ea quæ sæpè memoravimus, manifestum faciunt. Atque adeò futile est argumentum quod inde eruitur, ut eâdem comparatione usi sint SS. Patres, etiam Acephalis eà abutentibus posteriores.

Obj. 4° : In Epist. 2 ad Successum, et in Dialogo de uno Christo, docet S. Cyrillus divinitatem et humanitatem ita in unum Christum coaluisse, ut solâ cogitatione, solâ contemplatione, θεωρίᾳ μόνῃ secernatur et distinguatur; ergo, etc.—1° Argumentum nimis probat. Quippe id unum contendit David de Rodone, admissam esse à S. Cyrillo unam in Christo naturam ex divinitate et humanitate compositam, ut hominis natura ex animâ et corpore est composita : sed si solâ distinctione, ut vocant, rationis distinguerentur natura divina et natura humana Christi, jam in Christo esset una natura simplex; quod nimis absurdum est, quàm ut possit S. doctori adscribi; ergo. 2° Nego conseq. Differentia, distinctio, discretio quæ *solâ ratione, solâ cogitatione* fit, opponitur eò loci *divisioni*, seu rei ab re distractioni, quâ res separatæ et seorsim existunt, non verò illi solùm distinctioni quam *realem* appellant in scholis; et quæ rebus conjunctis et indissolubili nexu unitis etiam competit. En locus integer ex Epist. 2 ad Successum objectus : *Ignorant*, inquit S. doctor n. 4, *quæcumque non solâ mentis consideratione distingui solent, ea prorsùs etiam in diversitatem distinctam omnifariàm ac privatim* (εἰς ἑτερότητα τὴν ἀνὰ μέρος ὁλοτρόπως καὶ ἰδίως) *à se mutuò segregari. Sit rursùs nobis in exemplum homo nostri similis. Duas namque in eo naturas intelligimus, unam animæ, alteram corporis. Sed cùm solâ discreverimus intelligentiâ, et differentiam subtili contemplatione seu mentis imaginatione conceperimus, non tamen seorsim ponimus naturas, neque illis in totum per divisionem virtutem immittimus; sed unius hominis esse intelligimus, ita ut illæ duæ non jam sint duo, sed utràque animal unum absolvetur*, etc. Hæc ille : ubi apertissimum est ea ab ipso dici solâ ratione, solâ mentis consideratione distingui, quæ cùm unita sint nec separatim existere queant, possunt tamen sine se invicem cogitari.

Neque ea acceptio specialis fuit ejusmodi loco, vel etiam S. doctori. Vulgatissimum est tum apud S. Cyrillum, tum apud alios SS. Patres, ut distinctio et differentia rationis hocce modo sumatur. Ii nempe, quæcumque conjunctim extant, seu ratione solâ, seu reipsà inter se differant, hæc dicere assolent solâ cogitatione et intelligentiâ discerni et distingui, quia nempe solâ cogitatione sine se invicem attingi possunt. Hinc anima et corpus, etsi diversæ sint substantiæ et realiter distinguantur, dicuntur tamen ab Ephremio Antiocheno apud Photium, à S. Cyrillo in Epist. ad Valerianum et in utroque loco objecto, et ab aliis, solâ cogitatione differre. Hinc SS. Trinitatis personas, etsi re maximè distent, solâ ratione discreverunt. Hinc in face accensâ flammam à materiâ discerni ratione ait S. Greg. Nyssenus. Hinc non modò ante Cyrilli ætatem plures Patres solâ ratione separârunt aut distinxerunt utramque Christi naturam, ut S. Basilius lib. 4 contra Eunomium, S. Greg. Nazianz. Orat. 36, etc., sed etiam multi ex iis qui post natam Eutychianam hæresim scripserunt, aut etiam hanc impugnârunt, ut Patres concilii V generalis, can. 7, Agatho rom. pontifex in Epist. ad imperatores quæ legitur actione 4 synodi VI, Maxentius in libello contra Acephalos, etc. Ergo, etc. Plura vide apud Petavium, Dogmat. theologic. lib. 1 de Deo, cap. 10, lib. 4 de Incar. cap. 3, n. 13 et seqq., et lib. 6, cap. 9, n. 13 et 14. Atque de toto argumento quod hic à nobis tractatum est,

consule eumdem, libro 6 de Incarn. integro, in quo summâ eruditione et judicio, Davidis de Rodone librum, cujus auctorem ignorabat, ita planè refellit, ut mirum sit ab aliis postea eamdem crambem recoctam fuisse.

Conclusio II. Nestorium canonicè damnavit Ephesina synodus. Prob. Illud judicium canonicum fuit, quod ab auctoritate legitimâ, justâ de causâ, in reum canonicè citatum et contumacem, de crimine certo et jurinicè probato, ac tandem servato tempore præscripto prolatum est. Atqui sic se habuit judicium quod synodus Ephesina adversùs Nestorium pronuntiavit.

1° Latum est illud judicium ab auctoritate legitimâ. Nam primæ actioni (de quâ potissimùm movetur controversia, quòd ante legatorum Româ missorum et Joannis Antiocheni adventum causa Nestorii in eâ decisa fuerit), primæ, inquam, illi actioni intererant episcopi circiter ducenti, inter quos S. Cyrillus, patriarcha Alexandrinus, Juvenalis Jerosolymitanus, Memnon Ephesinus, aliique metropolitani multi. In eâdem actione, romani pontificis *Cœlestini locum*, ut expressè acta habent, *obtinebat* S. Cyrillus; quippe cui vices suas Cœlestinus commiserat, ut sententiæ adversùs Nestorium à Sede apostolicâ in Romano concilio latæ executionem promoveret. Quapropter Mennas Constantinopolitan. in Professione fidei, quæ inserta est Vigilii Papæ constituto, Liberatus Breviarii cap. 5, Evagrius Hist. ecclesiast. lib. 1, cap. 4, Marcellinus Comes in Chronico, Nicolaus I, Epist. 9 ad Michaelem imperatorem, Photius in lib. de Synodis, aliique quos refert Natalis Alexander, Dissert. 7 in Hist. eccles. V seculi, edit. 1699, T. 5, p. 228, hunc in concilio Ephesino legatum Cœlestini fuisse tradunt; et reverà cùm adventâssent legati quos ad synodum Româ miserat Cœlestinus, adhuc præsidem S. Cyrillus egisse conspicitur T. 3 conc. p. 610 et 635; ergo.

Quòd si prætereà attendantur, ut maximè attendi debent, episcopi quotquot seu stante adhuc synodo, seu eâ dissolutâ, judicium primâ actione pronuntiatum calculo suo approbârunt, damnatum auctoritate legitimâ Nestorium fatebitur, quisquis aliquam ejusmodi auctoritatem in Ecclesiâ constitutam agnoscet. Enim verò multi ex episcopis, qui Joannem esse expectandum rati, noluerant primæ actioni adesse, post latam sententiam, et impiâ Nestorii mente penitùs inspectâ, sanctæ synodo sese adjunxerunt. Quod colligitur tum ex relatione synodi ad imperat. per Palladium Magistrianum transmissâ, in quâ non obscurè id significatur; tum ex eo quòd sæpè synodus triginta tantùm episcopos Joanni adhærentes commemoret, cùm tamen protestationi Nestorii 68, episcopi subscripsissent (1), et conciliabulo Joannis quadraginta tres. Consule Christianum Lupum in Scholiis et notis ad variorum Patrum Epistolas, ad caput 7. Ubi primùm autem legati Cœlestini Arcadius et Projectus episcopi et Philippus presbyter Ephesum appulerunt, confestim actione 2, quæ die 10 Julii in episcopio habita est; postulavêre sibi gesta prioris actionis privatim recognoscenda communicari; quæ cùm expendissent, et tertiâ actione die 11 ejusdem mensis in mediâ synodo legi curâssent, nomine Cœlestini et totius concilii Occidentis sententiam depositionis in Nestorium singuli pronuntiârunt, actisque subscripserunt. Vide T. 3 concil. p. 628 et 629.

Deinde concilium Ephesinum confirmatum est à Sixto III, rom. pontifice, Cœlestini interea mortui successore, et ab utràque Ecclesiâ. Quid, quòd ipse Joannes Antiochenus, cum plerisque suis Orientalibus, damnationi Nestorii demùm consensit anno 433. Ipseque Theodoretus, qui diutiùs personæ Nestorii patrocinatus fuerat, huic tandem anathema dixit in concilio Chalcedonensi, ejusque pravos errores lib. 4 Hæretic. fabularum cap. 12, exposuit et damnavit. Ergo sive actio prima concilii Ephesini seorsim spectetur, sive eorum à quibus gesta illius actionis deindè probata sunt, habeatur ratio, auctoritate legitimâ damnatus est Nestorius.

2° Judicium contra Nestorium justâ de causâ latum est. Siquidem agebatur de proscribendo errore, quo præcipuum religionis dogma subvertebatur. Addo, etiamsi Nestorius in eo tantùm, ut quidam adversarii volunt, fortè peccâsset, quòd voces receptas et ad dogma exprimendum usitatas noluisset adhibere, vel hoc unum satis fuisse ad justam eum damnandi præbendam causam; quippe cùm *profanas vocum novitates* S. Paulus *devitari* præcipiat, 1 Tim. 6, 20, ac diversitas vocum vi quâdam nativâ sensus diversos ad discrimen in fide mentibus ingeneret.

3° Latum est in reum canonicè citatum. Nam pridiè quàm concilium inciperet, die scilicet Dominicâ 21 Junii, à quatuor episcopis cæterorum nomine ad sacrum consessum invitatus fuit Nestorius, *ut ea quæ ad religionem pertinent communi omnium sententiâ et consensu constituerentur*. Die verò 22, sacra synodus antequàm de fide ageret, alios iterùm, et tertiò alios delegavit episcopos qui eum *rogarent, ut* ipse se synodo *adjungeret, neque ullo pacto ab earum rerum tractatione, quæ jam præ manibus erat, diutiùs abesse pergeret;* admonerentque, ut ipse accederet, *sanctissimum synodum necessitate compulsam ea de illo prolaturam quæ sanctorum Patrum canonibus sunt sancita.* Malè porrò conjecit eruditus Marii Mercatoris editor Garnerius, parte 2, dissert. 2 de Synodis habitis in causâ Nestorii, pag. 349 et 351, *primam vocationem*, quæ à quatuor episcopis facta est die 21 Junii, *non habuisse vim canonici processûs, sed admonitionis tantùm et invitationis.* Causam affert quia *dies 21 Junii fuit Dominicus... neque ullus cum episcopis profectus est notarius, quod in citationibus semper accidit; neque citatio conceptis verbis scriptisque comprehensa est, quod tamen canones jubent.* Verùm undenam accepit Garnerius jure cautum fuisse ne die Dominicâ aut sine notario admonitiones ejusmodi fierint? Deinde notarius adesse potuit, etsi nulla ejus mentio in actis concilii eò loci habeatur. Primam porrò citationem scripto consignatam fuisse apparet ex actis ipsis, in quibus instrumentum secundæ ex iis citationibus quæ die 22 factæ

(1) Apud Christ. Lupum in *variorum Patrum Epist.*, etc., cap. 7, edit. Lovan. 1682, p. 26.

sunt, ter appellatur in Græcis τρίτον παρανεγνωσμένον, quasi diceretur *tertia citatio conscripta;* eoque ad Nestorium misso existimavit synodus *nihil ex iis quæ ad ecclesiasticum ordinem pertinent prætermissum esse.* Certè in citando Nestorio quidquam à sacrâ synodo peccatum esse, nec Nestorius, nec Joannes Antiochenus, nec alius quilibet unquàm opposuit. Vide T. 3 concil., p. 457, 460, 562, 574.

4° Latum est judicium in reum contumacem. Tribus enim vicibus juxta canonum præscripta citatus Nestorius, quamvis tunc Ephesi versaretur, ac locum suum in concilio fuisset obtenturus, attamen obstinatè noluit causam suam defensum venire. Ad primam invitationem respondit: *Mecum deliberabo, et siquidem venire me oportuerit, veniam.* Qui ad eum secundò delegati sunt præsules, nequidem ad ejus conspectum admissi sunt, sed hanc ab eo per Florentium militum tribunum responsionem acceperunt: *Cùm omnes episcopi simul convenissent, tum ipsum quoque* concilio *affuturum.* Demùm episcopi à synodo tertiùm deputati *non parvam militum fustibus armatorum manum in ipso* ædium Nestorii *vestibulo invenerunt.* Atque *diù multùmque præstolati, ne ad umbram quidem à satellitibus consistere permissi sunt, imò verò insolenter repulsi sunt, deque locis exturbati.* Tandem ipsi dimissi sunt à militibus, qui *addiderunt et hoc quoque, nempe eâ de causâ vestibulo se custodes adhibitos, illudque ab ipso* (Nestorio) *in mandatis accepisse, ne ullum omninò qui à synodo missus esset, ad ipsum ingredi permitterent.* Hæc cùm ad sacram synodum relata essent, censuit ipsa *quartam citationem*, quâ etsi *ecclesiasticis sanctionibus* minimè requisitâ, *Nestorium advocare* parata *erat*, futuram inutilem; ac *manifestum esse, eum conscientiâ nequaquàm purâ sanctæ hujus synodi conspectum recusare.* Quapropter causam Nestorii et dogmata de quibus agebatur, *juxta canonicas sanctiones* recognoscere sine cunctatione incœpit; ergo, etc.

5° Judicium illud latum est de crimine certo et juridicè probato; quod quidem ipsa causæ conditio, et modus quo concilium processit, manifestum faciunt. Etenim ferenda non erat sententia de re occultâ et sine arbitrio peractâ. Impietates suas in sermonibus publicis prodiderat Nestorius; hos suos sermones et alia scripta toto orbe vulgaverat; jam in synodis Romanâ et Alexandrinâ ejus causa discussa fuerat; Patres concilii plura cum ipso de fide Incarnationis habuerant Ephesi colloquia antequàm synodum auspicarentur, multique ex eis, quos inter inprimis notandi Acacius Melitenensis et Theodotus Ancyranus, ambo pietate et doctrinâ insignes ac Nestorio amici, blasphemiarum in Christum triduò ante primam actionem ab eo prolatarum testes fuerant; tandem quæstio integra his terminis concludebatur, an dogmata Nestorio adscripta ejus essent, et Symbolo Nicæno consentirent. Ea igitur fuit causæ Nestorii conditio, ut quæcumque illam constituebant, Patribus Ephesinis cognitu difficilia non fuerint.

Hi autem sic processerunt. Post recitatum Symbolum Nicænum, quod ut vera fidei tessera habitum est, lecta sunt causæ instrumenta, nimirùm 1° eximia illa S. Cyrilli epistola 2 ad Nestorium, quam, ut jam observavimus, Patres universi suffragiis sigillatim dictis, ut fidei Nicænæ in omnibus consonam summâ cum laude approbârunt; 2° responsum Nestorii ad hanc epistolam, quod Patres judicârunt Nicæno Symbolo adversari, quodque ideò cum anathemate rejecerunt, 3° litteræ Cœlestini rom. pontificis contra Nestorium ad Cyrillum datæ; 4° epistola Cyrilli tertia ad Nestorium, quâ ei sententiam romani pontificis denuntiavit; 5° plura veterum doctorum testimonia, ut scilicet nihil nisi secundùm sibi traditam à decessoribus suis doctrinam episcopi statuerent; 6° denique multa ex homiliis, et ex aliis, ut videtur, Nestorii scriptis excerpta, quæ blasphemiis in Christum scatere reperta sunt. Insuper auditi testes omni exceptione majores. Nam sacra synodus jussit ut quas Acacius Melitenensis et Theodotus Ancyranus ex ore Nestorii tribus antea diebus blasphemias audiverant, eas coram sancto consessu enarrarent. Quod ii Nestorio amicitiâ conjuncti, sed Christo et veritati conjunctiores, non sine lacrymis præstiterunt. Tandem his omnibus præmissis et accuratè discussis, Patres sententiam in Nestorium dixêre. Ergo eorum judicium de crimine certo et juridicè probato latum est.

6° Latum est servato tempore præscripto. Nempe tempus condictum Patres non prævertêre. Imò, quamvis synodus indicta fuisset ad diem Pentecostes Junii septimam, omnemque tardioris adventûs excusationem episcopi ademisset imperator litteris ipsis quibus concilium convocaverat, ac tandem sacri consessûs dilatio episcopis qui die præstituto Ephesum se contulerant, valdè molesta esset; attamen diebus quindecim expectatus est Joannes Antiochenus, nec nisi die 22 ejusdem mensis actio prima habita est. Quâ de re audiatur ipsa synodus in Relatione ad imperatores. « Cùm omnes itaque, inquiunt Patres concilii, juxta « præstitutum nobis terminum Ephesum venissemus, « accidit ut Joannes, sanctissimus Ecclesiæ Antio- « chenæ episcopus adventum suum differret. At nos « itineris difficultatem tarditatis causam rati, post ter- « minum nobis à vestrâ majestate præfixum elapsum, « sexdecim totos dies (habitâ utriusque extremi ra- « tione) sessionem distulimus. Jam verò alii quidem « sanctorum episcoporum senio confecti, in exterâ « regione morari non sustinebant; alii adversâ vale- « tudine in periculum vitæ adducebantur; nonnulli « quoque ex illis in hâc Ephesiorum metropoli diem « extremum obierant; quidam verò rerum penuriâ « constricti, nos adeuntes instanter urgebant, ut mox « audientiam auspicaremur. Exactis proinde sexdecim « integris diebus post Pentecosten, ad synodicam au- « dientiam convenimus. Cùm verò Joannes quoque « sanctissimus Ecclesiæ Antiochenæ episcopus per « Alexandrum Apamææ et Alexandrum Hierapolis, re- « ligiosissimos episcopos, quos præmiserat, nobis si- « gnificavit, ut rem propositam aggrederemur; non- « dùm comparens, longiori tarditate molestiam sanctæ « synodo attulit. Itaque vigesimo secundo die mensis

« Junii, secundùm Romanos, congregati sumus, cùm « pridiè per religiosissimos quosdam episcopos, admi- « rabilem illum Nestorium, ut nostro consessui sese « adjungeret, pietatisque et fidei examinationi unà « nobiscum interesset rogavissemus, etc. Ergo, etc. »

Solvuntur objectiones. — Obj. 1° : Unà concilii œcumenici auctoritate Nestorii causa definiri poterat : siquidem concilium generale, quo lis decideretur, à Nestorio et monachis postulatum fuerat, et ab imperatore indictum. Atqui concilium Ephesinum tunc œcumenicum non fuit, cùm actione primâ Nestorius damnatus est. Namque ea synodus non fuit œcumenica, è quâ aberant legati romani pontificis, Joannes Antiochenus patriarcha cum episcopis sui patriarchatûs, et Nestorius patriarcha Constantinop. ; atqui actione 1 aberant è synodo, etc. ; Ergo. — 1° Nego maj. Ad cujus probationem, nego conseq. Postulatum quidem fuerat concilium generale, et illud indixerat imperator ; sed simul diem præstituerat, quo episcopi convenirent ; proinde, ut omnia legitimè gererentur, satis erat 1°, eam synodum de Nestorio haberi, quæ die præscripto haberi poterat ; 2° in eâdem synodo reperiri episcopos auctoritate et numero sufficientes causæ Nestorii expendendæ et dirimendæ ; 3° episcopis qui nondùm advenerant, et quorum adhæsio complendæ synodo œcumenicæ videri poterat necessaria, facultatem deinde fieri acta in Nestorium recognoscendi, ut ea, si vellent, calculo suo approbarent. Atqui 1° synodus Ephesina, cùm actio prima celebrata est, ea non modò fuit quæ die præscripto, sed quæ post expectatos, diebus adhuc quindècim, episcopos absentes haberi potuit, ut dictum est ; 2° Hanc tunc constitisse præsulibus numero et auctoritate sufficientibus causæ Nestorii judicandæ, pariter ex dictis indubitatum. 3° Facta est episcopis absentibus facultas prioris actionis gesta recognoscendi. Quâ quidem facultate usi sunt legati Cœlestini, ut ex actionibus secundâ et tertiâ concilii manifestum est. Debuisset et potuisset Joannes Antiochenus cum suis eâdem ratione de judicio in Nestorium lato proferre sententiam. Constat cum à sacrâ synodo ad illud approbandum invitatum fuisse ; sed ne auditis quidem ejus legatis, causâque nullo pacto cognitâ, in sanctam synodum insurgere maluit, et ejus sententiam irritam declarare ; ergo, etc.

2° Negari potest minor. Etsi enim certior et indubitata magis evaserit auctoritas et œcumenicitas concilii Ephesini, seu subscriptione legatorum Româ à Cœlestino missorum, seu confirmatione romanæ Sedis, totiusque Ecclesiæ approbatione ; attamen vel ipsâ actione primâ illud videtur fuisse œcumenicum, universamque Ecclesiam sufficienter repræsentâsse. Enimverò synodus quæ ex universâ Ecclesiâ convocata fuit ; cui interfuêre episcopi ex Oriente ducenti, inter quos episcopi Alexandrinus, Jerosolymitanus, Ephesinus, orientalis Ecclesiæ capita ; in quâ romani pontificis et concilii occidentalis sententia, quæ de eâdem causâ præcesserat, relata et approbata est ; cujus præses fuit S. Cyrillus romani pontificis locum obtinens ; ea, inquam, synodus œcumenica fuit, seu Ecclesiam universam sufficienter repræsentavit. Atqui talis fuit synodus Ephesina actione 1, ut diximus ; ergo, etc.

Ad probationem minoris, 1° nondùm quidem actione primâ advenerant legati quos Româ misit Cœlestinus ut adessent synodo ; sed Cœlestini locum in concilio obtinebat S. Cyrillus, cui vices suas commiserat summus pontifex ut latam anno præcedenti in synodo Romanâ adversùs Nestorium sententiam executioni demandari curaret ; 2° Aberat Joannes Antiochenus ejusque episcopi ; sed expectatus fuerat diebus quindecim, et videbatur, ut mox dicemus, moras de industriâ nectere ; ergo.

3° Resp. ad summum ex objectione sequi, synodi Ephesinæ œcumenicitatem plenam et perfectam, mansisse aliquo modo suspensam usque ad tempus quo à legatis romanæ Sedis actioni primæ nomine Occidentalium subscriptum est, et usque ad schisma invectum à Joanne Antiocheno et perpaucis ejus episcopis, qui sacræ Synodo prævalere non poterant ; quo schismate effectum est, ut suffragium Joannis ad concilii œcumenicitatem constituendam non ampliùs expectari oportuerit.

Obj. 2° : S. Cyrillus sacræ synodo præesse non debuit, quippe qui, ut Nestorium hæresis accusabat, ita propter anathematismos quos ediderat à Nestorio vicissim hæresis Apollinaristarum accusabatur ; ergo. — Nego ant. Præfuit concilio S. Cyrillus nomine Cœlestini summi pontificis, cujus locum, ut diximus, in synodo obtinuisse in actis legitur ; quapropter concilium Chalcedonense (T. 4 Concil., p. 362) Cœlestinum et Cyrillum vocat concilii Ephesini capita. Ad prob. dist. : S. Cyrillus accusabatur à Nestorio, sed ejus accusatio nec juridica erat, nec ad concilium delata, concedo ; juridica erat, etc., nego. Maximum intererat discrimen inter accusationem adversùs Nestorium instructam, et eam quæ in S. Cyrillum erat conficta. Secundùm canonicas sanctiones de hæresi Nestorius postulabatur, sententiâ Cœlestini sum. pontif. in concilio Romano post causæ cognitionem lata jam erat irretitus ; S. Cyrillus verò, ut ejusmodi sententiam in Nestorium executioni demandaret, vices Cœlestini acceperat, neque ullius criminis, seu ante synodum Ephesinam, seu in ipsâ synodo, juridicè fuit accusatus. Si locum suum occupaturus, ac causam suam defensurus ad sacram synodum Nestorius, ut par erat, accessisset, ibique exceptiones suas in Cyrillum exposuisset, Patres, cognitâ causâ, ea statuissent quæ ipsis visa fuissent expedire. At certè nemo dixerit accusationem vagam nec coram legitimis judicibus illatam, posse jura cujusquam suspendere, illumve inhabilem reddere ad ea quæ ejus muneris sunt. Proindeque, etc.

Inst. S. Cyrillus, Acacius Melitenensis et Theodotus Ancyranus accusatorum et testium partes, in concilio adversùs Nestorium egerunt, et simul inter judices sedêre ; atqui nemo potest esse accusator aut testis adversùs aliquem et simul judex ; ergo, etc. — Resp. S. Cyrillum nec testis nec accusatoris partes in

S. concilio sustinuisse. Certè necessum non erat ab aliquo accusationem in Nestorium denuò instrui. Ad cognoscendam ejus causam concilium convocatum fuerat, vicesque in eo quasi promotoris, Petrus presbyter Ecclesiæ Alexandrinæ et Primicerius notarius explevit. Acacius verò et Theodotus nec venerant nec vocati fuerant ad S. synodum ut testimonium adversùs Nestorium proferrent; non erant ergo testes propriè et strictè sumpti. Cùm autem ex plurium litis instrumentorum lectione jam appareret Nestorii impietas, placuit Patribus ut ad majorem rei confirmationem ambo auditas à se ex ore Nestorii tribus antea diebus blasphemias coram sacrâ synodo edissererent. Atqui propter testimonium sic prolatum nec jure naturali, nec jure canonico à munere judicis arcebantur; ergo.

Obj. 3° : Sacris canonibus præscriptum est, ut tres admonitiones juridicæ totidem diebus distinctis fiant. Ergo eâdem die 22 Junii non potuit Nestorius bis citari, quod tamen factum est. — Resp. hunc usum olim non obtinuisse. Ipsi Patres Ephesini duas priores monitiones Joanni Antiocheno unâ eâdemque die 16 Julii significaverunt actione 4 p. 638 et 642, et Dioscorus in concilio Chalcedonensi generali IV, ter eâdem die citatus est, T. 4 Concil. pag. 384, 396 et 416.

Obj. 4° : Etsi prima actio à primo diluculo in noctem obductam duraverit, liquet tamen tempus causæ Nestorii examinandæ impensum impar tanto negotio fuisse; ergo, etc. — Nego ant. Namque Patres concilii tum antequàm Ephesum se conferrent, tum maximè diebus illis quindecim à Pentecoste usque ad diem Junii 22, quâ actio prima celebrata fuit, elapsis, causæ Nestorii cognoscendæ sese parare potuerant, et reipsà paraverant. Testes sunt Socrates, lib. 7 Hist. cap. 34, et Liberatus, Breviar. cap. 5, episcopus per illud tempus dilationis synodi expendisse quæstionem Incarnationis, et utrùm Beata Virgo Deipara appellanda esset diligenter examinâsse. De re igitur Patribus inauditâ et peregrinâ non agebatur, ut dictum est. Omne litis instrumentum præstò erat. Habebantur testes idonei. Collectæ fuerant SS. doctorum sententiæ, quibus excerpta ex sermonibus Nestorii testimonia conferrentur. Denique ex actis concilii manifestum est Patres primâ illâ actione nihil horum omisisse, quæ ad certam et juridicam inquisitionem poterant desiderari. Vide supra. Ergo, etc.

Obj. 5° : Illud judicium canonicum non fuit quod suffragiis vi extortis latum est. Atqui S. Cyrillus adjuvante Memnone Ephesino episcopo vim Patribus intulit ut eorum adversùs Nestorium suffragia extorqueret. Sic enim loquuntur episcopi Joanni adhærentes in Epistolâ ad populum Constantinopolit. : « Ephesum « advenimus, inquiunt, ac civitatem quidem omni tu« multuationis genere plenam, universam verò syno« dum non mediocriter turbis agitatam, sanctam au« tem Ecclesiam velut mare sævâ quâdam tempestate « jactatam reperimus, Cyrillo Alexandriæ antea epi« scopo et Memnone Ephesino, instar procellæ ter« ram hanc tempestatem concitantibus.... Et ille qui« dem (Cyrillus) quinquaginta episcopos ægyptios, « alter verò plusquàm triginta asianos, et aliquos alios, « hos quidem astu circumventos, illos verò metu in« ductos, congregans, noluerunt quidem commune « sanctissimorum episcoporum undecumque adven« tantium expectare concilium.... Nautas verò clericos« que ægyptios, et agrestes asianos ad episcoporum « domos mittentes, extremaque interminantes, ac in« firmiores perterrefacientes, et domos forinsecùs in« scribentes,.... iniquis ipsorum actis assentiri com« pellebant.... Quare hos quidem tanquàm malorum « auctores deponere coacti fuimus, et ab episcopatu « omninò amovimus : cæteros autem qui horum adju« tores et administri fuerunt, excommunicationis « vinculo subjecimus, pœnitentiam non denegantes, « quin potiùs clementiæ ostium subapertum eis reli« quimus. » Et in Epist. ad senatum Constantinop. : « Comperimus, inquiunt, Cyrillum Alexandrinum epi« scopum, et Memnonem Ephesiorum,.... civitatem « sanctamque synodum turbis tumultibusque com« plêsse ; atque ex nautis ægyptiis, asiaticisque rusti« cis satellitio collecto, tyrannidi suæ ministros quæ« sivisse.... omniaque iniquè et illegitimè perpetrâsse, « sacram sanctæ Pentecostes solemnitatem celebrari « vetuisse, sacra templa invictissimorumque marty« rum ædes præclusisse, ita ut ne orare quidem vo« lentibus licuerit.... Quapropter prædictos Cyrillum « et Memnonem deponere et episcopali munere exuere « compulsi sumus ; reliquos verò tyrannidis ac teme« ritatis illorum fautores et administros, sive metu « adacti, sive fraude quoque allecti fuerint, excom« municationi subjecimus, » etc.

Nego min. Ad probationem, 1° in actis concilii nulla violentiarum hujusmodi quas Cyrillo et Memnoni fautores Nestorii adscribunt, vestigia videntur; quin potiùs apparet contrarium. Vide jam superiùs dicta. 2° Quæ iidem de violentiis illis referunt, omnem fidem superant. Enimverò quomodò comes Candidianus, qui cum copiis, quibus Ephesi imperabat, totus Nestorio patrocinabatur, quique in ejus gratiam tanta molitus est, ejusmodi impetus potestate sibi ad fovendam pacem ab imperatore concessâ non cohibuisset, tantamque in episcopos erga amicum suum propensos vim adhiberi passus esset? Num adeò potentis viri et copiarum ejus præsidio tecti episcopi Cyrillum timuissent, Cyrillum, in quem omnes noverant animum imperatoris (malis Nestorii artibus) valdè esse exacerbatum? Annon ipsis metuendum erat ne comitem offenderent quem loco suo imperator Ephesum miserat? Nonne aulicorum gratiâ cunctos Ephesinos Patres longè vincebat Nestorius ut eventus ostendit? An ipse Cyrillo opibus inferior? an inimicitiarum incapax? an à vi inferendâ et ab artificiis alienus? Nonne ipsum abbatem Basilium et alios quosdam monachos quòd suis erroribus repugnarent, carcere, fame et fustibus, Constantinopoli crudelissimè (1) mulctaverat? nonne,

(1) Vide Basilii et monachorum *supplicationem* ad imperatorem, T. 3 conc. p. 429.

ut ipsis ejusdem Basilii verbis utar, *superbiâ quâ omnes parvipendebat, elatus, pecuniisque et corruptorum quorumdam hominum potentiâ fretus*, omnia audebat, *nullam pœnam iniquis decretam formidans?* Nonne testibus episcopis qui tempore concilii Ephesini Constantinopoli degebant in Rescripto ad commonitorium S. synodi (1), *Nestorii studiosi ecclesiastica omnia ab illo acceperant?* Nonne laicos plures flagellis sævissimè cædi et in exilium mitti (2) effecerat? Nonne in S. Cyrillum suscitaverat viros omni dignos crimine, qui calumnias adversùs illum apud omnes et ipsum inprimis imperatorem spargerent (3)? Nonne, ut ex ipso accepimus, testesque sunt SS. Cœlestinus et Cyrillus (4), in adversarios novitatum suarum censuris severè animadverterat, in sacerdotes videlicet et diaconos depositione, in laicos excommunicatione? Nonne eosdem, et præsertim clericos, minis, vexationibus, artibus malis corrumpere conatus fuerat, multisque exilii pœnam invexerat (5)? Quis porrò, his, quæ indubitata et comperta sunt, perpensis, judicaverit à Cyrillo et Memnone potuisse in episcopos immanem illam vim, de quâ fautores Nestorii conqueruntur, adhiberi, eâque Patrum suffragia adversùs Nestorium extorta fuisse? 3° Si vi à S. Cyrillo et Memnone admotâ inducti fuissent Patres Ephesini ad Nestorium damnandum, à judicio in eum lato tunc procul dubio recessissent, cùm imperator à Nestorii amicis deceptus, rem denuò tractari jussit. Saltem amborum illorum, Cyrilli et Memnonis, depositioni omnes facilè consensissent, ubi, utroque custodiæ militum tradito, comes Joannes juxta imperatoris præscriptum postulavit, ut ii simul cum Nestorio depositione plecterentur, atque ad ineundam cum Orientalibus communionem vario vexationum genere Patres Ephesinos immaniter adigere conatus est. Atqui nemo ex Ephesinis Patribus à sententiâ in Nestorium latâ unquàm recedere voluit, nemo Cyrillum et Memnonem deseruit, nemo depositioni eorum consensit; sed omnes contra postulaverunt sibi reddi episcopos fidei integerrimæ, et eâ de re ad imperatorem scripserunt. Quæ ergo de injustâ vi in episcopos à Cyrillo et Memnone adhibitâ objiciuntur, à Nestorio ejusque asseclis animo factioso conficta fuêre, à Joanne Antiocheno leviùs credita, et ad imperatorem, reginas, senatum, populumque Constantinop. in odium concilii legitimi conscripta.

Quod autem attinet ad solemnitatem Pentecostes quam aiunt Nestorii fautores *celebrari vetitam*, et ad occlusas sacrarum basilicarum fores, observ. 1°, non Nestorium modò, sed neque Cyrillum, neque alios episcopos sacra mysteria solemniter celebrâsse die Pentecostes et Dominicis quæ ad usque incœptum concilium effluxerunt, sed coram ipsis *clericos officium explevisse*. Ita colligitur ex actione 2 conciliabuli Joannis Antiocheni quam exhibet Christianus Lupus variorum Patrum Epist. cap. 12, et ex ipso Baluzius in novâ collectione seu Appendice conciliorum, ubi eadem instrumenta, sed prætermissis Lupi scholiis et notis, integra edidit sub hoc titulo : *Synodicon adversùs tragœdiam Irenæi*. Observ. 2°, id ad jus commune pertinuisse, ut episcopi in alienâ diœcesi solemniter mysteria non celebrarent sine obtentâ facultate episcopi loci in quo degebant; ac proinde, donec concilium incœptum esset, Patres qui Ephesum appulerant, inconsultò aut non invitante Memnone solemniter agere collectas nequivisse. De quo vide eumdem Christ. Lupum in Scholiis ad caput mox citatum. Observ. 3°, in veteribus monumentis non exprimi quâ de causâ Cyrillo facta non fuerit à Memnone illa celebrandi facultas, vel potiùs quare Cyrillus et alii episcopi eâ uti noluerint. Conjici meritò potest Cyrillum et reliquos ita sese gerere voluisse, ut citra ullius offensionem Memnon posset Nestorium juridicè accusatum et à Cœlestino jam damnatum, ad collectas populi faciendas, seu ad solemne sacrificium peragendum non invitare. Nempe omnis Nestorio et ejus fautoribus querendi locus tollebatur, ubi eodem modo ille tractabatur, ac Cyrillus aliique episcopi. Observ. 4°, Nestorium de cætero ut episcopum catholicum à Cyrillo et Patribus Ephesinis habitum fuisse, donec sententiâ concilii damnatus fuerit. Observa 5°, neque Nestorium, neque ejus amicos unquàm dixisse præclusam sibi fuisse magnam B. Mariæ basilicam, in quâ habitum est concilium. Cæteræ ædes sacræ cunctis potuerunt occludi, ne conventus privati et schismatici à Nestorio et ejus asseclis in iis haberentur.

Inst. Si comitis Candidiani et Orientalium relationes nullam fidem meruissent, gesta concilii statim approbâsset pius imperator; atqui tamen non statim, etc.; ergo. Dist. maj.: statim approbâsset, si momenta, quibus ejusmodi relationum elevabatur fides, operâ fautorum Nestorii ipsum non latuissent, concedo; si latuerint, nego. Itaque fatendum est comitis Candidiani, quem tranquillitatis fovendæ causâ Ephesum miserat Theodosius, necnon Joannis et Orientalium relationes in se spectatas magni ponderis imperatori videri debuisse, dùm hunc latuêre momenta quibus infirmabatur earum auctoritas. Atque apud ipsum procul dubio harum fidem illud maximè augebat, quòd Cyrillum ut hominem factiosum et turbarum amatorem imperator jam ante concilium, Nestorii artibus circumventus, haberet (2). Attamen ejusmodi mendacia decipiendo imperatori non sufficissent, si cætera ipsi fuissent perspecta; ideòque, ut omnia cognoscendæ veritatis media ei eriperent, machinas omnes adhibuêre Nestorii patroni.

1° Enim operâ comitum Candidiani et Irenæi aliorumque Nestorii studiosorum, nemo à S. synodo mis-

(1) Ibid. p. 751.

(2) Socrat. *Hist.* lib. 2, cap. 16.

(3) *Apologetic. Cyrilli ad Theodosium* imperatorem, T. 3 Conc. p. 1053.

(4) Item *Epist.* 4, 7, 8 et 12, T. 5 ejus oper. part. 2, p. 22, 31, 33, 34 et 68.

(5) T. 3 Concil. p. 328, 372, 373, 376, 397.

(1) Ibid. p. 360, 369, 372, 429.

(2) Vide Epist. imperatoris ad Cyrillum, t. 3 Concil., p. 433.

sus Constantinopolim pervenire, nullæ ejusdem litteræ imperatori aut aliis quibusvis reddi permittebantur. *Qui Nestorii studiosi erant*, inquiunt episcopi qui tunc Constantinopoli reperiebantur, in Rescripto ad commonitorium S. synodi, *qui Nestorii studiosi erant, ecclesiasticaque omnia ab eo acceperant, veritatem circumveniebant; omnia scilicet, tum navigia, tum publicas quoque vias obsidentes neminem prorsùs à S. synodo Constantinopolim venire, neque inde rursùm ad synodum abire permittebant; ea interim, quæ inimici Christi erant, ultrò citròque deferebantur.* Hæc illi, qui continenter narrant, *Dei providentiâ, epistolam, quæ ex Ephesinâ civitate ad sanctos episcopos et monachos perscripta fuerat, operâ cujusdam mendici, qui in arundine eam inclusam gerebat, tandem redditam fuisse,* adduntque eâ receptâ, *confestim S. Dalmatium aliosque omnes Archimandritas monachorum catervis stipatos, exsurrexisse, hymnosque et psalmos alternantes ad regiam contendisse,* et de omnibus quæ gerebantur imperatorem certiorem fecisse. Vide ibid. Apologiam S. Dalmatii pro S. synodo.

2° Cùm, postulante Dalmatio, imperator jussisset tres à S. synodo episcopos ad se legari, quorum relatione, rerum gestarum cognosceret veritatem, miserunt Nestorii fautores comitem Irenæum ipsi amicissimum, qui litteras Joannis Antiocheni et ejus conciliabuli ad sacram majestatem perferret. Gloriatus est is comes legatos concilii Ephesini à se coram imperatore superatos. Legatorum illorum, utpote Ægyptiorum, et Cyrillo addictissimorum, facilè potuit fides suspecta reddi. Quidquid sit, ne vera rerum conditio imperatori innotesceret, ita tunc effectum est ut in *Epistolâ* ad omnes indiscriminatim episcopos qui Ephesi aderant à Joanne sacrarum largitionum comite perlatâ ipsisque recitatâ, imperator scripserit se et *Nestorii, et Cyrilli ac Memnonis exauctorationem* AB EORUM SANCTITATE *sibi indicatam approbare.* Ad quæ verba respiciens sacra et orthodoxa synodus in Rescripto ad imperatorem sic habet: *Vestræ serenitatis litteræ modò per magnificentissimum gloriosissimumque comitem Joannem nobis lectæ... ostendunt imposturam quampiam et mendacium veraces vestras aures obturbavisse. Perinde namque sonant, ac si majestas vestra litteras à nobis accepisset, quæ Cyrilli sanctissimi sacratissimique episcopi, et Memnonis sanctissimi Deoque dilectissimi coepiscopi nostri depositionem continerent.* Subduntur plurima quibus utriusque defensio validè suscipitur. Tunc igitur veritas non potuerat Theodosio sic celari, ut Nestorii depositionem non perspiceret esse firmandam; sed simul de Cyrillo et Memnone adeò deceptus fuerat, ut utriusque exauctorationi cæteros omnes consentire arbitraretur, ambosque Ecclesiæ paci dandos esse putaret.

3° Joannes sacrorum comes, qui initio mensis Augusti 431 Ephesum advenit, *quæ utilia perspiceret*, ea, auctoritate imperatoris, *perfecturus*, brevi cognovit episcopos S. synodi nunquàm Cyrilli et Memnonis depositioni consensuros, neque cum Orientalibus, nisi isti utrumque absolverent, Nestoriumque et ejus dogmata condemnarent, esse communicaturos. Cùm verò, ut ipse ad imperatorem scribit, *omnibus consiliis et operibus ejus interesset Candidianus comes*, mirum non est eum tum agendi ratione, tum in relatione ad imperatorem Joanni Antiocheno favisse, sacræ verò synodo fuisse adversatum. Primò itaque Cyrillum et Memnonem Jacobo comiti arctè custodiendos tradidit, Nestorium autem Candidiano. Tum variis modis episcopos orthodoxos immaniter vexavit, ut eos ad fines suos adduceret. Eos in urbe sic constrinxit, ut nequidem auræ purioris captandæ causâ è civitate egredi permiserit. Iisdem omni interdixit commercio litterarum, quibus potuisset Theodosius de luctuoso ipsorum statu edoceri. Interim verò Cyrillo et Memnoni ut episcopis depositis exilium parabatur, quod S. Dalmatius impedivit. Hæc omnia accuratè narrata lege apud Tillemontium in Cyrillo Alexandrino, art. 79, etc.

Hæ igitur fuére artes quibus deceptus Theodosius à suscipiendâ sacrâ synodo retardatus est. At cùm octo ex unaquâque parte selectos episcopos, quos ad se mitti jusserat, Chalcedone audivisset, per semetipsum tandem exploratâ rerum veritate, sanctæ synodo se toto corde subjecit, et ejus judicium voluit accuratè observari; proindeque agendi ratio Theodosii erga Ephesinam synodum novum est sententiæ ejus canonicitatis argumentum.

Obj. ultimò: Joannes Antiochenus cum suis expectari debuisset. 1° Enim is erat unum ex capitibus Ecclesiæ orientalis. 2° Notum erat tum Litteris Joannis ad S. Cyrillum humanissimè scriptis, tum præcipuè ex magistrianorum, quos Candidianus miserat, relatione, Joannem quinque solùm dierum spatio Epheso abfuisse, cùm actio prima celebrata est, eumque *propediem* adventurum. 3° S. Cyrillus Epist. ad Joannem *biduò ante habitum* concilium datâ pollicitus fuerat futurum ut *universa synodus adventum ejus præstolaretur*. Ita testatus est Joannes ipse in Epistolâ ad imperatorem et in Relatione ad reginas. 4° Comes Candidianus, quem loco suo Ephesi esse voluerat Theodosius, Joannis adventum instare cognoscens, nihil intentatum reliquit, quemadmodùm ipse refert in actis concilii Joannis, ut Cyrillum aliosque episcopos ad differendum quinque diebus judicium induceret. 5° Præpropera concilii festinatio, schismati, quo Ecclesia duobus annis scissa est, infelicem causam attulit. 6° Nestorius promiserat se ad synodum accessurum, ubi *omnes episcopi simul convenissent*: ergo.

Nego ant. et dico 1° nullo jure ad eum expectandum Patres fuisse adstrictos. Quod ut evidentissimè probetur, satis superque est 1° actionem priorem non fuisse celebratam nisi elapsis diebus plurimis ab eo tempore quod, nullâ quibusvis episcopis relictâ dilationis excusatione, præstitutum fuerat; 2° Patres numero et auctoritate causæ expendendæ et judicandæ tunc fuisse sufficientes; 3° Non fuisse illicò dissolutum concilium, ac proinde gesta priora recognoscendi et approbandi non ereptam fuisse Joanni facultatem quâ legati romanæ Sedis usi sunt. Atqui ex dictis inter probationes, et in solutione primæ objectionis, hæc

tria constant. Ergo ad expectandum Joannem Antiochenum Patres Ephesinos nullum jus alligabat. Ubi observa vel hoc uno ostendi, malè ob Joannem non expectatum impeti canonicitatem judicii actione 1 lati.

Dico 2° gravioribus œconomiæ et sapientis dispensationis rationibus motum fuisse sacrum concilium ad cognoscendam Nestorii causam ante adventum Joannis Antiocheni.

Prima fuit, quam notant Patres in Relatione ad imperatores de Nestorii depositione, his verbis : *Cùm omnes juxta præstitutum nobis terminum Ephesum venissemus,* inquiunt, *accidit ut Joannes.... adventum suum differret. At nos itineris difficultatem tarditatis causam rati, post terminum nobis à vestrâ majestate præfinitum elapsum, sexdecim totos dies sessionem distulimus.* Nempe judicârunt Patres se Joanni sat temporis concessisse, ut, si ita tulisset ejus voluntas, venire potuisset. Non ignoro Joannem in Relatione suâ ad Theodosium contendisse majorem à se, variis de causis, quas exponit, non potuisse diligentiam adhiberi ; atque ipsum quoque ab Evagrio lib. 1 Hist. cap. 3, et Nicephoro lib. 14, capite 34, excusari. Ubi observa obiter cum Christiano Lupo in Schol. et notis ad var. Epist. cap. 7, rationem quâ isti præcipuè insistunt, quòd nempe Joanni ante profectum suum celebrandæ fuerint octavæ Paschales, ne memoratam quidem unquàm à Joanne fuisse. Sed quidquid sit de causis quibus ille à culpâ eximi potest ; hìc non tam inquirendum quid, habitâ ratione singularium quarumdam circumstantiarum, non potuerit Joannes, quàm quid de ejus tarditate prudenter sentire debuerit sacra synodus. Atqui hunc de industriâ morari meritò judicatum est. 1° Enim à festo Paschali, quod erat tempus profectioni ab imperatore (1) fixum, ad usque diem à Pentecoste decimam sextam, quâ prima actio celebrata est, dies intersunt 65 ; Antiochia verò triginta tantùm dierum spatio ab Epheso dissita est, ut Evagrius loco mox citato scribit. 2° Juvenalis Jerosolymitanus die 5 post Pentecosten (2) Ephesum advenerat, etsi Jerosolyma longiùs Epheso distet quàm Antiochia ; pariterque Joannem *anteverterant* plures alii, *qui longè majori viarum intercapedine distabant* (3). Cùm ergo magnam adhiberi diligentiam jussisset imperator, *nec ullam vel apud Deum, vel apud se habituros excusationem declarâsset, qui statim impigrè secundùm significatum tempus ad destinatum locum præstò non forent* (4) ; meritò à Patribus judicatum est Joannem moras nectere, seu quòd fictâ *cunctatione*, illius (Nestorii) *improbitati gratificaretur*, ut postea ex eventu collegit S. Cyrillus in Apologetico ad imperatorem ; seu, ut Patribus tunc visum est, *quòd metueret ne fortè reverendissimus Nestorius, qui ex illius Ecclesiâ assumptus fuerat, loco suo moveretur ; quæ res ipsi fortassè justum pudorem incuteret.* Verba sunt ejusdem S. Cyrilli Epist. ad quosdam de clero Constantinop. Secundam rationem ita exprimunt Patres Ephesini in eâdem ad imperatorem citatâ relatione : *Alii sanctorum episcoporum* (qui tempore præfixo Ephesum se contulerant), *senio confecti, in exterâ regione morari non sustinebant ; alii adversâ valetudine in periculum vitæ adducebantur ; nonnulli quoque ex illis in hâc Ephesiorum metropoli diem extremum obierunt ; quidam verò rerum penuriâ constricti, nos adeuntes instanter urgebant, ut mox audientiam auspicaremur.* Tertia ratio est, *Alexandrum Apameæ, et Alexandrum Hierapolis religiosissimos episcopos, quos* Joannes Ephesum *præmiserat*, quique die Junii 21, pridie quàm inciperet synodus, hùc advenisse meritò judicantur (1), nomine ejusdem Joannis Patribus de ejus tarditate conquerentibus *significâsse ut rem propositam aggrederentur.* Sic ipsi Patres in Relatione ad imperatorem laudata verba illorum episcoporum interpretantur ; S. verò Cyrillus in Epist. ad quosdam de Clero Constantinop. ipsa eorum verba sic refert : *Præcepit nobis Dominus Joannes episcopus, ut vestræ pietati dicamus : Si tardavero, quod facturi estis, id faciatis.* Uterque tamen ille Alexander actioni primæ concilii interesse noluerunt, et protestationi adversùs concilium subscripsisse reperiuntur apud Christ. Lup. var. epist. cap. 7. Sed nihilominùs reverà dixerunt quæ Patres concilii et S. Cyrillus ab iis dicta fuisse confidenter affirmant ; observatque S. doctor in Apologet. episcopos illos à Joanne Antiocheno, quòd ejus nomine hæc significâssent, nunquàm fuisse mendacii accusatos. *Eos*, inquit, *qui adventum ejus præcucurrerunt, et sacræ synodo denuntiaverunt ipsum expectandum non esse, nec se venisse sponte, sed ipsius mandata ferentes, cur non potius exosos habuit ut mendaces ac seductores, sed eosdem inter præcipuos amicos habet ?* Ergo non modò nullo jure ad expectandum Joannem S. synodus tenebatur, sed contra gravioribus rationibus mota est ad eum non expectandum.

Jam ad ea quæ in probationem allata sunt, sigillatim respondeo. Ad primum, etsi Joannes unus esset è capitibus Ecclesiæ orientalis, attamen eo absente sacra synodus causæ Nestorii expendendæ et judicandæ par erat, ut dictum est. Satis ergo fuit ipsum (ut cunctis videbatur) cunctantem expectari diebus sexdecim, nec ipsi auferri facultatem recognoscendi acta iisque subscribendi. Quid quòd potuisset S. synodus rationes tantæ dilationis ab eo postulare. Ad secundum, constabat quidem ex epistolâ Joannis ad Cyrillum et ex magistrianis non ampliùs quinque aut sex dierum spatio abfuisse Joannem ; at in epistolâ ad S. Cyrillum itineris molestias ita exaggerabat, ut certum esse non posset an non diuturniores moras is esset tracturus. Præterea, satis superque expectatus, per præmissos à se episcopos S. synodo *significaverat, ut rem propositam* Patres *aggrederentur*. Ad tertium,

(1) Vide epist. Theodosii ad convocandum concil. missam, t. 3 conc. p. 437.
(2) Socrat. lib. 7 Hist. cap. 34.
(3) Relat. synodi ad Cœlestin. t. 3 Conc. p. 659.
(4) Epist. mox citatâ.

(1) Vide Christian. Lupum in Schol. et not. ad var. epist. cap. 7, p. 29, et Tillemont. in S. Cyrill. notâ 37, t. 14.

epistola sancti Cyrilli ad Joannem data fuerat die 20 Junii, biduò scilicet ante primam concilii actionem; postea verò, nempe die 21, ab utroque Alexandro S. synodus accepit, ut diximus, hanc esse Joannis mentem ut res proposita perageretur. Ergo, etc. Deinde dici potest universam synodum, ut S. Cyrillus scripserat, Joannis adventum *præstolatam esse*. Siquidem, cùm Joannes Ephesum advenit, conclusa nondùm erat sacra synodus, legavitque ipsa episcopos qui ei appropinquanti obviàm irent, eumque de Nestorii depositione certiorem facerent, ne illum ut episcopum ipse inviseret; quos quidem legatos à militibus quibus erat stipatus repelli jussit, nec eos pluribus horis præstolatos audire consensit, nisi post celebratum suum conciliabulum, quod itineris *pulvere adhuc aspersus* habuit, et in quo Cyrillum et Memnonem nec auditos nec citatos deponere ausus est. Confer Epistolam Memnonis ad clerum Constantinop. t. 3 Concil. p. 762 et 763, cum actis conciliabuli Joannis ibid. p. 594. Ad quartum, 1° comes Candidianus ad tranquillitatem fovendam missus fuerat, non ad diem quà concilium celebrandum esset determinandam. Ejusmodi diem litteris suis condixerat imperator; congregatisque episcopis numero et auctoritate liti expendendæ sufficientibus, nulla esse poterat majoris dilationis necessitas. 2° Non modò Joannis Antiocheni, sed et cæterorum episcoporum, qui ex Italiâ et Siciliâ proficisci debuerant, volebat Candidianus adventum expectari; ac metuendum erat ne Joannes, qui fictæ cunctationis in suspicionem veniebat, eamdem quoque sententiam post adventum suum amplecteretur; quo posito sacræ synodi initium in diem incertam rejectum fuisset. Ad quintum, agendi ratio Joannis, non festinatio concilii, schismatis causa extitit. Certè episcopos ad se à concilio missos audire debuisset, ad sacram synodum accedere, acta concilii secum communicari postulare, si quid in iis sibi videretur esse reprehendendum, immutandum, aut exponendum, illud mediâ in synodo objicere, de dogmate cum Cyrillo et aliis episcopis amicè colloqui; denique non debuisset affectibus humanis, doloris, iræ, Nestorii amicorum imprimisque comitum Candidiani et Irenæi instigationibus se tradens, ipso adventûs sui die, confestim congregatis episcopis quibusdam, causâ non cognitâ, et ex unius Candidiani relatione, ne auditis quidem præsulibus ad se à concilio delegatis, Cyrillum et Memnonem exauctorare, et integram ducentorum Patrum synodum anathemati subjicere. Hæc à legibus omnibus abhorrens Joannis agendi ratio schismatis sola causam attulit. Ad sextum, Nestorius ad defendendam coram synodo legitimâ causam suam juridicè vocatus, se sistere debuisset, non tergiversari; hæreseosque convictus, meritò ut contumax condemnatus est.

Conclusio III. S. Cyrilli agendi ratio in causâ Nestorii malè redarguitur, quæ potiùs maximè laudanda est. Probatur 1° eorum consideratione quæ S. doctor in hâc causâ, seu ante synodum Ephesinam, seu post eam synodum, seu Ephesi gessit.

Et 1° quidem inductione liquet præcipua gesta ejus ante synodum Ephesinam, ipsi non posse vitio verti. Enimverò, 1° nulla alia ipsi fuit dissensionis cum Nestorio causa præter profanas istius novitates (1). 2° Epistolæ ad solitarios Ægypti, quam adversùs Nestorii errores primam vulgavit, summa fuit episcopo Alexandrino conscribendæ necessitas. Priores namque Nestorii homiliæ ad illos usque solitarios pervenerant, qui maximè conturbabantur tum earum lectione, tum ab hominibus quibusdam eorum fidei simplicitatem subvertere conantibus, et, utrùm Maria vocanda esset *Deipara*, in dubitationem adducentibus. Duos priores Nestorii sermones hâc epistolâ S. Cyrillus confutat; at ita parcit personæ, ut nec ejus appellet nomen. Scripta est anno 429, paulò post Pascha, quod illo anno incidit in diem 7 aprilis (2). 3° Nihil sapientius, moderatius ac generosius epistolâ primâ, quam S. doctor ad Nestorium scripsit, cùm rescivisset eum molestè ferre se in epistolâ ad solitarios refutatum. In hâc primâ ad Nestorium epistolâ significat S. Cyrillus multorum scandalorum causam afferri iis sermonibus qui sub ejus nomine divulgabantur; nempe ad eum leniùs in viam reducendum, utrum ipsius essent illi sermones videtur dubitare. Rogat ut, si quid ipsi incauto exciderit, illud emendare dignetur, nec *Deiparam* dicere reformidet. Demùm addit se à defendendâ divinitate Christi non potuisse temperare, et pro eâ usque ad extremum vitæ pugnaturum. Exarata est hæc epistola an. 429, an æstate, an autumno, non satis compertum est (3). 4° Ex elatâ Nestorii responsione, quæ tom. 3 concil. p. 315 legitur, nihil se inprimis suis litteris profecisse intelligens S. Cyrillus, secundas ad Nestorium dedit litteras in quibus apertâ dogmatis catholici expositione, eum ad avitam fidem revocare conatur; cujus quidem consilii sapientiam nemo non videt. Ejusmodi litteras secundas ad Nestorium jam non semel laudavimus (4). Dogma catholicum de duplici naturâ et unicâ personâ Christi in iis tam dilucidè explicatur, ut à conciliis contra Nestorium et Eutychen ex æquo approbari meruerint. Scriptæ sunt anno 430 post diem 26 Januarii et ante Februarii 14. 5° Jam supra annotavimus Nestorium in concepto errore malè constantem dogmaticæ S. Cyrilli epistolæ animo acerbo et superbiæ pleno, ac parùm sincerâ fide respondisse. Tunc judicavit S. Cyrillus è re catholicâ esse, ut de Divinitate Christi et unicâ in eo Verbi divini personâ ad Theodosium imperatorem, ad sponsam ejus Eudoxiam, ad Pulcheriam Augustam et ejus sorores scriberet, ne scilicet artibus Nestorii eorum fides corrumperetur. In scriptis quæ ad eos omnes direxit, se fidei orthodoxæ strenuum defensorem ostendit, tacitoque Ne-

(1) Vide Epist. 7 S. doctoris, t. 5 ejus operum, edit. Paris. 1638, p. 31; et alteram ejusdem, t. 3 Conc. p. 440, 441.

(2) Habetur t. 3 Concil., p. 19, et apud S. Cyrill. t. 5, part. 2.

(3) Legitur t. 3 Concil. pag. 313, et ap. S. Cyrill. t. 5.

(4) Extant t. 3 Conc. p. 315 et seqq., et ap. S. Cyrill. t. 5, part. 2.

storii nomine ejus errorem cum magnanimitate confutat (1).

6° Non priùs ad Cœlestinum sum. pontificem Nestorii causam S. præsul detulit, quàm accepisset ipsummet Nestorium, spe Ecclesiæ romanæ ad suam sententiam adducendæ, huic scripsisse pontifici, eidemque homilias suas per Antiochum virum illustrem et præpotentem misisse. Quapropter latori litterarum suarum Possidonio diacono injunxerat, ne eas Cœlestino redderet, si ad eum litteræ Nestorii non pervenissent (2). 7° Delegatus à Cœlestino ut latam in synodo Romanâ adversùs Nestorium sententiam ipsi denuntiaret, totius Ægypti synodum Alexandriæ propter illud negotium convocavit, ut scilicet consultiùs res ageretur, et majus denuntiationi pondus adjiceretur. Fatendum quidem est ipsum in epistolâ quam ex hoc concilio ad Nestorium misit (3) et in anathematismis illâ contentis, potuisse clariùs exponere ac magis inculcare fidem de duabus in Christo naturis integris et inconfusis. Sed de eo dogmate non agebatur. Unus erat S. doctori scopus, ut fidem unius in Christo personæ subscribendam Nestorio proponeret, variisque ejus ambiguitatibus et effugiis obviàm iret. Satis ergo fuit, dùm hæc executus est, dogma duplicis naturæ ab ipso relinqui illæsum. Si idcircò vituperetur ille, quòd aliquando majori cautione fortè potuisset malevolorum interpretationes pravas antevenire, jam cum ipso vituperandi venient SS. doctores quotquot profligandis quibusvis hæresibus feliciter allaborârunt. Hactenùs ea attendimus quæ ante synodum Ephesinam in causâ Nestorii S. Cyrillus egit, eaque gloriæ, non vituperationi comperimus ipsi esse debere.

2° Quæ gessit Ephesi non minùs laudanda sunt. Indubitatum est S. doctorem in retinendâ voce *Deiparæ*, et in damnando Nestorio magnam Ephesi habuisse partem; illius præsertim operâ eas Patrum auctoritates, variaque Nestorii testimonia collecta fuisse, quæ in mediâ synodo lecta sunt, et ad instruendam litem magno usui fuerunt; demùm à latâ in Nestorium sententiâ S. præsulem nullâ ratione, nullâ vi potuisse dimoveri. In his porrò duo attendi debent, res ipsa nempe et modus quo ea gesta est. Rem S. doctori laudi esse dandam evincunt argumenta quibus supra ostendimus Nestorium hæresi fuisse infectum, et canonico judicio damnatum. Modus verò quo illud negotium S. Cyrillus promovit, si actis et concilii ejusque synodicis relationibus et epistolis stemus, omni pariter justâ reprehensione caret, ut ex dictis conclusione 2 facilè colligere est. Quas autem ex actis conciliabuli Joannis Antiocheni accusationes accersunt S. præsulis obtrectatores, de vi ab ipso in episcopos adhibitâ, etc., eas jam diluimus in resp. ad object. adversùs 2 conclus.

3° Post concilium, Ecclesiæ utilitati ac paci restaurandæ se victimam præbuit. Injuriarum sibi à Joanne aliisque Orientalibus illatarum immemor, easque libenter Ecclesiæ bono concedens, pro illis sibi satisfieri nunquàm postulavit. Auctor fuit pontifici Cœlestino, ut unius Nestorii damnatione contentus, cæteris qui ipsius partibus faverant (dummodò ejusdem Nestorii proscriptioni consentirent), portam reconciliationis aperiret; scriberetque ad omnes Ephesinæ synodi episcopos, ut unam dogmatum Nestorii condemnationem à Joanne et ab Orientalibus postularent; quod quidem S. doctoris consilium secutus est Xystus III, qui Cœlestino interim mortuo successerat. Ne schismatis extinctioni et unitatis restitutioni ullà in re obesset; cum Joanne Antiocheno, Theodoreto, et aliis Orientalibus humanissimè egit; pro suî et anathematismorum suorum defensione longè moderatiùs scripsit quàm ab adversariis fuerat impugnatus; in hæreses, de quibus falsò et immeritò accusatus fuerat, anathema intorquere, duasque in Christo naturas, quantùm ad rem ipsam, ita clarè exprimere et profiteri sategit, ut ipse Theodoretus ejus probaverit doctrinæ expositiones. Scripta quidem à se in Nestorium vulgata, anathematismosque suos proscribere noluit, et meritò sanè; sed eorum nullam, in concludendâ pace, mentionem fieri consensit, etsi satis prævideret inimicos suos ex illo silentio occasionem capturos spargendi in vulgus eum doctrinam suam emendâsse. Tandem professionem Joannis Antiocheni aliorumque ejus episcoporum orthodoxam libentissimè suam fecit: cùmque fidem catholicam, et concilii œcumenici auctoritatem in tuto positas vidit, pacem sine cunctatione conclusit. Quæ quidem omnia ex instrumentis innumeris constant. Vide duas epistolas Xysti III, Rom pontif. ad S. Cyrillum apud Cotelerium in Eccles. Græcæ monumentis, edit. Paris. 1677, et seq. t. 1, pag. 42 et seq. ad 47; Epistolam S. Cyrilli ad Joannem Antiochenum pro concludendâ cum Orientalibus pace, t. 5 Concil. p. 1105, et t. 5 Oper. Cyrilli part. 2, p. 104; Epist. alteram Cyrilli ad Acacium Beroeensem apud Balusium in Appendice conciliorum, ed. Paris. 1683, p. 746, 747; Epistolas Cyrilli ad Theognostum, Joannis Antiocheni ad Cyrillum, Cyrilli item ad Donatum, ad Maximianum, etc., loco citato Operum S. Doctoris p. 152, etc.

Probatur 2° conclusio ex judicio quod Ecclesia et SS. Patres de S. Cyrilli scriptis, laboribus et virtutibus tulerunt. Scripta ipsius, præsertim verò secunda ejus ad Nestorium epistola, et ejusdem ad Orientales rescriptum, doctrinæ catholicæ regula habita sunt. Secundam ad Nestorium epistolam approbârunt Romana synodus, quam Cœlestinus ad causam Nestorii cognoscendum coegit, synodus Alexandrina totius Ægypti; concilium Ephesin. particularibus singulorum Patrum suffragiis; concilium Constan. sub Flaviano habitum anno 448; concilium Chalcedonense generale IV, tum actione 1, dùm scilicet Patribus lectus est locus concilii Constantinop. mox citati in quo hæc epistola comprobatur, tum actione 5, in definitione fidei, ubi etiam approbatur epistola S. doctoris ad Orientales. Idem concilium actione 2, S. Leonis doctri-

(1) Extant hæc scripta t. 3 Conc. p. 46 et seqq. et 105, 225, et t. 5 Op. S. Cyr. part. 2.
(2) Vide t. 3 Conc. p. 579 et 451.
(3) Habetur t. 3 Concil. p. 395, et ap. S. Cyrill. t. 5, part. 2.

nam probat ut S. Cyrilli doctrinæ consentaneam. SS. Pontifices Cœlestinus et Xystus III summis laudibus S. Cyrillum extulerunt (1). S. Leo Anatolium, ut de fide Ecclesiæ instrueretur, ad epistolam à S. Cyrillo Nestorii refellendi et sanandi causâ conscriptam remittit Epist. 52 et 154 (2). Eusebius Dorylæensis in concilio Constantinop. jam citato (3) ut tesseram fidei adversùs Nestorium et Eutychem proposuit secundam S. Cyrilli ad Nestorium epistolam, quam inquit, scripserat S. Cyrillus *habens amorem Dei et zelum fidei*. S. Flavianus ibidem (4) ait S. *Spiritûs verbis resistere* eum qui epistolæ S. Cyrilli adversatur; et Basilius Seleuciensis (5) tradit sapientiâ S. Cyrilli compressam fuisse impietatem Nestorii, aliàs toto orbe obtenturam. Idem Basilius in Epist. episcoporum Isauriæ ad Leonem imperatorem (6) scribit S. doctorem *uno fonte et iisdem syllabis à se conscriptis, et impietatem Nestorii perculisse, et contra zizania pravæ sectæ Eutychis... falcem sectionis apertissimè præparâsse*. Theodoretus in conc. Chalced. actione 2 (7), ad firmanda quædam epistolæ S. Leonis loca adduxit testimonium aliquod S. Cyrilli in quo S. doctor eodem modo loquitur ac S. Leo. Idem Theodoretus, qui Cyrillo tantoperè adversatus fuerat, ejus scriptorum auctoritate contra Eutychianos usus est, eum primis orbis luminibus accensens, Epist. 83, et Dial. 2 (8); Theodosius imperator anno 448, ultricibus flammis tradi jussit quæcumque scripta concilio Ephesino et doctrinæ S. Cyrilli non consentirent.

Innumera alia afferri possent in gratiam S. Cyrilli testimonia; sed quibus hæc vindicando S. doctori satis non erunt, nulla etiam alia sufficerent.

Dices 1° : S. Isidorus Pelusiota ad ipsum S. Cyrillum, cujus amicissimus erat, scribens, eum redarguit quòd odio impulsus, propriasque *inimicitias persequens et ulciscens*, Nestorii damnationem promovisset; quem admodùm avunculus ejus et prædecessor Theophilus, *adversùs S. Joannem* Chrysostomum episcopum Constantinop. *furorem effuderat*. Habetur hæc epistola lib. 1 Operum S. Isidori, Epist. 310, et laudatur à Facundo Hermianensi lib. 2, c. 4. Eodem etiam modo apud Facundum loco citato Gennadius Constantinop. invehitur in S. Cyrillum, quem vocat *secundum væ malum Alexandriæ*. Dist. ant.: S. Isidorus Pelusiota ex rumore à Nestorii fautoribus sparso hæc scripsit, quorum postea falsitatem agnovit, concedo; secùs, nego. Amicum suum S. Cyrillum, quem consiliis et monitis adjuvare consueverat, S. Isidorus in epistolâ laudatâ admonet eorum quæ adversùs ipsum divulgabantur, non verò hæc à se pro certis haberi significat. *Multi*, inquit, *ex iis qui Ephesi coacti sunt, te traducunt ut tuas inimicitias persequentem et ulciscentem*, etc. Horumce porrò rumorum falsitatem à S. Isidoro deinde fuisse agnitam, patet ex epistolâ ejusdem lib. 1, 324, in quâ, veritus ne nimio pacis studio Cyrillus ultra metas abriperetur, eum adhortatur ut in susceptâ veritatis defensione præstet immobilis. *Te oportet*, inquit, *vir admirande, firmum atque constantem semper manere : sic nempe ut nec metu cœlestia prodas, nec tecum ipse pugnare videaris*, etc.

Quod ad Gennadium Constantinopolitanum attinet, hæc et alia quæ refert Facundus, adversùs S. Cyrillum scripsit, quòd ejus anathematismos malè intelligens, arbitraretur S. doctorem contendere *divinam Christi naturam et impassibilem passionibus subjacere*. Quapropter eis Facundus assentitur qui Gennadium excusabant quoniam *potuerat de christianâ fide quæ recta sunt credens, non intellectum beatum Cyrillum bonâ intentione culpare*. Illa verò procul dubio scripsit Gennadius antequàm ad sedem Constantinopolitanam eveheretur, imò ante pacem cum Orientalibus anno 433 redintegratam, cùm scilicet Maximianus, Nestorii loco suffectus, anathematismos à S. Cyrillo proscribi postulabat.

Dices 2° : Solo odio moveri potuit S. Cyrillus ad urgendum tanto impetu Nestorii judicium, ut unicâ actione causa ejus instructa fuerit et definita; ergo, etc. Nego ant. Fatendum est in expendendâ et definiendâ Nestorii causâ S. Cyrillum et Patres Ephesinos maximâ usos esse diligentiâ. At 1° concedendum quoque eos tamen in ejusmodi ferendo judicio præscripta canonum transgressos non esse. 2° Malè et temerè odio Cyrilli in Nestorium, potiùs quàm studio fidei adscribitur S. synodi diligentia. Etenim, quamvis firmissimis constaret argumentis, idcircò ejusmodi fuisse adhibitam in deponendo Nestorio celeritatem, quòd timerent Patres ne post Joannis Antiocheni adventum ea depositio difficiliùs statueretur, non ideò S. Cyrillus dicendus esset odio eum voluisse opprimere. Certè erroris christianæ religionis eversivi postulabatur et manifestus erat Nestorius, ut ex dictis liquidum est. Metuendum erat ne Joannes, Ecclesiæ suæ, è cujus clero Nestorius assumptus fuerat, honori plus æquo consulens, et præterea hominis personæ addictissimus, de anathematismis S. Cyrilli, quos non intelligebat, magnas in concilio turbas excitaret, negotii consummationem in longum duceret, aliosque adhuc episcopos expectandos esse contenderet; errore interim grassante novasque vires serpendo in dies acquirente. Ergo tarditas et procrastinatio, quæ plerisque in rebus odiosa est, hic summè erat periculosa. Ergo studio fidei Cyrillus et Ephesini Patres moveri potuerunt, et reipsà moti sunt ad sententiam canonicam adversùs Nestorium sine cunctatione ferendam; proindeque eorum diligentia præteritæ Cyrilli in Nestorium simultati præposterè et perversè attribuitur.

§ 3. *De agendi ratione et fide Joannis Antiocheni aliorum que qui Nestorio patrocinati sunt.*

Conclusio. Joannis Antiocheni et ejus conciliabuli

(1) Vide t. 3 Concil. p. 376, 377 et 1077, et *Monum. Græc.* Cotolerii t. 1, p. 42, etc.
(2) Edit. Quesnel. t. 1, p. 343 et 714.
(3) T. 4 Conc. p. 157.
(4) Ibid. p. 175.
(5) Ibid. p. 181.
(6) Ibid. p. 925.
(7) Ibid. p. 369.
(8) Edit Paris. 1642, t. 3, p. 959, 960, et t. 4, p. 110 et 111.

in synodum Ephesinam agendi ratio à legibus abhorrens et schismatica; nec ipse tamen, nec Orientales episcopi (paucissimis tantùm exceptis) hæresi Nestorianæ adhæserunt.

Probatur prima pars, nempe schismaticam planè fuisse agendi rationem Joannis Antiocheni ejusque conciliabuli. Nam 1°, Joannes in suo conciliabulo contra Cyrillum et Memnonem jurisdictioni ejus nullâ ratione subjectos sententiam depositionis tulit (1). 2° Nullâ observatâ juris formâ, et paucis tantùm episcopis stipatus (2), adversùs ducentos episcopos in concilio œcumenico congregatos anathema intorquere ausus est (3). 3° Nihil intentatum reliquit ut utrumque illud facinus apud imperatorem defenderet, ejusque auctoritate hæc iniqua et abnormia decreta confirmari impetraret (4). 4° Variis epistolis, variisque synodis Tarsi et Antiochiæ eâ de re habitis, patriarchatûs sui Ecclesias ad partes suas adversùs S. Cyrillum et synodum Ephesinam amplectendas impulit, et sententiam conciliabuli confirmavit (5). Atqui manifestum est ejusmodi agendi rationem à legibus planè abhorrere et schismaticam esse: ergo, etc.

Frustra, ad excusandum Joannem et ejus episcopos, opponeres sic eos se gessisse 1° quòd Nestorio amicitiâ conjuncti hunc ab hæresi immunem facilè arbitrarentur et præproperâ celeritate damnatum; 2° quòd existimarent S. Cyrilli anathematismos Apollinarismi labe infectos et à synodo Ephesinâ approbatos. Enimverò ex dictis liquidò constat illa duo, nempe Nestorium absolvendum et damnandos anathematismos, immeritò ab iis credita fuisse. Atque etsi utrumque gravissimis conjecturis ducti opinati fuissent, nihilosecius tamen summè culpanda esset et prorsùs inexcusabilis eorum agendi ratio. Quid ita? quia abnormis omninò illa fuit et canonibus repugnans; quia malo, quod inductum falsò putabant, augendo lugendæque divisioni invehendæ solùm idonea; quia alia minùs violenta, legibus magis consentanea et efficaciora media potuissent adhiberi. Vide S. Cyrillum in Apolog., tom. 3 Conciliorum, pag. 1044.

Probatur secunda pars, scilicet Joannem Antiochenum, et episcopos orientales (paucissimis exceptis) Nestorianæ hæresi non adhæsisse, 1° inspectione eorum quæ in causâ Nestorii ab iis peracta et scripta sunt. Antequàm haberetur Ephesina synodus, Joannes ad Nestorium scripsit egregiam epistolam à nobis jam supra laudatam, in quâ unius personæ dogma disertissimè exprimit, Virginem dicendam esse *Deiparam* contendit, ac Nestorium, à quo solùm vocis Θεοτόκον usum, non sensum, rejici supponebat, magnoperè hortatur, ut illud « nomen quod à multis sæpè Patri- « bus usurpatum, scriptum ac pronuntiatum est, ad- « jungere non gravetur; neque vocabulum, quod piam « rectamque notionem animi exprimit, refutare per- « gat. » Additque « non solùm se hanc epistolam di « ctâsse, sed præsentibus multis episcopis..... in fidei « doctrinâ instructissimis et Nestorii studiosissimis, » horumque sex nominat, inter quos notandus venit celebris Theodoretus episcopus Cyri.

In actis conciliabuli, quod stante synodo Ephesinâ habuit, in relationibus et in epistolis inde missis, in variis eorum, quæ postea in gratiam schismatis egit, superstitibus instrumentis, fidem unius in Christo personæ nusquàm læsam deprehendes. Anathematismos quidem S. Cyrilli perpetuò rejicit, nimiâque celeritate et vi adhibitâ damnatum Nesterium contendit; at anathematismos malè intelligens pravos Apollinaris sensus iis affingebat, et dogmatum Nestorio adscriptorum defensionem nullâ ratione suscepit. Quid quòd illa ipsa fidei professio quam, ut mox dicemus, Cyrillus pacificâ suâ epistolâ approbavit, Ephesi medio in æstu litigii post adventum comitis Joannis fuit edita, et in relatione ejusdem Joannis tunc temporis ad imperatorem missâ, quam Lupus, publici juris fecit, continetur. Vide Lup. Epist. Varior. Patr. cap. 17, edit. Lovan. 1682, p. 52, et Notas Lupi ad idem caput, p. 70 et 71. Ex quo autem anno 432 de pace agi cœptum est, manifestè apparuit Joannis et plerorumque Orientalium fidem semper mansisse integram et illibatam. Nam 1°, ubi primùm Joannes prospexit S. Cyrillum in Epistolâ ad Acacium Berœensem duplicis naturæ fidem clarè professum esse, eo ipso, etsi personæ unitas in eâdem hâc epistolâ non minùs disertè exprimeretur, S. præsulis doctrinam esse catholicam agnovit; hancque epistolam idem Acacius, Theodoretus, et complures alii Orientales ut orthodoxam quoque habuerunt. 2° Anno 433, mense Martio, è synodo Antiochenâ synodalem ad S. Cyrillum per manus Pauli Emiseni pacis sequestri misit epistolam, in quâ se Ephesinæ synodo, Nestorii damnationi, et successoris ejus Maximiani ordinationi subscribere significavit, et insuper adjecit modò memoratam fidei professionem, dogma catholicum de Incarnatione et personæ unitate ita clarè continentem, ut hanc suam fecerit, et integram transcripserit S. Cyrillus in præclarâ illâ ad Joannem epistolâ supra laudatâ, quæ incipit: *Lætentur cœli*, etc. Hanc verò Cyrilli epistolam, quâ pax anno 433 omninò conclusa est, approbârunt non modò Joannes cum concilio suo (1), sed etiam Theodoretus (2), ipse Andreas Samosatenus (3), qui mox memoratam S. Cyrilli ad Acacium epistolam improbaverat (4), et ferè omnes orientales episcopi. 3° Joannes, pace cum Cyrillo redintegratâ, annò eodem 433 omnes patriarchatûs sui episcopos encyclicâ epistolâ (5) monuit, S. Cyrillum eximio rescripto,

(1) Vide acta hujus conciliabuli t. 3 Conc. p. 589 et seq. 698, etc.
(2) Ibid. p. 599, 537, 655, etc.
(3) Ibid. p. 595, 597, etc.
(4) Ibid. p. 601, etc. 697, etc.
(5) Vide Lup. Epist. Varior. Patr. cap. 18, 19, 39, 136, 141, 174, etc., Mar. Mercat. edit. Garnerii, t. 2, p. 357; Socratem, Liberatum, etc.

(1) Liberat. Breviar. cap. 8.
(2) Lup. Epist. Varior. Patr. cap. 88, edit. Lovan. p. 195.
(3) Lup. ibid. cap. 106, p. 260.
(4) Ibid. cap. 90, collato cum cap. 60, p. 198 et 142, et Schol. Lupi ad eadem capp. p. 411 et 322.
(5) Ibid. cap. 2, p. 12, et Schol. p. 2.

cujus eis exemplar misit, omnia dubia et ambiguitates sustulisse, eosque ad pacem amplectendam invitavit et adhortatus est, atque omni ope et operâ deinceps enixus est ut omnes ad Ecclesiæ unitatem (1), etiam cum propriæ existimationis dispendio (2) revocaret, donec Alexandri Hierapolitani expulsione mense Aprili an. 435 schisma penitùs extinctum fuerit. 4° Pravis Nestorii sensibus propiùs inspectis, Joannes ejus condemnationi pacem concludendo consenserat; hanc enim conditionem exegerat S. Cyrillus. Cùm verò novator è monasterio suo litteris et colloquiis multos corrumperet, turbasque agere iterùm moliretur, hunc anno 436 Oasin in exilium amandari Joannes à Theodosio impetravit (3).

2° Eadem conclusionis pars evincitur etiam multis testimoniis. Ipse Joannes in Epist. ad Xystum III, rom. pontif., Ecclesiæ suæ fidem de incarnatione nullum passam esse detrimentum his verbis testatur : *Placuit et nobis quoque*, inquit, *in synodi sententiâ, quâ Nestorium deposuit, acquiescere, ipsumque pro deposito habere ac blasphemam illius doctrinam anathematizare; eò quòd nostræ Ecclesiæ, perinde ac vestra sanctitas, rectam semper inculpatamque fidem tenuerint ac servaverint, eamque populis tradiderint.* Cui declarationi adjungit fidei suæ expositionem quam ad Cyrillum miserat. Xystus III, sum. pontifex, in epist. ad S. Cyrillum : *Non se exuli vestro* (Nestorio), inquit, *sanctus frater noster Joannes addiderat, non ejus blasphemâ prædicatione deceptus; nam, quantùm rerum exitus docet, suspendit suam* (de Nestorii condemnationis æquitate) *sententiam, non negavit.* S. Cyrillus in Epist. ad Valerianum : *Religiosissimi*, ait, *totius Orientis episcopi, unà cum domino meo Joanne religiosissimo Ecclesiæ Antiochenæ episcopo scriptâ dilucidâque confessione omnibus palàm fecerunt, se profanas Nestorii vocum novitates æquè ac nos condemnâsse et anathematizâsse, seque nullo unquàm loco eas habuisse.* Vide et epistolam ad Acacium Melitenensem. Facundus lib. 1, cap. 5, tum Orientalium, tum S. Cyrilli fidem semper fuisse orthodoxam ponit, atque id apertum factum fuisse ait cùm pax redintegrata est, *Quia*, inquit, *nec illi quidquam expetiverunt indignum, nec ille quod expetitum est* (nempe duarum naturarum confessionem) *denegavit.*

Probatur tertia pars, nempe paucissimos tantùm excipiendos esse Orientales, qui fortè in Nestorianam hæresim impingerint. Scilicet ubi pax à Joanne cum Cyrillo inita fuit, episcopi patriarchatûs Antiochiæ in tres partes scissi sunt. Joanni Antiocheno plerique adhæsêre, iique cum Cyrillo et Maximiano in Nestorii locum ordinato communicaverunt, et Nestorii condemnationi consenserunt (4). Alii numero longè pauciores non semel laudatam Cyrilli ad Joannem epistolam ut fidei conformem calculo suo comprobârunt, et cum Joanne Nestorium damnari non exigente, servandam esse communionem censuerunt. Cæterùm volucre ii anathematismos Cyrilli non esse orthodoxos, et Nestorium injustè damnatum, ac proinde latæ adversùs ipsum sententiæ non esse subscribendum. Ita cum episcopis Euphratesiæ Zeugmate in concilium coactis anno 433, statuit Theodoretus (1) qui deinde Nestorii personam non priùs condemnavit, quàm à concilio Chalcedonensi generali IV, ad id adigeretur. Nota tamen illum interim communicâsse cum iis qui Nestorium condemnabant; judicans scilicet satis sibi esse lato injustè, ut putabat, ab aliis in amicum suum judicio album non adjicere calculum. Alii ipsam epistolam Cyrilli ad Joannem hæresis Apollinaristarum labe infectam habuerunt, et à Joannis patriarchæ sui communione, quòd ille cum Cyrillo, viro, inquiebant illi, impio et hæretico communicaret, et Nestorii depositioni consentiret, recesserunt. Ita Alexander Hieropolytanus (2), Meletius Mopsuestenus, Eutherius Thyanensis, Dorotheus Marcianopolit. qui pertinaces deinde in exilium missi sunt; Maximinus Anazarbensis, Helladius Tarsensis, et alii quidam, quos fuisse numero paucissimos colligere est ex ipsâ Epistolâ quam Eutherius Thyanensis ad Xystum rom. pontificem adversùs pacem (3) dedit; cùm enim scribat solùm nomine episcoporum *Euphratesiæ, utriusque Ciliciæ, secundæ Capadociæ, Bithyniæ, Thessaliæ et Mesiæ*, quæ loca nonnisi tres provincias patriarchatûs Antiochiæ constituebant, sequitur reliquas octo hujusce patriarchatûs provincias Joanni adhæsisse; et reipsâ in iis solus Macharius magnæ Laodicææ in provinciâ Antiochenâ episcopus pacem respuisse legitur. In tribus autem provinciis quas nominat Eutherius, constat plures episcopos Joannis partes esse amplexos, plures etiam Theodoreti et concilii in Zeugma coacti judicium secutos. Jam verò nemo non videt ex illis episcopis qui Joannis schismati participârunt, eos ferè solos posse Nestorianæ hæresis suspectos videri, qui dogma catholicum sibi clarè propositum noluerunt statim recipere; cùmque hi paucissimi fuerint, planum est ferè omnes Orientales episcopos ab hæresi Nestorianâ sese immunes servâsse.

Dices 1° : Joannes à Patribus Ephesinis non semel traductus est ut hæreticus. 2° Ille hæreticus est qui synodo œcumenicæ se non subdit. 3° Anathematismis S. Cyrilli dogma catholicum continebatur, atque ii à synodo Ephesinâ approbati fuerant; quos tamen rejecit Joannes cum suis Orientalibus. 4° Jussu Joannis Antiocheni in anathematismos S. Cyrilli Theodoretus scripsit, cujus eâ de re libri proscripti sunt à V synodo generali; ergo, etc.

Ad primum, dist.: Traductus est ut hæreticus, id est, ut hæresis graviter suspectus ob datum Nestorio patrocinium, concedo; id est, ut doctrinæ hæreticæ manifestus et convictus, nego. Quæ adversùs synodum Ephesinam à Joanne acta sunt, Patribus concilii fidem ejus valdè suspectam reddidère; unde ipsum

(1) Ibid. capp. 122, 123, p. 256, 258.
(2) Ibid. cap. 122, p. 256.
(3) Evagr. Hist. l. 1, cap. 7.
(4) Lup. Varior. Patr. Epist cap. 106, pag. 226.

(1) Vide ibid. cap. 95 et 99, p. 198 et 217.
(2) Ibid. cap. 100, 104, 113, 114, 115, etc., pag. 318, 224, 235, etc.
(3) Lup. ibid. cap. 117, p. 245 et 246.

cum Nestorio consentire ii non immeritò conjecerant; nec aliud quidquam ex actis et relationibus synodicis concilii colligi potest (1). Eventus porrò docuit hanc eorum conjecturam, etsi gravissimo fundamento nixam, tamen falsam fuisse, Joannemque schismatis ex errore facti et ex nimio in Nestorium affectu invecti sontem tantùm fuisse; quod, ut vidimus, ipse S. Cyrillus agnovit. Ad secundum, dist.: Ille hæreticus est qui obluctatur synodo œcumenicæ ut tali approbatæ et in rebus fidei ab eâ definitis, concedo; qui obluctatur synodo œcumenicæ nondùm ut tali approbatæ, nec in rebus fidei, nego. 1° Quo tempore Joannes synodo Ephesinæ reluctari cœpit, quæ rebellio omnium ejus culparum fons extitit et origo, nondùm sacræ synodi œcumenicitas Ecclesiæ totius approbatione comperta et explorata erat. 2° In rebus fidei à synodo definitis non reluctatus est; fassus erat B. Virginem vocandam esse Deiparam, dogma catholicum de Incarnatione professus fuerat, nihilque ejusmodi dogmati adversi proponebat; ergo, etc. Ad tertium, dist.: Rejecit Joannes S. Cyrilli anathematismos, eis sensum Apollinaris perperàm affingendo, concedo; eos ut sonant intelligendo, nego. Hanc sibi Joannes falsam persuasionem induxerat, Cyrillum in anathematismis suis catholicam de duplici naturâ in Christo doctrinam impugnare, quam à Nestorio assertam existimat. Unde mirum non est quòd hæreticos sensus, etsi à mente Cyrilli prorsùs alienos, nec ab eo ullatenùs expressos, capitulis illis affingeret, quemadmodùm, ut jam observatum est, Andreæ Samosateno et Theodoreto, qui rogante Joanne in anathematismos scripserant, contigit. Itaque dùm Joannes rejecit anathematismos, doctrinam catholicam iis expressam non respuit, sed solos Apollinaristarum errores. Hinc statim atque fidem duplicis in Christo naturæ simul cum unitate personæ à S. Cyrillo in Epistolâ ad Acacium Beroœensem expressam vidit, illicò ejus doctrinam approbavit, ut diximus; atque ubi de pace actum est, utraque pars, nempè tum S. Cyrillus, tum Orientales circa fidem facillimè et sine ullâ cunctatione consenserunt.

Quod attinet ad approbationem à synodo Ephesinâ anathematismis datam, jam supra diximus eam solemnem non fuisse, sed in eo duntaxat positam, quòd epistola Cyrilli, quâ ii continentur, inter instrumenta litis mediâ in synodo producta fuerit, nec à quoquam reprehensa; quod certè ad constituendam fidei definitionem nullo pacto sufficit. Nec sanè, ad schismaticos reducendos, Ecclesia, circa fidei definitionem in concilio œcumenico constitutam, eâ posset indulgentiâ uti, quam erga Orientales adhibuit quantùm ad anathematismos, quos silentio premi consensit S. Cyrillus, relicto proinde singulis quidlibet de iis sentiendi arbitrio, donec magis ab Ecclesiâ confirmarentur.

Ad quartum, 1° Ex eo quòd Theodoretus, Joannis mandato, in Cyrilli anathematismos scripserit, non sequitur Joanni probata fuisse quæcumque in Theodoreti scriptis continebantur. 2° Etsi quintæ synodi judicium adversùs scripta à Theodoreto in anathematismos exarata æquissimum fuerit, et summâ veneratione suscipi debeat; attamen fateri non cogimur Theodoretum ipsum, quem ut hæreticum non damnavit, fuisse Nestorii dogmatibus infectum. Scilicet malè interpretatus est S. Cyrillum Theodoretus; multas ejus locutiones catholicas et exprimendo dogmati natas, non intellexit, ideòque proscripsit; sæpè eas ex adverso usurpavit phrases, quæ si urgeantur, hæresim Nestorianam sapiunt et continent. Illius igitur scripta, quibus Nestoriani abutebantur, jure ac meritò condemnata fuerunt. Attamen cùm ille celebris præsul Virginem Deiparam semper dixerit, cùm eximiam Joannis ad Nestorium epistolam approbaverit, cùm Cyrilli fidem in epistolâ ad Acacium Beroœensem clarè expressam statim orthodoxam habuerit, necnon ejusdem Cyrilli epistolam ad Orientales; hunc arbitramur ex quâdam obscuratione mentis, stupendâ quidem in ejusmodi viro, sed tamen facilè in illius ipsius scriptis advertendâ, S. Cyrilli anathematismos impugnâsse, dicta ejus catholica ad Apollinaristarum sensus pertraxisse, et Nestorianas quasdam loquendi rationes, quarum venenum, studio partium abreptus non sentiebat, usurpâsse.

(1) Confer t. 3 Conc. p. 667, 745, 747 767, 772, 1044, etc.

ARTICULUS II.

Adversùs Nestorium dogma catholicum adstruitur.

Duas in Christum personas induxit Nestorius, ut dictum est, atque idcircò, Virginem verè ese Deiparam negavit. Duplex ille error duplici conclusione confutandus.

Conclusio I. Unica est in Christo persona, nempe persona Verbi.

Probatur 1° ex Scripturis. Joan. 1, v. 14: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Unde sic arguitur: Vel Verbum caro, id est, homo factum est, per substantialem et hypostaticam unionem, hoc est, in suæ personæ unitatem assumendo naturam humanam; vel per moralem duntaxat unionem, qualis est amicorum; vel per inhabitationem in homine ut in templo; vel per sui in naturam humanam conversionem, aut cum eâ permixtionem. Atqui Verbum non est caro factum per sui in naturam humanam conversionem, aut cum eâ permixtionem, quippe cùm sit immutabile ex Scripturis; neque per unionem moralem; quantacumque enim sit amicorum inter se necessitudo, ea nunquàm sufficit ut illorum unus dicatur fieri alter; neque per inhabitationem in homine ut in templo; ut enim S. Cyrillus Alexandrinus notat Dialogo 9, *quòd unus sit Christus*, ejusmodi inhabitatione Verbum non fieret caro, non fieret homo, *sed potiùs* ἀνθρωποπολίτης (hoc est, *hominis incola*), *et conveniens fuerit illum non hominem, sed humanum vocare: quemadmodùm et qui Nazareth inhabitavit, Nazarenus dictus est, non Nazareth; quinimò nihil prorsùs obsteterit..... hominem vocari unà cum Filio etiam Patrem et Spiritum sanctum. Habitavit enim in nobis*, etc. Ergo per substantialem et

hypostaticam unionem Verbum factum est caro; proindeque, etc. Philip. 2, v. 6 et seq., sic habet Apostolus de Christo : *Qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem.* Christus itaque, ex Apostolo, priùs erat *in formâ* seu naturâ *Dei*, et *æqualis Deo;* deinde verò non desinens esse quod erat, *exinanivit semetipsum, formam servi*, seu naturam humanam *accipiens*, et *factus* est in eâ naturâ *obediens usque ad mortem.* Hæc porrò unitatem personæ arguunt, non simplicem unionem moralem, aut inhabitationem, etc. Sic enim argumentari licet : In eo sunt natura divina et natura humana in unicâ personâ divinâ, qui cùm in formâ Dei esset, accepit formam servi; qui æqualis Deo, factus est homini similis; atqui Christus ex Apostolo is est qui, cùm in formâ Dei esset, formam servi accepit, etc. Ergo. Et verò, nonne apertissimum est personam quæ est *in formâ Dei* et *æqualis Deo*, unam personam divinam? Nonne pariter evidens est hanc ipsam personam, prout accepit formam servi, et homini similis facta est, ab Apostolo hìc appellari Christum? Ergo ex Apostolo Christus est una persona divina quæ naturam humanam accepit, non verò persona duplex morali vinculo juncta, ac proinde, etc.

In Epist. ad Hebr. S. Paulus dignitatem Filii Dei splendidè extollit eum appellans, cap. 1, v. 3, *splendorem gloriæ* Patris, *et figuram substantiæ ejus;* ipsùmque simul, cap. 2, v. 9 et 14, ut hominem exhibet *propter passionem mortis, gloriâ et honore coronatum.... ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum.* Hæc rursùs designant duplicem in Christo naturam, et unicam *Filii Dei* personam. Multis in locis Scripturæ, Christus homo et cum hominibus conversans appellatur Deus. Joan. 20, v. 28, eo post resurrectionem palpato S. Thomas exclamat : *Dominus meus et Deus meus.* Rom. 9, v. 5 : *Ex quibus* (Israelitis) *est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Joan. 10, v. 30, ipse Christus tribuit sibi eamdem cum Patre æternò naturam : *Ego*, inquit, *et Pater unum sumus.* Ex quibus sic arguo : Vel Christus homo persona est humana Verbo divino moraliter conjuncta; vel una est ex personis divinis, nempe persona Verbi, quæ humanitatem sibi hypostaticè conjunxerit. Atqui ex locis adductis, quibus alia plura addi possent, Christus homo non est persona humana Verbo moraliter solùm conjuncta; persona enim humana quantumlibet conjuncta Verbo, non nisi impropriè, Deus vocari posset, quemadmodùm judices dicti sunt dii; non esset *super omnia Deus benedictus in secula* Filius Dei *unum* cum Patre seu unam cum eo habens naturam, *Dominus et Deus noster.* Ergo Christus homo una est persona divina, seu ipsum est Deus Verbum, quod humanitatem sibi hypostaticè conjunxit, quodque ratione naturæ divinæ sibi propriæ *super omnia Deus* appellatur, etc. Christus homo in Scripturis appellatur etiam simpliciter *Filius Dei, Filius unigenitus, Filius proprius.* Math. 16, v. 16 : *Simon Petrus dixit : Tu es Christus Filius Dei vivi;* quod oraculum revelante Patre fuisse prolatum Christus ibid. v. 17, affirmat. Narratur Matthæi 17, v. 5, Marc. 1, v. 11, Luc. 3, v. 22, dùm tingeretur Christus, et Matth. 17, v. 5, Marc. 9, v. 3, Luc. 9, v. 65, et 2 Petr. 1, v. 17, dùm transfiguraretur, hanc de cœlo emissam esse vocem : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Joan. 1, v. 18 : *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Rom. 8, v. 32 : *Proprio Filio suo non pepercit* (Deus), *sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ex quibus manifestum est Christum qui cum Petro conversabatur, qui tinctus et transfiguratus est, qui enarravit divinitatis excelsitatem, qui pro nobis traditus est morti, esse *Filium Dei*, *Filium Dei dilectum*, Filium *Unigenitum qui est in sinu Patris, Filium Dei proprium.* Ergo non est persona humana Verbo Dei conjuncta moraliter, sed est ipsamet persona Dei Verbi; proindeque, etc.

Innumera alia sunt Scripturæ testimonia in quibus Christo natura divina et humana adscribuntur. Humana quidem, scilicet, quòd sit homo, filius hominis, quòd in utero conceptus, ex muliere natus, ex Davidis stirpe oriundus, quòd passus, mortuus, etc. Divina pariter, nempe Dei nomen, Filiique divini titulus et Dei Verbi, ut ex allatis textibus liquet, quibus alia non minùs diserta facilè adjicerentur; natura et attributa Dei, Joan. 10, v. 30 : *Ego et Pater unum sumus.* Ibid. v. 38 : *Pater in me est, et ego in Patre;* cap. 14, v. 9 : *Qui videt me, videt et Patrem... Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est?* cap. 16, v. 15 : *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt;* et cap. 17, v. 10 : *Mea omnia tua sunt, et tua mea sunt;* operatio divina, Joan. 5, v. 17 et 19 : *Pater meus usque modò operatur, et ego operor... Quæcumque ille fecerit, hæc et Filius similiter facit;* æternitas, Joan. 8, v. 58 : *Antequàm Abraham fieret ego sum;* Apocal. 1, v. 8 : *Ego sum α et ω, principium et finis;* creatio, Coloss. 1, v. 16 : *In ipso condita sunt universa in cœlis et in terrâ, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates; omnia per ipsum et in ipso creata sunt;* immutabilitas, Hebr. 1 v. 12 : *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Jam verò sic argumentari licet : In eo unica est persona Filii Dei, qui est Filius Dei proprius ante secula à Patre æterno genitus, et filius hominis ex Davide ortus, natus in tempore, etc., qui ejusdem naturæ cum Patre, eadem operatur et perinde immutabilis est, et nobis quoque consubstantialis dicitur, et nostrî causâ passus ac mortuus; uno verbo, qui simul est Deus Verbum et homo; enimverò ejusmodi nominum attributorumque utriusque naturæ communio, ut sequitur ex unitate personæ, ita et ejusmodi unitatis manifestum est argumentum. Atqui ex allatis Scripturæ testimoniis Christus est Filius Dei proprius simul et Filius hominis, etc., ergo.

Probatur 2° ex symbolis fidei, et ex conciliis ante

exortam Nestorianam hæresim habitis. Symbolum Apostolorum Jesum Christum ex Virgine natum appellat *Filium* Dei Patris *unicum, Dominum nostrum.* Atqui, si Jesus Christus esset persona duplex, non posset appellari *Filius* UNICUS; si esset tantùm persona humana morali nexu Verbo conjuncta, donis quantumlibet præcellentibus ornata, non posset dici *Filius Dei unicus, Dominus noster;* ergo, etc. Symbolum quod Patres Nicæni ad asserendam contra Arianos Filii divinitatem condiderunt, unitatem personæ in Christo disertissimè etiam confirmat. *Credimus,* inquiunt,... *in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei, ex Patre natum Unigenitum, id est, ex substantiâ Patris; Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero; natum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, et quæ in cœlo, et quæ in terrâ. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit, et incarnatus est, et homo factus, passus est, et resurrexit tertiâ die.* Itaque juxta Symbolum Nicænum 1° Jesus Christus, qui pro nobis passus est et cruci affixus secundùm humanitatem, ille idem est Filius Dei Unigenitus, ex Patre natus ante omnia secula, Deus de Deo, Patri consubstantialis, etc., secundùm divinitatem. Ergo juxta Patres Nicænos persona quæ pro nobis cruci affigi voluit, non alia est à personâ Unigeniti Filii Dei; proindeque non est in Christo nisi una Verbi Dei persona. 2° Si in Jesu Christo, ut volebat Nestorius, duplex esset persona, nempe Filius Dei Unigenitus, et persona hominis indissolubili nexu ipsi conjuncta, non diceretur in Symbolo Jesum Christum, ex Patre natum ante omnia secula, descendisse de cœlis, et ex Mariâ Virgine esse incarnatum. Etenim in systemate Nestorii eatenùs Verbum incarnatum est, quatenùs hominis personam sibi conjunxit; atqui nemo dici potest sibi unire personam quam continet; ergo Christus, qui in systemate Nestorii continet personam hominis, dici non posset incarnatus. Ergo fides catholica de unâ in Christo personâ Dei Verbi, quod ab æterno ex *Patre natum*, in tempore dignatum est de Spiritu S. ex Mariâ Virgine incarnari, Symbolo Nicæno sola consentit.

Observa illud Symbolum à concilio Constantinop. primo, quod est œcumenicum II, ante Nestorii hæresim habitum, solemniter fuisse approbatum; atque ad illius amussim expensa fuisse dogmata ejusdem Nestorii in concilio Ephesino generali III, quo ille proscriptus est. Egregium videre est hujusce Symboli commentarium adversùs Nestorium in secundâ epistolâ quam ad ipsum scripsit S. Cyrillus. Symbolum quod sancto Athanasio diù attributum est, quodque nemini probabiliùs fortè adscribi potest, sic habet : *Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus et homo est; Deus est ex substantiâ Patris,* etc. *Perfectus Deus, perfectus homo,* etc. *Æqualis Patri secundùm divinitatem, minor Patre secundùm humanitatem. Qui licèt Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus... unus omninò non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam sicut anima rationalis et caro, unus est homo; ita Deus et homo unus est Christus.*

Probatur 3° ex SS. Patribus qui ante natum Nestorii errorem scripserunt, nam de subsequentibus res est manifesta. S. Ignatius Martyr in Epistolâ ad Ephesios, n. 18 : *Deus noster Jesus Christus,* ait, *in utero gestatus est à Mariâ, juxta dispensationem Dei, ex semine Davidis, Spiritu autem sancto. Qui natus est, et baptizatus est, ut passione aquam purificaret.* Audis eum ipsum, qui natus est, baptizatus, etc., esse Deum nostrum. Et n. 20 : *Singuli communiter omnes, ex gratiâ, nominatim convenitis in unâ fide, et in uno Jesu Christo, secundùm carnem ex genere Davidis, filio hominis et Filio Dei.* Hic rursùs vides unum et eumdem esse simul et filium hominis et Filium Dei; atqui si unio Verbi cum humanitate esset moralis duntaxat, duo essent, non unus Christus physicè et secundùm hypostasim; ergo. Hæc S. Ignatii testimonia laudat Theodoretus, Dial. 1. S. Irenæus, lib. 3, cap. 16, aliàs 18, n. 2, ex Scripturis demonstrat, *unum et eumdem esse Verbum Dei, et hunc esse unigenitum, et hunc incarnatum pro salute nostrâ, Jesum Christum Dominum nostrum.* Ergo, etc. S. Dionys. Alexandr. in synodicâ ad Paulum Samosatenum epistolâ, hunc hæresiarcham refellit quòd doceret, *duas hypostases esse et duas personas unius et solius Christi; et duos Christos ac duos filios; unum naturâ Filium Dei, qui fuit ante secula; et unum homonymè Christum et filium David, qui... secundùm beneplacitum Dei accepit nomen filii.* S. Athanas. lib. de Incarn. Verbi Dei, n. 2, unionis animæ et corporis in homine similitudine adductâ, explicat in Christo unam esse personam : *Homo,* inquit, *una persona et unum animal est, ex spiritu et carne compositum; ad cujus similitudinem intelligendum est Christum unam esse personam et non duas.* S. Greg. Nazianz., Orat. 51, unionem humanitatis in Christo cum divinitate Verbi substantialem fuisse, non moralem tantùm, sic adversùs Apollinarium edisserit : *Si quis duos Filios, alterum ex Deo et Patre, alterum ex matre, non autem unum atque eumdem intellexerit, is ab eâ quoque filiorum adoptione excidat quæ rectè credentibus promissa est. Quanquàm enim Deus et homo duæ naturæ sunt, quemadmodùm et anima et corpus, non tamen duo Filii nec Dii, quemadmodùm nec hìc duo homines.... Si quis divinitatem in eo, velut in Prophetâ, per gratiam operatam fuisse, non autem secundùm essentiam copulatam fuisse atque copulari dixerit, à præstantiori afflatu vacuus sit, imò contrario impleatur. Si quis crucifixum non adorat, anathema sit,* etc. Et Orat. 51 : *Id quod erat, exinanivit; id quod non erat, assumpsit; non duplex factus, sed unum ex duplici naturâ fieri sustinens. Ambo enim Deus, nimirùm quod assumpsit, et quod assumptum est; duæ naturæ in unum occurrentes, non duo filii.* S. Ambros. lib. De Incarn. Domin. Sacramento cap. 5, n. 35, de Christo, seu Verbo incarnato loquens : *Cùm Deus,* inquit, *semper esset æternus, Incarnationis sacramenta suscepit, non divisus, sed unus, quia utrumque unus, et unus in utroque, hoc est, vel divinitate vel corpore; non enim alter ex Patre, alter ex Virgine, sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine.* S. Augustin. Enchiridii cap. 35 : *Jesus Christus Dei Filius,* inquit,

est et Deus et homo. Deus ante omnia secula; homo in nostro seculo. Deus quia Dei Verbum. DEUS *enim* ERAT VERBUM; *homo autem, quia in unitatem personæ accessit Verbo anima rationalis et caro... Unus Dei Filius, idemque hominis filius; unus hominis filius, idemque Dei Filius; non duo Filii Deus et homo, sed unus Dei Filius; Deus sine initio, homo à certo initio, Dominus noster Jesus Christus.* Et cap. 36 : *Ex quo homo esse cœpit, non aliud cœpit esse homo, quàm Dei Filius; et hoc unicus, et propter Deum Verbum quod illo suscepto caro factum est, utique Deus; ut quemadmodùm est una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis et caro, ita sit Christus una persona, Verbum et homo.* Et lib. de Corrept. et Gratiâ, cap. 11, n. 30 : *Deus*, inquit, *naturam nostram, id est, animam rationalem carnemque hominis Christi suscepit, susceptione singulariter mirabili, vel mirabiliter singulari, ut nullis justitiæ suæ præcedentibus meritis Filius Dei sic esset ab initio quo esse homo cœpisset ut ipse et Verbum, quod sine initio est, una persona esset.*

Plurima alia SS. Patrum testimonia afferre non esset operosum. Ea vide quæ collecta habentur tum parte 1 concilii Ephes. cap. 4, tum parte 2, actione 1, T. 3 concil. pag. 115 et seqq. et pag. 108 et seqq.

Probatur 4° : Quia ex iis quæ in causâ Nestorii contigerunt, planum est, ubi ejus error caput extulit, fidem contrariam toto orbe obtinuisse. Nam 1° cùm ab Anastasio presbytero, et à Dorotheo Marcianopolis in Mœsiâ episcopo, Constantinopoli, Nestorio præsente et connivente, hæresis illa populo propinata est, ex historiâ constat clericos, monachos et laicos illi statim vehementer reclamâsse, tumque auditam primam hanc fidei avitæ vocem, quæ, ubi primùm novitates aliquæ spargi incipiunt, nunquàm non insonat. Constat 2° eamdem hæresim statim fuisse in synodis Alexandrinis damnatam, moxque à summo pontifice in synodo Romanâ, atque à Patribus ducentis Ephesi congregatis auctorem ejus depositum. Constat 3° Joannem Antiochenum et Orientales, etsi aliquando Nestorii personæ plus æquo faverint, ejus tamen errores non tenuisse; atque inprimis in præclarâ illâ epistolâ, quam ad Nestorium *non solus*, sed ex sententiâ doctissimorum patriarchatûs sui episcoporum Joannes ante concilium Ephesinum scripsit, vocis *Deiparæ* usum, et Incarnationis fidem modo catholico et impietati Nestorianæ prorsùs adverso explicari et egregiè confirmari. Ergo ubi caput extulit error Nestorii, universus orbis fide orthodoxâ ipsi contrariâ detinebatur; proindeque, etc.

Probatur 5° rationibus theologicis, quas adhibuerunt SS. Patres. Prima est, errore Nestoriano penitùs subverti mysterium redemptionis, quod aliud est religionis christianæ fundamentum. Enimverò in principiis Nestorii illa redemptio vel fieret à personâ divinâ Verbi, vel à personâ hominis, vel ab utrâque simul. Atqui non à personâ divinâ, cùm Verbum divinum immutabile sit et impassibile. Non à personâ hominis solitariè sumptâ, quæ pati quidem et mori potuisset, sed cujus satisfactionum valor non fuisset nisi finitus, et proinde impar compensandæ injuriæ per peccatum Deo illatæ. Non ab utrâque simul; nam utriusque simul ejusmodi personæ quæcumque tandem ratio haberetur, non ideò tamen satisfactiones, quas persona hominis exhiberet, valorem infinitum à personâ divinâ consequerentur; quid ita? quia necesse est actiones ab illâ personâ produci, quæ eis valorem suum confert; actiones, quas producit persona hominis, undequàque finitæ sunt, nimirùm tum ratione entitatis, tum ratione personæ agentis; nec ullo pacto adscribi possunt supposito divino actiones quas mera hominis persona à supposito infinitè distincta producit. Ergo, etc. Hanc rationem theologicam adversùs Nestorium non uno in loco urget S. Cyrillus. Secunda ratio, quam idem S. doctor fusè prosequitur, lib. 4 contra Nestorium cap. 5 et 6, petitur ex eo quòd vim et efficaciam sacramenti Eucharistiæ planè infringat Nestoriana hæresis. Eximia siquidem illius sacramenti virtus ex Christi humanitate divinitati hypostaticè conjunctâ et in hoc mysterio contentâ oritur.

Tertia desumitur ex adoratione, quam Christo nato ex Virgine, crucifixo, etc., omnes Christiani semper tribuerunt. Etenim juxta Nestorium Christus natus, passus, cruxi affixus, etc., mera est persona hominis, Deo Verbo conjuncta quidem, sed moraliter tantùm, nec ideò desinens esse hominis persona. Ergo ex illo systemate sequeretur Christianos omnes cultum latriæ soli Deo debitum, personæ hominis exhibuisse, ac proinde semper fuisse idololatras. Hinc S. Cyrillus, lib. 4 contra Nestorium cap. 16, eum sic interpellat : *Non horres dicere vulgarem hominem, creaturæ cultum exhibendum excogitans?... Si veteri errore liberati sumus in eo quòd servire* (λατρεύειν) *creaturæ tanquàm rem impiam recusavimus, cur nos in vetera crimina conjicis, et efficis hominicolas* (ἀνθρωπολάτρας)? Vide etiam lib. 2, cap. 11 et seq. Quarta ratio passim etiam à Cyrillo pressa, in eo sitâ est, quòd Christum diviserit Nestorius, ac duos Filios, duos Christos, duos Dominos agnoscere debuerit. Quod consectarium, etsi à Nestorio perseveranter negatum, ex ejus tamen errore necessariò nexum est. Nam juxta ipsum veræ sunt illæ propositiones : *Christus est Deus Verbum, Christus est homo;* et tamen *Deus Verbum*, et *homo* sunt duæ personæ planè distinctæ, quæ nec in naturâ, ut patet, nec in hypostasi et personalitate conveniunt; ergo, etc. Quinta ratio est, solum Deum Verbum incarnatum esse, non Patrem, neque Spiritum S. Atqui, si Incarnatio in merâ inhabitatione Dei Verbi in Christo ut in templo consisteret, vel in donis quibuscumque humanitati Christi collatis, etc.; uno verbo, nisi in unione naturæ humanæ cum personâ Verbi Dei posita sit, evidens est non magis Verbum quàm Patrem aut Spiritum sanctum dici posse Incarnatum. Ubi enim Verbum inhabitat, necesse quoque est, propter *circumincessionem* ineffabilem personarum divinarum, inhabitare et Patrem et Spiritum sanctum; quæcumque dona largitur Filius, hæc ipsa voluntate eâdem et actione indivisibili Pater et Spiritus sanctus largiuntur; quæcumque personalitate exceptâ com-

petunt Filio, Patris quoque ac Spiritûs sancti sunt; ergo nisi unio naturæ humanæ Christi cum Verbo divino personalis sit et hypostatica, Pater et Spiritus sanctus dicendi essent pariter incarnati; quod cùm fidei repugnet, consequens est, etc.

Solvuntur objectiones. — Obj. 1° : Moyses in Scripturis appellatur Deus, Exod, 7, v. 1 : *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, inquit ipse Deus Moysen alloquens. Israel cognominatur filius Dei Exod. 4, v. 22 : *Hæc dicit Dominus : Filius meus primogenitus Israel.* Ergo Christus homò, etsi persona sit humana, attamen propter conjunctum sibi moraliter Filium Dei, Deus et Filius Dei appellari potuit. Eò ferè redit ratiocinium Nestorii Serm. 2 apud Marium Mercat. part. 2, p. 9 et 10. — Nego conseq. In locis Exodi objectis planum est Moysen, qui se esse duntaxat ministrum et legatum Dei sæpè aliàs docet, metaphoricè appellari Deum Pharaonis, quòd nempe in eum potestatem à Deo acceptam exerceret; et Israelem dici filium Dei, quòd eum populum speciali providentiâ et affectu Deus regeret; atque in iis locis metaphoricus sensus apertus est, et cuilibet obvius. At verò nomen Dei sine metaphorâ Christo competit, ipso fatente Nestorio; Jesus Christus cum hominibus conversans, ministerium suum implens, pro nobis sanguinem fundens, nuncupatur in Scripturis, ut ostensum est, *Deus super omnia*, *Filius Unigenitus*, *Filius proprius*, *Filius qui est in sinu Patris ;* ipsi docet se esse ejusdem substantiæ cum Patre, sibi inesse quæcumque Patris sunt, etc. Vide loca inter probationes allata. Proindeque nunquàm licet nomen *Dei* et *Filii Dei* metaphoricè accipere, ubi Christo attribuitur.

Obj. 2° : Christus ipse, Joan. 2, v. 20, humanitatem suam appellat *templum. Solvite*, inquit, *templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.... Ille autem dicebat de templo corporis sui.* Ergo Deus Verbum in humanitate Christi solummodò residet ut in templo; proindeque, etc. — Nego conseq. Fatemur *templi* appellationem humanitati Christi per metaphoram apprimè competere; nempè Deus in hâc humanitate modo præcellenti residet, et actibus ejus perfectè colitur. Sed nego huic humanitati eam solam inesse templi rationem, quæ 1 Cor. 3, v. 16 et 17, competit etiam aliis sanctis. Scilicet in Christo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, ut ait Apost., Coloss. 2, v. 9; natura humana Christi non modò templum est Verbi, sed ipsi hypostaticè unitur, ut ex omnibus supra prolatis argumentis liquidum est.

Obj. 3° plurimorum SS. PP. auctoritatem. Scilicet ideircò supra judicavimus Nestorium admisisse duas in Christo personas, quòd humanitatem Christi templum et instrumentum divinitatis appellaverit, quòd Christum ipsum nuncupaverit hominem θεοφόρον, Deiferum, aut Deificatum, hominem Dominicum, quòd denique dixerit hominem à Deo Verbo esse assumptum. Atqui plures SS. doctores easdem voces adhibuerunt : S. Greg. Nyssenus, lib. 2 adversùs Eunomium apud Theodoret. Dial. 1; S. Athanas. Orat. 4 in Arianos, et alii, humanitatem Christi nomine *domûs, domicilii, templi* Dei Verbi designârunt. S. Athanas. lib. *de Incarn.*; Eusebius Cæsariensis, Eustathius Antioch. et ipse S. Cyrillus voce *instrumenti* Dei Verbi eamdem denotârunt. Christum hominem *Deiferum* vocant S. Basilius apud Theodoret. in Repræsentatione anathematismi quinti, et Eustathius apud Gelasium sum. pontificem in opusculo de duabus Christi naturis. Idem appellatus est homo Dominicus κυριακὸς à S. Athanas. in Expositione fidei; S. Epiphan. in Anchorato; S. Augustin. lib. 83 Quæstionum, quæst. 36 et 57, etc. Tandem S. Ambrosius, lib. de fide, cap. 5; S. Aug. lib. 11 de Civit. Dei, cap. 2, et Enchiridii cap. 36; Prudentius in Apotheosi, Ecclesia universa in hymno *Te Deum*, qui sanctis Ambrosio et August. tribuitur, aiunt à Deo Verbo *assumptum esse hominem*. Ergo ii omnes censuerunt duas esse in Christo personas, proindeque, etc. Dist. maj. Judicavimus Nestorium sensisse duas esse in Christo personas, propter ejusmodi locutiones perpetuò obtrusas, et pluribus adjunctis impietati significandæ addictas, concedo; propter usurpatas simpliciter illas voces, nego. Locutiones istæ : Humanitas Christi est Divinitatis vel Dei Verbi templum, instrumentum; Christi caro est Deifera, Deificata, Dominica; Christus est homo Deifer, Deificatus, Dominicus; Verbum assumpsit hominem; illæ, inquam, locutiones dogmati catholico exprimendo per se non sufficiunt, falsum tamen intellectum non necessariò annexum habent, sed ex adjunctis determinari possunt ad significationem catholicam, vel ad heterodoxam. Apud doctores catholicos dogma fidei pleno ore confitentes, nihil nisi verum et orthodoxum sapiunt; apud Nestorium pluribus aliis adjunguntur quibus impietati significandæ addicuntur. Singula paucis ostendenda sunt.

1° Illæ voces dogmati catholico exprimendo per se non sufficiunt; qui enim audit humanitatem Christi esse templum vel instrumentum divinitatis, non ideò intelligit humanitatem esse Deo Verbo hypostaticè unitam. Idem de aliis locutionibus manifestum est.

2° Falsum tamen intellectum non necessariò annexum habent. Nam ratio templi et instrumenti Verbi Dei sicut non indueit, ita nec excludit unionem hypostaticam naturæ humanæ cum Verbo divino. Non negat fides catholica humanitatem Christi esse templum et instrumentum Verbi; sed addit hanc Verbo inhabitanti et eâ utènti esse hypostaticè conjunctam. Pariter caro seu humanitas Christi sine ullo fidei detrimento Deifera dici potest; nempe Deum portat, si ita loqui fas est, non ut onus alienum et sibi extraneum, sed tanquàm suum et proprium, id est, intimè sibi et substantivè conjunctum. Hæc humanitas etiam est Deificata et Dominica, propter eamdem rationem. Major est difficultas in vocibus *hominis Deiferi*, *Deificati*, *et Dominici*, quia nomen *homo* propriè personam involvit, persona autem in Christo non est tantùm Deifera, Deificata et Dominica, sed Deus et Dominus. Hinc S. Cyrillus in anathem. 5, et post ipsum S. Joannes Damascenus Christum appellari hominem Deiferum non permittunt; et S. Augustinus, qui voce

hominis Dominici aliquando usus fuerat, hanc lib. 1 Retractat. cap. 19, revocavit. Verùm necesse non est hæc ad amussim regularum logices in Patribus qui ante exortam Nestorii hæresim scripserunt, semper exigi. Aliquando minùs accuratè loqui iis licuit, et concreta pro abstractis quandoque usurpare, adeò ut homo Deifer, Deificatus et Dominicus, ipsis fuerit humanitas Deifera, Deificata, Dominica. Idem statuendum est de istâ phrasi : *Verbum assumpsit hominem*, quæ maximè catholicum sensum ingerit, si vox *hominis*, ut aliquando contingit, minùs strictè sumatur pro humanitate, seu pro naturâ humanâ; hæresim verò referret, si ejusdem vocis significatio urgeretur, et pro personâ humanâ acciperetur.

3° Locutiones de quibus agimus, ad sensum catholicum aut hæreticum determinari possunt ex adjunctis. Id sequitur ex dictis; nam si illæ dogmati catholico exprimendo per se non sufficiunt, nec tamen falsam significationem necessariò inducunt; ergò ex adjunctis, etc.

4° Apud doctores catholicos, præsertim qui Nestorii tempora præcesserunt, nihil nisi catholicum et orthodoxum sonant; quid ita? quia illi SS. doctores sæpè dogma catholicum pleno ore confitentur, sæpè aiunt non modò Jesum Christum esse Deum, sed et Deum nostrî causâ ex Virgine natum, pro nobis passum, mortuum, etc., atque ipsam Deiparæ vocem libenter usurpant, rati Mariam eum genuisse et peperisse secundùm carnem, qui verè Deus est. Unum S. Athanasii testimonium, in quo caro Christi instrumentum Verbi dicitur, in exemplum proferre satis erit. *Ait Petrus*, inquit Orat. 3, in Arianos, n. 3, « *Christo igitur passo in carne,* » *ut scilicet planum fieret, omnesque crederemus, eum ipsum qui semper Deus fuit... propter nos hominem postea factum fuisse, atque ut loquitur Apostolus, Divinitatem corporaliter in carne habitâsse; quod idem est, ac si diceret, cùm Deus esset, proprium habuit corpus, quo ut instrumento utens, homo propter nos factus est. Hinc quæ carnis sunt propria, illi attribuuntur quia nempe in eâ existebat; sic ergo dicitur esurire, sitire, pati, laborare, et similia quæ ad carnem pertinent.* Clariùs exprimi non poterat corpus Christi esse instrumentum Deo Verbo intimè, substantivè, seu hypostaticè conjunctum. Plura de toto hoc argumento vide apud Petav. lib. 7 de Incarn. cap. 10, 11 et 12. Adde mirum non esse SS. doctores ante natam Nestorii hæresim aliquando minùs accurata vocabula adhibuisse; idemque hìc Nestorianis reponere possumus, quod Pelagianis in alio argumento S. Augustinus, lib. 1 contra Julian. cap 6, n. 22 : *Vobis nondùm litigantibus, securiùs loquebantur.*

5° Eædem locutiones apud Nestorium pluribus adjunctis impietati significandæ addicuntur. Etenim 1° continuò ab ipso obtruduntur. 2° Dùm eas perpetuò usurpat, simul alias rejicit locutiones quibus dogma catholicum disertè exprimitur. Nempe noluit fateri Deum Filium secundùm assumptam carnem esse genitum et natum ex Beatâ Virgine; hunc fuisse bimestrem, trimestrem; eumdem esse passum, crucifixum, mortuum; negavit communicationem idiomatum quæ ex unitate personæ necessariò consequitur. Voluit Christum visibilem et cum hominibus conversantem, non propter se adorandum, sed tantùm ut simulacrum et imaginem Divinitatis; vocis *Deiparæ* appellationem mysterio Incarnationis tam intimè connexam, diutissimè, sensum autem vocis perpetuò repudiavit : siquidem et in ipsâ ad Scholasticum epistolâ concilio Ephesino desinente exaratâ, nomen illud adhiberi consentiens hanc rationem affert, scilicet *id quod nobis consubstantiale est inseparabili divinitate plenum de Virgine genitum*, sed non dixit ex eâ genitum eum qui Deus est. 3° Nestorius à S. Cyrillo et à Joanne Antiocheno epistolis dogma catholicum egregiè et sine ambiguitate declarantibus amicè admonitus ut ad meliores fruges se reciperet, tum à S. Cœlestino rom. pontif. et à synodo Ephesinâ damnatus, obfirmato animo voces ad exprimendam fidem totâ traditione destinatas rejecit, suisque loquendi modis, propter quos erroris meritò insimulabatur, perseveranter adhæsit; ergo, etc. Recole quæ suprà, art. 1 hujus capitis, fusè à nobis dicta sunt.

Obj. 4° : Si unica esset in Christo persona, nempe persona Dei Verbi, vera esset ista propositio : *Unus de Trinitate passus est.* Atqui propositionem hanc in monachis Scythiæ velut erroneam proscripsit Hormisdas sum. pontifex; ergo, etc. Nego min. Vera enim et orthodoxa est propositio, quam sum. pontifex Hormisdas nusquàm erroris incusavit, sed tantùm ut novam ac dissidiorum causam silentio premendam esse judicavit, repressâ monachorum Scythiæ temeritate ac pertinaciâ, qui hujusmodi loquendi formam definitioni concilii Chalcedonensis necessariò adjiciendam esse contendebant, quasi absque tali additione manca illa et imperfecta foret. Cæterùm hanc loquendi rationem probavit postea Joannes II, sum. pont. in Epist. ad Justinianum in quâ et imperatorem laudat qui eam tuebatur, et Acœmetas monachos contra sentientes condemnat. Probavit et suo judicio confirmavit Ecclesia in V generali concilio can. 4 et 5. Sed de totâ hâc controversiâ lege eruditam cardinalis Norisii Dissertationem, de uno ex Trinitate passo, et ejusdem Apologiam monachorum Scythiæ, T. 3 ejus Oper. edit. Veron. 1729, col. 775 et seq.

Conclusio II : Beata Virgo verè est Θεοτόκος, Deipara. Probatur 1° ex Scripturis. Isai. 7, v. 14 et Matth. 1, v. 23 : *Ecce Virgo* concipiet et pariet Filium, *et vocabitur nomen ejus* Emmanuel, *quod*, addit S. Matthæus, *est interpretatum*, nobiscum Deus. Luc. 1, v. 35 : *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur* Filius Dei, et v. 43 : *Unde hoc mihi, ut veniat* mater Domini mei *ad me?* Rom. 1, v. 2 et 3 : *Quod ante promiserat* (Deus) *per Prophetas... de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundùm carnem.* Gal. 4, v. 4 : *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere* (plures codices græci MSS. et versiones apud Millium habent *genitum ex muliere*). His in locis videmus *Emmanuelem, id* est, *nobiscum Deum*, et *Filium Dei*, seu Deum Verbum ex Mariâ Virgine genitum et natum dici, ac eamdem B. Virginem *matrem Domini nostri* appellari. Ergo, etc.

Probatur 2° ex fidei Symbolis, juxta quæ, ut præcedenti conclusione expositum est, Jesus Christus Filius Dei unicus, Dominus noster, Deus verus, consubstantialis Patri, ex Virgine incarnatus est et natus.

Prob. 3° ex SS. Patribus, etiam qui ante Nestorii tempora floruerunt. Complura eorum testimonia exhibet Petav. lib 5 de Incarn. cap. 15 et 16, et post ipsum Natalis Alexander, Hist. eccles. sec. V, dissert. 23, art. 2, ex quibus manifestum est notionem vocis *Deiparæ* ab omnibus Patribus traditam, ipsumque pium nomen à pluribus esse usurpatum. Collegerat etiam olim plurima S. Cyrillus in lib. ad Reginas, et in Epist. ad Acacium Berœensem, quæ consule. Nos aliqua tantùm referemus. S. Ignatius Martyr in Epist. ad Ephesios, n. 18 : « Deus noster Jesus Christus, « inquit, in utero gestatus est à Mariâ, juxta dispensa- « tionem Dei, ex semine Davidis, Spiritu autem san- « cto. » Et n. 6, dixerat : « Medicus unus est, et carna- « lis, et spiritualis, genitus et ingenitus seu factus et « non factus (nam græca hìc variant); in homine « (græcè ἐν σαρκὶ, *in carne*) existens Deus, in morte « vita erat, et ex Mariâ et ex Deo, » etc. S. Justinus in Dial. cum Tryph. n. 84 : « Ex Virginali utero, « inquit, Primogenitum omnium rerum conditarum « carnem factum, verè puerum nasci, id præoccupans per Spiritum S., » etc. Et n. 100 : « Cùm eum Filium « Dei esse in commentariis Apostolorum scriptum lega- « mus, et Filium dicimus illum et esse intelligimus ac « ante omnes res creatas ex Patre, ipsius virtute et « voluntate, prodiisse... et ex Virgine hominem esse fa- « ctum, » etc. S. Irenæus, lib. 3, cap. 21, aliàs 31, n. 10 : « Verbum, inquit, existens ex Mariâ, quæ adhuc erat « Virgo, rectè accipiebat generationem Adæ recapitu- « lationis. » S. Dionys. Alexandr. in Epistolâ ad Paul. Samosat. : « Una, inquit, sola Virgo filia vitæ, genuit « Verbum vivens et per se subsistens, increatum et « creatorem. » Et superiùs dixerat : « Quomodò ais « tu hominem esse eximium Christum, et non reverà « Deum, et ab omni creaturâ cum Patre et Spiritu « sancto adoratum, incarnatum ex S. Virgine et Dei- « para Mariâ? » Tertullianus lib. de Præscrip. cap. 13, docet regulam esse fidei ut profiteamur et credamus Verbum Filium Dei « delatum ex Spiritu Patris Dei « et virtute in Virginem Mariam, carnem factum in « utero ejus, et ex eâ natum. » S. Athanas. Orat. 3, aliàs 4 contra Arianos, ait « hunc scopum et charac « terem sanctæ Scripturæ esse, nempe ut duo de « Salvatore demonstret; illum scilicet Deum sem- « per fuisse et filium esse,... ipsumque postea pro- « pter nos carne ex Virgine Deiparâ Mariâ assumptâ « hominem factum esse. » S. Cyrillus Hierosolymit., Catechesi 4, n. 9 : « Crede quòd hic Unigenitus Filius « Dei propter peccata nostra de cœlis ad terram des- « cendit, assumptâ humanitate, istâ iisdem quibus « subjicimur affectibus obnoxiâ, natusque est ex S. « Virgine et S. Spiritu. » S. Greg. Nazianz. Orat. 51: « Si quis, inquit, S. Mariam Deiparam non credit, « extra divinitatem est. »

S. Joan. Chrysost. Homil. 2 in Matth. n. 2 : « Ad- « modùm stupendum est, inquit, audire Deum mef- « fabilem, inenarrabilem, incomprehensibilem, « Patri æqualem, per virginem venisse vulvam, « et ex muliere nasci dignatum esse. » S. Hieron. lib. contra Helvidium : « Natum, ait, Deum esse « de Virgine credimus, quia legimus. » S. Aug. Enchirid. cap. 36 : « Invenisse apud Deum gratiam dicitur « (Maria), ut Domini sui, imò omnium Domini ma- « ter esset. » Et cap. 37 : « Idem Jesus Christus Filius « Dei Unigenitus, id est Unicus, Dominus noster, na- « tus est de Spiritu S. et Virgine Mariâ. »

Tandem hujusce Patrum traditionis locupletissimum testem habemus Joannem Antiochenum in laudatâ pluries epistolâ ad Nestorium, ex sententiâ Theodoreti aliorumque episcoporum Nestorii studiosorum, ante Ephesinam synodum exaratâ, ubi de voce, *Deipara*, hæc inter cætera prædicat : « Nomen quod à « multis sæpè Patribus usurpatum, scriptum, ac pro- « nuntiatum est, adjungere ne graveris, neque voca- « bulum, quod piam rectamque notionem animi expri- « mit, refutare pergas. Etenim nomen hoc, *Theoto- « cos*, nullus unquàm ecclesiasticorum doctorum re- « pudiavit. Qui enim illo usi sunt, et multi reperiun- « tur, et apprimè celebres : qui verò illud non usur- « pârunt, nunquàm erroris alicujus eos insimulârunt « qui illo usi sunt..... Etenim si id quod nominis si- « gnificatione offertur, non recipimus, restat ut in « gravissimum errorem prolabamur; imò verò ut « inexplicabilem illam Unigeniti Filii Dei œconomiam « abnegemus. Quandoquidem nomine hoc sublato, « vel hujus potiùs nominis notione repudiatâ sequitur « mox illum non esse Deum, qui, etc.... Nulli nos « periculo exponimus, si ea sentimus et loquimur quæ « doctores in Ecclesiâ Dei celeberrimos sensisse et « docuisse certò novimus. »

Prob. 3° ex rationibus theologicis, quas post S. Cyryllum et alios Patres, latè deducit Petavius lib. 5 de Incarn. cap. 17. Prima hoc argumento continetur. Ea verè et propriè est Dei genitrix, quæ eum genuit et peperit, qui in ipso ortu suo verè et propriè fuit Deus: hæc enim sunt duo reciproca. Atqui ex Scripturis et totâ traditione Beata Virgo eum genuit et peperit, quem, ut primâ conclusione probatum est, ab ortu suo verum Deum fuisse eædem Scripturæ et traditio adstruunt, nempe Jesum Christum Dominum nostrum; ergo, etc. Hinc egregiè Joannes Antioch. in laudatâ mox epistolâ : *Nomine hoc* (Deiparæ) *sublato vel hujus potiùs nominis notione repudiatâ, sequitur mox illum non esse Deum, qui admirabilem illam dispensationem nostræ salutis causâ suscepit; tum Dei Verbum neque se exinanivisse*, etc. Nota ipsummet Nestorium ausum non fuisse negare Jesum Christum esse Deum; quapropter si unam tantùm in Christo personam, nempe Verbi Dei, admisisset, non potuisset inficiari B. Mariam esse Dei genitricem.

Secunda sic potest proponi : Christus non est in duos Filios dividendus, sed unus idemque est Dei primùm, deinde et hominis Filius, ut ex conclusione colligitur. Atqui B. Virgo, fatentibus Nestorianis,

est genitrix Christi filii hominis, ergo genitrix est etiam Filii Dei, aliàs filius hominis divisus esset à Filio Dei. Mirum videri posset Nestorium, qui Christum in duos Christos et duos filios dividendum esse negabat, argumenti hujus evidentiâ convictum non fuisse, nisi compertum esset eum unitatem Christi et filii suo tantùm modo, nempe de unitate morali, intellectam fassum esse, dùmque voces duorum filiorum repudiabat, rem iis vocibus expressam admisisse.

Tertia ratio petitur ex comparatione B. Virginis, cum aliis mulieribus. Scilicet, posito unionem hypostaticam naturæ humanæ Christi cum Verbo divino à primo conceptu esse factam, tam dicenda est B. Virgo mater Dei, etsi Divinitatem non genuerit, quàm mulieres vulgares dicendæ sunt matres filiorum suorum, quorum animas non generant. Istæ enim idcircò dicuntur matres filiorum suorum, etsi animas eorum non generent, quia concurrunt ad corporum conceptum et formationem, quibus efformatis animæ vi decreti divini uniuntur; sic namque fit ut conceptio ad unionem animæ cum corpore et ad personam filii relationem dicat. Atqui pariter, cùm, operante Spiritu sancto, Beata Virgo corpus Christi concepit, corpus illud vi decreti Dei non modò animâ rationali informari debuit, sed et simul cum illâ Verbi divini personalitate terminari et subsistere; ergo, etc.

Solvuntur objectiones. — Obj. 1° : Apostolus, Hebr. 7, v. 1 et 3, ait Melchisedech sacerdotem Dei summi sine patre, sine matre, sine genealogiâ, assimilatum esse Filio Dei; ergo Filius Dei in terris nec matrem habuit nec genealogiam. — Nego conseq. Id unum Apostolus eò loci significat, nimirùm Melchisedech sacerdotem, cujus genealogia in Scripturis non texitur, cujus sacerdotii nec initium nec finis notantur, eximiam in hoc fuisse figuram Christi sacerdotis in æternum.

Obj. 2° : S. Hilarius, lib. 10 de Trin. n. 16 sic loquitur : *Non enim corpori* (Christi) *Maria originem dedit, licet ad incrementa partumque corporis omne quod sexûs sui est naturale contulerit.* Unde sic arguitur: Juxta illum Beata Virgo non est genitrix Dei, juxta quem ipsa non dedit corpori Christi originem; atqui Maria, juxta S. Hilarium, loco citato, non dedit originem corpori Christi; ergo, etc. Dist. maj. : Juxta illum, etc., juxta quem ipsa non dedit corpori Christi originem, neque primariam, neque secundariam, concedo; juxta quem ipsa non dedit originem primariam, licèt secundariam dederit, nego. Sensus sancti doctoris evidenter est primam originem corporis Christi et ejus conceptionis initam fuisse à Spiritu sancto, quippe cujus virtute Beata Virgo concepit. Liquet autem non propterea Mariam à matris titulo excidere; cùm in generatione vulgari mulier primam corporis originem non suppeditet, quæ tamen concepti in utero suo filii mater est et dicitur. Hunc porrò esse S. Hilarii sensum patet, tum quia loco objecto docet Virginem *ad incrementa partumque corporis* Christi, *omne quod sexûs sui est naturale, contulisse*, quo amplius nihil præstant cæteræ matres; tum quia, n. 17, ait eamdem *officio usam materno, sexûs sui naturam in conceptu et partu hominis* (Christi) *executam esse*; tum denique quia, n. 15 et 22, duplicem illam quam diximus, corporis Christi originem, primam ex Dei operatione, alteram ex Virgine, clarè exprimit. *Assumptâ sibi per se*, inquit, n. 15, *ex Virgine carne, ipse sibi et ex se animam concepti per se corporis cooptavit.* Et n. 22 : *Per se sibi assumpsit ex Virgine corpus.* Immeritò ergo ob locum objectum Joannes Præpositus olim apud Philippum Bonæ-Spei abbatem, et postea Scultetus et Erasmus hunc sensum S. doctori tribuerunt, *Christum non accepisse carnem à Beatâ Virgine;* atque, ut aiunt eruditi PP. Benedictini S. Hilarii editores in *notâ* ad hunc locum, *in sanctum virum illius ipsius erroris injecêre suspicionem, quem hìc datâ operâ conatur in hæreticis sanare*, ex quo sequeretur B. Virginem ne quidem Christi esse genitricem. Vide circa hunc textum eorumdem editorum Præfationem, § 1, pag. 14, et doctissimum Petavium, lib. 5 de Incarn. cap. 19, n. 5.

Obj. 3° : Quæ Divinitatem non genuit, Dei genitrix dici non potest; atqui B. Virgo Divinitatem non genuit; ergo, etc. — Nego maj. : Ut B. Virgo verè dicatur Mater Dei, satis est quòd genuerit secundùm carnem eum qui Dei Filius est ac verus Deus. Porrò, ut genuerit secundùm carnem eum qui Deus est, opus non est ut Divinitatem genuerit, sed sufficit in ejus utero atque ex ejus carne formatum fuisse corpus, quod à primo ortu animâ donatum Verbo divino confestim fuerit hypostaticè unitum; uno verbo sufficit Verbum divinum, secundùm carnem quam sumpsit, ex eâ genitum et natum fuisse. Et verò, num anima prolis generatur à matre vulgari? minimè; generatur corpus, cui organis, quantùm satis est, instructo statim infunditur anima; atque nihil amplius requiritur ut totius prolis animâ et corpore constantis vulgares fœminæ nuncupentur matres; ergo ut B. Virgo dicatur Mater Dei, non oportet hanc esse Divinitatis genitricem; satis est quòd genuerit secundùm carnem eum qui Deus est.

Inst. : Ut B. Virgo titulo genitricis Dei insigniretur, debuisset saltem concurrere ad productionem humanitatis ut unitæ substantialiter Divinitati; atqui istud de Virgine dici non potest; ergo, etc. — Nego min. Etsi B. Virgo non fuerit causa cur Deus voluerit et Filium suum incarnari et cum tali humanitate uniri, quemadmodùm matres vulgares non sunt causa cur Deus vel tulerit decretum uniendi animam cum corpore, vel illud in tempore exequatur, nihilominùs tamen B. Virgo dicenda est concurrisse ad productionem humanitatis ut unitæ substantialiter Divinitati. Namque illa influxit in productionem humanitatis ut subsistentis et quodam supposito terminatæ; atqui à primo ortu suo, à primo conceptûs instanti, humanitas Christi Verbo divino terminata et ultimò completa fuit; ergo, etc. Et certè illa influxit in productionem humanitatis ut unitæ Divinitati, quæ corporis suppeditavit materiam iis instructam organis et dispositionibus, quæ, posito Dei decreto de perficiendo in tali humanitate mysterio Incarnationis, unionem cum

animâ et cum Verbo divino exigebant; atqui B. Virgo suppeditavit materiam, etc.; ergo.

Obj. 4° : Beata Virgo non est consubstantialis Deo, ipsique tempore est posterior; ergo ejus Mater dici non potest.— Dist. ant.: Non est consubstantialis Deo et ipsi posterior est quantùm ad ejus Divinitatem, concedo; quantùm ad carnem ab eo assumptam, nego. Beata Virgo non est Mater Dei quantùm ad Divinitatem ipsam; sed eatenùs est Mater Dei, quatenùs mater est Hominis Dei, id est, quatenùs ex eâ originem duxit humanitas quam à primo ortu Verbum assumpsit.

Obj. 3° : Etsi B. Virgo dici posset Mater Dei, attamen satius esset illâ locutione abstinere. 1° Quia, ut aiebat Nestorius Serm. 1 : *Si habet matrem Deus, ergo excusabilis gentilitas, matres diis subintroducens.* 2° Quia cùm naturaliter non cognoscamus Deum Verbum assumpsisse naturam humanam, sensus nativus tituli *Deiparæ* ad naturam Dei propriam videtur referri. 3° Quia hâc voce datur ansa saltem simplicibus cogitandi B. Virginem esse deam, ipsomet supremo numine antiquiorem et celsiorem; ergo, etc. — Ad primum, nego conseq. Docebant gentiles deos secundùm nativam et sibi essentialem ac propriam naturam ex matribus esse ortos, quod absurdissimum est; docemus verò nos Beatam Virginem non esse Matrem Dei quantùm ad naturam sibi essentialem spectati, sed tantùm quoad naturam humanam quam Deus Verbum nostrî causâ in personæ unitatem sibi devincire dignatus est; ergo, etc. Ad secundum, ut sensus nativus vocis Deiparæ habeatur, considerandum non est quid illud nomen sonaret positâ solâ religione naturali; inspiciendum est quid significet positâ revelatione, et secundùm placita christianæ religionis quam Deus instituit. Cùm verò hæc religio doceat Deum Verbum et esse ens supremum, æternum, independens, immutabile, et simul tradat ipsum in utero Virginis naturam nostræ similem assumpsisse; quisquis prima hujusce religionis dogmata delibavit, facilè percipit vocem, Deipara, ad naturam à Verbo assumptam referri, non ad divinitatem. Ad tertium, nego ant. Quippe docentur simplices B. Virginem meram esse creaturam, filium verò, quem secundùm carnem genuit, esse naturâ Deum omnipotentem, rerum omnium ipsiusque B. Mariæ, creatorem. Qui porrò perperàm timent ne B. Virgo à simplicibus dea credatur, quare non magis metuunt ne Christus, Mariæ juxta Scripturas filius, credatur simplex homo, si ejus matrem non liceat Deiparam appellare?

De celebri S. Chrysostomi testimonio ex Homil. ejus 3 in Epist. ad Hebr.

Operæ pretium est Nestorianæ hæreseos confutationem celebris hujusce testimonii expositione concludi. Ad istud Apostoli cap. 1, v. 8 : *Ad Filium autem* (dicit Deus, Psal. 44, v. 7) : *Thronus tuus, Deus, in seculum seculi; virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus*, etc., sic habet S. Doctor, juxta editionem græcam Veronensem (1) an. 1529, cui Comelliana græco-latina, et plerœque versiones latinæ (2) concinunt : *Hic* (adducto scilicet Davidis textu) *et Judæos, et Pauli Samosateni asseclas, et Arianos, Marcellumque, et Sabellium feriit* (Apostolus), *et Marcionem. Quomodò? Judæos quidem, ostendens duas personas, et Deum et hominem. Alios autem, Pauli, inquam, Samosateni asseclas, quòd hæc dicat de æternâ substantiâ et increatâ essentiâ.... Adversùs Arianos autem, et rursùs hoc ipsum, et quòd non sit servus; si autem creatura, servus. Adversùs Marcellum autem et alios, quòd sint duæ personæ divisæ per hypostasim. Adversùs Marcionistas autem, quòd Divinitas non ungitur, sed humanitas.*

Facessunt jamdudùm eruditis negotium hæ vòces : *Judæos quidem* (feriit Apostolus) *ostendens duas personas, et Deum et hominem*, δύο πρόσωπα δεικνὺς, καὶ Θεὸν καὶ ἄνθρωπον, quas celebres inprimis fecit concertatio quæ inclinante seculo proximè elapso exorta est occasione cujusdam versionis gallicæ Homiliarum S. doctoris in Epistolas divi Pauli Parisiis editæ an. 1690. Nimirùm relata mox verba interpres gallicus sic reddiderat : *S. Paul confond les Juifs, en montrant qu'il y a deux personnes en Jésus-Christ, Dieu et l'homme.* Et ista pariter : *Adversùs Marcellum autem et alios* (Sabellianos scilicet), *quòd sint duæ personæ divisæ per hypostasim*, sic verterat : *Il confond Marcel et les autres, en montrant que les deux personnes qui sont en Jésus-Christ sont subsistantes par elles-mêmes, et séparées entr'elles.* Hæc interpretatio, præsertim adjectione præposterâ vocis *Jesu Christi*, quæ nullo in codice MS., nullâ in editione seu græcâ seu latinâ comparet, purum putum Nestorianismum S. doctori affingebat. Quapropter illa ad sacram facultatem Parisiensem tanquàm Nestorianismum renovans denuntiata est scripto cui titulus : *Le Nestorianisme renaissant ;* quo gravissimâ etiam ejusdem erroris suspicione aspergebantur Jansenii defensores, imprimis Arnaldus, cujus, sicut et domini de Sacy, olim quasi amanuensis fuerat D. Fontaine versionis auctor. Verùm tota hæc controversia extincta est retractatione solemni, quam Epistolâ datâ die 4 septemb. an. 1693, ad illustrissimum archiepiscopum Parisiensem Harlæum direxit interpres gallicus, in quâ se ex merâ rerum theologicarum imperitiâ circa locutiones ad summa fidei mysteria attinentes graviter lapsum esse, candidè agnovit, sibique soli errata sua esse attribuenda contestatus est. Animadvertendum ducimus R. P. Daniel. doct. è S. J. theologum in eximiâ Dissertatione latinâ quam fervento hoc dissidio super illo S. Chrysostomi textu exaravit, hominis *simplicitati*, *non malitiæ aut hæresi* præconceptæ, vitia et errores interpretationis tribuisse; Arnaldum verò de mysterio Incarnationis variis in locis

(1) Adornata fuit à Stephano Sabio juxta exemplaria Bibliothecæ Palatinæ.

(2) Editio latina Homiliarum in Paulum, Veron. 1550, edit. Antuerp. 1544, Basileensis 1558, Nivelliana Paris. 1681, Comelliana 1603; editio latina Frontonis-Ducæi an. 1613, quæ è regione græci contextûs exhibetur in edit. Paris. 1636, etc.

ita orthodoxè esse locutum, ut Nestorianismi infamia ipsi nullo pacto impingi queat.

Quod ad ipsum testimonii intellectum attinet, observandum 1° Judæorum, quos ibi perstringit S. doctor, duos fuisse errores, de quibus sæpissimè cum iis SS. Patres disputârunt. Prior spectabat distinctionem personarum in Deo quam negabant, nolentes agnoscere duplicem in Divinitate personam. Patrem scilicet et Filium, à Prophetis distingui. Alter error ad Christum attinebat, quem purum fuisse hominem contendebant. Sabellius verò et Marcellus, quos etiam in textu allato refellit S. Chrysostomus, non repudiabant nomen personarum in Deo, sed volebant eas esse voce tenùs distinctas, non secundùm subsistentiam et hypostasim.

Observ. 2° evidentissimum videri has voces, *Adversùs Marcellum autem et alios* (scilicet Sabellianos), *quòd sint duæ personæ divisæ per hypostasim*, de Deo Patre et Filio esse intelligendas. In eo quippe tota posita fuit Sabellii et Marcelli præcipua hæresis, quòd Patrem à Filio per hypostasim non distinguerent textusque Apostoli quem ibi S. Chrsyostomus explicat, huic hæresi confutandæ natus est, atque à Patribus, ipsoque S. doctore et ejus discipulis in hunc finem sæpè adhibitus fuit; ergo.

Observ. 3° partem textûs allati quam diximus difficultatem parere, variis modis legi. Jam retulimus lectionem editionis græcæ Veronensis, cui etiam notavimus Commellianam et plerasque latinas versiones consentire. Editio græca Etonensis ab erudito Savilio Anglo, variis codicum MSS. per Europæ Bibliothecas sparsorum lectionibus summo sumptu comparatis, anno 1612 adornata; editio græco-latina Parisiensis anni 1636, et editio nova PP. Benedictinorum t. 12, an. 1735, habent : δύο τὸν αὐτὸν δεικνὺς, καὶ Θεὸν καὶ ἄνθρωπον, quæ reddenda sunt, *ostendens eumdem esse duo, et Deum et hominem*. Porrò Mutianus Scholasticus, qui, jussu Cassiodori senatoris post annos à sancti Chrysostomi obitu circiter centum, homilias S. doctoris in Epistolam ad Hebr. juxta exemplar à Constantino seu Constantio presb. Antioch. collatum, latinas fecit, et cujus versio Par. anno 1523, ac deinde Basileæ 1527, jam typis mandata, ad imum paginæ novæ editionis operum S. Chrysostomi iterùm exhibetur; vetustus, inquam, ille interpres sic legit : *Judæos quidem* (percussit), *ostendens eis esse duas personas et unum Deum*. His observatis,

Dico, quamcumque textûs allati lectionem et versionem sequaris, dogma Nestorii non posse S. Chrysostomo adscribi. Probatur tribus argumentis, quæ seorsim sumpta magni sunt ponderis, simul autem conjuncta rem planè conficiunt. Primum est, S. doctorem disertissimè docuisse unicam esse in Christo personam, sic enim loquitur in Epist. ad Cæsarium monachum : *Pium et validè pium, Christum, qui morte circumdatus est, confiteri in divinitate perfectum et in humanitate perfectum, unum Filium unigenitum non dividendum in filiorum dualitatem, portantem tamen in semetipso indivisarum duarum naturarum inconvertibiliter proprietates. Non alterum et alterum, absit; sed unum et eumdem Dominum Jesum Christum Dei Verbum carne nostrâ amictum..... Etsi enim duplex natura, verumtamen indivisibilis et indissipabilis unitio, in unâ filiationis confitendâ personâ, et unâ substantiâ.* Non minùs clarè dixerat superiùs : *Sic et hùc divinâ insidente corpori naturâ, unum Filium, unam personam utraque hæc fecerunt. Agnoscendum tamen inconfusam et indivisibilem rationem, non unâ solùm naturâ, sed in duabus perfectis.* Adverte autem utrumque hunc locum ab Anastasio, à Nicephoro Constantinop. et à S. Joanne Damasceno, ut Bigotius notavit, adductum fuisse adversùs Monophysitas.

Alterum argumentum his tribus continetur : 1° Neque Nestorius, neque ejus fautores unquàm pro suæ causæ defensione textum Chrysostomi, de quo agimus, attulerunt. 2° S. Cyrillus et Cœlestinus sum. pontifex in suis Epistolis ad clericos Constantinop., et Cassianus lib. 7 de Incarn. cap. 30, Nestorium exagitant quòd doctrinam à S. Chrysostomo alienam traderet. 3° Facundus Hermian. lib. 11, ut Theodorum Mopsuestenum à V synodo damnandum non fuisse probet, SS. Patrum dicta quædam erroribus Nestorii in speciem affinia undequàque colligit, imò cap. 5, ipsas laudat S. doctoris Homilias in epistolam ad Hebr., nec tamen textûs allati ullam mentionem facit; ergo, etc.

Tertium argumentum est, nullâ ejusdem textûs lectione aut versione Nestorianismum obtrudi aut indicari. Nam 1°, si sequamur lectionem Mutiani, *Ostendens eis* (Judæis) *esse duas personas et unum Deum*, omnia plana sunt, et nulla difficultas. Errorem Judæorum de unâ tantùm in Deo personâ, Apostoli et Psaltis Regii auctoritate ibi comprimit Chrysostomus; de incarnatione nihil loquitur. Plurimi porrò hunc versionem faciebat Henricus Savilius, ipsique procul dubio magnam auctoritatem confert senatoris Cassiodori, cujus jussu peracta est, summâ in codicibus accuratis comparandis diligentiâ. Halesius, in notis quas ad calcem editionis suæ Savilius edidit, observat Mutianum *vertisse quasi legisset* δύο πρόσωπα δεικνὺς, ἀλλ' ἕνα Θεὸν, *quæ fortassis lectio sequenda est*, inquit ille.

Nec dicas, positâ hâc lectione idem dogma à S. doctore adversùs Judæos hìc ostendi; quod mox adversùs Marcellum et Sabellium adstruitur, nempe dogma duarum in Deo personarum, Patris et Filii; proindeque Judæos seorsim à Marcello et Sabellio non debuisse confutari. Enimverò, idem quidem dogma utrobique sed diversimodè expressum, stabilitur, appositè scilicet ad varios illorum errores. Judæi absolutè negabant esse in Deo plures personas; Sabellius et Marcellus personarum nomen non repudiabant, sed tantùm eas negabant esse distinctas secundùm hypostasim et subsistentiam. Potuit ergo S. doctor adversùs Judæos ostendere ex verbis Davidis ab Apostolo adductis, duas esse in Deo personas, et deinde contra Marcellum et Sabellium ex eodem sacro textu adstruere has duas personas esse distinctas secundùm hypostasim; ergo, etc. 2° Si editioni Etonensi eamque subsecutis Parisiensibus editionibus adhæ-

reamus, juxta quas legendum est, Δύο τον αὐτὸν δεικνύς, καὶ Θεὸν καὶ ἄνθρωπον, *Ostendens eumdem esse duo, et Deum et hominem;* vel de Deo, vel de Christo, istud, *eumdem esse duo*, accipietur. Si de Christo, patet ibi prædicari ejus personæ unitatem, atque adversùs Judæos, Christi divinitatem negantes, ostendi unum *eumdemque* Christum *esse duo*, id est, duas res, duas naturas, nempe *et Deum et hominem.*

Frustra opponeres, verba quæ inferiùs leguntur: *Adversùs Marcellum autem et alios, quòd sint duæ personæ divisæ per hypostasim*, planè referri et ordinem dicere ad personas antea significatas, idque postulare vim pronominis, ταῦτα, quod in græco habetur, in quo legitur, ὅτι δύο ἐστὶ ταῦτα πρόσωπα διηρημένα κατὰ τὴν ὑπόστασιν, *quòd sint* Hæ *duæ personæ, distinctæ secundùm hypostasim;* proindeque partem quæ spectat Judæos non posse ad solum Christum referri, quin in eo duæ personæ admittantur distinctæ secundùm hypostasim. Namque ubi lectio Etonensis de Christo intelligitur, voces δύο ταῦτα πρόσωπα, *hæ duæ personæ*, quæ inferiùs leguntur, referendæ sunt ad duas personas ipsomet textu Apostoli significatas, nec ulla in eo est difficultas. Sin autem de Deo exponantur hæc eadem verba, *eumdem esse duo*, difficultas quidem in intelligendis istis, *et Deum et hominem*, aliqua remanebit, quam mox explicabimus, sed nullum ibi esse poterit Nestorianismi vestigium. 3° Tandem, si cum editore Veronensi legatur : *Ostendens duas personas, et Deum et hominem*, non dissimulabimus priora verba : *Ostendens duas personas*, si de Christo intelligantur, hæresim Nestorii sapere. Censuit quidem Flaminius Nobilius (1), qui jussu Gregorii XIII, S. pontificis recognoscendis SS. Patrum ac præcipuè S. Chrysostomi operibus utilissimam operam impendit, *impropriè ab illo voces istas*, πρόσωπον καὶ ὑπόστασιν, *esse usurpatas, idemque valere atque* οὐσίαν καὶ φύσιν, hoc est, essentiam et naturam, seu respectus ad essentiam et naturam ; atque eam expositionem secutus est vindex interpretis gallici (2), nec Witassius improbat (3).

Sed 1° etsi paulò ante S. Chrysostomi tempora, de vocis *hypostaseos* significatione disputatum fuerit, de nomine tamen πρόσωπον idem non legitur, vixque ullum afferri potest impropriæ hujusce vocabuli acceptionis exemplum, quod ad rem attineat. 2° Hanc à mente S. Chrysostomi fuisse alienam patet ex laudatâ *Epistolâ* ad Cæsarium : *Duplex natura*, ... *in unâ filiationis confitendâ personâ, et unâ subsistentiâ*, διττὴ ἡ φύσις... ἵνα ἐν ἑνὶτῳ τῆς υἱότητος ὁμολογοῦμεν προσώπᾳ καὶ μιᾷ ὑποστάσει. 3° Apud omnes constat S. Chrysostomum dixisse semper tres esse in Trinitate hypostases. Cùm igitur paulò post verba quæ expendimus, ista jam laudata adjiciat S. doctor, *quòd sint duæ personæ divisæ per hypostasim;* planum est ab eo strictè et propriè sumi *personæ* πρόσωπου nomen, nempe pro naturâ subsistente et ultimò completâ ; ergo, etc.

Itaque dandum videtur hâc editionis Veron. lectione : *Ostendens duas personas*, si illud de Christo intelligeretur, Nestorii popinari errorem. At pariter fatendum, quod ex dictis sequitur, posse ejusmodi voces ad duas in Divinitate personas, seu ad Patrem et Filium divinum attinere, nisi eas ad Christum referri aliquid cogat. Atqui illas ad Christum referre nihil nos cogit. Enimverò 1° ibi Christus ne nominatur quidem. 2° Scopus S. doctoris percellentis Judæos, Patris à Filio in Divinitate distinctionem, perinde ac divinitatem Christi inficiantes, non postulabat eum de solo Christo adversùs illos agere. 3° Textus Apostoli, seu potiùs textus Davidis ab Apostolo laudatus utrumque Judæorum errorem ex æquo comprimit. Ergo.

At, inquies, ista immediatè sequentia, *et Deum et hominem*, nonne manifestè Christum naturâ divinâ et humanâ præditum indigitant ? Atqui tamen personarum præcedentibus verbis memoratarum explicationem hæc continent, quasi dictum esset : *Ostendens duas personas, nempe Deum et hominem ;* ergo duplicem in Christo personam exprimunt. 1° Majorem propositionem aliqui negant, sed variis de causis. Nonnulli contendunt has voces, *et Deum et hominem*, posse referri ad Deum Patrem, et ad Deum Filium, quem nomine *hominis* ibi satis designatum fuisse volunt, quòd homo factus fuerit. Hæc fuit una è conjecturis Sixti Senensis circa hunc locum, lib. 6 *Biblioth. sanctæ*, annotat. 329. Verùm à consueto S. doctoris nitore et perspicuitate hæc nimis aliena videntur. Suspicatus est idem Sixtus Senensis ibid. *hunc locum etiam in græcis codd. esse depravatum; et pro eo quod in eis scriptum est*, Θεὸν καὶ ἄνθρωπον, *id est, Deum et hominem, legendum fore* Θεὸν καὶ Θεὸν, *Deum et Deum. Occasionem suspicionis*, inquit, *præbent geminæ conjecturæ. Harum prior est, quòd Theophylactus referens* (meliùs dixisset, contrahens) *hæc eadem verba Chrysostomi, omissâ hominis mentione, et nomine Dei bis posito sic scribat :* « *Hoc adversùs Judæos, et Sabellium et Marcellum pugnat, tanquàm duas personas indicans, Deum et Deum.* » *Altera conjectura est quòd conduplicatio particulæ*, Dei, *aptissimè congruat cum propositâ Pauli sententiâ, in quâ geminato nomine dicitur :* Unxit te Deus, Deus tuus, *ad expressionem scilicet duarum personarum, reclamantibus Judæis, Sabellio et Marcello, qui unam tantùm Deitatis personam agnoscunt.*

Recentior quidam in commentariis Trivoltiensibus ad mensem julii, an. 1730, iisdem fretus argumentis, S. doctoris textum aliâ ratione corrigit. Scilicet conjectat legendum esse : *Ostendens duas personas, et Deum, et Deum, et hominem*, καὶ Θεὸν, καὶ Θεὸν, καὶ ἄνθρωπον : vult autem has voces, *et Deum, et Deum, et hominem*, idem significare ac, *et Deum Patrem, et Deum hominem factum;* quippe cùm ista loquendi ratio, καὶ Θεὸς, καὶ ἄνθρωπος, idem Græcis sæpè sonet ac composita hæc vox latina *Deus-Homo*. Equidem concedo ejusmodi erratum amanuensibus facilè contingere potuisse. Sed

(1) In notis ad opera S. Chrysostomi, Romæ primùm an. 1578 editis, deindè verò ad calcem tomi 5 edit. Nivellianæ, an. 1581.

(2) Libello inscripto : *Le Roman du Nestorianisme renaissant convaincu de calomnie et d'extravagance.*

(3) De Incarn. t. 1, q. 5, art. 1, p. 426.

si illius recentioris valeret observatio de significatione vocum καὶ Θεὸν, καὶ ἄνθρωπὸν, nihil vellem in textu corrigi, locumque ita reddendum censerem : *Ostendens duas personas, et Deum et hominem ;* quibus error duplex Judæorum perstrictus haberetur. 2° Nego min. Nequaquàm necesse est hæc verba, et *Deum et hominem*, haberi ut designationem ampliorem personarum antea memoratarum. Nihil obstat quominùs aliud dogma, nempe Christi divinitatem adversùs Judæos exprimere judicentur, perinde ac si dictum esset : *Ostendens tum duas personas, tum Deum et hominem*, seu : *Ostendens duas personas, et simul ostendens Deum et hominem*, nimirùm duas personas in Divinitate, et Deum ac hominem in Christo. Hanc expositionem multa confirmant. 1° Scopus S. doctoris ; siquidem positâ illâ expositione duplicem Judæorum errorem ex Apostoli textu, ut par est, comprimit. 2° Particula *et*, quæ vocem *Deum* præcedit. Si verba *et Deum et hominem* fuissent præcedentium explicatio, debuisset omitti illa particula, et simpliciter poni : *Ostendens duas personas, Deum et hominem ;* ejus verò adjectione efficitur ut voces *Deum et hominem* ad verbum *ostendens* eodem modo referantur, illoque perinde regantur ac si vox illa sic repetita esset : *Ostendens duas personas, et ostendens Deum et hominem.* 3° Hâc ipsâ interpretatione lectiones editionum Etonensis et Veronensis, ut observat Andræas Dounæus in notis ad calcem editionis Savilii, possunt aliquâ tantùm suppositâ levi transpositione conciliari, siquidem cum illo critico ita legere poterimus : Δύο πρόσωπα δεικνὺς, καὶ τὸν αὐτὸν Θεὸν καὶ ἄνθρωπον, *duas personas ostendens, et eumdem esse Deum et hominem.*

CAPUT III.

Exponitur hæresis Eutychiana, et duas esse in Christo naturas ostenditur.

Ante medium quinti seculi, Eutyches presbyter et archimandrita Constantinopolitanus, imperitus et imprudens senex, ut ex Leone et Avito habetur, cùm Nestorianorum hæresim vehementiùs insectaretur, in aliam ivit è diametro oppositam, docuitque *ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem, post adunationem verò unam naturam.* Quâ ratione autem è duabus naturis unam confinxerit, non explicavit Eutyches, nec fortè ut illud explicaret doctrinam ipse suam satis intelligebat. Certè cùm in concilio Constantinopolitano à Patribus urgeretur ut suam aperiret mentem, quo sensu duas ante, unam verò post unitionem naturam in Christo intelligeret, nunquàm, ut id declararet, potuit adduci. *Ego*, inquiebat, *non veni disputare, sed veni suggerere sanctitati vestræ quid sentiam,*

Scitè verò observat Petavius, lib. 1 de Incarnat. cap. 14, n. 6, nonnisi triplici ratione intelligi potuisse ex duabus naturis unam esse factam, scilicet vel *alterutrâ consumptâ, et in alteram mutatâ ; vel duabus extinctis ut in tertiam conversis ; vel certè integris manentibus et ad tertiam conflandam coeuntibus.*

Conjiciunt quidam theologi duos sensus priores esse absurdiores, quàm ut Eutychi et ejus asseclis tribuantur, atque in eo ejus errorem reponunt quòd ex naturâ divinâ et humanâ unam compositam admiserit, quemadmodùm ex animâ et corpore coalescit una natura humana. Fatemur Eutychis hæresim à quibusdam Eutychianis eâ ratione fuisse emollitam, nempè à Timotheanis quos Gennadius, de dogm. Eccl., cap. 2, commemorat, et refutârunt Euthymius in Panopliâ, part. 1, tit. 7, et Leontius, lib. 1 contra Nestorium et Eutychem. Dandum quoque est Eutychianos vulgò verbis negâsse confusionem et permixtionem naturarum à se admitti, ut ex Theodoreto, Dial. 2, colligere est. Sed nihilominùs statuendum est non solam naturarum compositionem ab Eutyche et Eutychianis admissam esse ; atque tum ex dictis quibus Eutyches sensa sua prodidit, tum ex SS. Patribus ejus hæresis oppugnatoribus, tum ex conciliis adversùs Eutychem habitis indubitatum videtur confusionem naturarum, quam illi hæretici voce repudiabant, reverà ab iis fuisse invectam, ideòque hos dixisse ex duabus naturis unam esse factam, quòd eas permixtas et confusas comminiscerentur, et in hâc mixtione arbitrarentur humanitatem summâ Divinitatis perfectione consumptam et absorptam fuisse.

1° Id disertè tradit Theodoretus in Dial. *Inconfusus*, quem ante synodum Chalcedonensem, anno circiter 447, adversùs Eutychianos composuit. *Ex duabus naturis*, inquit Eranistes, Eutychiani personam gerens, *dico Christum, duas verò naturas non dico.* Ad quæ orthodoxus : *Nempe tu naturæ utriusque propria non fateris?* Respondet Eranistes : *Post unionem haudquaquàm.* Orthodoxus pergit : *Doce nos quomodò unam post unionem dicas naturam ; an quòd una ex duabus facta sit, an quòd, alterâ deletâ, altera remanserit ?* Reponit Eranistes : *Ego dico mansisse Divinitatem ; ab hâc verò absorptam esse humanitatem..... ut mare mellis guttam si accipiat ; statim enim gutta illa evanescit maris aquæ permixta..... Non dicimus deletam esse naturam quæ assumpta est, sed mutatam esse in substantiam Divinitatis.* Ex his habes in Christo secundùm Eutychianos naturam esse unam, quòd humanitas mixta naturæ divinæ, ab eâ absorpta sit, et *propria*, seu proprietates suas amiserit.

2° Eutyches, in synodo Constantinop. sub Flaviano, an. 448, actione 7, fidei suæ rationem reddens, dùm *unam* profiteretur Domini nostri peractâ adunatione *naturam*, noluit cum Cyrillo addere *incarnatam*, noluit anathema iis dicere qui negant Christum, carnis habitâ ratione, et nobis et B. Virgini esse consubstantialem ; cùmque eum sic urgeret Basilius Seleuciensis : *Si non duas naturas post adunationem dixeris, commixtionem et confusionem dicis*, consectarium illud non rejecit, sed in eâdem quàm antea emiserat confessione obfirmato animo perseveravit.

3° Flavianus ad S. Leonem scribens, ait *renovari Apollinaris et Valentini hæreses ab Eutyche monacho*, docerique ex duabus naturis, *post unitatem, unam naturam* esse *factam*, quod ipse sic refellit : *Neque etiam unitas convenientium in Christo duarum naturarum sicut unâ re proprietates suas in unitate confundit,*

sed manent in unitate perfectæ naturarum proprietates.

4° S. Leo in Epist. ad Flavianum, quam expensis ejus concilii in Eutychem Actis scripsit, totus est ut contra novatorem probet salvas esse in Christo utriusque naturæ proprietates, aitque ab illo impiè naturam singularem in Christo asseri.

5° Concilium Chalcedonense generale IV, contra Eutychem congregatum, definit, act. 5, *Christum in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, inseparabiliter agnoscendum; nusquàm sublatâ differentiâ naturarum propter unitionem, magisque salvâ proprietate utriusque naturæ.* Antea Eutychem ejusque sequaces sic pinxerat: *Alii confusionem et mixtionem introducentes, et naturam esse carnis et divinitatis stultè confingentes, et passibilem Unigeniti divinam naturam per confusionem prodigiosè dicentes*, etc.

6° Idem dogma confusionis naturarum Eutychianis attribuit concilium generale V, can. 4, ubi sic habetur: *Qui impietatem Apollinarii et Eutychis sequuntur, interepmtionem eorum quæ convenerunt colentes, unitionem secundùm confusionem dicunt.*

7° Constat ex Theodoreto, Hæretic. fabul., lib. 4, cap. 13, Eutychem et præcipuos ejus discipulos docuisse *cruci affixam et appensam fuisse incirconscriptam, interminatam, incomprehensam Unigeniti divinitatem, eamdemque tumulo mandatam resurrexisse;* atque hinc ii dicti sunt Theopaschitæ, quòd divinitatem ipsam dicerent esse passam. Atqui si duas admisissent naturas distinctas et inconfusas, in unam per compositionem coalitas, necesse non fuisset dogma tam impium tamque absurdum ab iis defendi; ergo, etc.

De Eutychianæ hæreseos origine, progressu, oppugnatoribus, defensoribus, condemnatione, et in plures factiones partitione, aliqua dicere non abs re erit.

Ex malè intellectis quibusdam S. Cyrilli locis Eutyches in hæresim cæcus et præceps infeliciter actus est. Renovatæ partim impietatis Valentini et Apollinaris meritò accusatus fuit, de quo vide Petav. lib. 1 de Incarn. cap. 15. Primus in ejus hæresim, si Facundo fides, lib. 8, cap. 5, et lib. 12, cap. 5, insurrexit Domnus, celebris Joannis avunculi sui in Ecclesiâ Antiochenâ successor, qui de eâ synodicam epistolam ad Theodosium Juniorem initio anni 448 scripsit. Eodem anno Eusebius Dorylæensis strenuus Nestorianismi oppugnator, et fidei catholicæ vindex, agnito Eutychis, cui amicitiâ devinctus erat, pravo dogmate, privatis admonitionibus crebrisque colloquiis eum ad veram fidem revocare conatus est; se verò hâc ratione nihil ab illo consequi prospiciens, ad concilium 29 vel 32 episcoporum, quod præside S. Flaviano Constantinop. patriarchâ ibidem tunc mense novembri habitum est, causam ejus detulit. Novator ad disquisitionem concilii juxta canonum præscripta ter vocatus, postquàm illius declinandæ rimam frustra quæsiisset, tandem stipulatus *magnâ multitudine militum et monachorum*, judicio se sistit, hæresim suam coram Patribus profitetur, eamque repudiare animo obfirmato abnuit. Quapropter synodi sententiâ, ut hæreticus pertinax, *ab omni officio sacerdotali, et à* filium *communione, et primatu monasterii*, seu abbatis munere dejicitur.

Ab hâc synodi sententiâ *ad Romanum et Ægyptium et Jerosolymitanum concilium*, id est, ad concilium œcumenicum provocare se, Patricio Florentio, qui jussu imperatoris Theodosii synodo interfuerat, *dissoluto conventu silenter*, insusurravit Eutyches; et ad S. Leonem, qui S. Petri sedem tunc tenebat, atque ad alios complures episcopos adversùs Flavianum causæ suæ tuendæ gratiâ scripsit. At cùm à Flaviano pontifex maximus litteras et concilii acta accepisset, his diligenter expensis, auctoritate apostolicâ sententiam concilii confirmavit, eximiumque de Incarnatione adversùs Eutychis errores rescriptum ad Flavianum dedit.

Eutychi impensè favebat Chrysaphius eunuchus, præcipuus rerum imperii administer, quem abbas ille è sacro fonte susceperat, quemque avaritia sacrilega infensissimum reddiderat S. Flaviano, à quo munera propter ejus ordinationem non potuerat extorquere. Hujus patrocinio ab imperatore Theodosio Juniore, principe catholico, sed imbecillioris ingenii et nimiæ facilitatis, obtinuit novator ut concilii Constantinop. acta quæ à S. Flaviano corrupta fuisse contendebat, coram Florentio Patricio in conventu episcoporum recognoscerentur; quod peractum est die 13 aprilis an. 449, in cœtu 34 episcoporum, inter quos quindecim synodo Flaviani anno præcedente interfuerant. Sed testibus Liberato, Brev. cap. 11, et Evagrio, lib. 4, cap. 9, nihil in iis falsi repertum.

Jam antea imploraverat Eutyches Dioscorum Alexandrinum patriarcham, virum ab omni moderatione longè alienum, et Flaviani, propter datum aliquod S. Cyrilli cognatis quos ille persequebatur, patrocinium, osorem ac Chrysaphio addictissimum. Dioscorus, Chysaphio adnitente, imperatorem adduxerat, ut in concilio œcumenico causam Eutychis retractari juberet. Data igitur fuerat die 30 martii an. 449, sacra divalis, quâ viginti supra centum episcopi è sex orientalis imperii diœcesibus Ephesum ad diem 1 augusti ejusdem anni convocabantur. Insuper constitutum est Dioscorum concilio præfuturum prohibitumque ne inter judices sederent episcopi qui contra Eutychen in synodo Constantinop. jam sententiam dixerant. Incœptum est concilium die 8 augusti; adfuêre episcopi circiter 130, necnon legati S. Leonis, Julius seu Julianus episcopus et Hilarius diaconus, quos epistolis ad concilium et ad Flavianum instructos S. pontifex miserat. Porrò à Dioscoro et à Comitibus, quos imperator, vel potiùs Chrysaphius ipsum imperatorem auctoritate vincens, ejus nomine cum copiis adesse jusserat, omnia contra fas et per vim in hoc conventu gesta. Noluit Dioscorus S. Leonis epistolas legi, etsi earum lectionem se permissurum cum juramento non semel esset pollicitus. Nulla juris forma observata; absolutus Eutyches, damnatus verò et depositus Flavianus, unà cum Eusebio Dorylæensi et aliis fidei addictis episcopis. Insuper Flavianus ad S. Leonem provocans, ab ipso Dioscoro et à Barsumâ impio mo

nacho ita cæsus est, ut post triduum, dùm in exilium ageretur, ex vulnerum dolore Epipæ in Lydiâ mortuus sit. Postremò episcopi comminationibus, et violentiâ à militibus medio in concilio horribiliter adhibitâ, ad subscribendum Dioscori statutis compulsi; qui omnes metu depositionis, exilii et mortis turpiter superati sunt, exceptis Sedis apostolicæ legatis. Harumce autem rerum per Hilarium diaconum, qui Epheso clam aufugerat, certior factus S. Leo, coactâ Romæ synodo, gesta hujus conciliabuli, seu, ut appellari solet, *latrocinii Ephesini*, reprobavit et penitùs rescidit; quo accepto Dioscorus furore actus in ipsum pontificem sententiam excommunicationis ferre ausus est.

Paulò post vitam finivit Theodosius die 20 junii vel 28 julii anno 450. Soror ejus, S. virgo Pulcheria augusta ipsi successorem, sibique conjugem, retento virginitatis servandæ arbitrio, Marcianum selegit. Is princeps, quem nemo imperatorum, seu religionis, seu imperii ratiò habeatur, virtute superavit, paci Ecclesiæ restituendæ statim totus incumbens, auctore S. Leone, concilium generale Nicæam in Bythiniâ ad diem 1 septembris anni 451 indixit, quod deinceps, postulantibus S. Leonis legatis, Chalcedonem translatum est, ut ad illud imperator, quem in urbe regiâ imperii negotia detinebant, faciliùs posset accedere. Numerosissimum fuit illud concilium. Tradit ipsa synodus in Epistolâ ad S. Leonem quingentos et viginti, Liberatus et alii (1) aiunt triginta supra sexcentos episcopos, omnes ex Orientis imperio, si duos Africanos præsules et legatos summi pontificis excipias, in eam convenisse. Sacro cœtui, cujus actio prima celebrata est die 8 octobris 451, per legatos suos Paschasinum et Lucentium episcopos ac Bonifacium presbyterum S. Leo præfuit. In eo lecta sunt acta tum synodi Constantinop. sub Flaviano, tum conciliabuli à Dioscoro contra S. Flavianum, Eusebium Doryl.censem et alios in Eutychis gratiam Ephesi celebrati. Prioris gesta confirmata, posterius rescissum. Dioscorus ad meliores fruges nolens sese recipere, juxta canones depositus; qui deinde Gangram in exilium pulsus (2), ibidem an. 454 obiit. Cæteris qui ipsi per vim in latrocinio Ephesino consenserant, venia concessa. Epistola S. Leonis ad Flavianum de Incarnatione solemniter approbata, et decretum fidei adversùs Nestorii et Eutychis errores editum. Quæ omnia ex ipsius synodi actis manifesta sunt.

Eutyches vocatus non fuit ad concilium, nec in eo se stitit. Nempe satis esse censuerant Patres latam adversùs eum in Flaviani synodo, et à S. Leone approbatam sententiam, firmari, quæ in ejus gratiam Ephesi acta fuerant, reprobari; ejusdemque errores, quos pertinaciter defendere non cessabat, fidei decreto condemnari. Ille hæresiarcha jam in exilium, non longè tamen ab urbe Constantinopolinatâ (1), à Marciano amandatus fuerat versùs finem anni 450, vel initium 451, nempe postquàm iterùm damnatus fuisset in concilio quod contra ipsum Anatolius, à Dioscoro licet in Flaviani locum suffectus, Constantinopoli tunc temporis habuit (2).

S. Leo Epist. ad Marcianum, datâ die 15 aprilis an. 454, scribit cap. 2, Eutychem quamvis exulem, *in ipso suæ damnationis loco multa adversùs integritatem catholicam blasphemiarum desperatiùs venena profundere*, rogatque imperatorem *ut ad longinquiora eum jubeat et secretioria* seu tutiora loca *transferri*. Quid deinde Eutychi contigerit, nullo veteri monumento compertum habemus.

Quantacumque fuerit synodi Chalcedonensis auctoritas, eâ Eutychianismus deletus non est et extinctus; imò in varias divisus factiones, Orientali Ecclesiæ ingentium turbarum causam attulit, quas Marcianus ipse, ejusque successor Leo Augustus penitùs comprimere non potuerunt. Auctum est deinde illud malum, cùm anno 482, Zeno, Leonis successor, in solemni edicto quod *henoticum* seu unitivum appellatum est, unam duasve naturas et Chalcedonensem synodum siluit, solamque Symboli Nicæni professionem præscripsit; atque majus adhuc incrementum sub imperatore Anastasio cepit pestifera lues.

Præcipuæ Eutychianorum sectæ ad duas generatim revocari solent, alteram *Theopaschitarum*, alteram *Acephalorum*. Theopaschitæ, quorum dux fuit Petrus Gnapheus, seu Fullo, qui sedem Antiochenam an. 476 invasit, sic appellati sunt, quòd divinitatem verè passam esse assererent; unde hymno Catholicorum trisagio, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis*, istud inserebant, *qui passus es pro nobis*, ut significarent totam Trinitatem, cui una Divinitas inest, pro nobis esse passam. Is error ex eo natus est, quòd putarent divinitatem, Incarnatione Verbi, factam esse carni consubstantialem. Vide Theodorum, Lect. lib. 2 et Theophan. Acephalorum factioni originem dedit quædam Eutychianos inter et Petrum Moggum, quem illi in sedem Alexandrinam intruserant, orta dissensio. Cùm enim hic anathema in Chalcedonensem synodum intorquere cunctaretur, et postea eam à se rejectam recipere simularet, plerique Eutychiani ab ipso discesserunt, unde dicti sunt *Acephali*, id est, avulsi à capite seu patriarchâ suo. Acephali pro libitu in suam fidei professionem varia inseruerunt, unde ex iis natæ sunt complures aliæ sectæ quarum duæ præcipuæ fuerunt una *Corruptico-larum*, qui Christi carnem corruptibilem dicebant, altera *Incorrupticolarum*, qui eamdem carnem, utpote unius cum Verbo jam naturæ, incorruptibilem prædicabant. Horum dux fuit Julianus Halicarnassensis episcopus; priorum verò Severus monachus, à quo *Severianorum* nomen traxerunt. Is Severus, tempore Anastasii, Zenonis successoris, in locum Flaviani

(1) Liberat. c. 13, Chronicon Alexandr., Theophanes, Leontius Byzant., codex vetus Ecc. Rom. Vide Tillem. Not. 42 in S. Leonem, t. 15, p. 915.
(2) Evagr. lib. 2, cap. 3. Vide Tillemont. ibid. not 63. p. 928.

(1) S Leo, Epist. 64, c. 3, ed. Quesnel. t. 1, p. 563.
(2) S. Leo, Epist. 68, c. 3, p. 567, 568.

episcopi Antiocheni malis artibus suffectus est. Ex iisdem Acephalis ortum ducunt *Jacobitæ*, à Jacobo quodam syro obscuri generis homine nuncupati; quod nomen omnibus hodiè Nestorianis et Eutychianis in Ægypto et per totum Orientem commune est; sicut et Catholicis appellatio *Melchitarum*, quasi *Imperatorios* dicas, quòd Chalcedonensis synodi ab imperatoribus congregatæ fidem sequantur. Ilis historicè notatis, sit

Conclusio. Duæ sunt in Christo naturæ inconfusæ et perfectæ, divina et humana.

Probatur 1° ex Scripturis. Joan. 1, v. 14: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, etc. Hìc duæ naturæ distinctæ evidenter significantur, nempè natura Verbi, quod mox *Deus* appellatum fuerat, et natura hominis, nomine *carnis* designata, et secundùm quam Verbum cum hominibus conversatum est, et habitavit in nobis. Ergo. Philip. 2, v. 6: *Cùm in formâ Dei esset* (Christus), *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo*. Unde sic arguitur. Ille duplici naturâ constat, divinâ et humanâ, in quo est *forma Dei et forma servi*, qui est *æqualis Deo et homo* simul. Atqui juxta Apostoli testimonium Christus ejusmodi est; ergo, etc.

1 Joan. 1, v. 1: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ... testamur et annuntiamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis*. Ex quo sic argumentari licet: Ille in quo est natura Verbi, simul et natura oculis perspecta et manibus contrectata, duplici profectò naturâ constat; atqui ex illo S. Joannis loco, in Christo est natura Verbi, cùm ille dicatur Verbum vitæ; est etiam natura oculis perspecta et manibus contrectata, cùm hæc de ipso expressè prædicentur; ergo, etc. Ibid. cap. 4, v. 2 et 3: *Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est; et omnis spiritus qui solvit Jesum* (seu, ut in græco habetur, *qui non confitetur Jesum in carne venisse*), *ex Deo non est, et hic est Antichristus*. Atqui Christum in carne venisse non confitentur, qui per Incarnationem volunt absorptam fuisse humanitatem; ergo, etc.

Observa Epistolas S. Joannis editas magnâ ex parte fuisse ad adstruendam humanitatem Christi, quemadmodùm ad Divinitatem ejus comprobandam Evangelium ipse conscripserat.

Demùm in Scripturis Christus sæpè dicitur Deus, sæpè dicitur homo; sæpè ipsi divina et humana adscribuntur. Vide loca superiùs adducta adversùs Nestorium. Atqui ille duplici naturâ constat, divinâ et humanâ, qui est simul Deus et homo, cui divina et humana competunt; ergo.

Decretoria inprimis sunt adversùs Eutychianos testimonia in quibus Christus asseritur verus homo nobis similis et consubstantialis; quippe in eo præsertim errabant, quòd naturam humanam vellent factâ Incarnatione integram non mansisse, sed à Divinitate fuisse absorptam. Atqui non modò innumeris in locis, nempe Isai. 53, v. 2 et seqq., Jerem. 31, v. 22, Matth. 17, v. 21, Joan. 8, v. 40, Act. 2, v. 22, 1 Timoth. 2, v. 5, etc., Christus dicitur *vir*, *homo*, *filius hominis*; sed et ubique delineatur nobis similis secundùm carnem, et ejusdem nobiscum naturæ. Nempe ejus genealogia describitur Matth. 1 et Luc. 3. Dicitur *ex semine Abrahæ*, *Jesse*, *Davidis*, etc. Matth. 1, v. 1, Luc. 1, v. 32, Act. 3, v. 25, etc. Dicitur *factus ex muliere*, Gal. 4, v. 4. *Natus est*, Matth. 1, v. 16, etc. *Crevit*, Luc. 2, v. 52. *Jejunavit*, Matth. 4, v. 2. *Esuriit*, ibid. *Manducavit*, Matth. 11, v. 19. *Fatigatus* est *ex itinere*, Joan. 4, v. 6. *Flevit*, Luc. 19, v. 41. *Factus* est *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, Philipp. 2, v. 8. *Expiravit et emisit spiritum*, Luc. 23, v. 46, Matth. 23, v. 50. Uno verbo corpus et anima tum intellectu tum voluntate prædita Christo tribuuntur multis in locis cap. 1 hujus disput. relatis, atque *ex hominibus assumptus*, Hebr. 5, v. 1, *debuit per omnia fratribus similari*, ibid. 2, v. 17.

Probatur 2° ex fidei Symbolis et conciliis. In Symbolo Apostolorum, postquàm professi sumus fidem *in Jesum Christum Filium ejus* (Dei) *unicum, Dominum nostrum*, quæ Christo inesse naturam divinam significant, continenter addimus: *Qui conceptus est de Spiritu S., natus ex Mariâ Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus*, etc., quibus ejus humanitatem apertissimè confitemur. Pariter in Symbolo Nicæno, Christi divinitate disertissimè expressâ, additur eumdem incarnatum esse, et hominem factum, passum esse, et resurrexisse tertiâ die, et ascendisse in cœlos, etc. Ubi clarissimè designatur natura humana quam Filius Dei assumpsit, et secundùm quam natus est ex Virgine, passus est, crucifixus, mortuus, sepultus, etc. Hinc meritò Eutychen S. Leo, Epist. ad Flavianum, redarguebat, quòd ille *nimis imperitus* senex *nec ipsius quidem Symboli initia comprehenderet*. Symbolum quod S. Athanasio attribuitur: *Perfectus Deus* (Christus), *perfectus homo, ex animâ rationali et humanâ carne subsistens*. Patres concilii Constantinop. generalis II, an. 381, in *Epist. synodicâ ad Damasum*, rom. Pontif. aiunt se *agnoscere Verbum Dei ante secula omninò perfectum, et perfectum hominem in novissimis diebus pro nostrâ salute factum esse*. Damasus, S. Pontif. in synodo romanâ, quæ circa id tempus contra Macedonianos et Apollinaristas congregata est, adversùs istos definit in Christo fuisse simul cum corpore et animam rationalem et intelligentem, eumque non in divinitate, sed in carne cum animâ quam induerat in formâ servi, passionem crucis sustinuisse et mortem gustâsse. Concilium Ephesinum generale III, an. 431, solemniter approbavit secundam S. Cyrilli ad Nestorium epistolam, in quâ natura duplex, divina scilicet et humana, et utriusque proprietates ac functiones sine ullâ confusione uni eidemque Jesu Christo disertissimè ex Nicæno Symbolo adscribuntur. Hujusce Epistolæ verba anteà retulimus. Denique condemnata est hæresis Eutychiana Constantinopoli an. 448, in concilio 30 episcoporum sub Flaviano, et an. 450, in alterâ synodo quam in eum habuit Anatolius; Romæ ân.

449, in synodo à S. Leone coactâ, qui tunc etiam scripsit præclaram illam et accuratam adversùs Eutychen Epistolam ad Flavianum; in Galliis, quarum episcopi mox memoratam S. Leonis Epistolam summo plausu exceperunt; Mediolani, an. 451, in cœtu plurium episcoporum, à quibus illa quoque Epistola solemniter approbata fuit, tandem Chalcedone eodem an. 451, in synodo generali IV, cui triginta supra sexcentos interfuerunt Episcopi per se vel saltem per procuratores suos, et quam certum est non paucioribus 520 præsentibus constitisse; ergo, etc.

Prob. 3° ex sanctis Patribus qui ante floruerunt quàm Eutyches hæresis postularetur; quorum plura testimonia ab ipso S. Leone collecta referuntur ad calcem actionis secundæ concilii Chalcedonensis; multa etiam exhibet Theodoretus *Dial.* 2, qui inscribitur, *Inconfusus*; amplissimam verò eorum collectionem suppeditat Petavius lib. 3 *de Incarn.* cap. 6 et 7. Aliqua tantùm exscribere satis sit.

S. Ignatius Martyr in *Epist. ad Ephesios* duplicem Christi naturam his verbis perspicuè exprimit, n. 7: *Medicus unus est, et carnalis et spiritualis, genitus et ingenitus, seu factus et non factus, in homine existens Deus, in morte vita vera, et ex Mariâ et ex Deo, primùm passibilis, et tunc impassibilis, Jesus Christus Dominus noster.* S. Athanasius duos adversùs Apollinarium, Eutychis antecessorem, libros integros conscripsit. S. Greg. Nazianz. in carmine 2, quod est de Virginitate, sic canit :

. . . . . *Deus et mortalis in orbem*
Venit, naturam duplicem complexus in unum.
Altera mortales hominum fugiebat ocellos,
Altera perspicuo feriebat lumina sensu.
Illa Deus sublimis erat, dominator Olympi;
Hæc nostræ causâ tandem producta salutis,
Tunc cùm mortali Deus est in corpore junctus.
Unus utrinque Deus. Deitati namque beatæ
Junctus homo, deitasque homini simul addita, Christus.

Amphilochius, S. Gregor. Naz. æqualis, apud Theodoret. Dial. 2: *Discerne*, inquit, *naturas, unam Dei, alteram hominis. Neque enim ex Deo excidens, homo factus est; neque proficiens ex homine, Deus.* S. Chrysost., in Psalm. 44, n. 4: *Neque enim*, inquit, *carnem* (Propheta) *dividit à divinitate, neque divinitatem à carne; non substantias confundens, absit, sed unionem ostendens.... Quando dico eum fuisse humiliatum, non dico mutationem, sed humanæ susceptæ naturæ demissionem.* S. Hilarius, lib. 9 de Trinitate, n. 3, ait *Christum Jesum, ut verum Deum, ita et verum hominem esse. Et ejusdem periculi res est*, pergit, *Christum Jesum vel Spiritum Deum, vel carnem nostri corporis denegare.* Addit utramque in Christo naturam mansisse, *ne fortè Deus esse homo, nascendo, desineret; et homo rursùm, Deus manendo, non esset.* Tandem concludit: *Fides vera est Deum et hominem prædicare, Verbum et carnem confiteri.* S. Ambros., lib. de Fide, cap. 9, aliàs 4, n. 77: *Servemus distinctionem Divinitatis et carnis. Unus in utràque loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque natura est.... Quasi Deus, loquitur quæ sunt divina, quia Verbum est; quasi homo, dicit quæ sunt humana, quia in meâ substantiâ loquebatur.* S. Aug., lib. 1 de Trinit cap. 7, n. 14, Eutychis hæresim in antecessum clarissimè confodit: *Neque enim*, inquit, *illâ susceptione* (humanitatis à Verbo) *alterum eorum in alterum conversum atque mutatum est; nec Divinitas quippe in creaturam mutata est, ut desisteret esse Divinitas, nec creatura in Divinitatem, ut desisteret esse creatura.* S. Cyrillus Alexandr., cujus vestigiis se inhærere Eutyches contendebat, multis in locis, ut supra ostendimus, præsertim verò in *Epist.* 2 ad Nestorium, et *Epist.* quæ incipit *Lætentur*, ad Joan. Antiochenum, duas esse in Christo naturas, divinam et humanam, inconfusas et perfectas apertissimè significat, ut supra videre est.

Prob. 4° ratione theol. Si ex naturis divinâ et humanâ, unica in Christo natura per incarnationem Dei Verbi facta esset; vel natura humana absorpta fuisset à divinitate, quem loquendi modum Eutychiani sæpè adhibuerunt; vel natura divina in humanitatem versa fuisset; vel duæ illæ naturæ in tertiam aliquam permixtæ, confusæ ac mutatæ fuissent, neutrâ illarum remanente integrâ vel denique divinitas et humanitas sine confusione et permixtione in unam naturam compositam coaluissent, ut ex animâ et corpore homo conflatur. Atqui nullum horum dici potest.

1° Natura divina humanam in Christo non absorpsit. Nam si natura divina in Christo humanitatem consumpsisset et absorpsisset, vel dicendum esset Christum non esse natum, passum, cruci affixum, mortuum, etc., vel hæc ipsi essent tribuenda secundùm ipsam divinitatem. Atqui 1°, de fide est Christum esse natum, passum, etc. 2° Tam fidei quàm rationi repugnat Divinitatem ipsam pasci, pati, mori, etc., cùm ipsa juxta fidem et rationem sit æterna, independens, et essentialiter immutabilis; ergo, præter naturam divinam Christus habuit humanitatem, secundùm quam est natus, passus, etc., nec ista ab illâ absorpta fuit et consumpta. Præterea, tota Trinitas non est nata, passa, etc., solus Deus Verbum pro nobis carnem assumpsit et mortem subiit; atqui, si secundùm Divinitatem Christus esset natus, passus, etc., cùm Divinitas una et eadem sit totius SS. Trinitatis, fatendum esset totam Trinitatem esse natam, passam, etc. Deinde, si natura humana per adunationem à Divinitate absorpta est; ergo Beata Virgo nec concepit nec peperit Christum secundùm naturam sibi consubstantialem, nec Deipara dici potest. Ubi observa cum SS. Patribus Eutychianam hæresim, etsi Nestorianæ è diametro oppositam, ad B. Virginem titulo Deiparæ spoliandam æqualiter collimare. Postremò, Christus non potuit vices Redemptoris, Mediatoris, Pontificis, per naturam suam divinam adimplere: hæc enim munia, preces, supplicationes, aliosque actus edi postulant, quos à naturâ divinâ elici repugnat. Atqui Christus egit Mediatorem, Redemptorem, Pontificem. Natura ergo ejus humana à Divinitate non fuit absorpta. Quinimò, absorberi non potuisset natura humana à Divinitate, quin mutaretur Divinitas. Nam distinguebant Eutychiani inter illa duo,

humanitatem esse destructam, et eam esse absorptam; istud fatebantur, non illud. Igitur humanitas, juxta illos, absorpta fuerat, quatenùs Divinitati admixta evanescebat; quod sine Divinitatis mutatione contingere non potest.

2° Natura divina in humanitatem versa non est : siquidem id repugnat perfectionibus divinis, quas fides perinde ac ratio apertissimè prædicant, quibusque excluditur à Deo vel levissima *vicissitudinis obumbratio*, Jacob. 1, v. 17.

3° Non minùs evidenter postulant illæ perfectiones nullam admitti permixtionem et confusionem naturarum divinæ et humanæ; hâc enim confusione divinitas desineret esse quod erat, ut fieret quid novi. Præterea naturæ illi ex confusione divinitatis et humanitatis exurgenti adscribenda esset nativitas, passio, mors et resurrectio Christi. Denique natura ex illâ confusione exurgens nec esset divina nec humana, proindeque nec Deus nec homo esset Christus, nec Patri nec matri consubstantialis; ergo.

4° Ex duabus naturis inconfusis et integris manentibus non coaluit unica in Christo natura composita. Nam ut divinitas et humanitas unam in Christo naturam compositam constituere dicerentur, deberent esse pariter incompletæ, seu ad se invicem naturalem habere habitudinem, qualis intercedit corpus inter et animam hominis; aut saltem necesse foret naturam divinam ipsâ unione immutari et perfici; etenim sine alterutro ex iis, nulla concipitur vera compositio. Atqui 1° Verbum et humanitas non sunt partes incompletæ, id est, nec humanitas naturâ suâ tendit ad unionem hypostaticam cum Verbo divino, nec etiam Verbum divinum naturâ suâ postulat uniri cum humanitate. Namque naturalis ejusmodi respectus summæ perfectioni et independentiæ Verbi divini repugnaret, docetque insuper fides ex mero Dei beneplacito et summâ ejus benignitate hanc unionem peractam esse. 2° Pariter secundùm catholicam fidem, Divinitas, dùm humanitati in unâ Verbi divini personâ conjungitur, nihil aut amittit aut acquirit perfectionis, cùm sit prorsùs immutabilis. Humanitas quidem unione suî cum Deo Verbo perficitur; at Divinitas sine ullâ sui mutatione humanitati conjungitur. Imò licet, ut infra dicemus, natura divina habeat rationem partis numericæ Christi, attamen non habet rationem partis perfectionum ejus, quippe cùm ipsa infinitè perfecta sit, et omnes naturæ humanæ à Verbo assumptæ perfectiones, quas illæsas relinquit, summo et eminenti modo contineat. Ergo fidei repugnat ex naturâ et divinâ et humanâ unam fieri naturam compositam, ac planè dicendum est duas esse in Christo naturas, divinam et humanam, distinctas, inconfusas, impermixtas, integras.

Solvuntur objectiones. — Obj. 1° : Verba hæc Joan. 1, v. 14 : *Verbum caro factum est*, utriusque naturæ confusionem significant; ergo, etc. — Nego ant. Vox *fieri*, non semper conversionem unius in aliud, sed sæpè meram novæ rei accessionem, sine prioris interitu, significat; ut cùm dicitur quis factus esse consul, etc., vel cùm Adam dictus est, Gen. 2, v. 7, *factus in animam viventem*. Ergo ut Verbum dicatur caro factum, sufficit naturam humanam ab illo assumptam fuisse in personæ unitatem; namque eam sic assumendo factum est propriè humanitatem habens, ac proinde homo. Ita illud testimonium explicant S. Ignatius Martyr, in Epist. ad Trallianos; S. Epiphan. hæresi 77; S. Ambrosius, lib. de Incarn. cap. 6; S. Aug. serm. 187, aliàs 27, de Tempore. Et verò, adeò cum Scripturis pugnat et de se absurdum est Deum Verbum in humanitatem conversum dici, ut nequidem ab Eutychianis id unquàm cogitatum fuerit.

Obj. 2° : Alter textus inter probationes allatus ex Philip. 2, naturæ duplicis fidem labefactat. Nam 1° Verbum ibi dicitur *semetipsum exinanivisse, formam servi accipiens*. Atqui si duæ essent in Christo naturæ inconfusæ, Verbum non semetipsum exinanivisset, etc. Ergo. 2° Hæc verba : *In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo*, non denotant veram humanitatem, sed ejus duntaxat speciem quamdam exteriorem; proindeque significant naturam humanam in Christo absorptam fuisse à Divinitate. — Nego ant. Imò in illo textu planè adstruitur dogma duplicis distinctæ naturæ in eâdemque Verbi personâ. Ad primam probationem min., Verbum non dicitur eò loci sese exinanivisse amittendo quod erat, sed accipiendo et sibi uniendo formam servi, id est, naturam humanam unione hypostaticâ sibi copulando. Sub hâc ratione verò Verbum verè dicendum est sese exinanivisse, tum quia natura humana, quam dignatus est assumere Dei Filius, à naturâ divinâ sibi propriâ in infinitum distat; tum quia secundùm eamdem humanam naturam factus est servus, subditus Deo, humiliatus, et obediens usque ad mortem. Ad secundam probationem, nego ant. Voces illæ, *in similitudinem hominum factus*, de se non sonant similitudinem adumbratam, sed veram et naturalem, quasi dictum esset, Verbum, quatenùs accepit formam servi, factum esse simile naturâ cæteris hominibus. Pariter in his verbis, *habitu inventus ut homo*, particula *ut* nihil quidquam humanitatis detrahit, sed magnitudinem mysterii indicat; id quippe mirum, quòd Christus, cùm sit naturâ Deus, ut homo tamen apparuerit, et ratione naturæ assumptæ similis hominibus inventus sit. Atque hunc esse sensum illius loci, duo plenissimè demonstrant, 1° *Forma servi*, quam ibi dicitur Christus accepisse; nam formam servi hìc sumi pro naturâ humanâ ex eo patet, quòd ibidem *forma Dei* pro naturâ divinâ usurpetur : *Qui cùm in* FORMA DEI *esset... semetipsum exinanivit*, FORMAM SERVI *accipiens;* 2° mors Christi, quæ ibidem ab Apostolo memoratur, et quæ in humanitatem umbratilem et phantasticam cadere non potuit.

Obj. 3° : Auctor Symboli quod sub nomine S. Athanasii circumfertur, sic habet : *Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus;* atqui simili comparatione sæpissimè utuntur alii SS. Patres; ergo, quemadmodùm ex animæ

et corporis unione fit una natura composita, ita ex duabus naturis in Christo una natura coalescit. Nego conseq. Cùm unionem naturarum in Christo conferunt SS. Patres cum unione animæ et corporis in homine, nolunt similitudinem esse adæquatam et in omnibus urgendam; noverant enim, et sæpè expressè docent Verbum esse undequàque immutabile, sponte suâ naturam humanam assumere esse dignatum, eâquè unione ipsum nec perfici nec mutari. Ergò ad unitatem naturæ non est referenda similitudo, sed tantùm ad unitatem personæ; atque, ut explicat S. Thomas, 3 part., qu. 2, art. 1 ad 2, sensus est, quemadmodùm unus homo subsistit in carne et animâ, ita *unum Christum subsistere in divinâ naturâ et humanâ.* Quapropter auctor Symboli non ait: sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita natura divina et humana unus est Christus; sed utitur terminis concretis, *Deus et homo*, ut ostendat comparationem spectare ad personam ambas naturas complectentem.

Obj. 4° : S. Irenæus, lib. 2 adversùs Hæreses, cap. 21, Tertull. in Apologet. cap. 21, S. Cyprian. lib. de Vanit. Idolor., S. Greg. Nyssen. Orat. catechet. cap. 25, S. Aug. in Epist. 137, aliàs 3, ad Volusianum, S. Leo, serm. 3, in die Natalis Domini, et alii quos laudant Petav. lib. 3, de Incarn. cap. 2, n. 14 et seqq.; Thomassinus, de Incarn. lib. 3, cap. 4, n. 10 et 11, et cap. 5 integro, etc., naturarum in Christo unionem nominibus *mixturæ* et *mixtionis* designant; utunturque variis comparationibus ex liquorum permixtione desumptis; ergo, etc. — Dist. ant., ut significent hanc unionem esse intimam et intrinsecam, concedo; ut significent hanc unionem in confusione naturarum esse positam, nego. Cùm unio naturarum in Christo omnium arctissima existat, totius sit naturæ divinæ Verbi, substantiamque humanitatis et omnes ejus partes attingat, mirum videri non debet SS. doctores ad eam exprimendam, variis comparationibus et metaphoris ex rerum sensibilium arctissimè unitarum ductis esse usos. Imprimis verò *mixturæ* nomen ad id idoneum videri debuit, tum quòd Verbum per Incarnationem omnes et singulas naturæ humanæ partes immeet et eis uniatur; tum propter communionem idiomatum, quæ ex illo mysterio sequitur, ut postea dicemus. Cæterùm, monuêre SS. doctores hæc intelligenda esse modo à corporearum rerum mixtionibus alieno, et salvâ ambarum naturarum integritate, quam sæpiùs asserunt. Audiatur Augustinus ipso loco objecto : *Sicut in unitate personæ*, inquit, *anima unitur corpori, ut homo sit; ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit. In illâ ergo personâ mixtura est animæ et corporis; in hâc personâ, mixtura est Dei et hominis; si tamen recedat auditor à consuetudine corporum, quâ solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam; quanquàm et in ipsis corporibus aeri lux incorrupta misceatur.* Vide etiam Tertull. lib. contra Praxeam, cap. 27. Observat autem Petavius, lib. 3 de Incarn. cap. 2, vocem *permixtionis* à nonnullis Patribus repudiatam fuisse, quòd ad sensum suæ hæreseos eam Appollinaristæ et Eutychiani traherent.

Obj. 5°, cum Eutychianis, auctoritatem Julii romani episcopi qui in Epist. ad Dionysium Corinth. Episcopum refellit eos qui in Christo *duas naturas dicunt;* ergo, etc. — Respondet Eulogius Alexandrinus patriarcha apud Photium, codice 230, *naturæ* nomen pro *personâ* à Julio fuisse usurpatum. Sed veriùs respondet Leontius, lib. de Sectis, act. 8, Epistolam illam Julii non esse, sed ipsi ab Eutychianis falsò adscriptam. Quod probat maximè quia S. Greg. Nyssen. in opere contra Apollinarem multa ex illâ Epistolâ laudat, quæ Apollinaris haud dubiè sunt, quæque Gregorius refellit.

Obj. 6° verba hæc S. Gregorii Thaumaturgi Neocæsariensis episcopi, ab Eulogio Alexandr. relata apud Photium, codice mox citato : *Non duæ personæ, neque duæ naturæ; non enim quatuor nos adorare dicimus.* — Respondet Leontius in fragmento adversùs Apollinaristas Patrum depravatores, opus illud S. Gregorio falsò inscripsisse Apollinaristas aut Eutychianos, *ut simpliciores fallerent.*

Obj. 7° auctoritatem S. Gregorii Nysseni, qui Orat. 4 contra Eunomium sic habet : *Nos etiam corpus, quo passionem suscepit* (Christus), *divinæ naturæ contemperatum, illud factum esse per temperationem dicimus, quod quidem est natura quæ assumpsit... ita ut si quid etiam naturæ infimæ assumptum est, propter dispensationem hominum generi benevolam, hoc etiam credamus id quod divinum est et immortale transformatum esse.* Et infra : *Quomodò nos ad duos Christos fidem dispertiri dicimur?... Scientes ex iis quæ didicimus* (de unione naturæ humanæ cum Deo Verbo), *quòd divina quidem natura semper una eademque et eodem modo se habet; caro verò per semetipsam hoc quidem est, quod de ipsâ ratioque et sensus assumit; sed cum Divinitate temperata, non ampliùs in suis terminis et proprietatibus manet, sed ad id quod prævalet et supereminet assumitur.* Et rursùs : *Cum Divinitate temperatione, secundùm id quod præpotentius est, recreata corruptibilis natura potentiæ Deitatis particeps facta est; ut si quis dicat aceti guttam vasto mari immixtam, per hujusmodi mixtionem maris qualitates induisse; quia non ampliùs secundùm naturam hujus liquoris qualitas in immensitate præpotentis immaneat.* Similia repetit in lib. contra Apollinarem, ubi et docet duplicem in Christo admittendam fore personam, si humanitas Verbo unita proprias suas qualitates conservaret. Ex his autem sic arguitur : Ille unicam in Christo naturam admittit, qui ait assumptam à Verbo naturam ad id quod divinum est transformatam esse; hanc in suis terminis et proprietatibus non manere, sed ad id quod prævalet, assumi, ac tandem Deitatis participem fieri, quomodò aceti gutta mari immixta maris qualitatem induit. Atqui ita S. Gregorius Nyssenus; ergo, etc.

Respondet Petavius, lib. 10 de Incarn. cap. 1, S. Gregorium loqui non de ipsâ naturæ humanæ substantiâ aut de proprietatibus ejus essentialibus, sed de accidentalibus *proprietatibus illis*, inquit n. 10, *quæ ex peccato consecutæ, non ejus tamen maculâ sunt in-*

fecisse, neque dedecus ac turpitudinem habent; ut est moriendi conditio, tristitia, fames, lassitudo, sitis, etc., quas *assumptas quidem ait* (S. Gregorius), *sed eâ causâ sublatâ propter quam erant ascitæ, prorsùs extinctas, et in Divinitatis statum, ut ille loquitur, absorptas fuisse. Quod nisi ita factum foret, meritò existimarentur duas in Christo esse personas, ac filios duos; quæ suspicio beatâ illâ et admirabili humanæ naturæ commutatione tollitur.*

Dist. maj. Ille unicam, etc., qui hæc ait, naturam humanam et ejus proprietates intelligens physicè et quoad entitatem in naturam divinam immutari, concedo; qui hæc ait propter dignitatem et excellentiam quam natura humana ejusque actiones ex unione physicâ et hypostaticâ cum Deo Verbo consequuntur, nego. Positâ unione hypostaticâ naturæ humanæ cum personâ Verbi, ea quæ insunt naturæ humanæ ad id quod divinum est physicè quidem et quantùm ad entitatem non transformantur, sed tamen dicenda sunt summam et infinitam in genere moris, ut aiunt, ex personæ unitate dignitatem consequi. Atque hoc ipsum est quod locis objectis S. Gregorius Nyssenus significat. Scilicet Eunomius, quem ibi refellit S. doctor, objecerat S. Basilium Christi passiones ipsi divinæ Verbi naturæ abjudicantem, easque naturæ humanæ ab ipso assumptæ tribuentem, de Christi cruce erubescere, duosque Christos et filios constituere, nempe Filium Dei in propriâ naturâ impassibilem, et hominem qui passus est. Hanc calumniam ut diluat S. Gregorius, ostendit ea quæ carnis Christi sunt et ab humanitate peraguntur, non esse solius naturæ humanæ, sed ipsi Verbo divino adscribenda, sicque, non quantùm ad entitatem, sed in genere moris, et propter eminentem dignitatem quam ex unione hypostaticâ cum Deo Verbo desumunt, divina fieri, seu, ut ille ait, ad id quod divinum est transformari, assumi ad id quod prævalet et supereminet, ac deitatem participare; quod explicat comparatione valdè idoneâ, sed non in omnibus urgendâ, guttæ aceti, quæ mari permixta fit particeps proprietatum maris. Hinc laudatâ orat. 4 contra Eunomium post verba objecta, *Scientes ex iis quæ didicimus*, etc., continenter addit: *Carnis tamen et Divinitatis proprietatum* (etiam peractâ unione, ut ex toto contextu patet), *inconfusa permanet contemplatio, quamdiù in seipsis horum utrumque spectatur, tale quid dicens: Verbum ante secula erat; caro verò in extremis temporibus facta est.* Relatisque pluribus quorum alia à Divinitate, alia ab humanitate Christi prodiêre, sic pergit: *Hæc enim sunt clara, etiamsi quis sermone non explicet: quòd plagæ et verbera sunt servi, in quo Dominus; honores autem Domini, circa quem servus; ita ut per compagem et nexum naturalem communia fiant utriusque utraque, Domino serviles vibices assumente, et servo dominico honore glorificato. Ob eam causam enim et Domini gloria crux dicitur, et omnis lingua confitetur quia Dominus Jesus Christus in gloriâ est Dei Patris... Exinanitur enim Divinitas, ut capi possit in humanâ naturâ; renovatur verò quod humanum est, cùm fit divinum per temperationem* (hoc est, unionem) *cum Divinitate.* Ubi observa etiam clarè designari in Christo esse naturam Domini et naturam servi, ac utriusque naturæ proprietates inconfusas. Quod et alibi disertiùs adhuc exprimit S. doctor. Sic orat. 5 contra Eunomium: *Neque in sententiis*, inquit, *neque in notionibus incertat* (Apostolus); *ubique enim humani cum divino temperationem prædicans, nihilominùs* IN UTROQUE QUOD CUIQUE PROPRIUM EST intuetur... *Ac ne quis immortali naturæ passionem crucis affricet, per alia manifestiora talem emendat errorem, mediatorem ipsum Dei et hominum, et hominem et Deum nominans; ut cùm duo de uno dicuntur, congruum intelligatur in utroque; in eo quod divinum est, impassibilitas; in eo quod est humanum, in passione dispensatio.* Et lib. adversùs Apollinarem: *Nos*, inquit, *naturam quidem humanam Verbo conjunctam servatam esse ex mysterio didicimus et credimus.* Deinde, ut explicet quomodò *quidquid in naturâ nostrâ infirmum est et caducum, Divinitati commixtum* (hoc est, unitum) *in id evaserit quod ipsa est Divinitas*, sic pergit, idiomatum communicationem clarissimè exprimens: *Propter exactam unionem assumptæ carnis et assumentis divinitatis, communicantur et mutuò dantur nomina; ita ut et humanum ex divino, et divinum ex humano denominetur: quapropter et qui crucifixus est, Dominus gloriæ à Paulo vocatur*, etc.

CAPUT IV.

Contra Monothelitas ostenditur duas esse in Christo voluntates et operationes. Ubi de facto Honorii.

Monothelitæ ita dicti sunt à duabus vocibus Græcis μόνος, *unus*, et θέλησις, *voluntas*, quòd nempe unam tantùm in Christo voluntatem agnoscerent; quæ hæresis ante annum 626 in Oriente prodire cœpit, magnasque postmodùm in Ecclesiam invexit turbas, donec anno 680 in concilio generali VI proscriberetur. Præcipui Monothelitarum duces fuêre Theodorus civitatis Pharan in Arabiâ episcopus, qui et ejusmodi hæreseos auctor fuisse videtur; Athanasius Eutychianorum Jacobitarum Syriam et Armeniam incolentium patriarcha; is ut imperatori Heraclio Chalcedonensem synodum à se suscipi postulanti satisfaceret, et simul errorem suum integrum retineret, duas in Christo confessus est naturas, unam verò operationem et voluntatem; Cyrus primùm Phasidis in Colchide, et deinde, Alexandriæ episcopus, qui anno 633 Eutychianos Theodosianos ad Ecclesiam reducendi specie, unam in Christo operationem sub anathematis pœnâ credendam proposuit; quatuor Patriarchæ Constantinop., Sergius videlicet, cujus fraudibus et Heraclius imperator, et Honorius pontifex romanus circumventi sunt, et hæreseos fautores effecti, Pyrrhus, Sergii successor, qui errores suos Romæ coram sum. pontifice Theodoro ejuravit, et in eosdem postea relapsus est, Paulus, qui imperatori Constanti auctor fuit ut typum ederet, et Petrus; quibus Theodorus, qui, interjectis aliquibus annis, Constantinopolit. quoque sedem tenuit, à nonnullis adjungitur. Nemo verò inter Monothelitas celebrior extitit Macario, patriarchâ Antio-

cheno, qui in concilio generali VI professionem fidei suæ Patribus obtulit, et errorem pertinaciter defendit. Favêre Monothelismo Honorius rom. pontifex, de quo fusè postea dicemus, et imperatores duo, Heraclius nempe, qui ab unius aut duplicis voluntatis et operationis vocibus abstinendum anno 639 famosâ *Ecthesi* seu Expositione edixit, quam tamen postea, cùm à Joanne Papâ proscripta fuisset, suam esse negavit, et Sergio adscripsit; et Constans Heraclii nepos, auctor alterius Edicti anno 648 promulgati, quod *Typus* appellatum est, et quo idem quoque silentium fuit imperatum.

Porrò grassanti errori vehementer, ut par erat, obstitêre imprimis Sophronius, monachus doctus juxta ac pius, et deinde Jerosolymorum episcopus; Stephanus Dorensis, quem ad Honorium cum litteris idem Sophronius misit, quemque Theodorus papa suum in Palestinâ vicarium esse voluit; S. Maximus prosapiæ nobilitate, perinde ac eruditione et sanctitate celeberrimus in Africâ monachus, qui pro fide catholicâ, quam scriptis variisque in collationibus strenuè defenderat, sub Constante martyr occubuit; summi pontifices Honorium in Sede romanâ consecuti, maximè Joannes IV, à quo Ecthesis Heraclii improbata est; Theodorus, qui Pyrrhum Constantinopolitanum à S. Maximo aliquando conversum ad communionem admisit, et postmodùm in impietatem relapsum anathemate percussit; Martinus I, qui, coactâ synodo Lateranensi, anno 649, tum hæresim ipsam, tum Heraclii Ecthesim, Typum Constantis, et præcipuos erroris defensores Theodorum, Cyprum, Sergium, Pyrrhum, Paulumque damnavit; quocirca à Constante è sede suâ avulsus, in exilium agitur, ubi ærumnis confectus coronam martyrii meruit; Agatho, quo Pontificatum gerente, habita est synodus œcumenica sexta, cui et ipse per legatos suos Theodorum et Georgium presbyteros, et Joannem diaconum præfuit.

Rei catholicæ adversùs Monothelitas promovendæ incubuerunt Constantinus, Heraclii filius et successor, qui post paucos imperii menses extinctus est, et alter Constantinus cognomento Pagonatus, id est, Barbatus, qui patrem suum Constantem excepit, et synodo sextæ suis et Agathonis curis congregatæ interesse voluit.

Hæ autem præcipuæ fuerunt synodi in quibus novellum Monothelitarum dogma proscriptum est. Nempe Jerosolymitana, à Sophronio ad hanc sedem recens evecto coacta an. 633, è quâ synodica ad Honorium et ad Sergium scripta est; Romana, anno 640, in quâ Ecthesim Joannes IV improbavit; Africanæ complures, anno 646 habitæ, ut constat tum ex Epistolâ primatuum Numidiæ, Byzacenæ et Mauritaniæ ad Theodorum papam in conc. Lateran. secretario 1 relatâ, tum ex synodicâ concilii Byzaceni ad imperatorem à 48 episcopis sul scriptâ, tum ex synodicâ concilii Provinciæ Carthaginensis ad Paulum Constantinop. octo et sexaginta episcoporum chirographo munitâ; Lateranensis, sub Martino I, anno 649, quâ, ut mox dictum est, Monothelismus proscriptus, et ejus defensores præcipui anathemate percussi. Romana altera viginti quinque supra centum episcoporum, ab Agathone ex omnibus Italiæ partibus et ex Galliis coacta, è quâ ad imperatorem duæ Epistolæ datæ sunt, altera nomine pontificis maximi, altera nomine concilii et totius Ecclesiæ occidentalis, in utraque duplicis in Christo voluntatis et operationis fides luculenter exponebatur; tandem concilium Constantinop. III, generale VI, quod eodem Constantino imperante, præside per legatos suos Agathone, mense novembri an. 680, incœptum est, mense septembri anni sequentis conclusum; in eo dogma catholicum de duabus in Christo voluntatibus et operationibus assertum et definitum est, ac supra memoratis Monothelismi auctoribus et propugnatoribus Theodoro, Cyro, Sergio, Pyrrho, Paulo, etc., nominatim anathema dictum, quibus non uno in loco Honorius papa adjungitur; denique synodi sextæ judicium reverenter suscepit synodus Toletana an. 684, atque illud idem in concilio Nicæno II, generali VII, actione 7, est confirmatum.

Nunc propiùs inspiciendum est in quo posita fuerit Monothelitarum hæresis. Jam diximus unam tantùm in Christo voluntatem et operationem à Monothelitis admissam fuisse. Id verò eo sensu accipiendum est, quòd solam in eo agnoverint voluntatem et operationem divinam; ut planè colligere est tum ex variis ejusmodi hæreticorum dictis, tum maximè ex professione fidei quam sextæ synodo, act. 8, Macarius Antiochenus obtulit; in eâ enim disertè attribuitur Christo *una et singularis voluntas divina*, negaturque in eo esse *aliam* voluntatem seu *adversantem* aut *contrariam, seu similem*, id est, conformem voluntati divinæ; atque inde eruitur quod consequens est, unam videlicet Christi esse operationem. Constat igitur Monothelitas ideò unam dixisse Christi voluntatem et operationem, quòd humanitatem ejus naturali voluntate et operatione spoliarent. At verò *voluntas* illâ quam detraxêre humanitati Christi, sumebaturne ab illis pro *actu*, an pro ipsâ *facultate* volendi? item, quid sibi nomine *operationis* volebant?

Circa primum, Vasquez in 3 part. D. Thomæ, Disp. 73, cap. 1, De Lugo, de Incarn. disp. 25, § 3, existimârunt Monothelitas, utpote duplicem in Christo naturam inconfusam et impermixtam confitentes, eò stoliditatis non devenisse ut voluntatem humanam sumptam pro facultate volendi Christo detraherent. Dicunt ergo solum affectum seu actum illius facultatis ab iis humanitati Christi denegatum fuisse, affectu scilicet seu motu voluntatis divinæ actuum voluntatis humanæ supplente vices, et humanitatem ad opus, instar instrumenti inanimati, applicante. Verùm D. Thomas, 3 p., q. 18, art. 1, et q. 19, art. 1, omnesque theologi usque ad Vasquesium, ipso fatente, et plerique illi qui eum subsecuti sunt, censent tum actum tum facultatem volendi à Monothelitis fuisse Christo abjudicatam; quod longè probabilius esse probat fusè Petavius, lib. 8 de Incarn. cap. 4 et seqq. Animadvertemus solùm S. Maximum in disputatione cum Pyrrho, et S. Joannem Damascen., in libro quem ad

versùs Monothelitas de duabus Christi voluntatibus conscripsit, nomine *voluntatis* non solum actum, sed et facultatem ipsam seu potentiam volendi intellexisse.

Quòd si cum Vasquesio objicias non potuisse Monothelitas in tantam absurditatem prolabi, ut animam rationalem quam in Christo agnoscebant, voluntatis facultate privatam esse judicarent, resp. 1°, compluribus exemplis exploratum haberi, errori illud esse proprium, ut secum pugnantibus ex partibus constet. *Itaque qui rationis et judicii constantiam*, inquit cap. 4 mox citato, n. 7, Petavius, *in eorum* (hæreticorum) *dogmatibus requirit, hoc ab illis, quod non fert natura rerum, exigit; et nihilo plus agit, quàm si det operam, ut cum ratione insaniant.* Resp. 2° Potuit videri Monothelitis facultatem volendi non esse essentialem animæ rationali, sed hanc esse tantùm ejusmodi animæ naturam ut illius facultatis recipiendæ sit capax, quamvis de iis subtili et philosophico more discutiendis Monothelitæ solliciti fuisse non videantur.

Quod ad alterum attinet, nempe quid *operationis* nomine à Monothelitis intellectum fuerit, observ. 1° errorem de unâ in Christo operatione, ex altero de unâ ejusdem voluntate esse necessariò nexum. Nam cùm operatio humana ea sit quæ voluntariè seu ad imperium voluntatis humanæ elicitur, consequens fuit Christum voluntate humanâ à Monothelitis non potuisse spoliari, quin ipsi et operatio humana ab iisdem denegaretur. Observ. 2°, vocem *operationis* latiùs patere quàm *voluntatis* nomen; istud sumitur tantùm pro facultate aut actu appetitûs rationalis; illa verò ad omnes facultatum omnium functiones attinet. Observ. 3°, Monothelitas inter se non consensisse circa illam unicam, quam in Christo omnes admittebant operationem. Nam alii, ut Pyrrhus in disputat. cum Maximo, Macarius in Professione fidei, etc., voluêre hanc appellari *Theandricam*, Deivirilem, non ut exprimerent, quod fide catholicâ docetur, nempe operationes quas Christus naturâ suâ humanâ elicit esse Deo Verbo adscribendas; sed ut significarent Christi operationem in eo esse positam quòd voluntas divina humanitatis facultates sola moveret, et instar instrumenti inanimi ad agendum applicaret; quod dogma hæreticum est. Alii verò, ut Colluthus in concilio Lateran. secret. 3, accuratiùs sibi visi sunt loqui, unam simpliciter dicendo operationem divinam quam Θεοπρεπῆ, Deo decibilem seu Deo convenientem appellabant. S. Martinus Papa in concilio Lateran., loco citato, meritò judicavit istos ad suum errorem exprimendum aptiùs esse locutos, quia qui *Deivirilem operationem* Christi dicit, *duas* reverà *significat operationes, id est, divinam et humanam.*

Hæresis Monothelitarum præformatores fuêre Ariani, Apollinaristæ et Eutychiani. Nempe, quemadmodùm Eutychiani præcipui humanitatem Christi à Divinitate absorptam fuisse statuerunt; quemadmodùm Ariani animam, et Apollinaristæ mentem Christo homini detraxerunt, ita Monothelitæ Christum alioqui perfectum Deum et perfectum hominem confitentes, ipsum voluntate et operatione humanâ spoliârunt. His præmissis, dogma catholicum adstruendum est.

Conclusio. Duplex in Christo voluntas et operatio distincta admittenda est.

Probatur 1° iis Scripturæ locis quibus olim Sophronius, S. Maximus et alii Monothelitas impugnârunt. Psalmo 39 (Hebr. 40), v. 8 et 9 : *In capite libri scriptum est de me, ut facerem, Deus, voluntatem tuam; Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.* Unde sic arguitur : Ibi duplex designatur voluntas, nempe voluntas divina his verbis : *ut facerem, Deus,* VOLUNTATEM TUAM ; et voluntas illius qui ibidem inducitur loquens : *Deus meus,* VOLUI, etc. Atqui utraque illa voluntas est in Christo. Est quidem in eo voluntas divina, cùm sit Deus Filius, et una eademque voluntas, fatentibus Monothelitis, juxta fidem insit tribus SS. Trinitatis personis. Est etiam in eo voluntas altera hìc designata, siquidem ipsum Christum hìc loquentem à sacro Vate induci per se patet, et ex Apost. Hebr. 10, v. 5 et seqq., indubitatum est. Ergo præter voluntatem divinam quæ Christo ut Deo competit, altera ipsi ut homini inest voluntas quâ verè operatur et facit voluntatem divinam. Matth. 26, v. 38, 39 : *Tristis est anima mea usque ad mortem.... Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Marc. 14, v. 36 : *Abba Pater..., transfer calicem hunc à me; sed non quòd ego volo, sed quòd tu.* Luc. 22, v. 42 : *Pater, si vis, transfer calicem istum à me. Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* En iterùm duplex voluntas, nempe voluntas divina, quam in Christo eamdem ac in Patre admitti fides catholica postulat, et voluntas altera, quâ Christus tristis erat, mortem reformidabat, et sese voluntati divinæ subjiciebat; ergo, etc.

Nota autem 1°, illos affectus tristitiæ et timoris non fuisse in Christo involuntarios et indeliberatos; quippe hos motus Christus Dominus non sensisset, nisi eos multis de causis aliquando explicandis voluisset experiri. Nota 2°, voluntatem divinam inter et actus illos quibus voluntas Christi humana refugiebat mortem, nullam fuisse veram pugnam, non modò propter conditionem à Christo expressam : *Si possibile est, si vis*, etc.; sed maximè propter diversam rationem quâ voluntas Patris et Christus homo idem objectum spectabant. Enimverò voluntas Christi humana mortem aversabatur solùm ut naturæ humanæ oppositam; porrò sub eo respectu Deus hanc non imperabat; libentissimè verò Christus homo mortem oppetiit sub eâ ratione quâ Deo placita erat, nempe quatenùs illâ humanum genus redimi et salvari oportuit. Ergo locis allatis citra ullam imperfectionem et pugnam cum voluntate divinâ, Christo adscribitur humana voluntas proindeque, etc.

Joan. 4, v. 34 : *Dicit eis Jesus : Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me.* Ibid. 6, v. 38 : *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Ibi rursùs attribuitur Christo voluntas distincta à voluntate Patris. Philipp. 2, v. 8 : *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque*

ad mortem. Hebr. 5, v. 8 : *Didicit ex iis quæ passus est, obedientiam.* Certè obedientia est actus voluntatis creatæ; ergo Christus factus pro nobis obediens usque ad mortem, præter voluntatem divinam, habuit humanam voluntatem et operationem. Omitto alia plurima loca in quibus de Christo dicitur quòd doluerit, fleverit, indignatus fuerit; quòd voluerit exire in Galilæam, in Judæam ambulare; quòd latere voluerit nec potuerit, etc., quæ omnia voluntatem et operationem humanam significant.

Prob. 2° disertissimis testimoniis SS. Patrum qui ante exortum Monothelismum scripserunt. Hippolytus Portuensis, qui initio tertii seculi floruit, in fragmentis adversùs Beronem et Helicen Valentinianos, quæ in collectaneis suis Anastasius Bibliothecarius exhibet, et habentur etiam t. 3 Biblioth. PP. Lugd., pag. 260 et 261, ex professo probat duas esse in Christo naturas, divinam et humanam, et unicuique naturæ suas esse proprietates et suam operationem. Frag. 5 statuit illud palmare principium quod adversùs Monothelitas deinceps adductum est, nempe ex identitate aut distinctione operationum nexam esse naturarum distinctionem aut indistinctionem. *Quæ*, inquit, *sunt inter se ejusdem operationis et efficientiæ, ac cognitionis, et omninò idem patiuntur, nullam naturæ differentiam recipiunt.* S. Athanasius, orat. de Incarnat. et contra Arianos n. 21, ad hæc verba Christi : *Non mea voluntas, sed tua fiat*, sic loquitur : *Duas voluntates ibi ostendit; alteram humanam quæ est carnis, alteram divinam, quæ Dei est; siquidem humana, ob infirmitatem carnis, deprecatur passionem; Divina autem ejus voluntas prompta est.*

S. Ambros. lib. 10 in Lucam, n. 59 et 60 : *Quod autem ait* (Christus) : « *Non mea voluntas, sed tua fiat,* » *suam ad hominem retulit; Patris, ad Divinitatem; voluntas enim hominis, temporalis : voluntas Divinitatis, æterna.* S. Leo, Epistolâ 24, aliàs 10, quæ est ad Flavianum contra Eutychem, cap. 4 : *Qui verus est Deus*, inquit, *idem verus est homo; et nullum est in hâc unitate mendacium, dùm invicem sunt et humilitas hominis et altitudo Deitatis. Sicut enim Deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium est; Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est...; et sicut Verbum ab æternitate paternæ gloriæ non recedit, ita caro naturam nostri generis non relinquit.* Multa alia afferri possent SS. Chrysostomi, Cyrilli, Alexandrini, August., Hieron., aliorumque Patrum testimonia, quæ à doct. Petavio collecta habentur, lib. 8 de Incarn. cap. 8 et 9, et quæ in re obviâ prætermittimus. Diserta ejusmodi loca *sexcenta*, ἐξ ἑκατοντάδας olim contra Sergium duobus libris collegerat Sophronius, ut habetur in Supplicatione Stephani Dorensis concilio Lateran. oblatâ. Plurima leguntur tum act. 10 synodi VI, p. 785, tum in Epistolâ Agathonis papæ quæ act. 4 ejusdem synodi recitata est, p. 641.

Prob. 3° rationibus theologicis. Prima petitur ex actionibus naturæ humanæ, quas Christus exercere voluit. Joan. 7, v. 1 : *Ambulabat Jesus in Galilæam; non enim volebat in Judæam ambulare, quia quærebant Judæi eum interficere.* Ibid. cap. 1, v. 43, refertur Christum *in crastinum voluisse exire in Galilæam.* Et Marc. 7, v. 24 : *Inde surgens* (Jesus) *abiit in fines Tyri et Sidonis; et ingressus domum, neminem voluit scire, et non potuit latere.* Has functiones eâdem profectò naturâ Christus voluit, quâ eas exercuit; atqui eas exercuit naturâ humanâ, ut patet; ergo. Illud momentum versant S. Maximus, t. 2 operum, p. 178, et S. Joan. Damascenus lib. de Duabus voluntat., n. 8, t. 1, p. 546. Secunda est, Christum ex Scripturis, ex fide Symbolis et ex conciliorum definitionibus, esse Deum perfectum et hominem perfectum simul, seu constare duabus naturis integris, divinâ et humanâ, sed qui constat naturâ divinâ et naturâ humanâ perfectis et integris, duas habet voluntates et operationes; unicuique enim ejusmodi naturæ planum est suam esse voluntatem et operationem : *Impossibile* namque, *et contra ordinem naturæ est*, ut ait Agatho papa in Epist. ad Constantinum Pogonatum, *posse esse naturam, et operationem non habere naturæ.* Imò, ut scitè advertit Sophronius in Epist. ad Sergium, vel *ex operationibus tantùm, secundùm eos qui sunt talia callentes, naturæ noscuntur, et essentiarum semper differentiam ex differentiâ operationum est insitum comprehendere.* Hanc rationem urgent Martin. I, in conc. Lateran. secret. 5, p. 275, S. Damascen. lib. 3 de fide orthodoxâ, cap. 15, etc. Tertia eruitur ex principio quod à S. Greg. Nazianz. SS. Patres et theologi mutuati sunt, illud videlicet à Verbo esse assumptum, quod ab eo curatum est. Sic enim arguere licet cum S. Joan. Damasceno, orat. De duabus Christi voluntatibus : *Si non assumpsit humanam voluntatem, remedium ei non attulit, quod primùm sauciatum erat. Quod enim assumptum non est, nec est curatum, ut ait Gregorius Theologus. Ecquid enim offenderat, nisi voluntas?* Quarta sic se habet : Christus salutis nostræ causâ semetipsum humiliavit, pro nobis oravit, meruit, satisfecit, nobisque eximia dedit virtutum omnium exempla; atqui evidentissimum est illa omnia non potuisse à Christo præstari nisi per actus voluntarios et liberos, id est, à voluntate et libertate humanâ elicitos aut imperatos; ergo.

Solvuntur objectiones. — Obj. 1° : S. Dionysius Areopagita, in Epist. 4, quæ est ad Caium, *unam Theandricam seu Deivirilem operationem* admisit; ergo, etc. Ita Cyrus anathematismo 7; Pyrrhus in collatione cum S. Maximo; Macarius Antiochenus, act. 2 concil. VI. Scilicet cùm tunc temporis, opera quæ sub nomine S. Dionysii Areopagitæ circumlata sunt, ejus esse minimè dubitaretur, illorum auctoritatem valde premebant Monothelitæ. — 1° Nego antecèd. Ut enim observat. concil. Lateran. sub Martino I, secret. 3, et antea adverterat Sophronius, ille locus à Monothelitis corruptus est; cùmque in textu habeatur *novam quamdam Theandricam operationem*, ipsi *unam* substituebant. Hanc observationem, quâ tota difficultas tollitur, confirmare est ex Pyrrho Constantinopolitano

qui in tomo dogmatico act. 13 synodi VI relecto, fatetur apud Dionysium legi *novam*, non *unam*; quamvis hanc immutationem *non malitiosè* à Cyro Alex. factam fuisse existimet, et utràque lectione sensum Monothelitarum perinde exhiberi; quapropter 2° dist.: Novam Deivirilem operationem admisit, id est, docuit operationes Christi esse Dei-Hominis, vel quædam ejus opera externa tum à naturâ divinâ tum à naturâ humanâ proficisci, concedo; id est, voluntatem Christi humanam nihil operari, aut varios actus voluntatis divinæ et humanæ confundi et in unum redigi ac coalescere, nego. Meritò observat S. Martinus I in concil. Lateran. secret. 3, ab eo qui *operationem Theandricam* seu Deivirilem dicit, *duas significari operationes, id est, divinam et humanam*; quapropter, ut inibi refertur, aliqui Monothelitæ vocem *Deivirilis operationis* adhiberi nolebant. Tam porrò absurdum est quàm quod maximè, actum voluntatis divinæ Christi cum actu humanæ ejus voluntatis sic fuisse mixtum et confusum, ut ex utroque unicus efficeretur. Itaque nec ista mixtio et confusio, nec solùm Divinitatis operatio à S. Dionysio prædicari censendæ sunt, maximè si alia occurrat textûs allati explicatio non absona. Atqui reverà is textus duplici sensu catholico facilè explicatur. Primus assignatur à S. Sophronio in Epist. ad Sergium, à S. Maximo tum in collatione cum Pyrrho, tum in scholiis ad illum S. Dionysii locum. Ii non intelligunt operationem Theandricam de quâlibet actione Christi, sed de certo illo genere operis cui patrando Divinitas ejus et humanitas simul concurrebant. Scilicet aliæ operationes Christi sunt purè humanæ, ut manducare, ambulare, etc.; aliæ purè divinæ, ut peccata dimittere; aliæ ab utràque naturâ quadamtenùs profectæ, ut tactu corporis morbos depellere, vocis sono mortuos suscitare. De istis Sophronius et S. Maximus locum objectum interpretantur. Alter sensus quo idem textus exponi potest, ad omnes Christi operationes hunc extendit, et in eo consistit quòd actiones quas Christus sive naturâ suâ divinâ, sive naturâ suâ humanâ produxit, dicantur Theandricæ seu Deiviriles, propter conjunctionem in uno supposito, seu quia sunt Dei-Hominis, à quo per alterutram naturam omnes eliciuntur. Ita S. Dionysium explicat S. Joannes Damasc., lib. 3 de Fide orthod. cap. 19.

Obj. 2°, cum Monothelitis, varia testimonia SS. Patrum. S. Athanasius in libro de Salutari adventu Christi admisit in Christo *voluntatem Deitatis tantùm*. Ita Pyrrhus in disputatione cum S. Maximo, t. 2 op. S. Maximi, pag. 177, et Macarius ac Stephanus, act. 8 concil. VI, p. 760. S. Greg. Naz. orat. 2 de Filio, docet *Christi velle non fuisse Deo contrarium*, utpote *deificatum totum*. Pyrrhus, ibid. p. 175, Stephanus, act. 9, p. 776. S. Greg. Nyssenus contra Eunomium: *Operatur*, inquit, *verè deitas per corpus quod circa ipsam est, omnium salutem, ut sit carnis quidem passio, Dei autem operatio*. Ita Sergius in Epist. ad Honorium. S. Cyrillus Alex. lib. 4 in Joan. *unam quamdam cognatam operationem* per ambas naturas à Christo ostentam fuisse docet. Deinde plures è Patribus naturam Christi humanam *instrumentum* ejus Divinitatis nuncupant; quâ locutione solebant Monothelitæ dogma suum exprimere. Postremò iidem in medium proferebant varia testimonia Julii rom. pontificis, Gregorii Thaumaturgi, quoddam Mennæ scriptum ad Vigilium, necnon hujus Vigilii Epistolas ad Justinianum imperatorem. — Resp. ad singula. Ad primum, dist.: Solius in Christo fuit Divinitatis voluntas, per exclusionem voluntatis contrariæ, concedo; per exclusionem voluntatis rationalis et subjectæ, nego. Ibi S. doctor loquitur de carnalibus voluntatibus seu affectionibus ex peccato natis et ad peccandum inclinantibus, easque solas à Christo excludit, ut observavit Theophanes presbyter et abbas actione 8 synodi VI. Ad secundum, nego conseq. Voluntatem contrariam voluntati divinæ à Christo eliminat quidem S. Greg. Nazianz. loco objecto; at ibidem supponit esse in eo voluntatem humanam. Nam evidentissimum est voluntatem deificatam non esse voluntatem ipsam divinam, ut optimè animadvertunt S. Maximus in collat. cum Pyrrho, Agatho in Epist. I ad imperatorem et Basilius Gortynensis in VI synodo, act. 9. Præterea de voluntate divinâ absurdè quis pronuntiaverit eam non esse Deo contrariam; atqui id S. doctor asserit de voluntate quam ibi in Christo fuisse commemorat; ergo. Ad tertium, dist. Salus nostra Dei operatio est, quatenùs ex Deo seu personâ Verbi fuit valor infinitus passionum carnis, concedo; eo sensu quòd caro seu humanitas nihil operata sit, nego. Probat S. Greg. Nyssenus contra Eunomium, ut jam alibi notavimus, positâ fide catholicâ de Verbi Divinitate, passiones Christi maximi fuisse pretii et valoris; cùm igitur salutis nostræ opus Deo Verbo adscribit, intelligendus est de valore quem ex dignitate Dei Verbi trahunt passiones carnis quam assumpsit. Cæterùm S. doctor, dùm carni passiones adscribit, satis indicat Christum per humanitatem operatum esse, quod et aliis in locis disertè explicat. Vide synodum VI, et Petavium locis supra inter probationes conclusionis laudatis. Ad quartum dist.: Unam quamdam operationem, id est, unum opus externum, concedo; id est, unum actum interiorem, nego. Adverte S. Cyrillum duabus Christi naturis operationem, de quâ loquitur, attribuere; jam autem notavimus quàm absurdè voluntatis divinæ et humanæ actus in unum confunderentur; ergo ibi operatio non sumenda pro ipso actu interiori, sed proclive est hanc sumi pro opere exteriori ad quod producendum tum Divinitas tum humanitas Christi vario modo conducunt. Atque reipsà S. doctor de miraculis ab utràque naturâ profectis cò loci disserit. Ad quintum, dist.: Fuisse instrumentum animatum, concedo; inanimatum, nego. Volebant Monothelitæ naturam humanam Christi nihil agere, sed tantùm à Divinitate agi, et ad opus veluti rem inanimatam applicari, quemadmodùm, inquiebant, corpus, cui vis volendi nulla est, ab animâ rationali movetur et agitur. Alia fuit mens SS. Patrum. Ii voluêre tantùm humanitatem Deo Verbo hypostaticè unitam, ejus juris esse, proinde ab eo regi et gubernari ut suam,

nec sine ejus ductu quidquam perficere; et hoc solùm sensu vocaverunt eam instrumentum Divinitatis. Ad ultimum, loca Julii et S. Greg. Thaumaturgi à Monothelitis olim adducta, eadem sunt quæ jam supra diximus ab Eutychianis aut Apollinaristis fabricata fuisse. Quod ad Mennam et Vigilium attinet, scriptorum ipsis à Monothelitis attributorum suppositio accuratâ inquisitione demonstrata est act. 14 concilii VI; ergo.

Obj. 3° : Si duæ sint in Christo voluntates, divina et humana, necesse est inter illas pugnam intercedere; siquidem voluntas hominis sæpè voluntati divinæ adversatur; ergo. — Nego ant. Voluntas humana de se non importat rebellionem et pugnam adversùs voluntatem divinam. Ex peccato oriuntur motus illi legi divinæ oppositi, quibus voluntates nostræ ad peccatum inclinantur; proindeque Christus, ab omni peccato naturâ suâ immunis, iis motibus obnoxius esse non potuit. Itaque hìc distinguendum diligenter cum SS. Patribus inter voluntatem personalem seu arbitrariam, et voluntatem naturalem. Hæc nihil aliud est quàm facultas volendi, aut velle simpliciter. Illa est velle benè aut malè, velle hoc aut illud. Rectè observat S. Joannes Damascenus, lib. de duabus Christi voluntatibus, *sicut origo erroris Nestorianorum et Eutychianorum fuit, quòd non satis personam et naturam distinguerent, sìc, et Monothelitis, eò quòd nescirent quid inter voluntatem naturalem et personalem sive arbitrariam, discriminis interesset, hoc in causâ fuisse, ut unam in Christo dicerent voluntatem.* Scilicet cùm Christo non possit attribui voluntas arbitraria, falsò judicârunt nec ipsi fuisse naturalem voluntatem.

Obj. 4° : Ubi unica persona, ibi et unica operatio; atqui in Christo unica est persona; ergo, etc. — Dist. maj.: Ubi unica persona et unica natura operans, ibi unica est operatio, concedo; ubi unica persona, et natura duplex, nego. Una vel multiplex non est operatio, prout una vel multiplex est persona, sed prout una est aut multiplex natura. In Deo, etsi triplex sit persona, una tamen operatio agnoscitur, quia unica est natura divina; ergo in Christo, tametsi unica persona est, duplex nihilominùs agnoscenda est operatio, quia duæ in eo sunt naturæ integræ et perfectæ, per quarum unamquamque operatur persona.

Inst. : Actiones sunt suppositorum, ut fert vulgare axioma; ergo ubi unicum est suppositum, seu unica persona, ibi unica est actio. — Dist. ant.: Actiones sunt suppositorum denominatione et attributione, id est, attribuuntur suppositis quorum sunt naturæ et facultates agentes, concedo; sunt suppositorum elicitivè, ut aiunt, id est, eliciuntur à suppositis sub ratione suppositi, nego. Alia est ratio suppositi seu personæ, alia ratio sub quâ persona agit. Personarum actiones non eliciuntur ab earum personalitatibus, sed à facultatibus et naturis quas continent. Licet, v. g., intellectio sit Petri, qui persona est, attamen non intelligit Petrus per suam personalitatem, sed per suum intellectum et suam naturam rationalem; ergo cùm duæ sint in Christo naturæ quibus facultas volendi et operatio competit, debent in eo agnosci duæ voluntates naturales et operationes duæ, atque ipse intelligendus est per utramque suam naturam et voluntatem operari et velle. Itaque licet actiones meritò dicantur suppositorum seu personarum, tum quia pro actionum merito vel demerito, personæ vituperio vel laude dignæ sunt, tum quia ex personæ dignitate suam actiones dignitatem consequuntur; attamen ubi unicum est suppositum, non ideò unica operatio est, si illud duplicem naturam distinctam et perfectam comprehendat. Objecerunt quoque olim Monothelitæ auctoritatem rescriptorum Honorii, ideòque de hujus pontificis mente et condemnatione nunc disserendum est.

De mente Honorii et judicio quod de eo tulit synodus VI.

Anno 633, Sergius, Constantinop. patriarcha, Monothelita insignis, ut jam dictum est, totusque ex fraude et mendacio factus, litteras ad Honorium rom. pontificem malo dolo plenas dedit, quibus ipsi hanc induxit persuasionem, ad Ecclesiæ bonum maximè interesse, ut nec una nec duplex Christi voluntas et operatio diceretur. Extat hæc Epistola actione 12 synodi VI. Rerum itaque circumstantias haud satis perspecta habens pontifex supremus, Sergium faciliùs audivit, ac silentium quo, ut eventus docuit, grave damnum fidei allatum est, judicavit servandum. Quâ de re quatuor conscripsit Epistolas, unam ad Sergium, quæ celeberrima est, et in eâdem act. concilii VI exhibetur; alteram ad Cyrum, Alexandrinum patriarcham, et tertiam ad Sophronium Jerosol., quæ perierunt; ultima, cujus fragmenta duntaxat supersunt ibid. act. 13, ad eumdem Sergium fuit missa. Ex istâ colligitur Honorium insuper à legatis, quos Sophronius Jerosolymorum recens episcopus cum synodicâ Epistolâ ad se miserat, silentii ejusdem per Sophronium observandi exegisse pollicitationem; quæ promissa Sophronius, vir studio fidei clarissimus, adeò non probavit, ut Stephanum Dorensem episcopum, suffraganeorum suorum principem, ad apostolicam Sedem miserit, quo summus pontifex de fidei periculo certior fieret, eique promptum remedium adhiberet. Ob scriptas ad Sergium litteras Honorius à sextâ synodo, unà cum Theodoro Pharanitâ, Sergio, Cyro, aliisque Monothelitarum ducibus, act. 13 condemnatus est.

Quæritur an suis ad Sergium litteris Honorius errorem Monothelitarum propinaverit, an ei saltem faverit, et quo sensu accipienda sit sententia in ipsum à Patribus concilii VI lata.

Multiplex eâ de re est eruditorum opinio. Magdeburgenses, centuriâ 7, cap. 10 et 11, Forbesius Instruct. Hist. Theolog. lib. 5, Guillelmus Cave in Historiâ litterariâ, sæculo Monothelitico, et alii Protestantes, Honorii litteras ad Sergium hæreticas esse statuunt, eumque ut hæreticum Monothelitam à synodo VI condemnatum fuisse. Idem sentiunt è Catholicis non pauci, nempe Melchior Canus, lib. 6 de Locis Theologicis, capite ultimo; Edmundus Richerius, in Historiâ conciliorum generalium, lib. 1, cap. 10, ubi docet Ho-

norium excusari solùm posse ab hæresi formali, quòd Monothelismus nondùm esset solemni Ecclesiæ judicio proscriptus, Simon Vigorius regius consiliarius, in Commentariis ad resp. synod. concilii Basileensis; Mæmburgus in tractatu historico gallicè scripto de Ecclesiæ Romanæ prærogativis, Argentræus in Appendice ad elementa sua Theologica, qui tamen mentem Honorii Monothelismo imbutam fuisse negat; Dupinus, Biblioth. Eccles. t. 5, p. 222, edit. Paris.; Launoius, tomo 5 passim, etc.

Istud verò discrimen inter hos omnes maximè intercedit, quòd Canus, Argentræus et alii Honorium duntaxat ut privatum errâsse existiment; contrà non modò Protestantes, sed et Richerius, Vigorius, Mæmburgus, Dupinus, etc., contendant ab Honorio ut pontifice errorem fuisse Ecclesiæ propinatum. Visi sunt porrò Quesnelli apologistæ moderationis et verisimilitudinis omnes metas transgredi, cùm, ut se de rejectâ constitutione *Unigen.* excusarent, affirmaverunt Honorii litteras, etsi dogmaticas et hæresim definientes, fuisse tamen ab orientalibus episcopis expressè acceptatas, et ab occidentalibus tacito consensu. Vide *Témoignage de la vérité*, avertiss., pag. 11 et 12, et pag. 213, 214; *Mémoires sur l'appel des quatre évêques*, 1717, pag. 25 et 26; *Vérité rendue sensible*, 3e *édit.* pag. 217, 218, 425; *Réponse à l'instruction de M. le cardinal de Bissy*; 1772, etc.

Qui Honorium ab hæresi eximendum censent, ii autem sunt multi, in varias etiam discedunt sententias. Baronius (cui Pighius et Hosius præiverant), Annal. eccl. ad. an. 633 et 681; Bellarminus, lib. 4 de S. Pontif. cap. 11; Binius, in notis ad Honorii vitam et ad Leonis Epistolas, t. 6 concil. Labb.; Gretserus, in Examine mysteriorum Plessæi; Vallius, de Infallibilitate rom. pontificis, pag. 2, q. 4; Sylvius, lib. 4. Controvers. q. 2, art. 12; Franciscus Marchesius, Oratorii romani presbyter, in Clypeo fortium, seu Vindiciis Honorii, rom. edit. 1680; auctor cujusdam opusculi cui titulus : *Examen exact et détaillé du fait d'Honorius*, quod anno 1738 prodiit, aliique conjectant acta synodi VI fuisse interpolata in iis quæ ad Honorii damnationem attinent. Auctorem interpolationis Baronius facit Theodorum qui ad sedem Constantin. è quâ ante synodum VI deturbatus fuerat, aliquando post hujus synodi exitum, iterùm evectus est. Putat Annalium ecclesiast. parens hunc Theodorum in synodo VI inter Monothelitas damnatum fuisse; cùmque ejus nomen in actis hodiè non compareat, conjicit hunc nominis sui loco Honorii nomen substituisse, atque acta hocce modo corrupta legatis Agathonis qui synodo præfuerant, facinoris impii participibus, data fuisse, quæ ad romanum episcopum Agathonis interim è vivis erepti successorem deferrentur. Marchesius verò opinatur sincera synodi VI acta, nullam damnationis Honorii continentia mentionem, ad Agathonem à suis legatis allata fuisse, et ab eo confirmata, atque in Gallias et Hispanias missa; Honorium autem in quodam conciliabulo Græcorum paulò post synodum VI Constantinopoli habito, auctore inprimis ex-patriarchâ Theodoro Monothelitâ, damnatum ponit. Tandem exemplaria actorum synodi VI statuit fuisse in Oriente rarissima, et penes Monothelitas asservata, ab iisque corrupta ac demùm conciliabuli gestis commixta et confusa. Prædictus porrò Examinis auctor fraudem Paulo Constantinopolitano, qui Theodoro anno 687 successit, affingendam ducit, additque eumdem Paulum concilio quinisexto, quod in Trullo anno 692 habitum est, et cui ipse præfuit, acta synodi VI à se adulterata obtulisse, sicque effecisse ut Honorium à concilio VI damnatum habuerit illa synodus, quam Græci postmodùm à concilio VI non discrevêre.

Nonnulli suspicantur Honorii Epistolas fuisse conflictas aut saltem à Monothelitis adulteratas, præsertim priorem. Has fortè conflictas fuisse conjectatio est Bellarmini loco citato, Vallii, parte 2 lib. de supremâ Potestate; Sylvii, lib. 4 Controv., q. 2, a. 12. Eas verò aliquatenùs à Sergio adulteratas ponunt Joannes Baptista Tamagninus, Benedictinus Venetus in Historiâ Monothelitarum, tacito auctoris nomine typis mandatâ Parisiis an. 1678 et 1679, scrutinio 5, n. 8; Combefisius in notis ad calcem t. 2 editionis suæ operum S. Maximi; Corgnius in Dissertatione gallicâ de Monothelismo editâ Paris. 1741, pag. 57 et sequentibus, etc.

Pluribus videtur Honorium, etsi ab errore Monothelitarum alienus fuerit, nec illum in suis litteris expressérit, favoris tamen ex imprudentiâ et negligentiâ hæreticis præstiti meritò accusari; hunc graviter in eo peccâsse, ac tandem à synodo VI propterea jure fuisse condemnatum. In hâc erat sententiâ illustrissimus de Marcâ, teste Stephano Balusio in ejus vitâ, cap. 70. Eamdem opinionem sequuntur doct. Combefisius in Historiâ Monothelismi, editâ Paris. 1648, et insertâ t. 8 Biblioth. PP. Paris.; Tamagninus modò allatus, scrutinio 6; Thomassinus, Dissertat. in synodum VI, n. 18, 19 et seqq.; Natalis Alexander, dissert. 2 ad VII seculum; Contensonius, t. 3 Hist. ecclesiasticæ colloquiis digestæ, colloq. 3; Witassius, de Incarnat. q. 6, a. 3, sect. 3, cap. 3, etc. Negligentiæ etiam alicujus dicam Honorio impingit Christianus Lupus in Scholiis et notis ad canones concilii VI, cap. 4. Sed hanc *humanam* appellat, et extenuat quantùm potest.

Denique plurimi et ab hæresi et à patrocinio hæreticis præstito Honorium absolventes, in eo condemnando synodum VI *ex falsâ informatione*, ut ait cardinalis Turrecremata, à vero deviâsse arbitrantur. Hanc solutionem quæ à laudato Turrecremată traditur lib. 2 de Ecclesiâ, cap. 93, Pighius, Baronius, Bellarminus, Binius, aliique integritatem actorum synodi VI inficiantes, ab iis volunt admitti qui acta synodi VI fuisse corrupta sibi persuadere non possunt. Wallemburgenses, post Veronium in Regulâ fidei, Andreas Vallius, de Infallib. rom. pontif. parte 2, q. 4, Coefetæus, episcopus Massiliensis, in libro adversùs Mornæum, et alii plurimi concilium VI *errore facti* in Honorium anathema vibrâsse, pronuntiant. Quandoquidem, inquit Vallius loco citato, *conciliis generalibus..... cum*

viâ ordinariâ ex allegatis et probatis judicant, error potest (per falsos testes) *obrepere.*

Adverte obiter hujusce opinionis patronis, Joanni scilicet à Turrecremată, Baronio, Bellarmino, Wallemburgensibus, etc., non consensisse Arnaldum aliosque Jansenii defensores, dùm suæ juris à facto distinctionis fulciendæ causâ, Honorii defensionem susceperunt. Etenim Arnaldus ejusque asseclæ, ut scopum attingerent, censere debuerunt synodum VI Honorium damnando, circa factum dogmaticum errâsse, id est, hunc Honorii Epistolis in se spectatis sensum affinxisse hæreticum à quo erant alienæ; idcòque eas in se sumptas, tanquàm hæreticas proscripsisse, etsi obvio sensu nihil nisi pium et catholicum spirarent. At Turrecramata, Bellarminus aliique theologi *errorem facti* synodo VI adscribentes, intelligendi non sunt de facto dogmatico, seu de facto, circa quod si Ecclesia falsò judicaret, de ipso dogmate perperàm pronuntiaret. Ipsimet profitentur se loqui de facto particulari, de errore *ex falsâ informatione* orto. Id unum proinde volunt, episcopos synodi VI de Honorii litteris judicâsse relativè ad circumstantias in quibus scriptæ sunt, et ad ipsius Honorii mentem; eosdem *ex falsâ informatione* arbitratos esse Honorium verarum quibus scripsit circumstantiarum non fuisse inscium, atque illos idcircò errore facti pronuntiâsse Epistolas ad Sergium animo hæretico et ad fovendam Monothelitarum impietatem fuisse exaratas. Ejusmodi autem error est facti *personalis* tantùm, quem *ex falsâ informatione* ipsis conciliorum generalium judiciis obrepere posse omnes consentiunt. Verùm hujusce argumenti tractatio ad præsens institutum non pertinet. Quid de hactenùs expositis opinionibus sentiendum sit aperient sequentes conclusiones.

Conclusio I. Litteræ Honorii ad Sergium et acta synodi VI in suspicionem corruptionis malè vocantur.

Probatur prima pars, nempe perperàm conjici litteras Honorii fuisse adulteratas. Nam ex actis concilii VI, quæ incorrupta mansisse modò ostendemus, liquidò constat, neque legatis romani pontificis Agathonis, quorum unus priorem Honorii Epistolam mediâ in synodo cum versione græcâ contulit, neque ulli ex Patribus hujus sacri conventûs istam incidisse suspicionem, fortè ejusmodi litteras fuisse à Monothelitis depravatas.

Præterea acta synodi VI quibus prior Epistola integra, et fragmentum, quod superest secundæ, inserta sunt, Leo II, pontifex maximus, Agathonis successor, datis anno 683, die 7 mensis maii, ad imperatorem litteris approbavit et confirmavit. In his verò tantùm abest ut de depravatis Honorii rescriptis conqueratur, ut potiùs latæ adversùs Honorium sententiæ subscribat. Quam etiam ratam habet in Epistolis quas ad Hispanos super eâdem synodo direxit. Quisquis igitur acta synodi VI et Epistolas Leonis II incorrupta habet, ut reverà habenda sunt, litteras Honorii ad Sergium à Monothelitis depravatas non fuisse censeat necesse est. Et verò, si expendamus quibus ducti argumentis adversarii velint illas Epistolas vitiatas fuisse, levioribus eos in conjecturis niti deprehendemus. Atque ut à posteriori Epistolâ exordiamur, illud ejus corruptionis argumentum affert Corgnius, incredibile esse, quod in eâ legitur, legatos Sophronii promisisse futurum ut de duplici operatione Sophronius sileret, si Cyrus de unâ reticendâ consentiret. Atqui illud argumentum leve est. Quid ita? quia, ut optimè monet ipse Corgnius et aliàs indubitatum est, non agitur hic de strenuo illo fidei defensore Stephano Dorensi qui postea ad apostolicam Sedem à Sophronio missus est, sed de latoribus synodicæ Epistolæ, quam Sophronius recens creatus Jerosolymorum antistes, ad romanum episcopum, juxta morem consuetum dirigere curavit. Quid verò absurdi aut incredibilis in eo esse potest, Honorium auctoritate suâ ejusmodi legatos, rerum fidei forte minùs peritos, eò adduxisse, ut œconomiam silentii approbarent, hancque Sophronio probandam fore sibi persuaderent?

Quod attinet ad priorem Epistolam, hæc sunt verba de quibus ambigitur: *Unam*, inquit Honorius, *voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi, quia ab eo assumpta est nostra natura, non culpa.* Tamagninus putat loco vocabuli *unam*, lectum fuisse in autographo *novam;* atque interpretatur voluntatem Christi hominis, ab Honorio *novam* dici, quia legi mentis perfectè subjecta, aliorum hominum voluntatibus legem membrorum rationi refragantem experientium similis non est. Corgnius verò in unâ voce, *humanitatis*, à Monothelitis, ut putat, expunctâ hujus loci depravationem collocat. Censet igitur ab Honorio scriptum fuisse: *Unam voluntatem fatemur* HUMANITATIS *Domini nostri Christi;* non verò ut nunc habetur: *Unam voluntatem fatemur Domini nostri*, etc. Dissimulandum non est utramque ejusmodi immutationem textui accommodari ac præsertim posteriorem; nam altera videtur longiùs esse petita. Nihilosecius neutram judicamus admittendam. 1° Quia neutram exigit ipse contextus. Verum quidem est ejusmodi verba Honorii à Joanne IV et ab aliis fuisse intellecta de solâ humanitate Christi, neque inficiamur genuinam hanc esse illius loci interpretationem, quam ipsi modò propugnabimus. Damus præterea apertiorem et planiorem fieri sensum ejusdem propositionis, si vocabulum *humanitatis* ei inseratur. Sed nefas et periculosum putamus è veterum textibus eas voces resecatas judicare quæ eorum sensibus magis declarandis idoneæ sunt. 2° Joannes abbas cujus ope in hâc Epistolâ conscribendâ usus erat Honorius, et Joannes IV, Honorii post Severinum successor, dùm in Epistolis ad Constantinum imperatorem, Heraclii filium, anno 641, calumniam Monothelismi ab Honorio propulsant, nec significant in loco de quo agitur et quem objecerant Monothelitæ, esse legendum *novam*, non *unam;* neque aiunt vocem *humanitatis* ab Honorio adhibitam, quo tamen uno tota evanuisset difficultas; nec tandem ullo pacto significant ibi quidquam à Monothelitis immutatum. Verùm ex scopo Honorii et ex ejus Epistolæ contextu ostendunt ejus verba de solâ humanâ Christi naturâ accipienda esse.

Cui naturæ una voluntas rationi et legi divinæ consentanea competit, exclusâ voluntate legi repugnante, et ad peccatum inclinante, quam utpote à peccato ortam Christus non habuit; ergo.

Dices: S. Maximus in tomo dogmatico ad Marinum presbyterum ex Anastasii abbatis testimonio refert Joannem Symponum abbatem, qui jussu Honorii primam ad Sergium Epistolam exaraverat, testatum esse, *nullo modo in eâ per numerum, unius prorsùs voluntatis* (Honorium) *mentionem fecisse; licèt hoc tunc ab eis confictum esset qui Epistolam græcè reddiderant;* ergo adulterata est prior Epistola Honorii.

Nego consequentiam. Si quid ejusmodi evincerent hæc Anastasii abbatis apud S. Maximum verba, istud maximè, ne quidem UNIUS *voluntatis* vocabulum excidisse Honorio. Nam, si UNAM *voluntatem* dixit, ergo *aliquo modo per numerum* UNIUS *voluntatis mentionem fecit.* Hinc Combefisius in notis ad opera S. Maximi supra laudatis, et Tamagninus, scrutinio 5, ex hoc loco S. Maximi concludunt in genuino Honorii exemplari, loco vocis *unam*, lectum fuisse *novam.* Itaque, si certum sit vocabulum, *unam*, hic ab Honorio usurpatum fuisse, corruit argumentum quod ex illâ Anastasii abbatis relatione conficitur. Atqui testes sunt tum ipse Joannes abbas, tum Joannes IV, in suis ad Constantinum imper. Epistolis, Honorium dixisse, *unam voluntatem*; quod etiam ab ipso abbate Anastasio videtur loco citato non obscurè significari. Ait enim, *diù se multùmque cum magnæ illic* (Romæ) *Ecclesiæ sacratissimis viris sermonem contulisse, ejus, quam ad Sergium scripserant* (Anastasius Bibliothecarius legit, *scripserat*), *Epistolæ gratiâ; sciscitando quid causæ esset, ac quomodò* UNA *illi voluntas inserta esset; invenisseque* EJUS REI CAUSA *dolentes et excusantes.* Dolebant igitur juxta Anastasium Ecclesiæ romanæ primores quòd una voluntas litteris Honorii esset inserta, eumque pro virili excusabant, benignam videlicet et æquam ejus verborum interpretationem afferentes. Ergo, dùm referebat Anastasius abbas amanuensem Honorii testatum esse hunc *nullo modo per numerum, unius prorsùs voluntatis mentionem fecisse?* Arbitror 1° eum, hujusmodi verba proferendo, voci *prorsùs*, quam adhibet (*unius prorsùs voluntatis*, inquit), magnum vim tribuisse; quasi dixisset, Honorium nunquàm scripsisse *unam tantùm esse voluntatem Domini nostri Jesu Christi,* quod tamen Monothelitæ huic affingebant, imò non definivisse an una, an duplex operatio Christi esset. Arbitror 2°, cùm addit: *Licèt hoc nunc ab eis confictum sit, qui Epistolam græcè reddiderunt*, ista non esse exponenda de depravatione in textum invectâ à Monothelitis, sed de pravo sensu quo illum locum prioris Epistolæ Honorii interpretabantur. Saltem in unum ex his verbis colligi poterit Joannem abbatem (corruptionis in versionem græcam invectæ quam non comprobaverat, testem non perinde idoneum ac mentis Honorii) sibi persuasisse Monothelitas græcâ suâ Epistolæ Honorii versione eum sensum expressisse, quem ejusmodi Epistolâ contineri divulgabant. Quæ conjectura, de se verisimillima, rumoribus publicis procul dubio confirmabatur. Hinc cùm in synodo VI Epistola prior ad Sergium ex archivis Ecclesiæ Constantinopolitanæ in medium allata est, Joannes Portuensis Agathonis legatus, Honorii autographum cum versione græcâ conferre voluit. Constat autem, ut dictum est, ejusmodi examine et collatione agnitam fuisse Epistolæ hujus integritatem et authenticitatem. Cæterùm ipse sanctus Maximus relatum Anastasii abbatis testimonium non alio sensu adhibet quàm quo à nobis expositum est. Siquidem inde colligit tantùm hoc testimonio confirmari quæ ad Honorium defendendum dixerat. Atqui defendendo Honorium, non contenderat ejus Epistolam, cujus partem magnam refert, interpolatam et adulteratam fuisse, sed eam ratione eâdem interpretatus fuerat, quâ à nobis explicata est. Vide opus laudatum S. Martyris, t. 2, p. 130 et seqq.

Probatur secunda pars, nimirùm incorrupta ad nos pervenisse ac synodi VI, quâ parte Honorii condemnationem spectant. Nam si corrupta essent, vel antequàm divulgarentur, vel postquàm divulgata sunt; atqui neutrum dici potest. Non fuêre corrupta postquàm divulgata sunt; siquidem 1° circa Honorii condemnationem consentiunt omnes actorum synodi VI codices seu editi, seu manuscripti. 2° nullum afferri potest Historiæ ecclesiasticæ monumentum, quod vel minimam hujusmodi corruptionis suspicionem in animum ingerat. 3° Honorium à synodo VI damnatum confirmant certissima cujusvis generis monumenta. Nam, anno 683, in Epistolis ad Constantinum Pogonatum et ad Hispanos, Leo II, Agathonis successor, pronuntiatam à concilio VI adversùs Honorium sententiam memorat et approbat. Concilium quinisextum, quod anno 892 habitum est, ipsaque concilia œcumenica VII et VIII, Honorium ut à synodo VI proscriptum habent et proscribunt. Multis annis olim romani pontifices usi sunt formulâ fidei à Garnerio in diurno pontificum exhibitâ, quâ Honorio ut à synodo VI damnato anathema dicebatur. Tandem omnes historici et auctores ecclesiastici usque ad XVI seculum, unanimiter tradunt à concilio VI Honorium anathemate percussum fuisse. Ita auctor coætaneus vitæ Leonis II, t. 6 Concil. pag. 1242; Agatho diaconus qui in synodo VI notarium agens, ejus acta conscripserat, in epilogo ad hanc synodum, Theodorus Jerosolymitanus, t. 7 Conc. p. 182; Tharasius Constantinopolit. in Epistolâ ad summos sacerdotes Antiochiæ, Alexandriæ, etc., ibid. p. 166; Epiphanius diaconus nomine VII synodi loquens, pag. 422 et 825; Anastasius Bibliothecarius, in præfatione ad collectanea sua; Beda in libro de sex Ætatibus mundi, ad synodum VI; Nicephorus Constantinopolitanus in suâ ad Leonem III, rom. pontif.; Fidei professione; Photius, in libello de Synodis, t. 6 Concil. pag. 1217; Hincmarus archiepiscopus Remensis, in libro de non

trinâ Deitate; Nilus, Ado Viennensis, Cedrenus, etc. Acta igitur synodi VI postquàm divulgata sunt, non fuêre corrupta.

Jam verò neque corrupta sunt antequàm divulgarentur. Vult Baronius auctorem interpolationis fuisse Theodorum, mortuo Georgio denuò factum Constantinopolitanum patriarcham. Paulo hujus Theodori successori, auctor Examinis citatus idem facinus adscribit. Atqui nec Theodorus, nec Paulus acta concilii immutare potuerunt antequàm divulgarentur. Enimverò certum est ejusmodi acta ante mortem Georgii Constantinopolitani divulgata fuisse. Mortuus est Georgius teste Theophane tertio anno à solutâ synodo. Cùm igitur ultima actio concilii celebrata fuerit die 16 septembris anni 681, vitâ non cessit Georgius ante annum 683 exeuntem, vel initium sequentis. Atqui ante id tempus evulgata fuerant acta synodi VI : 1° enim ea per legatos Apostolicæ Sedis qui concilio interfuerant, recepit anno 682 Leo II, Agathonis, ut jam non semel monuimus, interim è vivis erepti successor. Quod constat tum ex illius Leonis Epistolâ ad Constantinum Pogonatum datâ die 7 maii anno 683, quâ ejusmodi acta à se post accuratam eorum lectionem, confirmari significat; tum ex litteris ejusdem ad Hispanos hoc ipso anno 683 quoque scriptis; ubi ait se solam fidei à concilio constitutam definitionem ad eos mittere, quòd acta nondùm essent ex toto latinè versa; pollicetur que illa se ad hos directurum, quilus promissis stetisse ex synodo Toletanâ XIV, sub Benedicto II, Leonis successore, anno 684 celebratâ, manifestè colligitur. Observa autem, hisce in Epistolis ad imperatorem et ad Hispanos, latam à concilio VI in Honorium sententiam memorari et approbari. Porrò ad Leonem II acta sinodi VI fuisse missa, confirmat quoque auctor coætaneus vitæ Leonis II, jam laudatus, dùm scribit illa acta à Leone græci sermonis gnaro in latinum idioma conversa fuisse; ergo.

Nihil aliud ad hæc reponere possunt Baronius, Bellarminus et alii, nisi hoc unum, laudatas Leonis II litteras esse suppositilias. Varias rationes quas Baronius et alii ad id suadendum adhibent, summatim et dilucidè Binius in suis ad has Epistolas notis exponit. Quas rationes sigillatim prosequi et refellere longius foret quàm difficile et operosum. Præcipuas optimè solvit Labbeus in notulis suis marginalibus ad has Epistolas et ad notas Binii. Consule. Unam tantùm referam et diluam quod auctor suprà allatus Examinis, præsertim premit pag. 115. Observat itaque post Baronium, Binium, etc., in Epistolâ Leonis II ad Hispaniæ episcopos legi absolutum fuisse sacrum concilium indictione IX, cùm tamen ex actis habeatur indictione X celebratas fuisse duas ultimas actiones; in quarum unâ edita est definitio fidei. Sed hæc conciliatu facilia sunt. Consentiunt eruditi triplicem usurpatam fuisse indictionem, Constantinopolitanam nempe, Cæsaream et Pontificiam. Constantinopolitana incipiebat à die primâ septembris, Cæsarea die ejusdem mensis 24, Pontificia à die januarii primâ. Constat autem tempore concilii VI indictionem Constantinopolitanam Græcis usitatam fuisse, Cæsaream verò Romanis et toti Occidenti. Ergo, ut observat Labbeus ad marginem Epistolæ Leonis de quâ agitur, nihil mirum quòd duas ultimas concilii actiones utpote habitas diebus 11 et 16 septembris, referat Leo Hispanis scribens ad indictionem IX, quæ juxta ejus et Hispanorum morem illis diebus nondùm erat elapsa; dùm easdem actiones Græci indictioni X, jam ab aliquot diebus secundùm suum calculum inchoatæ, in actis concilii adscripserunt.

2° Etsi, quo tempore acta synodi VI Romam pervenerint, minùs esset compertum, saltem dubium nullum esse potest quin exemplaria quinque definitionis fidei à concilio editæ chirographo sigilloque imperatoris munita ne quid eorum auctoritati deesset, rogante ipso concilio data sint quinque sedium patriarchalium episcopis, nempe Patriarchis Constantinopolitano et Antiocheno præsentibus, et legatis romani pontificis aliorumque duorum Patriarcharum. Atqui in hâc fidei definitione Honorius cum Monothelitis damnatur; ergo.

Respondet prædictus auctor Examinis pag. 72, nec Honorii nec ullius Monothelitarum ducis nomina contineri exemplari hujus definitionis quod in synodo suâ in gratiam Palamæ anno 1350 habitâ Græci schismatici attulerunt. Quod exemplar legitur t. 11 concil. Hard. p. 298. Verùm falsò ponit is auctor fidei decretum quod concilium VI adornavit, ab illâ Græcorum synodo totum exhiberi. Græci pro scopo suo præcipuam tantùm ejus partem retulerunt, his verbis incipientem : *Quæ præsens, sancta et universalis synodus suscipiens*, etc., sed multa ejusmodi voces præcedentia, atque hoc fidei decreto comprehensa omittunt, inter quæ præcipuorum Monothelitarum, ipsiusque Honorii nomina memorantur. Vide t. 6 Concil. Labbei, p. 1020 et seq., et t. 3 ed. Hard. p. 1395.

3° Ex ipso concilio VI missa est ad Agathonem pontificem romanum Epistola synodica quæ Leoni II reddita est anno 682. Atqui in ejusmodi Epistolâ legimus Honorium anathemate fuisse percussum; ergo, etc. Has litteras quæ græcè et latinè extant 6 Concil. Lab. p. 1075 et seqq., spurias etiam declarat Baronius propter aliquam diem mendosè appositam, qui error nullo negotio à Labbeo corrigitur, et facillimè librariis excidere potuit.

3° Imperator, qui gestorum sacri concilii testis plerumque oculatus fuerat, ipso anno 68, statim à solutâ synodo, sancta ejus decreta executioni demandari edicto solemni sanxit. Hoc autem in decreto, quod profectò statim publici juris factum est, Honorius notatur ut fautor hæreseos et sibi contrarius. Dicentne adversarii illud quoque decretum à Theodoro aut à Paulo Constantinopolitanis potuisse supponi, nemine eorum fraudem detegente?

5° Quo tempore per universam Ecclesiam divulgatum est Honorium à synodo VI damnatum fuisse, adhuc in hâc vitâ erant plerique episcopi qui sacro interfuerant concilio, inprimis aliqui ex legatis quos Agatho et synodus Romana ad sacrum concilium miserant. Hujusce enim condemnationis divulgatio pro

crastinari non potuit ultra annum à synodo VI decimum, quo celebrata est synodus quinisexta quæ Honorium ut à synodo VI proscriptum iterùm condemnavit; ergo si quæ Honorii damnationem spectant, actis synodi VI adulterinâ manu inserta fuissent, multi procul dubio ejusmodi corruptionem advertissent illiusque auctoribus reclamarent. Aliqui saltem ecclesiastici scriptores fraudis ejusmodi mentionem fecissent. Quomodò igitur nullum ejusmodi facinoris vestigium in totâ antiquitate deprehendere est? Quomodò intortum à synodo VI in Honorium anathema cunctis ita persuasum est ut nullus romanus pontifex id factum negaverit, hoc ipsum Adrianus II posuerit in Epistolâ ad Patres concilii generalis VIII, quæ refertur actione 7, ac tandem ipsa concilia œcumenica VII et VIII, auctoritate synodi VI ducta Honorii etiam memoriæ æternas anathemate notas inusserint? Numquid ea erat negotii indoles ut quæ illud contingebant potuerint non attendi, aut intra breve tempus è memoriâ elabi? num depravatio de quâ agitur, in quarumdam solùm litterarum mutatione consistit? Minimè. Quæstio est de condemnatione romani pontificis, primatum honoris et jurisdictionis in universâ Ecclesiâ obtinentis, cujus sedes habebatur catholicæ unitatis centrum, et validissimum fidei adversùs erumpentes hæreses munimentum. Quæstio est de recitatis Honorii litteris, t. 6 Concil. p. 928 et seqq., 968 et seq.; de judicio in eum lato, pag. 944; de anathemate contra eumdem sæpiùs repetito, nempe actione 13, pag. 944, act. 17, pag. 1009, actione ultimâ, quæ Latinis decima octava, pag. 1044, in Oratione acclamatoriâ ad imperatorem pag. 1053, et in Epistolâ synodicâ ad Agathonem, p. 1073.

Dices cum Baronio: Theodorus Constantinopolitanus Monothelitarum hæresi infectus fuit, ut colligitur tum ex Anastasio Bibliothecario, tum ex sententiâ in quodam concilio contra illum Theodorum latâ antequàm synodus XI haberetur; ergo à synodo VI annumerari debuit aliis Monothelitarum ducibus, proindeque cùm in actis nulla ejus mentio fiat, meritò conjicitur ea fuisse ab illo corrupta. — 1° Nego ant. Quæcumque fuerit causa depositionis Theodori, de quâ nihil certi habetur, is certè non videtur propter Monothelismum in hanc pœnam incurrisse. Nam 1°, Monothelitæ, antequàm à concilio VI illorum hæresis condemnaretur, in Orientali Ecclesiâ tolerabantur. 2° Theodorus, Georgio, qui sibi fuerat suffectus, defuncto, ad sedem Constantinopolitanam iterùm evectus est. Num verò, qui adhuc imperabat, Constantinus Pogonatus, utpote fidei catholicæ studiosissimus, hominem ob hæresim depositum in suum patriarcham assumi passus esset? Hinc Anastasio Bibliothecario, qui diù postea floruit, fides hîc fortè adhibenda non est. Quidquid sit, 2° nego conseq. Nam ex eo quòd Theodorus sedem Constantinopolitanam secundò tenuerit, id saltem planè sequitur, hunc, ab hæresi, si eâ aliquando infectus fuerit, sese tandem revocâsse, seseque fidei catholicæ præbuisse assertorem. Atqui, si ad meliores fruges Theodorus sese receperit, non potuit à synodo VI damnari; ergo.

Dices cum auctore Examinis parte 1, acta concilii VI, quod ad Honorii condemnationem attinet, contradictionibus plena esse. 1° Secundùm illa, Honorius est hæreticus, et simul non est hæreticus. Est hæreticus quidem, cùm annumeretur hæreticis, et eorum dogmatibus consensisse dicatur; non est hæreticus; namque ejus Epistolæ hæresim non continent, et præterea Agatho omnium prædecessorum suorum, quorum unus erat Honorius, fidem laudaverat in Epistolâ ad imperatorem, quam concilium approbavit. 2° Ex iisdem actis fautor est hæreseos, et simul non est hæreseos fautor. Enimverò acta concilii, ut se habent, saltem significant Honorium propter adhibitam intempestivè silentii œconomiam à synodo VI damnatum fuisse. Atqui tamen sapienter imperavit illud silentium servari, ne controversiæ recrudescerent, et nasceretur schisma quod tot annis perseveravit. 3° Judicatus est à synodo VI Honorius, ut patet ex ipsis verbis sententiæ in eum et in alios latæ, actione 13, et tamen dici nequit ab eâdem synodo judicatus; nemo enim judicatur, nisi ab aliquo accusetur; atqui à nemine accusatus est Honorius coram synodo VI. Condemnatus est et simul condemnatus non est; siquidem in Epistolâ synodicâ ad Agathonem leguntur Patres damnâsse Theodorum Pharanitem, Sergium, Honorium, Cyrum, etc., secundùm sententiam quam ipse Agatho in suis litteris contra eos tulerat; Agatho tamen suis litteris non damnaverat Honorium; ergo. — Nego ant. Ad primam probationem, etsi litteris suis ad Sergium Honorius hæresim Monothelitarum non definiverit, ut infra dicemus, attamen nemo negaverit eas verum fidei detrimentum attulisse, atque in illis exaratas fuisse circumstantiis, quas si novisset Honorius, non potuisset ab hæresi, aut saltem à favore hæreticis de industriâ præstito excusari. Hæc modò evincentur, quibus positis, contradictio objecta evanescit. Vide infra conclus. II. Quod attinet ad Epistolam Agathonis: 1° nullâ Honorii apologia, nulla ejus mentio expressa in eâ legitur. Prædecessorem suorum in rectâ fide conservandâ et prædicandâ studium obiter laudat Agatho, quam laudem hos esse meritos nemo æquus negaverit, etsi eorum unus aut alter, Liberius et Honorius pusillanimitate aut negligentiâ in fidei negotio aliquando peccâssent. 2° Hæresis, cui condemnandæ Patres concilii incumbebant, absolutam confutationem, et rectæ fidei longam, dilucidamque expositionem continebant eædem litteræ. 3° Monothelismi auctores et defensores iis proscribebantur, ac proinde Honorius ipse, posito quòd culpæ cujusdam gravis in hoc negotio reus deprehenderetur. Atque ex his tribus manifestum fit sanctam synodum œcumenicam sapienter non potuisse eximias ejusmodi litteras non approbare, quamvis Honorium anathemate dignum judicaverit.

Ad secundam probationem, eadem solutio facilè accommodari potest, nempe Honorium gravis negligentiæ reum fuisse, imò nec à favore de industriâ hæreticis dato posse excusari, si noverit circumstan-

tias in quibus suas ad Sergium Epistolas scripsit.

Ad tertiam probationem, malè asseritur judicatum non fuisse Honorium, quòd nemo adversùs eum accusationem instruxisse legatur. Ut judicio solemni ejus memoriam Patres anathemate dedecorarent, satis fuit illius ad Sergium Epistolas, inter expendendas præcipuorum Monothelitarum causas, in medium proferri, et ex earum lectione, sacro concilio hunc pontificem visum hæresi favisse, quam comprimere debuisset. Certè, nec Leo II, nec Adrianus II, nec concilia œcumenica VII et VIII, existimârunt statam et solemnem judiciorum ecclesiasticorum rationem adversùs Honorium observatam non fuisse. Adde quòd plurima quæ ad causarum disquisitionem præstabantur, olim in acta conciliorum non solerent referri.

Ad quartam probationem, cùm Agatho litteris suis hæresim, cui Honorius planè favisse judicabatur, confodisset, omnesque hujusce hæresis patronos condemnàsset, Patres synodi VI dicere potuerunt, se juxta sententiam Agathonis Honorium cum aliis Monothelitis proscripsisse.

Dices cum eodem parte 2 : Acta synodi VI dudùm latuêre et penès paucos extitêre. Namque unicum eorum exemplar, quod dùm synodus habebatur, exaratum fuerat, jussu Constantini Pogonati, archivis imperialibus est repositum ; atque diù creditum fuit illud unicum exemplar concilii VI extare. Hinc Bardanes tyrannus, Monothelitis deditus et S. synodi osor, teste Agathone in Epilogo et Joanne Constantinopolitano in Epistolà ad Constantinum papam anno 713 datâ, hujus concilii tomos in palatio repositos igni tradendo, illius memoriam abolitam putavit. Porrò diligenter advertendum est, illud autographum et unicum exemplar quod suis scriniis recondi voluerat Constantinus Pogonatus, post ejus mortem, imperante Justiniano II, ejus filio, anno 687 è palatio fraudulenter ereptum fuisse, nec nisi post aliquod tempus curis ejusdem Justiniani, ut ipse scribit ad Joannem papam, imperialibus tabulariis restitutum. Quæ fraus adscribenda Paulo tunc Constantinopolitano patriarchâ, qui Constantini Pogonati amanuensis fuerat. Fatendum quidem, diligentiâ Justiniani acta fuisse palatii archivis sine ullâ corruptione restituta. Sed Paulus interea eorum unum exscripserat exemplar, quo deinde ad corruptum codicem edendum per commodum usus est. Hunc codicem adulteratum Paulus, manu Agathonis diaconi, qui concilii VI genuinum exemplar scripserat, exarari curavit. Atque ille ipse est codex qui tanquàm exemplar autographum anno 692 synodo quinisextæ exhibitus est ; exemplar verò manu Pauli exscriptum Joannes Constantinopolitanus Anastasio imperatori catholico, anno 713 obtulit, quod loco esset autographi exemplaris à Philippico tyranno combusti. Quæ cùm ita sint, facilè intelligitur quomodò depravata fuerint acta synodi VI. — Respondeo colligi quidem ex allatâ Epistolâ Just. II exemplar actorum, quod in Palatio antea servabatur, anno 687 penès quosdam senatores extitisse, illudque imperia libus archivis, post accuratam et solemnem recognitionem quâ re ejus integritas constitit, redditum fuisse. Constat pariter ex Epilogo Agathonis et Epistolâ Joannis Constantinopolitani, tomos actorum synodi VI, qui in palatio asservabantur, fuisse à Bardane igni traditos. Demùm idem Joannes testis est à se reperta in archivis patriarchalibus et Anastasio imperatori oblata fuisse acta synodi VI propriâ manu Pauli Constantinopolitani conscripta, qui *cùm esset* Constantino Pogonato *à secretis in hâc sanctâ synodo inservierat*. Hæc vera esse agnoscimus. Cætera gratis et sine teste conjiciuntur, et sine ullâ verisimilitudinis specie. Enimverò 1° nihil causæ est cur Pauli Constantinopolitani et Agathonis diaconi fides reddatur suspecta, nisi dicas hanc sufficientem esse hujus suspicionis causam, quòd aliàs acta synodi non potuissent corrumpi. 2° Quæ de tomis synodi VI à Bardane combustis refert Joannes Constantinopolitanus, tam ad fidei definitionem à concilio editam, quàm ad reliqua acta referuntur et attinent, ita ut si probent unicum fuisse actorum exemplar, probent quoque unicum fuisse exemplar definitionis fidei. Vide t. 6 Conc. p. 1416. Atqui ipsi adversarii fatentur plura fuisse definitionis fidei exemplaria ; ergo, etc. 3° Jam suprà probatum est ex Epistolis Leonis II, ex auctore ejus vitæ et ex concilio Toletano XIV, acta sanctæ synodi à legatis Apostolicæ Sedis, qui ei præfuerant, fuisse Romam allata, et sermone latino ab ipso Leone reddita. Ergo non modò leviter, sed falsò conjicitur actorum ejusmodi unicum fuisse authenticum exemplar. 4° Cùm habitum est concilium quinisextum, cùm ejusdem acta divulgata sunt, et Romam missa, multi adhuc supererant ex iis qui synodo VI interfuerant. Ut quid ergo nemo annotavit ab hoc concilio quinisexto illud falsò et per calumniam synodo VI adscribi quòd in Honorium anathema intorsisset? Quomodò ipsi Patres synodi quinisextæ passi sunt sibi ut authentica obtrudi acta in quibus tot paginæ Honorii condemnationem spectantes insigni fraude assutæ fuissent ? Quomodò tanti facinoris nullum vel minimum in litteris romanorum pontificum, in actis posteriorum conciliorum, in scriptoribus ecclesiasticis seu græcis seu latinis vestigium superesset? Denique, quod majus est, quomodò concilia, pontifices, scriptores universi latam adversùs Honorium à synodo VI sententiam, ut rem indubitatam ponunt?

Dices : Is fuit Græcorum mos ut acta ipsorummet conciliorum generalium vitiarent ; quod adductis quibusdam exemplis et auctoritatibus Bellarminus comprobat. — Nego ant. Non fuit is mos Græcorum, sed hæreticorum apud Græcos. Quotiescumque autem ejusmodi corruptiones inductæ sunt, toties illis reclamatum est et fraus agnita. Sic, v. g., in concilio VI deprehensum est, actis synodi generalis V à Monothelitis insertam fuisse Mennæ Constantinopolitani ad Vigilium Epistolam. Cùm igitur nemo veterum acta synodi VI vel minimâ corruptionis suspicione asperserit ; sequitur, etc.

Dices ultimò : Martinus I, in concilio Lateranensi I,

Honorium damnandum non censuit; quod acceptioni personarum nequit attribui, id enim vitii pontifici sancto, qui tanta pro fide molitus et passus est, nefas esset affingere; ergo à synodo VI damnari non potuit Honorius, proindeque, etc. Ita Bellarminus et alii. — Nego cons. Non sanè ex acceptione personarum, sed propter testimonium Joannis abbatis Honorium bonâ mente egisse et fidem integram habuisse asseverantis, ipsi censendus est Martinus I quæ negligenter et minùs prudenter gesserat condonâsse. In VI synodo severiùs in eum inquisitum. Ex circumstantiis in quibus litteras ad Sergium scripsit, et ex malis quæ agendi ratione suâ fovit, dùm ea impedire debuisset, judicatum est eum, si non collusionis cum hæreticis, saltem præproperæ festinationis et oscitantiæ tàm gravis esse reum, ut eâdem pœnâ quâ ipsi hæretici mulctandus esset. Cæterùm de causâ Honorii nihil actum est in concilio Lateranensi I, proindeque concilium illud inter et synodum VI, de Honorio nulla vera pugna esse potest. Istud verò non omittendum, nec Pyrrhum, nec alios Monothelitas quorum causam expendit synodus illa Lateranensis, ab eâ reprehendi, quòd Epistolis Honorii Monothelismum confirmare moliti sint.

Conclusio II. Litteræ Honorii hæresim Monothelitarum in se spectatæ non spirant, non tamen ab omni nævo immunes. Si autem ratione adjunctorum considerentur, in iis exaratæ sunt circumstantiis, quas si perspectas habuisset Honorius à favore hæresi de industriâ præstito non posset excusari. Ejusmodi adjunctorum ignoratio à tanto crimine hunc liberat, sed non à gravi culpâ.

Plures sunt conclusionis partes. Probatur prima pars, nempe hæresim Monothelitarum litteris Honorii in se sumptis non propinari: 1° auctoritate Joannis abbatis romani, qui priorem ad Sergium Epistolam nomine Honorii ipse exaraverat, quique proinde ejus mentem probè callebat. Is jubente Joanne papâ IV, seu, ut ait S. Maximus, *ex* ejus *personâ* ad Constantinum imperatorem Heraclii filium scripsit, ut de sinceritate fidei Honorii testimonium perhiberet, atque illum Monothelitis auctoritatem ejus opponentibus non consensisse ostenderet. Hæc constant ex S. Maximo in dialogo cum Pyrrho t. 5 Concil. pag. 1816, ubi verba ipsa Epistolæ abbatis illius referuntur. 2° Auctoritate Joannis IV, qui altero ab Honorii morte anno, Severino in pontificatu successit. Legitur in collectaneis Anastasii Bibliothecarii à Sirmondo editis, et t. 5 Concil. pag. 1760, Epistola apologetica quam ille pro Honorio ad eumdem Constantinum imperatorem misit. 3° Auctoritate S. Maximi martyris, qui Honorium à Monothelismo vindicat tum in Dialogo cum Pyrrho, adductis Joannis IV et Joannis abbatis testimoniis, tum in Epistolâ, seu tomo dogmatico ad Marinum presbyterum. 4° Auctoritate Anastasii Bibliothecarii, qui in collectaneis suis à Jacobo Sirmondo anno 1620 primùm editis memoratas Joannis IV et S. Maximi apologeticas Epistolas exhibet, et in præfatione eorumdem collectaneorum tritam ab illis Honorii defendendi viam sequitur. Operum Sirmondi t. 3, p. 468, 473 et 481, ed. 1696. 5° Ipsarum Honorii litterarum consideratione Monothelitarum error in eo positus fuit, quòd unàm in Christo voluntatem, nempe voluntatem divinam, unamque tantùm operationem admitterent; atqui contextus Epistolarum Honorii hunc errorem non spirat. Nam quod ad unam voluntatem attinet, ista quidem statuit Honorius: *Unam voluntatem fatemur Dòmini nostri Jesu Christi;* quæ Monothelitæ contra Catholicos olim presserunt ut Honorium suum fuisse persuaderent. Atqui ejusmodi verba prout jacent in Epistolâ Honorii, attentis nimirùm quæ sequuntur, Monothelismum non propinant. Ita censuêre modò laudati Joannes IV, Joannes abbas, et S. Maximus, rati ejusmodi locutione Honorium ab humanitate Christi solam exclusisse voluntatem carnalem, voluntati rationali repugnantem, non verò ipsam rationalem voluntatem. Atque non alium reverà fuisse ejus sensum tum scopus ipsius, tum consequentia planè indicant. 1° Scopus; ipsi enim, testibus Joanne abbate et Joanne IV, locis supra laudatis, Sergius suâserat in Christo homine voluntatem legi mentis repugnantem à quibusdam admitti; hunc errorem Honorius hìc refellit, proindeque ipsi mens est tantùm ut excludat voluntatem legi repugnantem. 2° Idem consequentia manifestum faciunt; reddens enim rationem ille pontifex, cur unam fateatur voluntatem, continenter sic habet: *Quia profectò à Divinitate assumpta est nostra natura, non culpa; illa profectò quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata..... Non est itaque assumpta, sicut præfati simus, à Salvatore vitiata natura* QUÆ REPUGNARET LEGI MENTIS EJUS, *sed venit quærere et salvare quod perierat, id est, vitiatam humani generis naturam. Nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori, quia super legem natus est humanæ conditionis.* Audis ab Honorio solam excludi voluntatem carnalem, voluntatem legi mentis repugnantem, seu legem membrorum ex peccato ortam, et naturæ vitiatæ appendicem; ergo, etc.

Et verò tantùm abest ut voluntatem rationalem et divinæ legi conformem humanitati Christi abjudicaverit Honorius, ut potiùs non obscurè eodem in loco hanc ipsi attribuat. Nam 1° disertè docet nostram naturam qualis ante peccatum creata est assumptam fuisse à Verbo; atqui natura nostra ante peccatum, voluntate rationali erat instructa; ergo. 2° Supponit esse in Christo *legem mentis ejus*, ac proindè voluntatem rationalem. 3° Paulò post adducta verba duplicem hunc Scripturæ locum: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me;* et: *Non quod ego volo, sed quod tu;* referens ad *dispensationem* humanitatis assumptæ, non ad voluntatem contrariam, statim explicat hanc dispensationem in eo fuisse positam quòd Christus nos exemplo suo docuerit voluntates nostras voluntati divinæ submittere. *Ista*, inquit, *propter nos dicta sunt quibus nobis dedit exemplum ut sequamur vestigia ejus.... ut non suam unusquisque nostrùm, sed potiùs Domini nostri in omnibus vræferat voluntatem.*

Ubi planè ponitur esse in Christo voluntatem humanam, quâ voluntati divinæ se subdens nobis dedit exemplum *ut non suam unusquisque nostrûm, sed potiùs Domini præferat voluntatem.* Ergo unam Christi voluntatem sensu Monothelitarum non dixit Honorius, sed potiùs in eo duas esse non obscurè indicavit.

Dices cum Richerio : Docet Honorius propter unionem hypostaticam dici *humanitatem* (Christi) *ex cœlo cum Divinitate descendisse;* et ex eo colligit unam esse ejus voluntatem. *Unde,* inquit, *et unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi.* Atqui hoc ipsum fuit ratiocinium familiare Monothelitarum, quod ab Eutychianis mutuati fuerant. Præterea solebant Monothelitæ suam de unâ Christi voluntate hæresim ex eo adstruere, quòd non esset in Christo voluntas repugnans divinæ voluntati ; nimirùm nullum illis videbatur esse medium inter voluntatem Christi unicam et duas voluntates oppositas ; ergo eodem sensu et modo quo Monothelitæ, Honorius docuit unam esse Christi voluntatem.

Ad primum, distinguo : *Humanitas,* id est, Christus homo *è cœlo descendisse* dicitur, juxta Honorium, concedo ; humanitas sumpta in abstracto, ut aiunt, nego. Hîc abstractum pro concreto ab Honorio usurpatum est, atque id unum voluit, propter idiomatum communicationem Christum hominem dici è cœlo descendisse. Quod patet 1°, quia eodem modo ait humanitatem dici descendisse de cœlo, quo Deus dicitur pati ; Deus autem ex ipso non dicitur pati quòd Divinitas passa sit, sed propter unionem cum naturâ patibili. En verba illius Pontificis : *Profectò Divinitas nec crucifigi potuit, nec passiones humanas experiri, vel perpeti ; sed propter ineffabilem conjunctionem humanæ divinæque naturæ, idcircò et ubique Deus dicitur pati, et humanitas ex cœlo cum Divinitate descendisse.* Patet 2°, quia paulò antea conceptis verbis docuerat, *non de cœlo, sed de sanctâ esse assumptam carnem Dei genitrice.* Patet 3°, quia hactenùs exposuerat Honorius duas esse in Christo naturas, in unâ Verbi personâ unitas inconfusè, indivisè, ineffabiliter, et communionem nominum et proprietatum ex hâc unione nexam exposuerat, inprimis verò *Filium hominis descendisse de cœlo, et Dominum majestatis esse crucifixum.*

Ad secundum, alia ratio esse debet Monothelitarum, alia Honòrii. Hic falsâ Sergii relatione ut mox dicetur, deceptus, putavit à quibusdam Christo voluntates pugnantes adscribi, eumque errorem refellens Christo voluntatem rationalem competere non obscurè significavit. Illi verò perversum unius voluntatis Christi dogma in Ecclesiam invexerunt, hanc unam voluntatem esse Divinitatis docuerunt, voluntatem humanam etiam divinæ consentaneam Christo detraxerunt, dogma catholicum sibi dilucidè propositum respuerunt ; proindeque cùm unam idcircò Christi voluntatem visi sunt tueri, quòd nulla esse posset in Christo voluntas divinæ voluntati repugnans, alii censendi sunt fucum facere voluisse, ut incautos fallerent, Catholicis sibi adversantibus, ut hæretici solent, dogma perversum affingendo ; aliorum lugenda obscuratio mentis et pervicacia, qui voluntatem rationalem divinæ voluntati conformem Christi animæ posse competere non conceperunt, illudque dogma ab Ecclesiâ propositum, et in Scripturis sæpè expressum noluerunt suscipere. Hactenùs de iis quæ Honorius circa unam voluntatem tradidit.

Jam porrò de unâ aut duplici operatione Christi censuit quidem ex œconomiâ silendum, ne scilicet recrudescerent controversiæ difficiles. At si vocabulum reticendum existimavit, dogma ipsum quod duplicis operationis voce significari solet, curavit exprimere et tenendum docuit. In Epistolâ priore ait *Christum operatum esse divina mediâ humanitate,* id est, per humanitatem ut instrumentum sibi hypostaticè conjunctum. Additque *eumdem esse operatum humanâ ineffabiliter atque singulariter assumptâ carne.* Atque ibidem *passiones* Divinitati abjudicat, et humanitati adscribit. Inferiùs ait Dominum Jesum juxta sacras litteras esse *unum operatorem Divinitatis et humanitatis,* et alia opera *Divinitati,* alia humanitati attribuenda recensens, rursùs Christum nuncupat *unum operatorem divinæ atque humanæ naturæ.* Tandem in fine Epistolæ hortatur Sergium ut secundùm fidem catholicam prædicet *unum Dominum Jesum Christum.... in duabus naturis operatum divinitùs atque humanitùs.* In alterâ autem Epistolâ clariùs adhuc catholicam fidem exponit : *Utrasque,* inquit, *naturas in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus ; et divinam quidem, quæ Dei sunt operantem ; et humanam, quæ carnis sunt exequentem, non divisè, neque confusè aut convertibiliter, Dei naturam in hominem, et humanam in Deum conversam edocentes, sed naturarum differentias integras confitentes.* Et paulò post : *Auferentes ergo.... scandalum novellæ adinventionis, non nos oportet unam vel duas operationes definientes prædicare, sed pro unâ, quam quidam dicunt operatione, oportet nos unum operatorem Christum Dominum in utrisque naturis veridicè confiteri, et pro duabus operationibus, oblato genuinæ operationis vocabulo, ipsas potiùs duas naturas, id est, Divinitatis et carnis assumptæ, in unâ personâ Unigeniti Dei Patris, inconfusè, indivisè et inconvertibiliter nobiscum prædicare propria operantes.* Hæc Honorius. Ubi advertas, velim, tot locutiones catholicas, quarum plurimæ ex Epistolâ S. Leonis ad Flavianum desumptæ sunt, etsi aliquando à Monothelitis fallaciter adhibitæ fuerint, tamen apud Honorium nihil eorum sensui obvio et nativo adversi obtrudentem, accipiendas esse ut sonant, atque iis proinde doctrinam orthodoxam referrî. Ergo dùm Honorius ex œconomiâ quâdam, de unâ aut duplici operatione silentium præscripsit, dogma ipsum vocabulo duplicis operationis designatum sategit inculcare.

Probatur secunda pars, nempe litteras Honorii, etiam in se spectatas non esse ab omni nævo immunes. 1° Enim in primâ Epistolâ falsò asseritur de unâ aut duabus Christi operationibus neminem antea esse locutum, nisi *fortassis quidam aliqua balbutiendo.* Patres enim plurimi duplicem esse Christi voluntatem et ope-

rationem docuerunt, sed Sergio immodicè confisus Honorius rem tanti momenti videtur non expendisse, ac de eâ posuisse esse verum quod ille scripserat. 2° Ibidem quæstio de unâ aut duplici operatione habetur ut *otiosa*, à *philosophis turgidis* invecta, et grammaticis *exquisita pueris derivando nomina venditantibus* relinquenda. 3° Rursùs tam unius quàm duplicis operationis voces ex æquo dicuntur *novæ et scandalum Ecclesiis* generare. 4° In priori fragmento secundæ Epistolæ postquàm dixit vocabulum unius aut duplicis operationis esse *novellæ inventionis, et ex prædicatione fidei eximendum;* sic pergit: *Nam qui hæc dicunt, quid aliud nisi juxta unius vel geminæ naturæ Christi Dei vocabulum, ita et operationem unam vel geminam suspicantur? Super quod clara sunt divina testimonia. Unius autem operationis vel duarum esse vel fuisse mediatorem.... sentire et promere satis ineptum est.* Noverat igitur Honorius, cùm hanc secundam Epistolam scripsit, ab assertoribus duplicis naturæ Christi duas prædicari operationes, ab hæreticis verò unius naturæ propugnatoribus unam operationem induci. Licet autem statim declaret se duas secundùm divina testimonia agnoscere naturas, attamen quis negaverit, imprudenter et præposterè ab eo addi, quòd unam aut duas operationes Christi *sentire et promere satis ineptum sit?* 5° In altero fragmento ejusdem Epistolæ, prædicatio unius aut duplicis operationis nuncupatur *scandalum novellæ adinventionis.* Ex his omnibus colligendum videtur Honorium œconomiæ silentii inducendæ cupidum, acerbioribus notis usum vocabuli operationis duplicis perstrinxisse; dogmate tamen, quod ejusmodi voce exprimi solet, aliàs, ut diximus, exposito nec impigrè inculcato.

Probatur tertia pars, scilicet utramque suam ad Sergium Epistolam, in iis circumstantiis Honorium scripsisse, quas si perspectas habuisset, à favore hæresi de industriâ præstito non posset excusari. Nam ex Theophane in Chronographiâ, pag. 274, ex duabus Epistolis Cyri ad Sergium et hujus Cyri capitulo septimo, ex Epistolâ quam Sergius ad eumdem Cyrum dedit, cui annexuerat quemdam à se in gratiam Monothelismi confictum Mennæ Constantinopolitani ad Virgilium papam sermonem, cujus falsitas actione tertiâ concilii VI comprobata est, ex Epistolâ Theodori Pharanitæ ad Sergium episcopum Arseoniten, ex alio ejusdem Theodori de Patrum testimoniis sermone, ex aliis monumentis, necnon ex rerum serie et eventu compertum habetur, quo tempore litteræ Honorii scriptæ sunt, Sergium et alios Eutychianâ labe infectos hæresim unius in Christo voluntatis et operationis omni arte conatos esse diffundere; eâ mente videlicet, ut, servatâ Eutychiani dogmatis substantiâ, duas tamen naturas profiteri, atque Chalcedonense concilium juxta imperatoris Heraclii constituta suscipere viderentur. Atqui, si Honorius illas rerum novisset circumstantias, à favore hæreticis de industriâ præstito et à collusione excusari non posset. Quid ita? quia, etsi litteris suis hæresim non definiat, attamen non eam excludit et comprimit prout ejusmodi circumstantiæ exegissent; quia à præcipuis Monothelitis, Sergio videlicet, in Epistolâ suâ ad Honorium, Machario, in Professione suâ fidei, Theodoro Pharanite, ad fucum faciendum, quandoque adhibitæ sunt pleræque locutiones catholicæ quas Honorius in suis litteris usurpavit; quia proinde fidei quam in summo periculo versari prospexisset, pro Sedis suæ auctoritate et præcellentiâ non succurrisset: *error autem cui non resistitur, approbatur;* quia non nisi pravo animo novatores adjuvandi, potuisset unam Christi voluntatem quocumque modo dicere, de duabus voluntatibus silere, unius aut duplicis operationis vocabulum ut profanam novitatem proscribere; ergo, etc.

Probatur quarta pars, nempe Honorium malis Sergii artibus deceptum veras rerum circumstantias non cognovisse. Nam, 1° Joannes abbas et Joannes IV, supra laudati testes sunt Honorium à Sergio deceptum fuisse. 2° Si conferantur litteræ Honorii cum Sergii Epist., manifestum erit res Honorio visas esse eo modo se habere, quo retulerat Sergius; atqui veras rerum circumstantias non retulerat Sergius; namque dissimulaverat Theodorum Pharanitem tum in Epistolâ ad Sergium Arseoniten episcopum, tum in Sermone de interpretationibus Patrum testimoniorum, unam esse in Christo voluntatem, nempe voluntatem divinam et unam operationem docuisse; tacuerat litteras à se datas Cyro tum Phasidis, ac deinde Alexandriæ episcopo, Epistolam Heraclii imperatoris ad Arcadium Cyprensem, nec non eam quâ ipse eidem imperatori teste Theophane, suaserat unam operationem et voluntatem esse tenendam; siluerat veram novelli dogmatis originem, pravosque unam voluntatem et operationem profitentium sensus affectusque; finxerat se solo pacis Ecclesiæ et hæreticorum reducendorum studio motum vereri, ne quæstio de unâ aut duplici operatione agitaretur; inprimis celaverat hæresim quâ erat contaminatus, à se duas voluntates contrarias duntaxat rejici simulans, suasque locutionibus catholicis ita obvolvens sententias, ut duarum operationum fidem (solo suppresso vocabulo) minùs cautis videri posset confiteri; duarum operationum defensoribus errorem duplicis in Christo voluntatis contrariæ attribuerat; id falsò SS. Patribus affinxerat, à pluribus eorum unam operationem prædicatam fuisse, à nemine duplicem dictam; laudaverat præsertim falsum illud Mennæ ad Vigilium papam scriptum, quod ipse confinxerat; demùm eò fraudis devenerat ut Sophronium ipsum affirmaret de silentio circa duas operationes servando consensisse, quod, ut Forbesius notat, ex professione fidei in synodicis Sophronii litteris contentâ mendacii manifesti arguitur. Lege prolixam hanc Sergii Epistolam t. 6 Concil. pag. 921 et seqq., et confer cum monumentis inter probandam partem tertiam laudatis; ergo, etc.

Probatur quinta pars, nimirùm ignoratione ejusmodi circumstantiarum personam Honorii à favore hæreticis de industriâ præstito excusari. Etenim, si veras rerum circumstantias hoc modo ponatur ignorâsse, ergo Sergium et Cyrum arbitratus est esse or-

thodoxæ doctrinæ addictos, dùm iis patrocinatus est; proindeque, etc.

Probatur ultima pars, nempe non ideò tamen à culpâ gravi eximi Honorium. Nam 1°, etsi adhibendam Sergio fidem ipsum gravia momenta impellerent, siquidem Sergius sese fidei catholicæ addictum hactenùs exhibuerat, ac imperatori Heraclio concilii Chalcedonensis studiosissimo erat acceptus, attamen tanti momenti res erat, ut, ante receptas à Sophronio Epistolas et diligentem negotii disquisitionem, non debuisset priore suâ Epistolâ œconomiam silentii quæ fidei valdè nocuit, præscribere. Alia certè fuerat agendi ratio S. Leonis, qui Eutychis se à Flaviano Constantinopolitano injustè damnatum conquerentis Epistolæ festinanter respondere non præsumpsit, verùm expectavit pluribus mensibus donec litteras à Flaviano unà cum actis ejus synodi accepisset. Pariter sanctus Cœlestinus non priùs Nestorio responsum dederat, quàm ejus scripta accuratè expendisset, et de omnibus à S. Cyrillo certior factus esset; ergo, etc. 2° Cùm cognovisset Honorius eos qui unam vel duas operationes dicebant, *juxta unius vel geminæ naturæ Christi Dei vocabulum, ita et operationem unam vel geminam suspicari*, nonne præposterè omninò in suâ posteriore Epistolâ præscribere perrexit silentium de unâ aut duplici operatione servari? 3° Peccavit Honorius quòd tam duplicis quàm unius operationis vocabulum profanam novitatem habuerit, aliisque nævis quos suprà notavimus, litteras suas præproperè festinus, et Sergio nimiùm credulus consperserit; ergo, etc.

Conclusio III. Epistolæ Honorii nec dogmaticæ, nec è synodo aliquâ romanâ datæ, nec ad omnes Ecclesias directæ, nec tandem ab episcopis occidentalibus, aut etiam ab orientalibus plerisque ullo modo approbatæ et acceptatæ.

Probatur prima pars, nempe Honorii Epistolas dogmaticas non fuisse. Nam ubi inquiritur an Epistolæ Honorii dogmaticæ sint, quæstio est an de novâ quæstione sibi propositâ, et quâ parte illæ reprehendendæ veniunt, quidquam credendum iis statuerit et definiverit; atqui, etsi ejusmodi Epistolis inculcetur dogma iam à S. Leone et à concilio Chalcedonensi constitutum de Christo duabus naturis constante, et per unamquamque operante, attamen evidentissimum est circa propositam quæstionem de unâ aut duplici operatione nihil ab ipso credendum proponi, nihil ipsis terminis quæstionis definiri, sed, ex disputatione et ex quâdam œconomiâ, tam circa unam quàm circa duas operationes prædicandas silentium ab eo imponi; ergo, etc.

Frustra objiceres aliquas hujusce silentii servandi causas ab Honorio afferri minimè probandas. Fatemur, sed his nævis definitionem quæstionis contineri quis cordatus dixerit? Has rationes affert Honorius ut legem suam de utroque vocabulo reticendo stabiliat; num utramque partem oppositam simul definire, et credendam præscribere potuit? Hinc observare est synodum VI, etsi varia scripta Sergii, Cyri, Sophronii, Pyrrhi, etc., dogmatica nuncupet, nunquàm tamen hâc appellatione Honorii ad Sergium Epistolas designare; t. 6 Concil. p. 928, 944, 945, 949, 960, 968, etc.

Probatur secunda pars, nempe Epistolas Honorii ad Sergium ex aliquâ synodo Romanâ ad expendendam quæstionem coactâ non fuisse missas. Nam 1°, ubi, post Honorii mortem, de exponendâ ejus mente, ipsoque à Monothelitarum hæresi purgando actum est, solius Joannis abbatis qui illi fuerat ab Epistolis adjutor, testimonium fuit adductum sive à Joanne IV, cujus jussu is abbas Honorium defendit, sive à S. Maximo, sive ab Anastasio abbate apud S. Maximum in tomo dogmatico ad Marinum presbyterum; nulla verò synodi cujusvis, harumce Epistolarum sensûs consciæ, aut etiam vel unius episcopi, aut primorum Ecclesiæ romanæ in medium prolata est auctoritas; ergo. Nec dicas Anastasium abbatem, dùm apud S. Maximum refert se cum Ecclesiæ romanæ *sacratissimis viris sermonem contulisse, ejus, quam ad Sergium* SCRIPSERANT, *Epistolæ gratiâ*, non soli Honorio, sed etiam Ecclesiæ romanæ primoribus priorem ad Sergium Epistolam attribuere. Nam incertior est hujus loci lectio quàm ut ex eo quidquam certò colligi possit. Sirmondus et Combefisius ad fidem codicum suorum vertunt quidem *scripserant*. At Anastasius Bibliothecarius, qui initio IX seculi floruit, et Bibliothecæ Vaticanæ cui præerat, codicibus utebatur, reddidit, *scripserat;* quæ versio contextui aptissimè congruit, proindeque, etc. Deinde potuisset Anastasius abbas apud S. Maximum, plurali numero uti, quo solent per figuram valdè usitatam ea de cœtibus prædicari quæ ab eorum capitibus gesta sunt.

2° Auctor *Libelli synodici* enumerat capitibus 130, 132 et 133, concilia quatuor quæ de Monothelismo Romæ à summis pontificibus habita sunt. Recenset etiam synodos in quibus episcopi Africani Monothelitas condemnârunt. Demùm conciliorum à Cyro in urbe Alexandrinâ, à Sergio, Pyrrho et Paulo Constantinopoli in gratiam Monothelismi celebratorum, cap. 121, 122, 123, 125, mentionem facit. Etsi autem contra Honorium, Sergium, etc., synodum VI habitam esse tradat, de concilio tamen quod Honorius celebraverit, prorsùs silet. Pariter nullam Honorii synodum memorat Theophanes in Chronographiâ, neque ullus historicorum aliquam annotavit; ergo, etc.

3° Si qua ratio suaderet Honorium è synodo aliquâ litteras suas ad Sergium dedisse, maximè quia de rebus alicujus momenti et difficilioribus, nihil sine synodo statuere solebant romani pontifices; atqui hæc ratio nulla est, siquidem omnes quoque concedunt ab ejusmodi consuetudine, saltem in facilioribus, episcopos romanos non rarò recessisse. Quapropter, cùm ex ipsis Honorii litteris appareat eum, ut difficilem non spectâsse quæstionem de silentio circa unam aut duas operationes servando propositam, planum est malè asseri sine teste, Honorium è synodo aliquâ Romanâ Epistolas suas ad Sergium dedisse.

Probatur tertia pars, videlicet Honorii Epistolas ad

Sergium non fuisse ad universam Ecclesiam directas. Enimverò ad omnem Ecclesiam directæ non sunt vi inscriptionis, cùm soli Sergio inscriptæ sint; non vi materiæ in iis pertractatæ, quippe cùm in iis, ut dictum est, nulla contineatur nova dogmatis definitio; sed silentium de controversiâ emergente solùm præcipiatur; non vi universalis earum missionis ad omnes Ecclesias, siquidem Honorius non legitur has litteras ad alium quàm ad Sergium misisse, aut ipsi illud commisisse munus ut eas ad omnes episcopos pervenire curaret. Scripsit quidem ad Cyrum Alexandrinum, et ad Sophronium Jerosolymitanum, eos, ut voces memoratas reticerent, adhortans; ad quemquam alium litteras super hâc re ab eo datas fuisse gratis confingeretur. Et verò, quæ causa ipsi esse potuisset de unâ aut duplici operatione Christi tacendâ ad alios scribendi, qui de ejusmodi controversiâ nihil audiverant, aut quos ad unam aut duplicem operationem prædicandam propensos non noverat? nonne contra à litteris circa ejusmodi negotium orbe toto spargendis graves eum rationes deterrere debuerunt? Laudandus S. Leo quòd suam ad Flavianum Epistolam quâ Eutychianam hæresim confodit, ad Galliarum et aliarum provinciarum episcopos dirigere curaverit. Laudandus alter S. pontifex Martinus I, quòd canones synodi suæ Lateranensis adversùs Monothelitas per universam Ecclesiam divulgari operam dederit. Quid ita? quia, fidei, quæ ubique eadem esse debet, definitiones in novas hæreses latæ, ejusmodi litteris et canonibus continebantur, quos proinde omnibus innotescere Ecclesiæ postulabat utilitas. At, si Honorius ad omnes Ecclesias utramque suam de silentio circa unam aut duplicem Christi operationem servando Epistolam direxisset, tantùm abest ut suum attigisset scopum, ut potiùs plurimis novitatum avidis hominibus, qui in omni loco deprehenduntur, ansam dedisset de ejusmodi quæstione disputandi; ergo Honorius præposterè et sine ullâ verisimilitudine diceretur Epistolas suas ad omnes Ecclesias quocumque modo direxisse.

Probatur quarta pars, nimirùm Honorii litteras nullo pacto acceptatas fuisse ab episcopis occidentalibus et à plerisque orientalibus, præsertim si illæ ponantur hæreticæ aut per se hæresi favisse. Quod ut clariùs innotescat, observandum est controversiam duntaxat esse posse de annis circiter octo vel decem qui effluxêre à scriptâ priore Honorii Epistolâ an. 633, ad tempus quo Joannes IV in concilio romano Ecthesim Heraclii damnavit et Monothelismum compressit. Enimverò ridiculum sese profectò is exhiberet, qui in hypothesi quòd Honorii litteræ hæresim spirent aut illi per se faveant, eas, sine teste, contenderet consensu expresso aut tacito à plerisque fuisse tunc acceptatas, quando in hunc errorem concilia numerosa variis in locis anathema contorquebant; atqui ex quo Joannes IV in suâ synodo Ecthesim Romæ proscripsit, constat Monothelismum, ut jam supra dictum est, à Theodoro papâ in alterâ synodo Romæ habitâ, à præsulibus Africanis in variis conciliis, à concilio Cyprio, à synodo Lateranensi quinque supra centum episcoporum sub Martino I, qui hujus definitionis toto orbe vulgandæ sategit, tandem à synodo generali VI et à subsequentibus anathemate percussum et confossum fuisse. Proindeque eò res tota deducitur, an litteræ Honorii in hypothesi quòd Monothelismum spirent, aut illi faveant per se, in Oriente et in Occidente a plerisque episcopis ante an. 641 vel 642 aliquo modo acceptatæ sint.

Jam verò 1°, nemo negaverit tam extraordinarium et tanti momenti esse illud factum, nempe litteras alicujus summi pontificis hæreticas aut hæresi per se faventes ubique esse acceptatas, ut illud admitti nequeat sine teste. Nullum tamen vel minimum testimonium veterum afferri potest, quo litteras Honorii constet in Oriente et Occidente, non dico acceptatas, sed vel vulgatas fuisse per il ud tempus de quo agimus, nempe ante damnatam à Joanne IV Heraclii Ecthesim.

Dicetur proclive fuisse eas vulgari, ac proinde cùm pauci reclamâsse legantur, eas fuisse acceptatas? Verùm 1°, in negotio tam gravi, ubi nullus probabilitati locus relinquendus est, numquid licet quibuscumque conjecturis inniti? Sed 2° per me fas sit conjecturis indulgere. Si toto orbe christiano tunc temporis sparsæ et vulgatæ sint Honorii litteræ, vel ab Honorio, vel à Sergio. Non ab Honorio, cùm Epistolas suas, ut jam diximus, ad omnes Ecclesias mitti non curaverit. Non à Sergio, nam legitur quidem Sergius ad condendam Ecthesim Heraclium impulisse, illud decretum imperatorium in concilio eam ob causam Constantinopoli coacto, subscribendum episcopis obtulisse, quosdam præsules jussionibus et vi minisque adhibitis ad subscriptionem adegisse, unde has Sergii synodos S. Maximus vocavit *latrocinales;* memoriæ etiam mandatum est promulgatione Ectheseos totam fuisse offensam et graviter commotam urbem Constantinopolitanam; atque hæc quidem ex monumentis historiæ habemus. At de Epistolis Honorii, quæ hæreticæ aut per se hæresim favere ponuntur, et quibus reverà idem præscribitur silentium, quod suâ Ecthesi imperabat Heraclius, ullam vel minimam in Oriente tunc factam fuisse mentionem nullo in loco traditur, aut indicatur. Quid porrò inde colligere est? istud inprimis, Sergium satis prospicientem Monothelismo Honorii mentem reverà non esse imbutam, timuisse ne, si litteras ejus manifestas faceret aut subscribendas proponeret, motibus inde ortis, velut galli cantu, supremus ille pontifex excitatus, periculum in quo fides versabatur, tandem adverteret, litteras ipse suas interpretaretur, artes quibus ad eas scribendas inductus fuerat, manifestaret, ac demùm nascentem hæresim profligaret; sicque omnem Monothelitis auctoritate suâ innitendi ansam et prætextum eriperet. Vigilantiam igitur supremi pontificis fefellisse tunc satis sibi esse ratus homo versipellis, litteras Honorii recondidit, tempore opportuniori, nimirùm post Honorii mortem, in Monothelismi confirmationem proferendas. Hinc Occidentalibus ejusmodi Epistolæ non antea innotuerunt, quàm Pyrrhi, qui Sergio successerat et eius errorem pari studio diffundebat, litteræ in

Occidentem tempore Joannis IV pervenissent. Pyrrhus hisce in scriptis suis Monothelismum propinabat, eumque Honorii Epistolarum auctoritate studebat adstruere. Testis verò est Joannes IV, à quo solo hæc omnia accipimus, in Epistolâ ad Constantinum imperatorem Heraclii filium, ejusmodi scripta Pyrrhi *nova quædam et præter fidei regulam prædicantis, et ad proprium sensum Honorium attrahere festinantis*, toti Occidenti qui à novâ lue prorsùs immunis mansit, magnæ offensioni fuisse. Jam porrò si litteræ Honorii hæresim spirâssent aut illi per se favissent, et Occidentalibus jamdudùm cognitæ et acceptæ fuissent, num litteræ Pyrrhi eumdem errorem spirantes et ex Honorio confirmantes ejusmodi offensionis causam Occidentalibus attulissent? Ergo nec testibus nec conjecturis suaderi potest Honorii Epistolas fuisse per orbem christianum vulgatas et nullo modo acceptatas antequàm Ecthesis à Joanne IV damnaretur, imò eas tunc plerisque nequidem notas fuisse, conjecturis plusquàm probabilibus suadetur.

At 2° solis conjecturis non certamus. Nam 1° constat Occidentalium neminem memorari qui in Monothelitarum hæresim impegerit, neminem qui latis à romanis pontificibus in conciliis suis, et à synodis Africanis adversùs Monothelitas decretis refragatus sit. 2° Martinus I, in suâ ad imperatorem Constantem Epistolâ, an. 649 exaratâ, ait necessarium fuisse, *ut omnium ferè piorum sacerdotum et populorum contra eos* (Sergium et Pyrrhum, etc.) *clamores apostolica Sedes acciperet, orantium atque obtestantium*, etc. 3° S. Maximus in Dialogo cum Pyrrho fidejussor est *Orientem totum et Occidentem lacrymas, lamenta*, etc., *Deo obtulisse, ut* (Monothelitæ) *cessarent ab hæresi propriâ*. 4° Stephanus Dorensis, quem jam ab an. 636 Sophronius Sedem apostolicam de fidei discrimine commonefacturum legaverat, in supplici libello Lateranensi synodo sub Mart. I à se oblato, attestatus est *supplicationibus omnium penè habitantium orientalium tractum reverendiss. episcoporum et christian. populorum, consonanter prædicto beato Sophronio ad hoc invitatum fuisse*, ut Romam pergeret, Monothelismi condemnationem promoturus. Ex his, quibus alia adjici possent, satis superque, ni fallor, evincitur totum Occidentem et maximam orientalium episcoporum partem Monothelitarum erroribus semper adversatam fuisse; ac proinde nunquàm ab iis ullo modo acceptatas fuisse Honorii Epistolas, in hypothesi quòd ejusmodi errorem per se obtruserint aut foverint.

Conclusio ultima. Honorius videtur à synodo VI damnatus fuisse ut hæreseos ex gravi imprudentiâ et negligentiâ fautor.

Probatur, quia Honorii condemnatio eo sensu intelligenda videtur, qui tum verbis condemnationis, tum speciei et naturæ criminis ab Honorio reverà admissi congruat et consonet; atqui si dixeris Honorium, ut hæreseos ex imprudentiâ et negligentiâ, fautorem, à synodo VI damnatum fuisse, hæc interpretatio 1° consonat speciei et naturæ criminis ab Honorio reverà admissi; siquidem, ut jam dictum est, Honorius litteris suis non definivit errorem, licet ex imprudentiâ et negligentiâ de se graviter culpabili silentium intempestivè injunxerit, et nævis quibusdam utramque suam Epistolam maculaverit, sicque hæresi patrocinium et fomentum præbuerit; 2° eadem interpretatio consonat ipsismet condemnationis verbis. Si qua in ejusmodi condemnatione occurrerent quibus non consonaret nostra interpretatio, ista duo maximè, primum, quòd Honorius annumeretur hæreticis Sergio, Pyrrho, Cyro, etc., et cum eis plectatur eâdem anathematis pœnâ; alterum quòd Sergii dogmatibus dicatur *in omnibus consensisse*. Atqui his accommodari potest nostra interpretatio.

Enimverò quod ad primum attinet, episcopi hæreseos fautores non ita argutè olim ab hæreticis discernebantur. Quemadmodùm quidquid sanæ et orthodoxæ doctrinæ quoquo modo nocebat et adversabatur, hæreticum quandoque appellabatur, ita quotquot seu ex collusione aut conniventiâ, seu ex gravi negligentiâ aut imprudentiâ errorem adjuvabant, ii eodem loco ac ejus defensores et eâdem pœnâ digni habebantur; cujus rei inprimis testes sunt imperatores Honorius et Theodosius in rescripto ad Aurelium episcopum Carthaginensem dato Ravennæ, idus V junias, Monaxio et Plintâ consulibus; ii enim episcopis qui segniter se gesserint contra Pelagianos, comminantur non modò expulsionem à civitatibus, quæ pœna secularis est, sed et episcopatûs amissionem, et interdictam in perpetuum communionem; quæ juxta canones ab imperatoribus præscribi dubium esse nequit. Hanc autem suæ constitutionis afferunt rationem : *unam eamdemque esse culpam eorum qui aut dissimulando conniventiam, aut non damnando favorem noxium præstiterint*. Quando igitur summus pontifex Honorius, qui auctoritate et prærogativâ Sedis suæ principem locum in Ecclesiâ occupabat, cuique præcipua proinde hæresum comprimendarum incumbebat cura, ex imprudentiâ et negligentiâ se sivit à Monothelitis circumveniri, et eorum hæresi fomenta præbuit; nemini dubium esse potest quin in gravissimam culpam, et ipsâ depositione, ut illustrissimo de Marca videbatur, juxta canones dignam infeliciter lapsus sit. Nihil proinde mirum, quòd eodem cum hæreticis anathemate à synodo VI percussus sit.

Quod autem spectat alterum, nempe à S. synodo Honorium dici Sergii litteris et dogmatibus consensisse, hæc videntur restringi posse ad significandam consensionem favoris et patrocinii ex gravi culpâ dati; quasi dictum esset Honorium subdolam Sergii Epistolam ad se datam præposterè ex oscitantiâ intolerabili approbâsse, et silentio juxta ejus mentem imperato, ac quibusdam loquendi modis imprudenter usurpatis, hominis hæretici dogmata eo sensu confirmâsse, quo à S. Cœlestino scriptum est : *Error cui non resistitur, approbatur*.

Confirmatur integra conclusio, quia non de hæresi, sed de favore hæreticis, ab Honorio gravi culpâ præstito, sacra synodus à Leone II, ab imperatore, et ab auctore veteris Diurni pontificum, olim intellecta est

Leo enim II, in Epistolâ ad Hispanos, Honorium à synodo VI damnatum scribit, *qui*, inquit, *flammam hæretici dogmatis, non ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit.* Et in Epistolâ ad Constantinum imperatorem de eodem sic habet : *Qui hanc apostolicam Ecclesiam non est conatus lustrare doctrinâ Apostolicæ traditionis, sed profanâ proditione puram maculari permisit.* Ubi observa à nobis hîc post illustrissimum de Marca, cui Labbeus in notulis suis margin. consonat, reddita esse græca de verbo ad verbum, quæ vulgari versione latinâ minùs clarè expressa sunt.

Constantinus Pogonatus in decreto quo imperiali auctoritate gesta synodi sextæ muniri voluit : *Ad hæc*, inquit, *et Honorius, qui fuit antiquæ Romæ papa, hujusmodi hæreseos confirmator, qui etiam suî extitit oppugnator*, seu *,qui etiam sibi non constat.* Ubi Honorius ideò dicitur hæresim confirmando se ipsum oppugnâsse, quia mente non gesserat nec verbis expresserat hæresim cui litteris suis præposterè faverat.

Tandem in fidei professione quæ à rom. pontificibus die ordinationis suæ olim emittebatur, et legitur in libro diurno pontificum à Garnerio an. 1680 edito, Honorius dicitur, *pravis* Sergii, Pyrrhi, etc., *assertionibus fomentum impendisse.*

Cæterùm, si gravis negligentia et imprudentia quam Honorio in tanto negotio adscripsimus, vi verborum quibus ejus memoriam synodus VI proscripsit, non satis videatur consonare, statuatur per nos licet, Patres errore facti existimâsse collusionis cum hæreticis aut conniventiæ eum fuisse reum. Etenim ejusmodi errorem in ipsum generale concilium cadere nihil repugnat. Cùmque decretorium Joannis amanuensis Honorii testimonium, quo præsertim hujus pontificis persona excusatur, Patribus fortè fuerit minùs perspectum, facilè sibi persuadere potuerunt ejus Epistolas, quæ hæresi tanto adjumento fuerant, ex nefandâ collusione, non ex imprudentiâ tantùm, aut præposterâ œconomiâ fuisse exaratas.

Dissertatio v.

DE CONVENIENTIA ET NECESSITATE INCARNATIONIS.

Illud alicui rei convenire hîc dicitur, quod ei decorem quemdam affert et ejus est naturæ consentaneum. Aliud autem rei convenit intrinsecè, aliud extrinsecè tantùm. Illud est conveniens intrinsecè, quod rem perficit et aliquâ ratione complet, seu quod ad ejus perfectionem et integritatem sive necessariam, sive accidentalem, seu naturalem, seu supernaturalem quodam modo necessarium est. Illud est conveniens extrinsecè tantùm quod ad perfectionem et integritatem rei nullo pacto requiritur, sed ei solùm affert decorem quemdam extrinsecum quo ipsa non indiget. Sic, v. g., modus, divinis perfectionibus exprimendis et declarandis idoneus, supremo Numini, quod per se sibi sufficientissimum est, dicitur convenire.

Necessarium duplici quoque ratione accipitur. Aliud est necessarium simpliciter, aliud secundùm quid. Illud est necessarium simpliciter quod alio modo se habere non potest. Illud dicitur necessarium secundùm quid, quod ad finem assequendum est utile et conveniens.

Quod est necessarium simpliciter, vel est necessarium absolutè, vel solummodò hypotheticè. Illud est necessarium simpliciter absolutè, quod, nullâ factâ hypothesi contingenti, ita existit, ut aliter se habere non possit, seu ut oppositum existere repugnet. Illud est necessarium simpliciter hypotheticè, seu conditionatè, quod, factâ aliquâ hypothesi contingenti, aliter se habere non potest, seu sine quo finis nullo pacto potest acquiri.

Advertendum insuper Incarnationem posse accipi vel speciatim, quatenùs est unio hypostatica talis naturæ humanæ cum Verbo divino, hoc modo, hoc de fine, et his in circumstantiis peracta ; vel generatim, et quantùm ad substantiam, nempe pro unione cujuslibet naturæ intelligentis cum aliquâ personâ divinâ, abstrahendo à modo et à circumstantiis.

Quæstio est an Incarnatio, quâcumque ratione accipiatur, sit conveniens, vel etiam necessaria simpliciter, seu absolutè, seu hypotheticè, et quâ in hypothesi; an scilicet in hypothesi creationis mundi, aut lapsûs hominis, aut reparationis generis humani, aut condignæ satisfactionis ? De quibus quinque capitibus disserendum est.

CAPUT PRIMUM.

An absolutè necessaria fuerit Incarnatio, aut saltem per se Deo conveniens extrinsecè.

Verbi Incarnationem non modò convenientissimam Deo extrinsecè, id est, attributis ejus exprimendis per se aptissimam, sed etiam absolutè necessariam fuisse docuit Wiclefus in Trialogo, lib. 3, cap. 24 et 25, ubi idem quoque de Christi morte et satisfactione statuit. Hoc dogma consequebatur ex necessitate quâ Deum in suis ad extra operationibus constringi sentiebat Wiclefus. Scilicet ex ipso nihil aliud Deus velle potuerat quàm quod vult, nihil aliud producere quàm quod suo tempore producit, nec magis liber concipitur circa ea efficienda quæ extra se facit, quàm circa æternam Filii sui generationem. Celeberrimus Leibnitz, dùm in suis *Theodiceæ tentaminibus* existimat Deum ad mundum hunc condendum bonitate et sapientiâ suâ *certò et infallibiliter* inductum fuisse, planè supponit eamdem Dei sapientiam et bonitatem pariter exegisse Incarnationem peragi, utpote rerum præsenti dispositione conclusam. Hujus systematis, quod Wolfius, Bulfingerus, Clarkius et alii quidam adoptant, substantiam et præcipuum fundamentum mox explicabimus proponendo objectiones. Censent theologi post S. Thomam, p. 3, q. 1, a. 1, in corpore, Deo maximè conveniens fuisse ut sese per Incarnationem *summo modo* communicaret, sicque suam bonitatem et alia sua attributa exprimeret. At verò hanc convenientiam contendunt merè extrinsecam fuisse, quia Deus utpote sibi sufficientissimus non indiget ullâ sui ipsius ad extra communicatione aut manifestatione, et planè liber concipitur ad aliquid extra se producendum, vel non producendum. Juxta quam doctrinam sacris Scripturis et toti traditioni perinde consonam sit

Conclusio. Incarnationem peragi Deo per se convenientissimum fuit extrinsecè, sed non absolutè necessarium; nec proinde, ad illam peragendam, Deus immutabilibum bonitatis et sapientiæ suæ legibus certò et infallibiliter inductus est.

Probatur prima pars, nempe Deo per se convenientissimum fuisse extrinsecè, ut Incarnationem perageret. Illud enim est Deo per se convenientissimum extrinsecè, quod attributis divinis exprimendis per se aptissimum est; atqui Incarnatio aptissima est attributis divinis exprimendis, quod aliquâ inductione ostentu facile est. 1° Enim Incarnatione maximè exprimitur perfectio, munificentia et bonitas divina. Ille enim se esse perfectissimum, munificentissimum et optimum exprimit, qui Divinitatem suam summo modo communicat, et quidem sine ullâ indigentiâ et sine ullo perfectionis suæ detrimento; atqui Incarnatione Deus se summo modo communicat sine ullâ indigentiâ et sine ullo perfectionis suæ detrimento; quippe Incarnationem peragendo, increatæ suæ et infinitæ perfectionis ex merâ liberalitate, sine ullâ sese extra communicandi indigentiâ, et infinitè perfectus usque manens, naturam creatam participem facit, quatenùs videlicet cum ejusmodi naturâ personam divinam substantiali et personali nexu devincit; quâ quidem Divinitatis communicatione, nulla major ad extra concipi potest. Sola eam superat communicatio illa naturalis et immanens, quâ Filius divinus à Patre et Spiritus sanctus ab utroque procedunt. Verùm quid simile ejusmodi perfectissimæ et ineffabili communicationi fieri extra Deum tam impossibile est, quàm Deum repugnat extra se ipsum constitui; ergo, etc. Ratiocinium istud est S. Thomæ, p. 3, q. 1, a. 1, in corpore : *Ipsa autem natura Dei*, inquit, *est essentia bonitatis... Unde ad rationem summi boni pertinet, quòd summo modo se creaturæ communicet, quod quidem maximè fit per hoc quòd naturam creatam sibi conjungit, ut una persona fiat ex tribus, scilicet Verbo, animâ et carne, sicut dicit Augustinus, lib. 13 de Trinitate. Unde manifestum est quòd conveniens fuit Deum incarnari.* Eòdem pertinet quod S. Augustinus lib. de Prædest. sanctorum, cap. 15, tradit, *tantam* nimirùm, *tam excelsam, tam summam esse hanc naturæ humanæ* (à Verbo per Incarnationem assumptæ) *subvectionem, ut quò attollatur altiùs non habeat*, quod et alii Patres observant.

Dices : Ex his sequeretur, quòd trium personarum Incarnatione, aut Verbi divini cum omnibus creaturis intelligentibus unione, Deus bonitatem suam magis communicâsset, suaque attributa significantiùs expressisset, quàm producendo unicam Incarnationem; proindeque vel ratio adducta nihil probat, vel conveniens fuit tres personas incarnari, etc.

Dist. ant.: Bonitatem suam magis communicâsset intensivè, nego; magis extensivè, subdistinguo : Et illa communicatio extensivè major ad mundi perfectionem de se necessaria non est, imò fortè ipsi noceret, concedo; secùs, nego. Si tres personæ incarnatæ fuissent, vel omnes naturæ intelligentes in unitatem suppositi assumptæ fuissent à Verbo, tunc bonitas divina se extensiùs communicâsset, id est, personarum incarnatarum et naturarum à Deo assumptarum major fuisset numerus. Sed 1°, non ideò bonitas divina sese intensiùs, seu secundùm plures perfectionis gradus communicâsset, siquidem Verbi divini persona, quæ se naturæ humanæ Christi per Incarnationem communicavit, totam Divinitatis perfectionem continet, et præterea tam intima fuit ejusmodi communicatio ut, quemadmodùm dictum est, nulla major et intimior extra Deum esse possit. 2° Licèt Divinitatis communicatio summa intensivè quæ fit per Incarnationem, de se sit conveniens, et ad perfectionem et complementum operis à Deo producti valdè conducat, attamen, ejusmodi communicationem fieri multis, et sic majorem esse extensivè, mundi perfectioni accidentarium videtur. Scilicet, tota rerum universitas ita est ordinata et disposita, ut partes singulæ ad se invicem respectum dicant. Ipsemet ordo rerum supernaturalium, cum ordine naturali, Deo cuncta sapienter disponente, mirabiliter connexus est. Hinc quæcumque in mundo sunt, ad unicum opus constituendum conspirant, quâ quidem in rerum concordiâ et consensione à theologis cùm de providentiâ agunt, explicari solitâ, maximè sapientia divina splendescit et emicat. Jam verò nonne huic unico operi perficiendo unica Verbi divini Incarnatio sufficiebat? Ergo aliarum personarum divinarum incarnationes, necnon unio Verbi cum aliis naturis creatis præter rem fuissent, ad aliam universi dispositionem pertinuissent, ad mundum nostrum per se non attigissent; atque si Deus operi, quod condere voluit, adjecisset alterius naturæ creatæ unionem cum Verbo hypostaticam, fortè sapientiam suam et alia sua attributa minùs perfectè expressisset.

2° Maximè Incarnationis mysterio exprimuntur Dei virtus et omnipotentia. Nam si res in Incarnatione conjunctæ spectentur, eæ à se invicem in infinitum distant, et tamen summo quodam vinculo conjunguntur, supremus scilicet spiritus cum infimo et cum carne, increata persona cum creatâ naturâ. *Omni miraculo mirabilius est*, inquit S. Bernardus, serm. 3 de Vigil. Nativitatis Domini, *quomodò tam diversa, tamque divisa ab invicem potuerint conjungi.* Et S. Gregorius Nyss. Orat. Catecheticâ, cap. 24 : *Naturam omnipotentem*, inquit, *ad humanæ naturæ vilitatem potuisse descendere, majus est potentiæ argumentum, quàm ingentia quælibet ac stupenda miracula. Etenim magnum aliquod et excelsum elaborare divinam potentiam, naturæ quodammodò consentaneum est ac proprium; at verò delapsus ille ad id quo abjectum est et humile, abundantia quædam est potentiæ, quæ nec in illis quidem quæ sunt præter naturam impediri potest.* Non assimilia habet S. Aug. lib. de Prædest. sanct. cap. 15. Si porrò attendas rationem, quâ rerum ita dissitarum arctissima conjunctio facta fuit, miraberis utriusque naturæ servatas esse proprietates, sine ullâ confusione et mixtione; ita ut, inquit S. Leo, sermone 3 de Passione, *tota sit in majestate humilitas, tota in humilitate majestas; nec inferat unitas confusionem, nec d*[illegible]

proprietas unitatem; nec (serm. 1 de Nativ. cap. 2) *inferiorem consumat glorificatio, nec superiorem minuat assumptio.* Ergo mirum non est quòd Incarnatio opus Dei per excellentiam appelletur in Scripturis, atque ejus omnipotentiæ magnum prædicetur argumentum. Habac. 2, v. 2 : *Domine, opus tuum in medio annorum vivifica illud.* Luc. 1 : *Fecit*, inquit B. Virgo, *mihi magna qui potens est.*

3° In mysterio Incarnationis emicat sapientia, tum quia mirabilis unionis in quâ consistit, modum reperire sola sapientia infinita potuit, ut et sola omnipotentia exequi, tum propter respectus quos ad hominem et universas creaturas habet Incarnatio, in quibus respectibus, sapientia necnon misericordia, justitia, sanctitas, majestas et infinitas divina mirum in modum splendescunt et emicant, ut in hâc disputatione, capitibus seqq. explicabitur. Ex dictis hìc colligere satis sit Incarnationem, quantùm ad substantiam spectatam, esse opus perfectionibus divinis exprimendis aptissimum, ac proinde Deo per se convenientissimum extrinsecè.

Probatur contra Wicleſi hæresim secunda pars conclusionis, nempè mysterium Incarnationis non esse absolutè necessarium. 1° Ex Scripturis. Quod enim in iis singulari benevolentiæ et misericordiæ divinæ attribuitur, liberum est, non est absolutè necessarium; atqui Incarnatio in Scripturis singulari Dei benevolentiæ et misericordiæ attribuitur : *Sic Deus dilexit mundum*, inquit Christus, Joan. 3, v. 16, *ut Filium suum unigenitum daret;* et S. Joan. in Epistolâ suâ primâ, cap. 4, v. 9 : *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum;* ergo. 2° Ex ratione. Nullum opus ad extra est communicatio necessaria divinitatis. Id innumeris Scripturarum et SS. Patrum testimoniis facilè evincitur, ubi de Dei libertate theologi disserunt. Vide Petavium l. 5 de Deo et divinis Attributis, cap. 6, et alios theologos ad quæst. 19 primæ part. S. Thomæ. Idem quoque ratio clarissimè adstruit. Cùm enim Deus sit infinitè perfectus, manifestum est hunc esse sibi suum summum et unicum bonum, suum unicum finem ultimum, suam felicitatem consummatam; eum proinde sibi sufficere, rebus à se distinctis nullo pacto indigere, se solum necessariò amare, posse concipi existere totum et perfectum quin cætera existant. Atqui si Deus sibi sufficiat, nec rebus à se distinctis indigeat, si se solum necessariò amet, sibi suum sit bonum, suus finis, sua felicitas, totusque et perfectus existere concipiatur quin cætera existant, nonne evidentissimum est, ad aliquid extra se producendum necessitate suæ naturæ illum non determinari? Hinc eximiè S. Thomas p. 1, q. 19, a. 4 : *Deus*, inquit, *se communicat creaturis et agit, non quatenùs est, sed quatenùs vult.* Et S. Augustinus lib. 1 de Genesi contra Manich. c. 2, docet non aliam esse causam ultimam cur Deus fecit cœlum et terram, nisi *quia voluit.* Quibus Scriptura sacra Psal. 110, v. 2, Psal. 113, v. 3, etc., et universa traditio consonat; ergo Incarnatio, quæ est opus ad extra, non potest esse communicatio necessaria Divinitatis, seu non est absolutè necessaria.

Probatur tertia pars, nempe Deum proinde ad Incarnationem peragendam bonitate et sapientiâ suâ immutabili non fuisse certò et infallibiliter inductum. Ratio est quia id ad quod bonitate et sapientiâ suâ Deus infallibiliter et certò inducitur, dicendum est necessariò ex Divinitate emanare, et absolutè necessarium. Etenim tam repugnat quàm quod maximè, Deum non velle id operari, ad quod producendum certò et infallibiliter sapientiâ et bonitate suâ inducitur. Namque, si Deus non vellet id operari, ad quod producendum sapientiâ et bonitate suâ certò et infallibiliter inducerctur, tunc sapientiam et bonitatem suam negaret, seu iis contrariam voluntatem haberet, insipienter se gereret et malignè; atqui Deum attributa sua essentialia negare, insipienter et malignè se gerere, tam sanè repugnat, quàm Deum ipsum non existere; ergo, etc. Et verò nonne illud contradictionem involvit quòd tam repugnat, quàm impossibile est Deum peccare aut mentiri, aut mendacium et peccatum præcipere? atqui tam repugnat Deum non velle id operari ad quod producendum, bonitate et sapientiâ suâ certò et infallibiliter inducitur, quàm repugnat Deum peccare, aut mentiri, aut mendacium et peccatum ab ipso imperari. Nam quæ causa est cur peccatum et mendacium, etsi in se maximè possibilia sint, à Deo tamen admitti vel præcipi nequeant? id oritur ex sanctitate et veracitate divinâ, id est, ex amore summo et necessario quo Deus ordinem immutabilem et veritatem prosequitur; ergo pariter si bonitas et sapientia in quibus Deus sibi summè et necessariò complacet, certò et infallibiliter postularent aliquod à Deo opus produci, ab eo producendo Deum abstinere penitùs repugnaret; ergo, etc. Deinde quid infallibilitas seu certitudo ex immutabili essentiâ attributorum divinorum nexa et manans, differre potest à verâ et absolutâ necessitate? nonne ejusmodi infallibilitas est immutabilis? nonne immutabilitas quæ in attributorum divinorum essentiâ nititur, ab omni hypothesi contingenti est independens? nonne istud contradictionem involvit, rem hujusmodi immutabilitate affectam aliter se habere ac se habet? nonne quod ab hypothesi contingenti non pendet et aliter se habere non potest ac se habet, id ipsum est absolutè necessarium? ergo si bonitate et sapientiâ suâ Deus certò et infallibiliter ad præsentem rerum universitatem, ac proinde Incarnationem producendam inductus fuisset, absolutè necesse fuisset mundum à Deo creari, et Incarnationem existere, et planè repugnaret Deum ab iis peragendis abstinere potuisse. Præterea, si ad hunc mundum condendum, atque Incarnationem eo conclusam producendam, bonitate et sapientiâ suâ certò et infallibiliter Deus inductus fuisset, actus quo creavit mundum certò et infallibiliter fluere concipereturex attributis Dei necessariis, nempe ex ejus bonitate et sapientiâ; proindeque ejusmodi actus, etiam sub eo respectu quo mundi creationem inferret, aliqua esset divina proprietas, seu esset attributum Dei ab ejus essentiâ necessariò derivatum; enimverò quod

Deo intrinsecum est et ab ejus essentiâ immutabili fluit, illud est attributum divinum, et quidem tam necessarium quàm ipsa ejus essentia ex quâ manat. Jam porrò, si actus quo Deus mundum creavit, esset ejusmodi proprietas Deo necessariò inhærens, cùm mundum non existere posito illo actu planè repugnet, repugnaret quoque metaphysicè mundum ex divinitate non emanare; ergo.

Ad hæc, si Deus bonitate et sapientiâ suâ infallibiliter inductus fuisset ad hunc mundum, et proinde Incarnationem quæ eo continetur producendum, tam necessariò mundus et Incarnatio suo tempore existerent, quàm necessaria est Verbi divini generatio. Namque generatio æterna Verbi divini ideò necessaria est, quia licet cum cognitione et inclinatione fiat, attamen ex essentiâ divinâ, seu ex naturâ intellectûs divini infinitè fœcundi oritur et procedit; ergo similiter, si attributa Dei essentialia, ejus nempe sapientia et bonitas, mundum produci infallibiliter exigerent, actus quo mundus creatus est, ex illis attributis necessariò flueret, proindeque mundus et Incarnatio suo tempore necessariò etiam existerent. Itaque, cùm Incarnatio non sit necessaria absolutè, ut contra Wiclefum probavimus, statuendum quoque, quod consequens est, Deum ad hanc peragendam, non fuisse certò et infallibiliter, legibus immutabilibus sapientiæ et bonitatis suæ inductum.

Confirmatur eadem conclusionis pars, 1° quia quod ex bonitate et sapientiâ Dei certò et infallibiliter consequitur, illud ab æterno esse debet; neque enim concipi potest necessaria Dei attributa appendice quâdam ex se certò et infallibiliter nexâ unquàm carere posse. Atqui tamen mundus ab æterno non cœpit, quod Leibnitius fatetur, rebus creatis *æternitatem futuram* solùm adscribens; et idem ex Scripturis et ex ratione indubitatum est; Incarnatio non nisi post plura à condito mundo annorum millia peracta fuit; ergo, etc. Confirmatur 2°, quia principium quo nititur totum systema Leibnitii istud est, Deum ad nihil quidquam extra se producendum determinari posse nisi ratione aliquâ bonitatis et sapientiæ prævalenti et infallibili. Atqui istud principium falsum est. Nam 1° inde sequeretur bonitati et sapientiæ divinæ aliquid defuturum, si mundum non existere poneretur, proindeque Deum sibi non sufficere. Tunc enim concipitur aliquid defuturum bonitati et sapientiæ divinæ, cùm illud non existeret, quod veri à Deo hæc attributa rationibus suis immutabilibus exigunt. Sequeretur 2° Deum immutabili sapientiâ et bonitate suâ impelli, et induci ad aliquid à se distinctum absolutè expetendum; quasi verò ipse sibi non esset suus finis unicus et essentialis. Sequeretur 3° mundum nec citiùs incipere potuisse, quod falsum est. Hoc enim citiùs incipere potuit, quod non cœpit ante omne tempus possibile; atqui, quamcumque de temporis naturâ sententiam amplectamur, mundus, cùm ex Leibnitio et ex rei veritate ab æterno esse non cœperit, dicendus est ante omne tempus possibile non incœpisse. V. g., ponamus cum Leibnitio tempus nihil aliud esse quàm successionem existentium successivè, ac proinde antequàm creaturæ existerent, in quibus solis dari potest ejusmodi successio, nullum reverà tempus extitisse; nihilo seciùs tamen concipiemus ante mundi exordia possibile fuisse aliquod tempus. Intelligimus enim, v. g., mundum aliquem possibilem qui creari potuisset longo tempore antequàm mundus noster existere cœperit, adeò ut cùm præsens rerum dispositio orsa est, jam in illo altero mundo innumera entia successivè efluxissent; ergo mundus ante omne tempus possibile existere non cœpit; ergo Deus, illæsis sapientiâ et bonitate suâ, ejus initia citiùs ponere potuisset; proindeque caducum et falsum est principium quo uno systematis Leibnitii moles universa fulcitur.

Dices adversùs tertiam conclusionis partem : Deus rationibus sapientiæ et bonitatis *sufficientibus*, ac proinde *prævalentibus* et *certis*, sed non *absolutè necessariis*, tum ad creandum, tum ad creandum id ipsum quod creavit inductus est. 1° Quidem rationibus *sufficientibus;* res enim nulla existit, quin detur ratio sufficiens cur exstat. 2° Rationes ejusmodi fuêre bonitatis, nam ad benefaciendum creaturis Deum extra se operatum esse nemini dubium est. 3° Fuêre etiam rationes sapientiæ; enimverò, cùm Deus voluit mundum condere et disponere, ipsi adstitit ejus sapientia, veritates æternas et necessarias, legem ordinis immutabilem, omnesque mundos et dispositiones rerum possibiles exhibens. 4° Hæ rationes fuêre prævalentes; si enim aliis paribus æquatæ fuissent, et Deus ad unum præ alio sese determinàsset, jam nulla data fuisset ratio sufficiens ejus determinationis, quod ex dictis repugnat. 5° Fuêre certæ et infallibiles, quia, si Deus illud non ageret, ad quod prævalentibus bonitatis et sapientiæ suæ rationibus inducitur, non esset summè bonus et summè sapiens. 6° Non tamen illæ rationes sunt absolutè et metaphysicè necessariæ. Nam alia est certitudo et infallibilitas, quæ necessitas moralis dici potest, et oritur ex principio *rationis sufficientis;* alia necessitas absoluta et metaphysica, quæ principio contradictionis fundatur, juxta quod illud ponitur esse verum, cujus oppositum repugnantiam seu contradictionem in se involvit; ergo, etc.

Nego ant. Demonstratum est Deum rationibus infallibilibus bonitatis et sapientiæ suæ ad creationem mundi inductum dici non posse, quin extra se aliquid necessariò expetere, et necessariò agere concipiatur. Quod ejus infinitati et perfectæ libertati planè contrarium est.

Ad primam probationis partem, fateor nullam rem existere quæ non habeat sufficientem existendi rationem. Sed hæc ratio, ubi agitur de determinationibus liberis, tota petitur ex vi ipsâ sese determinandi naturæ intelligenti et liberæ insitâ, et iis omnibus quæ ad agendum prærequiruntur instructâ. Nimirùm alia est ratio causarum liberarum, et alia causarum necessariarum. Ratio sufficiens determinationis causarum necessariò et sine libertate agentium, ab ipsâ earum facultate agenti repeti nequit, cùm ipsis non insit vis sese ad unum aut ad aliud flectendi; aliunde igitur

eorum determinationis ratio repetatur necesse est. At non ita res se habet, ubi agitur de causis liberis. In eo siquidem consistit illarum libertas, quòd activè indifferentes sint, non quidem eo sensu quòd sese determinent sine motivo, sed quòd tunc ad unum sese determinent, cùm ad illud sese possent non determinare. In creaturis, quæ non à se ipsis, sed à Deo solo perfectionem et felicitatem suam consequi possunt, fons et origo libertatis est appetitus veri boni, sive per modum actûs ille appetitus concipiatur, sive per modum facultatis, parùm interest. Naturâ volumus vero bono potiri. Hinc si objectum ad quod amandum allicimur, nos verè beatos non efficiat, penès nos est expendere an illud amandum sit, proindeque penès nos est illud prosequi vel non prosequi. At in Deo, qui sibimet suum bonum, suus finis, sua perfectio et summa felicitas est, origo libertatis circa ea quæ extra se producit, est ipsa essentiæ divinæ infinitas, quâ sibi sufficientissimus est. Se solum amat necessariò, nihil extra se necessariò expetit, quia solus est summum et infinitum bonum. Hinc 1° potuit sese non determinare ad creandum. Hinc 2°, in hypothesi quòd creet, sua quidem non potest attributa negare; id est, repugnat eum velle quod ejus sapientia, sanctitas, bonitas, aliaque attributa fieri vetant; sed non ideò tenetur producere quod optimum est, quia, ut capite sequenti uberiùs exponetur, falsum est ejus attributa exigere ut *optimum* producat.

Ad secundam, fatemur quoque Deum creâsse ut boni participes faceret creaturas, imò non potuit velle creare, quin vellet benefacere creaturis; aliàs suam bonitatem et beneficentiam negâsset. At non ideò censendus est bonitate suâ essentiali ad creandum certò et infallibiliter inductus. Deus absolutè non tenetur exercere potestatem quam habet benefaciendi creaturis. Hæc potestas Deo essentialis, seu exerceatur, seu non exerceatur, perinde perfecta est et divina; nec minùs ens supremum et infinitum esset bonum essentialiter, quamvis nullæ creaturæ existerent.

Ad tertiam; ultrò concedimus sapientiâ divinâ repræsentari veritates æternas et necessarias, necnon leges immutabiles ordinis. Censemus quoque Deum nihil ejusmodi legibus et veritatibus contrarii velle posse. Denique confitemur mundos omnes possibiles, cunctasque rerum dispositiones diversas Deo esse perfectissimè notas. Sed contendimus nec veritates æternas, nec leges ordinis immutabilis ullo modo postulâsse, ut Deus quidquam crearet; quia evidentissimum est Deum potuisse abstinere à creatione, quin desineret esse sapiens, justus, verax et omni perfectionum genere cumulatus.

Ad quartam, Deus est causa prima, causa summè libera, et ut à suâ essentiâ habet existendi vim, ita suâ voluntate solâ habet vim se determinandi; proindeque activè indifferens est ad unum inter plura æqualia volendum. Non dico ad *unum seligendum*, quia aliud est inter æqualia unum aliis propriè anteponere, quod insipiens foret, aliud est eorum unum velle, relictis aliis. Voluntatis Dei libertas solo amore, quo seipsum diligit, constringitur. Hinc non potest innocentem plectere, media ad fidem idonea non disponere, virtutem prohibere, aut præcipere peccatum, quia ejus æquitati, sapientiæ et sanctitati hæc repugnant. V. g., velle peccatum est velle deordinationem, ac proinde volitio peccati ab eo qui, se amando, summè amat ordinem immutabilem, necessariò excluditur. Pariter velle absolutè finem, et ad eum media idonea non eligere, à sapientiâ alienum est. Sed tamen Deus potuit non creare, quia nihil creando attributis suis refragatus non esset. Etenim etsi mundum condendo et disponendo, creaturas bonorum suorum participes fecerit, sibique gloriam extrinsecam comparaverit, attamen amor attributorum suorum non postulabat ut quidquam produceret, siquidem nulla ejus perfectio augeri aut compleri cujuslibet operis creatione potuit. Si ens supremum creaturas existere non voluisset, non ideò desivisset summè se amare, cùm sibi perfectè sufficiat, nec ullo pacto, ut sit idipsum quod est, creaturis egeat. Et certè, velit nolit Leibnitius, nonne mox ostendimus Deum solâ suâ voluntate liberrimâ ad mundum nec citiùs nec tardiùs creandum potuisse induci? ergo.

Ad quintam, dist.: Deus non esset summè bonus et sapiens, si id non ageret ad quod rationibus bonitatis et sapientiæ prævalentibus intrinsecis inducitur, concedo; si illæ rationes prævalentes sint tantùm majora bonitatis et sapientiæ divinæ argumenta extrinseca, nego. Rationes bonitatis et sapientiæ Dei extrinsecæ, eæ sunt, quibus effectu carentibus, aliquid bonitati et sapientiæ divinæ deesse conciperetur. Rationes eorumdem attributorum extrinsecæ sunt majora eorum signa et testimonia extra Deum existentia. Si Deus nihil creâsset, nulla extra eum extitissent illius bonitatis et sapientiæ argumenta. Si *optimum* opus producere voluit, maxima extra se dedit ejusmodi testimonia. Verùm, sive nihil creâsset, sive minùs perfectum produxisset, non ideò quidquam deesset attributis divinis, siquidem Deus de se optimus et sapientissimus est, nec argumentis ac testimoniis quibuscumque extrinsecis sapientiæ et bonitatis suæ indiget.

Ad sextam, respondeo metaphysicè repugnare Deum velle abstinere à producendo effectu ad quem bonitate et sapientiâ suâ infallibiliter determinatur, quia repugnat metaphysice Deum attributis quæ necessariò amat, refragari. Nec dicas, ut mundus sit contingens, et certò tantùm, non absolutè necessariò existat, satis esse eum in se spectatum posse non existere, seu in ejus ideâ non deprehendi repugnare quòd non existat. Nam 1° evidentissimum est, si ab aliquo opere producendo Deum abstinere repugnaret, ejusmodi opus dicendum fore absolutè necessarium. 2° Nonne ideircò repugnat absolutè Deum mentiri aut præcipere peccatum, quia à mendacio et à præcipiendo peccato suâ veracitate et sanctitate avertitur? atqui tamen mendacium et peccatum in se possibilia sunt, nec involvunt contradictionem; ergo. 3° Si ad *optimum* producendum, Deus sapientiâ et bonitate suâ

certò et infallibiliter induceretur, repugnaret, ut dictum est, optimum à Deo non produci. Si repugnaret optimum à Deo non produci, ergo aliquid contineret natura optimi propter quod repugnaret illud non existere, proindeque ita necessarium esset optimum ut ejus oppositum aliquâ ratione veram repugnantiam involveret. Necessitatem igitur principio *contradictionis* innixam, et infallibilitatem seu certitudinem ex principio *rationis sufficientis* petitam eò loci malè distinguit Leibnitius, cùm ratio sufficiens quam ex attributis divinis hîc desumit, oppositi repugnantiam et impossibilitatem invehat.

Instabis. Etsi Deo tribuenda sit libertas ab imperfectionibus libertati creaturarum annexis defæcata, attamen necesse non est eum esse magis liberum ad creandum, quàm creatura libera est in actibus suis liberis eliciendis; atqui creatura libera non sese determinat ad unum, nisi ratione prævalenti et infallibili ad illud impellatur; ergo.

1° Nego majorem. Disparitas est quòd creatura libera finem suum, beatitudinem et perfectionem suam extra se quærere indigeat Quapropter cùm invincibiliter beatitudinem appetat, necesse est eam magis inclinari versùs objecta quæ quoquo modo meliora apparent. Hinc æquilibrium ponderum et inclinationum essentiale non est libertati creatæ. At verò Deus suum sibi est bonum, suus finis, sua felicitas et perfectio, in se solo sibi necessariò complacet; proindeque voluntatem ejus liberrimam, nulla inclinatio necessaria et præponderans ad creandum potiùs quàm non creandum impellere potuit.

2° Ad minorem respondeo non esse hîc locum expendendi varias theologorum et philosophorum de libertate humanâ sententias. Multis videtur saltem aliquo in statu, aut respectu actuum naturalium, voluntatem creatam posse aliquando unum præ alio velle, ubi non magis ab uno quàm ab alio antecedenter trahitur et allicitur. Alii sentiunt etiam in præsenti statu, hominem æqualiter impulsum à gratiâ ad bonum supernaturale, et à concupiscentiâ ad peccatum, posse poni, dùm hi motus æquales utrinque adhuc manent, unam partem seligere præ aliâ. Sunt qui in isto statu existimant hominem ad duo opposita indeliberatè motum et impulsum; si tunc ad unum eorum se determinet, illud quidem amplecti quo magis allicitur, sed aiunt eum posse à consensu præbendo tunc his in circumstantiis abstinere, quia scilicet potest velle expendere an bonum ad quod ampliùs impellitur, habeat characteres summi boni quod naturaliter appetit. Thomistæ censent creaturam liberam quocumque in statu ad singulos suos actus liberos physicè et infallibiliter præmoveri à Deo; verùm hanc præmotionem arbitrantur non agere per modum motivi, atque eâ statuunt Deum omnipotentem et actum et modum actûs attingere, id est, hujusce auxilii naturam in eo esse positam ut voluntates creatas ad actus liberè producendos infallibiliter applicet. Denique omnes theologi orthodoxi uno ore libertatem constituunt in indifferentiâ activâ ad agendum vel non agendum, ad agendum hoc vel illud; docent, creaturæ liberæ, dùm ad actum determinatur, inesse veram potentiam abstinendi ab hoc actu, omnesque, salvo suo de actione Dei in creaturas et auxiliis gratiæ systemate, libenter concedent libertatem divinam è medio tolli, si, ad creandum quod creavit, immutabilibus sapientiæ suæ et bonitatis legibus Deus inductus fuerit. Quemadmodùm eorum nullus inficiatur absolutè repugnare à Deo præcipi vitium, et virtutem prohiberi.

Instabis 2°: Si Deus ita esset ad creandum indifferens, concipi non posset Deum creare. Resp. Id cognosci non *à priori*, sed ab effectu, nempe quòd dentur entia finita, à seipsis non existentia, et à Deo infinitè perfecto et sibi sufficientissimo planè distincta.

Inst. 3°: Hæc indifferentia ad creandum vel non creandum non est perfectio; ergo Deo tribuenda non est. Nego ant., siquidem illa indifferentia ex infinitate Dei oritur, et eum esse sibi suum bonum, suum finem, suam perfectionem, uno verbo esse sibi sufficientissimum arguit, adeò ut si Deus illâ indifferentiâ activâ non polleret, imperfectus et extra se quidquam necessariò expetens et requirens concipiendus esset.

Instabis 4°: Melius fuit Deum creare quàm non creare, siquidem quæ Deus fecit *bona* sunt; ergo, etc. Dist. ant.: Id est, creando Deus bonitatem extra se communicavit creaturis, quam aliàs non communicâsset, et gloriam accidentalem sibi comparavit, quam aliàs non comparâsset, concedo; id est, creando, Deus suam bonitatem, suam sapientiam, suam perfectionem complevit, veramque suam et essentialem gloriam in cognitione suâ et in amore, quo sua attributa prosequitur, repositam amplificavit, nego. Uno verbo melius est creatis mundum produci quàm non produci, id verò propriè non est melius Deo, quia Deus seipso optimus et perfectissimus est. Tantùm autem abest ut mundum creari quàm non creari eo sensu melius fuerit, quòd sapientiâ et bonitate suâ ad creationem Deus infallibiliter inductus fuerit, ut potiùs Deo melius fuisset mundum ab ipso non creari, quàm hâc ratione produci. Deo enim melius fuisset nihil extra se producere, quàm operari necessariò; siquidem operatio Dei extra se necessaria, hunc solum non esse suum finem, sibique planè non sufficere argueret. Atqui, si bonitate et sapientiâ suâ ad creandum Deus certò et infallibiliter inductus fuisset, necessariò extra se operatus esset, ut dictum est; ergo, etc.

CAPUT II.

Utrùm Incarnatio in hypothesi creationis fuerit necessaria.

Incarnationem ex hypothesi mundi alicujus à Deo condendi necessariò nexam existimavit olim Raymundus Lullus apud Vasquez, in tertiam p. divi Thomæ, disp. 1, cap. 2.

Illud dogma non ita pridem tenuit quoque Malebranchius, Oratorii Jesu sacerdos, scriptor perelegans, et memoratissimus philosophus; cujus systematis,

quod ad rem nostram attinet, summa hæc est. Statuit Deum esse omninò liberum et indifferentem ad creandum vel non creandum, quia, inquit, ens infinitè perfectum solam suam substantiam necessariò amat, sibique sufficientissimum est (1). At verò, si agat extra se, amor necessarius et essentialis quo suam substantiam prosequitur, necessariò exigit, ex Malebranchio, ut opere suo, quantùm fieri potest, attributa sua exprimere intendat, ac proinde ut opus producat perfectissimum, id est, opus quod ratione bonitatis suæ intrinsecæ et simul perfectionis viarum quibus perficiendum est, characterem attributorum divinorum maximè gerat (2). Hoc est totius de providentiâ Dei systematis Malebranchii fundamentum. Quod non significat, advertas velim, unicum esse opus optimum possibile; sed tantùm præsenti rerum universitate et dispositione nullum esse opus possibile perfectius, seu attributis Dei exprimendis magis aptum. Non enim definit Malebranchius plures æqualis perfectionis mundos possibiles non esse, imò expressè docet, si mundi ejusmodi possibiles æquabiliter perfecti dentur, Deum ex illis potuisse pro arbitrio, quem voluerit, exsequi (3).

Jam verò mirum quot ex illo generali principio consectaria ad illustrandam et explicandam Dei providentiam Malebranchius colligat. Quorum unum est, Incarnationem (4) saltem sumptam pro unione alicujus naturæ intelligentis cum personâ unâ divinâ (5), in hypothesi creationis mundi fuisse necessariam, quia sine hoc mysterio mundus non esset dignus, qui ad majestatem divinam referretur, nec infinitatem ejus, ut par est, exprimeret.

Porrò inter Malebranchii doctrinam et systema capite præcedenti expositum, quod post Malebranchium Leibnitius adornavit, triplex juvat annotare discrimen. Juxta Malebranchium, 1° Deus potuit nihil creare; 2° ex pluribus mundis possibilibus æqualiter perfectis, unum producere potuit aliis non productis; 3° necessitas, quâ Deus propter sapientiam suam et attributorum suorum amorem ad aliquid agendum adigitur, cum libertate compati nequit; proindeque in hypothesi quòd quidquam extra se producat, liber non est ad producendum opus minùs perfectum. Contra Leibn. 1° et ad creandum et ad creandum optimum, sapientiâ et bonitate suâ, Deum certò et infallibiliter inductum fuisse statuit. 2° Inter infinitos mundos possibiles, unicum agnoscit opus optimum, id est, unicum opus quo nullum perfectius esse possit. 3° Libertatem ita conatus explicare, ut hujus notio possit Deo sapientiâ et bonitate suâ certò et infallibiliter ad agendum inducto attribui; quapropter retinet libertatis divinæ nomen; reipsà tamen Deus in ejus systemate absolutè mundum hunc non creare non magis potuit, quàm in systemate Malebranchii potest, si agat, attributa sua nolle quàm maximè exprimere. Quippe Leibnitius, ut ostensum est, veram et absolutam necessitatem à Deo reverà non removet, sed tantùm necessitatem cæcam. Libentissimè fatentur theologi Incarnationem esse opus perfectissimum, quod à Deo fieri possit (Vide S. Th. p. 3, q. 1, a. 1, in corp., et Suarez. Comment. ad hunc locum), illoque mysterio rerum universitati maximum decorem et homini bona eximia afferri censent. Sed tamen non dubitant potuisse Deum creationem decernere, quin illud mysterium peragere intenderet. Imò, teste de Lugo, *de Incarn.* disp. 1, sect. 2, sententiam Lulli ut temerariam notant.

Conclusio. Incarnatio mundo et homini licet convenientissima, in hypothesi tamen creationis simpliciter necessaria non est.

Probatur prima pars, nempe mundo et homini incarnationem fuisse convenientissimam. Illud enim mundo et homini maximè convenit, quo bona summa homini allata sunt, et à quo rerum universitas et dispositio decorem maximum consequuntur. Atqui, etc.

1° Incarnatione summa bona supernaturalia homini allata sunt; namque Incarnatione 1° natura humana in Christo exaltata est et sublimata ad summum dignitatis fastigium, ut docet S. Augustinus lib. de Prædest. SS. cap. 15. 2° Doctrinâ cœlesti imbuti sumus *Deo loquente nobis in Filio,.... per quem fecit et secula*, Hebr. 1, v. 2. 3° Reparata est per Christum natura nostra, quæ depravata erat et perdita, Rom. 3, v. 24 et 25. 4° Redempti sumus et liberati à servitute dæmonis et à peccato, et assecuti fuimus gratiam sanctificantem, quâ *filii Dei* efficimur ejusque *hæredes,..... cohæredes autem Christi*, Rom. 8, v. 17. 5° Virtutum omnium exempla nobis dantur, maximè verò religionis et obedientiæ Deo debitæ, cui sese in victimam Homo-Deus obtulit, *factus obediens usque ad mortem*, Philip. 2, v. 8, tum amoris erga homines exercendi, quos *usque in finem* Christus *dilexit*, Joan. 13, v. 1, necnon bonorum et malorum temporalium despicientiæ, quam paupertas et passiones Christi commendant, ac tandem humilitatis, quam in remedium innatæ nobis superbiæ Christus toto suæ mortalis vitæ decursu magnoperè coluit. *Quæ superbia sanari potest*, ait S. Augustinus, lib. de Agone christiano, cap. 11, n. 12, *si humilitate Filii Dei non sanatur? Quæ avaritia sanari potest, si paupertate Filii Dei non sanatur? Quæ iracundia sanari potest, si patientiâ Filii Dei non sanatur?* Lege caput integrum. 6° Patefactus est nobis aditus facilis ad Deum; *advocatum* enim *habemus apud Patrem Jesum Christum justum: et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi*, 1 Joan. 2, v. 1; ergo, etc.

(1) *Traité de la nature et de la grâce*, second discours, art. 50, 51, 52, 53, 54. *Ecrit contre la Prévention*, t. 4, Resp. ad Arnaldum, edit. 1709, pag. 136, 138. *Entretien* IX *sur la Métaphysique et sur la Religion*, etc.

(2) *Traité de la nature et de la grâce*, premier discours 13, 14, 15. *Ecrit contre la Prévention*, t. 4 des Rép. à M. Arnauld, édit. 1709, pag. 130, 131. *Entretiens sur la Métaphysique et sur la Religion*, ent. IX, etc.

(3) *Ecrit contre la Prévention*, ubi sup. pag. 156, 180, 181. *Entret. sur la Métaph. et sur la Relig.*, entret. IX, n. 10, pag. 369, edit. Paris, 1732.

(4) *Traité de la nature et de la grâce*, 1 discours art. 2 et 3; troisième éclaircissement sur ce Traité. *Ecrit contre la Prévention*, ubi sup. pag. 159. *Entret.* IX *sur la Métaph.*, etc., n. 6, p. 350 et seq.

(5) *Entret. sur la Métaph. et sur la Rel.*, entr. IX, n. 5, p. 348, 349, 350.

2° Rerum universitati et dispositioni magnum decorem attulit Incarnatio : nempe maxima mundi hujus perfectio, seu, quod idem est, ratio præcellens quâ Dei perfectiones opus ejus exprimit, ex eo oritur quòd præsens rerum universitas et dispositio hoc mysterium includat. Si enim Incarnatio spectetur in se et quantùm ad substantiam, jam capite præcedenti monstrata est bonitatem et perfectionem divinam, necnon supremam potentiam et sapientiam summo modo exprimere. Si autem in ordine ad cætera omnia, seu visibilia, seu invisibilia, seu præsentia, seu futura, seu terrestria, seu cœlestia consideretur, mirum quæ in hæc omnia perfectio, quæ attributorum Dei exprimendorum potestas ex hoc mysterio derivetur. Quod argumentum paucis tantùm attingam : 1° unio hypostatica personæ divinæ cum naturâ aliquâ spiritu et corpore constitutâ, rerum universitati quæ ex spiritibus et corporibus tota coalescit, sanctitatem quamdam summamque dignitatem confert, quâ Dei, ad quem omnia referuntur, sanctitas et infinitas mirum in modum elucescunt. 2° Incarnatio id decoris universo tribuit, cunctis videlicet præesse et imperare Deum-Hominem, qui et ipse secundùm naturam suam creatam, et actus infiniti valoris quos per eam elicit, Deo sit subjectus et ad eum referatur. *Constituit* (Christum Deus), inquit Apostolus, *ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro. Et omnia subjecit sub pedibus ejus; et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quod est corpus ejus, qui omnia in omnibus adimpletur*, Ephes. 1, v. 20 et seqq. Et alibi : *Omnia vestra sunt; vos autem Christi; Christus autem Dei.* 1 Cor. 3, v. 22 et 23. 3° Non nisi ab Incarnatione, Angeli, ut homines, habent quòd juncti Christo capiti suo, possint cultum infiniti valoris Creatori suo exhibere. Atque ex Scripturis novimus templi illius magnifici et æterni quod ex omnibus beatis mentibus et hominibus justis Deus construere destinat, lapidem angularem, sacerdotem summum, maximumque decus et ornamentum futurum esse ipsum Christum Jesum ; in quo et per quem omnes sancti Deo in omni æternitate reddituri sunt honores ejus majestati proportionatos. 4° Redemptio hominum, gratiæ ipsis etiam ante Christum collatæ, sacramentorum vis et efficacia, gentium vocatio et conversio, Ecclesiæ institutio, ædificatio, et stabilitas, uno verbo omnia vitæ æternæ consequendæ media, ipsaque æterna vita ex satisfactionibus, meritis et efficaci operatione Christi oriuntur. Quàm meritò igitur ipse exclamat Joan. 6, v. 13 : *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam!* Et Apostolus, *Eph.* 1, v. 9 et 10 : *Proposuit* (Deus), inquit, *in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo quæ in cœlis et quæ in terrâ sunt, in ipso.* 5° Lapsum hominem erigendo et reparando per Incarnationem, Deus eximiâ ratione misericordiam, justitiam, sapientiam, sanctitatem potentiamque suam expressit ; misericordiam quidem et bonitatem, dùm hominis miserius, *misit Filium suum.... ut salvetur mundus per ipsum*, Joan. 3, 17 ; justitiam, dùm *Filio proprio*, qui in se iniquitates nostras expiandas susceperat, *non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, Rom. 8, 32 ; sapientiam, dùm accuratissimæ justitiæ simul cum summâ misericordiâ conciliandæ viam adinvenit salvis utriusque juribus ; exigendo scilicet pœnas à Christo qui sese sponsorem nostrum constituerat, et peccata hominibus persolvendæ debitæ satisfactioni imparibus remittendo ; ubi adimpletum vaticinium Davidis, Psal. 84, v. 11 : *Misericordia et veritas obviaverunt sibi ; justitia et pax osculatæ sunt.* Expressit sanctitatem suam, dùm in odium et ultionem peccati, adeò severas à Christo vade nostro pœnas repetiit. Denique omnipotentiam suam, non modò ipsam Incarnationem tot bonorum fontem operando expressit, sed etiam gratiâ suâ quæ hujus mysterii fructus est, corda hominum subigendo, et sanctos ex peccatoribus creando ; ergo maxima hujus mundi perfectio, seu, quod idem est, ratio præcellentior quâ mundus characterem attributorum divinorum gerit, ex Incarnatione oritur.

Prob. secunda pars, scilicet in hypothesi creationis hoc mysterium non esse simpliciter necessarium. Primum argumentum ex iis Scripturarum et SS. Patrum petitur testimoniis, quibus Incarnatio Verbi divini nobis, ut pignus eximii amoris et summæ Dei erga homines misericordiæ argumentum exhibetur, atque ut divinum beneficium ad eos liberandos et redimendos concessum. Duplici capite sequenti multa ejusmodi loca afferemus. Atqui, licet ex ejusmodi testimoniis colligi non posset unicum Incarnationis finem fuisse redemptionem generis humani, de quo aliquando disseremus, iis tamen hoc saltem significatur Deum potuisse creare, quin Incarnationis mysterium etiam quantùm ad substantiam peragere in animo haberet.

Secundum argumentum in istâ ratione theologicâ positum est : Opus supernaturale non est simpliciter necessarium in hypothesi creationis mundi ; siquidem creatio id unum secum importat et necessariò includit, nempe creaturis illud à Deo concedi quod earum natura continet et exigit. Atqui Incarnatio est opus supernaturale ; nulla enim esse potest creatura intelligens, quæ suâpte naturâ hypostaticam cum Verbo divino unionem postulet ; ergo, etc.

Tertium argumentum in principiis Malebranchii labefactandis penè totum versatur. Si Incarnatio creationi necessariò connexa esset, vel hæc connexio necessaria ab ideâ operis cujuslibet possibilis in se sumpti, vel à Deo ipso repeteretur ; atqui non ab ideâ operis cujuslibet possibilis in se sumpti ; non enim inficiatur Malebranchius (quod aliàs per se manifestissimum est) dari infinitas rerum dispositiones et mundos possibiles, id est, nullam ratione sui repugnantiam involventes, quibus Incarnatio non continetur.

Neque ab ipso Deo ulla deduci potest necessaria Incarnationis cum creatione connexio. Etenim connexio ejusmodi à Deo repeti nequit, nisi vel gloria

accidentalis seu extrinseca quæ ex creatione in Deum redundat, vel gloria ejus essentialis, vel ordo immutabilis eam concipiantur certò adstruere et demonstrare. Nullum autem horum dici potest. 1° Gloria accidentalis quam ex creatione Deus percipit, connexionem aliquam necessariam Incarnationis cum creatione non adstruit. Namque ejusmodi gloria accidentalis et extrinseca in hoc consistit, quòd à creaturis intelligentibus Deus cognoscatur, laudetur, ametur, quòdque ab omnibus suis operibus aliquo modo exprimatur. Atqui, etiamsi 1° gloria ejusmodi maxima Deo per Incarnationem tribuatur; etiamsi 2°, ens supremum cum suis creaturis intelligentibus à gloriâ sibi reddendâ, seu à cultu sibi debito dispensare non possit, quippe quem ordo immutabilis, à quo voluntas divina recedere non potest, Deo exhiberi præscribit; etiamsi denique Deus velle nequeat opus attributorum suorum characterem nullo pacto exprimens, siquidem seipsum negare non potest; attamen non idcircò in hypothesi quòd creet, tenetur Incarnationem peragere. Quid ita? quia sibi sufficientissimus, et gloriâ extrinsecâ quâcumque non indigens, ut sæpè monet ipse Malebranchius, et ex Scripturis, ex universâ traditione (1), et ex manifestâ ratione certissimum est, non tenetur, sicut mox liquebit, etiam in hypothesi quòd creet, illud producere, ex quo gloriam accidentalem et extrinsecam quàm maximam consequi possit; ergo gloria accidentalis, quæ ex opere condendo in Deum redundare debet, necessariam aliquam Incarnationis cum creatione connexionem non evincit.

2° Gloria Dei essentialis ejusmodi connexionem pariter non adstruit. Eatenùs enim gloria Dei essentialis Incarnationem ex hypothesi creationis nexam esse ostenderet, quatenùs postularet ut Deus in hâc hypothesi produceret opus sua attributa quoad potest exprimens, id est, opus quod, reverà et judice Deo ipso, maximum esset divinæ perfectionis testimonium et argumentum; atqui gloria Dei essentialis id non postulat. Nam gloria Dei essentialis est judicium quod Deus fert de seipso, quo scilicet Deus pronuntiat se utpote infinitè perfectum, esse sibi suum unicum finem, unicam et summam perfectionem suam et felicitatem. Huic judicio essentialiter annectitur amor necessarius quo Deus in se sibi summè complacet, quique, etsi infinitus, suo tamen objecto totus expletur et adæquatur. Hoc porrò judicium et ille amor non exigunt ut Deus, in hypothesi quòd creet, producat opus sua attributa quoad potest exprimens. Etenim tantùm abest ut Deus, in hypothesi creationis, ideò sua attributa maximè exprimere teneatur, quia judicat se esse sibi suum finem, suam perfectionem et felicitatem, ac proinde undequàque sibi sufficientissimum, ut potiùs ejusmodi judicio pronuntiare intelligatur se perinde esse infinitè beatum et perfectum, seu magis, seu minùs attributa sua creando exprimat. Pariter tantùm abest ut amore infinito quo suam substantiam diligit, ad sua attributa maximè exprimenda, posito quòd agat, adigatur, ut potiùs is amor utpote suo objecto expletus, non possit ullâ naturali necessitate ad aliquid extrinseci expetendum ferri; ergò, etc.

Et verò si gloria essentialis seu judicium quod Deus fert de seipso et amor quo in se solo sibi summè complacet, exigerent ut Deus in hypothesi creationis, opere suo seipsum quoad potest exprimeret, vel hanc sese exteriùs proferendi et exprimendi rationem expeteret ut finem suî saltem partialem, aut ut medium, vel ne sua attributa negaret. Non primum, quippe Deus quâcumque in hypothesi se esse ens infinitè perfectum, se sibi esse suum unicum finem, necessariò cognoscit, ut diximus, seque solum ideò amore infinito et essentiali diligit.

Non secundum, siquidem opus quodvis à Deo productum quantùmlibet exprimat ejus attributa, medium non est, quâcumque in hypothesi, augendæ divinæ perfectioni idoneum; nec ad amplificandum cognitionem et amorem quibus seipso Deus fruitur, et summè beatus redditur, ullo adjumento esse potest.

Non denique tertium: fatemur quidem Deum non posse sua attributa negare; at, ut sua attributa negare intelligeretur, censemus eum concipiendum esse aliquid velle suis attributis oppositi. V. g., non potest velle peccatum, quia illa voluntas repugnaret ejus sanctitati; non potest velle fallere, quia id repugnaret ejus bonitati et veracitati; non potest innocentes plectere, quia id repugnaret ejus æquitati et justitiæ; non potest creaturas intelligentes à cultu sibi debito eximere, quia id repugnaret ordini immutabili; non potest earumdem creaturarum nolle esse finis ultimus, quia id repugnaret ejus infinitati; non potest, cùm finem sibi proponit, media ad hunc finem aptissima non disponere, quia id repugnaret ejus sapientiæ; non potest producere opus quod sua attributa nullo pacto exprimat, quia opus attributa divina nullo pacto exprimens esset undequàque malum et iis dissentaneum; quidquid enim extra Deum boni est, imperfecta quædam sit necesse est ejus attributorum participatio; uno verbo quodcumque voluntatem amori attributorum divinorum contrariam denotaret, illud à Deo intendi nequit. Verùm, de his sic statuendo, simul propugnandum est Deum circa reliqua esse liberrimum. Se solum Deus amat necessariò. Solo igitur substantiæ suæ seu attributorum suorum amore vinciri potest, proindeque censendus est posse, quidquid illæsis suis attributis potest velle. Jam porrò, si Deus produxisset opus attributa sua minùs exprimens, non ideò conciperetur attributa sua læsisse, seu voluntatem iis gessisse contrariam. Sic enim arguere est: Deus attributa sua opere quodam minùs perfectè exprimendo quàm alio potuisset, non ideò iis oppositam

(1) Psal. 15, v. 2, Jacob. 1, v. 5, S. Justinus, vel alter antiquissimus scriptor in Epistolâ ad Diognetum, n. 3, edit. novæ Op. S. Just. pag. 315. Tertull. de Orat. cap. 3, n. 3, p. 150, ed. Paris. 1673, ad hæc verba orationis Domin.: *Sanctificetur nomen tuum*. S. Cypr. de Orat. Domin. ad eamdem sententiam, p. 207 ed. regiæ 1726. S. Augustinus lib. 15 Confess. cap. 1, 2, 4, idem in Epist. 102 *ad Deo gratias*, n. 17, et epist. 138 ad Marcellinum, n. 6. S. Th. 1 p., q. 19, art. 2 et 4, et quæst. 44 art. 4, etc.

voluntatem gereret, modò 1° attributa sua minùs exprimendo, ea tamen verè exprimat, ac proinde velit aliquid iis conforme et consentaneum, et 2° hæc attributa quàm maximè exprimi non postulent. Atqui 1° Deus, attributa sua minùs perfectè exprimendo, ea tamen aliquâ ratione expressisset, ut per se liquet, proindeque voluisset aliquod opus iis conforme et consentaneum. 2° Attributa divina etiam in hypothesi creationis quàm maximè exprimi non postulant; siquidem nihil minùs perfecta et summa sunt, seu magis, seu minùs exprimantur; ergo.

Itaque inter ista duo extremè opposita : Deum videlicet quodam opere attributa sua negare, et eadem quàm maximè exprimere, duo quædam quasi media concipiuntur; nempe eumdem potuisse 1° nullo pacto perfectiones suas exteriùs exprimere, nihil scilicet creando; 2° eas exteriùs exprimere et proferre aliquo modo tantùm, id est, opere non tam perfecto quàm ab eo produci potuisset. Atque, quemadmodùm ens supremum, utpote sibi sufficientissimum, potuit, quin seipsum negaret, nullo opere sua attributa promere et manifestare extra se; eâdem ratione potuit, iisdem attributis suis illæsis, producere opus minùs perfectum, eorumque characterem minùs perfectè gerens. Mundum igitur perfectissimum, inprimis verò Incarnationem ex hypothesi operis creandi necessariò nexam esse non postulat gloria Dei essentialis.

3° Tandem, neque hanc connexionem ordo immutabilis exigit. Nam id unum ordo immutabilis exigit, ut existentium habeatur ratio pro vario eorum perfectionis gradu, ac proinde ut Deus, in hypothesi quòd creet, propter seipsum agat, minùs perfecta ad perfectiora, et universa ad seipsum ut ad eorum ultimum finem referat. Atqui, ex eo quòd Deus omnia ad seipsum ut ad ultimum eorum finem referre debuerit, non sequitur Incarnationem esse necessariò ex creatione nexam. Aliud est enim Deum teneri omnia referre ad seipsum, aliud est eum teneri, si creet, producere opus perfectissimum quod ad seipsum referat. Si non referret quæ facit ad seipsum, negaret sua attributa, quia vel seipsum summè perfectum non haberet, quod ejus infinitati et scientiæ adversatur; vel minùs perfectum, creaturam scilicet ad perfectissimum non referret, quod cum ordine immutabili apertissimè pugnat. Ut verò teneretur, in hypothesi creationis, opus perfectissimum, quod ad se referret, producere, necesse foret Deum secundùm leges ordinis immutabilis idcircò debere omnia ad seipsum referre, quòd rebus creatis aliquâ ratione indigeret. Atqui non ideò ordo exigit ut Deus ad seipsum omnia referat quòd iis indigeat; sed tantùm quia ipsi ut enti supremo et perfectissimo omnia debentur, et ad eum omnia pertinent; ergo, etc.

Solvuntur objectiones. — Obj. adversùs primam conclusionis partem. Perfectiones Divinitatis in Incarnatione obscurantur, quod factâ aliquâ enumeratione facilè probaretur; ergo nullo modo conveniens fuit Incarnatio. Ita infideles et increduli. Distinguo ant. Obscurantur, judicio rationis humanæ ex sensuum et imaginationis affectu judicantis, concedo; judicio rationis rectæ et fide illustratæ, nego. *Animalis homo*, inquit Apostolus, 1 Cor. 2, v. 14, *non percipit ea quæ sunt Spiritûs Dei; stultitia enim est illi, et non potest intelligere; quia spiritualiter examinatur.* Non quærimus quid de Incarnationis Mysterio ex modo quo peractum est, homines impii, increduli et *carnales*, sentiant; sed quid illud reipsà sit? an decorem maximum, in quo Deus sibi complaceat, reverà afferat mundo, seu an attributa divina splendidè exprimat? Ut verò de ejusmodi quæstione judicet mens humana, à sensibilibus et terrenis se avocet, et ad fidei christianæ doctrinam sese erigat, necesse est. Licet autem nonnisi valdè imperfecta illius mysterii idea nobis concessa sit, multæque ejus eximiæ appendices nos in hâc vitâ prorsùs lateant, attamen ex fidei placitis jam manifestè deduximus perfectiones divinas in eo mirum in modum coruscare, quod et postea non uno in loco adhuc observabitur. Unde colligere, est quantùm reverà et Deo ipso judice, hoc mysterium characterem attributorum divinorum referat.

Quòd si externâ Christi abjectione et demissione offendaris, cogita eum ita venire debuisse ut munia servatoris impleret, nempe ut pro peccatis nostris pateretur et satisfaceret, ut bonorum temporalium quibus à salute avertimur, nostris animis contemptum instillaret, ut *concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum*, seu divitiarum sitim *et superbiam vitæ* exemplis coerceret et sanaret. Dùm autem voluntariâ demissione se esse hominem ostendit, quantum gloriæ splendorem in eo deprehendit fides! Concipitur, inquit Turnelius, eâ de re observationes Patrum eloquenter contrahens, concipitur quidem in carne, sed de Spiritu sancto, sed ex Virgine. In humili et obscuro loco pannis involvitur; sed præcones habet Angelos, et à regibus adoratur. Vivit pauper et abjectus; sed stupenda operatur, ac in monte coram discipulis transfusâ in corpus suum Divinitatis glorià, se Deum esse manifestè comprobat. Baptizatur à Joanne, sed de cœlo clamat Pater : *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi benè complacui.* Esurit in deserto; sed ministros habet Angelos. Rapitur à militibus; sed eos priùs voce prosternit, et auriculam Malcho restituit. Ligari se permittit; sed penès ipsum est rogare Patrem ut duodecim mittat in suî defensionem legiones Angelorum. Cruci affigitur; sed terra concutitur. Moritur; sed obscuratur sol, sepulcra aperiuntur, mortui reviviscunt. Sepelitur; sed propriâ virtute resurgit, in cœlum ascendit, Spiritum sanctum ad suos mittit. Atque ita, ut se Deum simul et hominem probet, quasi alternis vicibus et Divinitas humanitatem illustrat, et humanitas Divinitatem obscurare videtur. Lege Epistolam 137, aliàs 3, S. Augustini ad Volusianum, in quâ præcipuè dissolvit momenta quæ adversùs Incarnationem sibi proposita fuerant.

Obj. contra secundam partem 1° auctoritatem quorumdam Patrum, quæ meliora sunt à Deo produci affirmantium. *Credamus*, inquiunt Patres concilii

Francofordiensis anno 794 in *Epistolâ* ad Hispaniæ episcopos, *credamus Deum omnia velle quæ meliora sunt.* S. Augustinus, lib. 3 *de libero Arbitrio*, cap. 5 : *Quidquid*, ait, *tibi verâ ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum, tanquàm bonorum omnium conditorem.* Lib. *de Quantitate animæ*, cap. 33, n. 73 : *Justitiâ summi Dei factum est ut non modò sint omnia, sed ita sint ut omninò meliùs esse non possint.* Et lib. 1 contra Adversarios legis et proph. cap. 14 : *Usque adeò desipiendum est ut homo videat aliquid meliùs fieri debuisse et hoc Deum vidisse non putet; aut putet vidisse, et credat facere noluisse; aut voluisse quidem, sed minimè potuisse?* Atqui nisi Deus Incarnationem peregisset, non fecisset quæ meliora sunt; ergo ex hypothesi condendi mundi necessaria fuit Incarnatio. — Dist. ant.: Affirmant quidam SS. Patres Deum facere quod est melius in ordine ad bonum universi, et finem quem sibi præfixit, concedo : quod melius est absolutè, et ita ut Deus ab eo faciendo abstinere non potuerit, nego. Locis objectis S. Augustinus adversùs Manichæos disputabat, non de mysterio Incarnationis, et aliis supernaturalibus religionis nostræ mysteriis, sed de ordine naturæ et malis quæ in isto ordine deprehendere nobis videmur, ex quibus Manichæi inferebant dari malum aliquod principium. Hos refellebat S. doctor, tum quia mala ejusmodi adeò non officiunt bonitati divinæ, ut semper sint quid melius in ordine ad bonum universi quod ex variis rerum et perfectionum gradibus efflorescit; tum quia credendum est *Deum fecisse quod verâ ratione à se faciendum fuisse cognovit, etiamsi hoc in rebus factis* (humana anima) *non videt;* tum quia largissima Dei bonitas adhuc esset laudanda, etiamsi aliquo inferiore creaturæ gradu nos condidisset. Vide lib. 3 de lib. Arbitrio, cap. 5, t. 1, pag. 614 et seqq. Itaque tantùm abest ut S. doctor definiat Incarnationem esse necessariam in hypothesi mundi alicujus creandi, vel mundum esse ita perfectum ut perfectior dari nequeat, vel circa producendum opus aliud in se minùs perfectum, Creatorem non fuisse liberum; ut potiùs has quæstiones ne leviter attingat. Imò verò in Enchiridio ad Laurentium cap. 95, t. 6, p. 131, et aliis in locis tradit multa à Deo effici potuisse quæ non operatus est. Quod et alii SS. Patres passim et sæpè docent, quorum testimonia legere est apud Petavium, lib. 5 de Deo, cap. 6.

Objicies 2° cum Raymundo Lullo : Sine Incarnatione mundus careret maximâ perfectione. Præterea agens perfectissimum, qualis est Deus, posito quòd operetur, debet opus perfectissimum producere, ac proinde Incarnationem ; ergo ex hypothesi creationis Incarnatio necessaria fuit. — Ad primum, distinguo : Careret maximâ perfectione ordinis supernaturalis, ac proinde cum operis alicujus naturalis creatione non necessariò connexâ, concedo; secùs, nego. Ad secundum, pariter distinguo : Debet producere opus perfectissimum, si necessariò agat, concedo; si liberè, subdistinguo : In ordine ad consilium suum et finem quem sibi præfixit, concedo; perfectissimum in se, seu quo nullum perfectius dari possit, nego. Deus non eget illâ glorià extrinsecâ quam ex opere magis vel minùs perfecto consequi potest; proindeque consilia sua debet quidem exequi modo perfectissimo, sed non tenetur operis perfectissimi condendi consilium capere. Ratio est quia solo substantiæ suæ et attributorum suorum amore essentiali et necessario constringitur et vincitur, ut jam explicatum est.

Obj. 3° cum Malebranchio : Deus seipsum solum necessariò amat, solam suam substantiam, sola sua attributa essentiali et necessario amore prosequitur; ergo, si agat, necesse est ut opere et agendi ratione suâ simul, id est, ut opere viis conjuncto, attributa sua exteriùs quàm maximè exprimat. Si enim Deus produceret opus quod junctum viis attributa divina minùs exprimeret, ergo in opere minùs perfectè attributa sua exprimente, sibi ampliùs complaceret quàm in altero iisdem exprimendis magis apto; non ageret proinde secundùm illud quod est, secundùm amorem summum et necessarium quo sua tantùm attributa diligit. Deus igitur in hypothesi quòd agat, producit opus quod viis conjunctum ita perfectum est, ut nullum perfectius dari possit. En summa argumenti præcipui quo fundamentum sui systematis adstruere multis in locis Malebranchius nititur. Unde aliquando colligit Deum non potuisse creare quin Incarnationem quantùm ad substantiam peragi voluerit. — Nego conseq. Imò cùm Deus seipsum solum necessariò amet, ac proinde sibi solus sit finis suus, sua perfectio, sua felicitas, statuendum est eum posse, illæsis suis attributis, ea velle minùs vel magis extra se exprimere. Amor enim essentialis quo Deus sua sola amat attributa, nequaquàm postulat ut id efficiatur quo nullo pacto indigent, sed tantùm ut voluntas divina, operando ad extra, iis consentanea sit et nihil iis contrarii intendat. Atqui evidens est attributa divina, eo ipso quo sunt unicus Dei finis, et tota ejus perfectio et felicitas, non egere magis vel minùs exprimi. Evidens est pariter Deum gerere voluntatem iis consentaneam, non oppositam, ubi ea exprimit, etsi minùs perfectè; ergo, etc. Ad probationem, nego conseq. Amor quo Deus sibi in aliquo objecto complacet, duplex est : alter necessarius, quo sibi complacet in seipso et in omnibus possibilibus, prout ipsi sapientiâ suâ exhibentur, et ab omnipotentiâ produci possunt, atque attributis divinis magis vel minùs perfectè exprimendis et participandis apta sunt; alter amor non est absolutè necessarius, is nempe est quo Deus in operibus à se exteriùs liberrimè productis sibi complacet. Fatendum est Deum in opere possibili quod ejus attributa magis exprimere posset, sibi necessariò et absolutè ampliùs complacere, quàm in opere possibili imperfectiori. Pariter si duo opera existerent, ratione sui et viarum, aliud magis, aliud minùs substantiam divinam exprimentia, Deus in illo magis quàm in isto sibi complaceret. At si unicum opus existat, illudque minùs exprimat divina attributa, quàm ab altero quodam opere possibili exprimi possent, numquid idcircò Deus in opere minùs attributa sua exprimente, ampliùs quàm in altero quod

ea magis referret, sibi complacere dici poterit? minimè. Quid ita? quia complacentia divina quæ habet pro objecto opus productum, hâc ratione conferri non potest nisi cum complacentiâ habente pariter pro objecto aliud opus productum, quod ex hypothesi nullum est. Nec quæri potest an Deus sibi magis complaceat in opere aliquo liberè à se creato, quàm sibi absolutè et necessariò complacet in aliquo possibili perfectiori, siquidem ejusmodi complacentiæ sunt rationis diversæ et disparatæ, ac proinde ad se invicem non comparandæ. Hoc unum verum est, complacentiam Dei in operibus magis vel minùs perfectis quæ creavit, respondere, si ita loqui fas est, complacentiæ quam necessariò habet circa eadem ut possibilia; atque opus existens quod magis exprimeret attributa divina, plus placiturum Deo, quàm opus aliud etiam productum ea minùs exprimens.

At, inquies, si ex eo quòd Deus seipsum amore summo et essentiali diligat, sequitur eum in opere possibili, ad attributa divina exprimenda magis idoneo sibi ampliùs complacere quàm in alio possibili minùs perfecto, nonne eodem sui amore essentiali inducetur (si agat) ad producendum opus perfectius, et exprimendis suis attributis aptius? ergo. — Nego ant. Deus lege ordinis immutabilis tenetur unumquodque objectum amare prout amabile est. Hæc lex ex summo amore, quo suam substantiam diligit, derivatur. Deus seipsum essentialiter diligit; ergo sibi magis (et quidem necessariò et absolutè) complacebit in aliquo possibili quod substantiam divinam magis imitari et participare potest, quàm in alio possibili imperfectiori. Pariter, si duo opera ab ipso condantur, magis sibi complacebit in perfectiori quod perfectiùs exprimitur, quàm in minùs perfecto. Non posset aliam gerere voluntatem, quin judicaret minùs perfectum esse amabilius magis perfecto, creaturam magis attributa sua participantem esse inferiorem creaturæ eadem attributa minùs participanti; quin proinde semetipsum negaret. At verò, ut dictum est, cùm Deus infinitus, qui sibi suus finis, sua perfectio, sua felicitas est, et sibi undequàque plànè sufficit, nullo pacto indigeat sua attributa exprimi magis vel minùs, exprimi vel non exprimi, siquidem seu aliquo opere exprimantur, seu non promantur exteriùs, eadem illa manent summa et infinitè perfecta; planum est quòd iis voluntatem oppositam non gessisset, 1° si ea nullo opere voluisset exprimere, nihil scilicet extra se producendo; 2° si ea opere minùs perfecto expressisset. Recole quæ inter probationes conclusionis diximus.

Objicies 4° cum eodem (1) : Inter mundum et actionem quâ productus est, debet esse aliqua relatio; atqui actio quâ mundus è nihilo eductus fuit, divina est et pretii infiniti; mundus verò, quantumlibet perfectus supponatur, non est infinitè amabilis, nec Deo potest honorem eo dignum exhibere; ergo Christum à reliquis separa creaturis, et perpende an Deus qui propter solam suam gloriam potest operari, et cujus sapientia est infinita, possit quidquam extra se producere. — Dist. Inter mundum et actionem quâ productus est debet esse relatio habitudinis, relatio scilicet effectûs ad actionem quâ producitur, concedo; entitatis, quasi tanta esse deberet entitas et perfectio mundi, quanta est entitas et perfectio actionis divinæ quâ mundus productus est, nego. Meritò dicitur perfectionem causæ efficientis minorem non posse esse perfectione effectûs quem producit, quippe effectus in causâ suâ virtualiter contineatur necesse est. At nullo argumento probari potest tantam oportere esse mundi creati realitatem, quanta est realitas actionis divinæ quâ producitur. Quid quòd, ne posito quidem mysterio Incarnationis, verè dici potest actio divina opere quod produxit adæquata? Nam actio Dei physicè et ratione entitatis suæ infinita est. In Incarnatione verò persona quidem infinita est, sed non producitur; natura autem humana assumpta à Verbo, et quæcumque in eâ peraguntur, sive ad unionem hypostaticam constituendam, sive ut appendices ipsius, hæc quantùm ad entitatem finita sunt; ipsæ actiones, quibus Christus Patrem suum colit et pro nobis satisfecit, physicè et secundùm entitatem finitæ sunt, utpote à naturâ ejus humanâ elicitæ; pretium autem quod ex dignitate personæ Christi illæ actiones consequuntur, non est quid physicum, sed morale, ac proinde nonnisi in genere moris infinitum est. Porrò quod infinitum est duntaxat in genere moris, adæquatne perfectionem actionis quantùm ad entitatem infinitæ?

Instabis cum eodem Malebranchio (1) : Nulla est proportio inter finitum et infinitum; ergo mundus finitus nullam ad Deum infinitum relationem habere potest. Sed mundus esset finitus nisi ipsi persona aliqua divina uniretur per assumptionem alicujus creaturæ intelligentis; ergo. Præterea, mundus finitus perfectioni Dei essentiali, nempe ejus infinitati, exprimendæ impar esset. Deus igitur non posset in hoc opere sibi complacere; ergo illud creando, semetipsum negaret. Deinde mundus profanus dignus non est qui ad Deum sanctum referatur, ipsi placere non potest; persona igitur divina quæ illum sanctificaret, ipsi uniri necesse fuit. Denique Deus propter gloriam suam omnia operatur, quod ratio demonstrat, et ex Scripturis patet : *Universa propter semetipsum operatus est Dominus*, Prov. 16, v. 4. Debuit ergo persona divina aliquam naturam intelligentem assumere, ut dignitas infinita mundo conferretur, et majestas divina gloriam ex eo, non negatâ suâ infinitate, percipere posset. — Ad primum, disting. Nulla est proportio entitatis, concedo; habitudinis, nego. Mundus plànè finitus naturâ suâ ad Deum, à quo conditus esset, referretur, atque hunc ad seipsum Deus referret illæsis suis attributis. Namque opus creatum ad seipsum non ideò refert Deus, quòd eo ullâ ratione indigeat, sed quia omnia ipsi debentur, omnium habet dominium,

(1) *Traité de la nature et de la grâce*, 1 disc., n. 3. *Entretiens sur la Métaph. et sur la Rel.* Entr. IX, n. 5.

(1) *Entretiens sur la Métaph. et sur la Rel.* n. 5.

et quia minùs perfectum ad perfectissimum referri ordo immutabilis postulat.

Ad secundum, fatemur infinitatem divinam splendidissimè, et mirabiliter exprimi, dùm mundus cui Incarnatio valorem infinitum tribuit, ad Deum ut ad omnium principium et ultimum finem refertur, nec tamen ejus opes, ejus perfectionem aut felicitatem auget. Verùm, nobis etiam concedatur mundum undequàque finitum, suo etiam modo, etsi minùs perfectè, infinitatem divinam expressurum. Nam quæcumque in hoc mundo existerent, ad Deum referrentur; creaturæ inprimis intellectuales in eo solo deberent finem suum ultimum quærere, et beatitudinem suam in eo solo reperirent. Demùm Deus mundum minùs perfectum, mundum dignitatis et pretii tantùm finiti liberè producendo, significàsset se etiam gloriâ illâ accidentali et extrinsecâ quam ex Incarnatione ipsâ aut simili mysterio, consequi potuisset, non indigere, ac proinde se esse sibi sufficientissimum et infinitum. Atque inde patet quomodò, illæsis suis attributis, Deus in hoc mundo finito sibi complacere et illum creare potuisset; nempè, illæsis suis attributis, sibi complacere potest in omni opere quod ea refert et exprimit.

Ad tertium, illud sanctum est quod ordini immutabili est conforme; atqui Incarnatio non est ita necessaria ut sine eâ mundus disponi nequeat modo conformi legibus ordinis immutabilis; ergo etiamsi magna sanctitas et dignitas orbi per Incarnationem allatæ sint, attamen sine hoc mysterio mundus posset à Deo disponi ita sanctè, ut ad eum referri posset. Et verò, etsi actio pia, quam elicit creatura intellectualis, ex unione cum Christo capite nostro magnam sortiatur dignitatem, quis tamen negaverit actionem ejusmodi in se sumptam esse conformem ordini immutabili, et proinde ita sanctam, ut ad Deum summè sanctum, id est, suâ naturâ ordinis diligentem referri, et ab eo præmium suum consequi possit? ergo, etc.

Ad quartum, distinguo: Deus propter gloriam suam omnia operatur, sed ita ut gloriâ ejusmodi extrinsecâ non indigeat, nec proinde, teneatur gloriam ejusmodi quàm maximam intendere, concedo; secùs, nego. Cùm Deus sit ens infinitè perfectum et sibi sufficientissimum, evidens est eum non agere propter se eo sensu quòd agat propter utilitatem suam: *Bonis nostris non eget*, inquit Psaltes Regius. Operatur ergo extra se propter utilitatem creaturarum, ut iis communicet bonitatem suam; creaturas verò omnes, agendo, ad se refert, quia omnes suæ sunt, omnes ad ipsum ut ad supremum suum Dominum pertinent, cùmque solus sit perfectissimus, solus ipse est omnium ultimus finis. Fateor itaque Deum se solum necessariò amantem, hunc sibi, cùm creare voluit, finem præstituisse, nempe ut bonitatem suam exteriùs communicando, attributa sua exprimeret. Sed cùm attributa divina magis vel minùs exprimi non egeant, necesse non fuit ut ea quàm maximè exprimere decerneret; proindeque necesse non fuit ut in hypothesi mundi condendi, producere voluerit opus quod viis conjunctum, divinas perfectiones summo modo exprimeret.

CAPUT III.

Utrùm in hypothesi lapsûs generis humani necessaria fuerit, aut saltem conveniens Incarnatio?

Sanctus Anselmus in lib. 1 *Cur Deus homo*, et Richardus à S. Victore de Incarnatione, cap. 8, Vasquesius in p. 3, disp. 2, cap. 2, et alii nonnulli sensisse videntur Incarnationem in hypothesi lapsûs hominis fuisse simpliciter necessariam. Et reverà, in iis alio sensu intelligendis, non levis est difficultas quam modò attingemus. Duo autem includeret hypothetica ejusmodi Incarnationis necessitas: primum, oportuisse hominem lapsum à Deo reparari; alterum, non nisi per Incarnationem eum reparari potuisse. De posteriori agemus capite sequenti. Circa prius cum S. Th. p. 3, q. 1, S. Bonav. in 3 dist. 20, a. 1, et omnibus theologis, sit

Conclusio. Etsi bonitati seu misericordiæ divinæ et hominis lapsi conditioni conveniens fuerit ut ipse repararetur, eum tamen reparari, seu à malo culpæ et pœnæ in quod incurrerat liberari, non fuit simpliciter necessarium.

Probatur prima pars, nempe divinæ misericordiæ et hominis lapsi conditioni conveniens fuisse ut ipse erigeretur et repararetur; 1° ex SS. Patribus. S. Athanasius, de Incarnatione Verbi Dei, n. 6: *Indecorum*, inquit,..... *divinâ bonitate indignum prorsùs erat res à Deo factas ob fraudem quâ homines diabolus circumvenit, destrui. Inprimis verò dedecebat Dei artem in hominibus, vel propter illorum incuriam, vel propter dæmonum dolum deleri... Satius erat eos omninò non fieri, quàm factos negligi et interire... Itaque par Deo non erat sinere homines in corruptionem labi, quia id indecorum et indignum divinæ bonitatis erat.* Non absimilia habet S. Cyrillus Alex. lib. 5 *Thesauri*, cap. 7. 2° Ratione theologicâ. Ille effectus misericordiæ et bonitati divinæ valdè convenire dicendus est, quo illud attributum valdè communicatur et exprimitur, et cujus contrarium hanc perfectionem non referret, sed tantùm justitiam rigorosam; præsertim si res eximiâ quâdam peragatur ratione, quæ tam justitiæ quàm misericordiæ characterem excellenter gerat; atqui 1° reparatione generis humani bonitas et misericordia divina communicantur et exprimuntur, ut nemo non videt. 2° Deus non reparando genus humanum misericordiam suam erga homines lapsos non expressisset; tunc enim eis media non concessisset, quibus à malo culpæ et pœnæ, in quod incurrerant, potuissent liberari, ac proinde ipsius erga genus humanum agendi ratio solùm rigidissimæ justitiæ characterem gessisset. 3° Reparatio hominis lapsi quâdam eximiâ ratione, justitiam divinam perinde ac misericordiam excellentissimè referente peracta fuit. Namque, ut suo loco deinceps uberiùs declarabitur, Deus Filii sui Incarnatione et passione hominem lapsum erigens et reparans, benignitatem et misericordiam suam modo nostras cogitationes infinitè superante expressit, et simul justitiæ suæ cumulatissimè satisfieri curavit. Sic factum est, ait Ivo Carnotensis, *ut Deus nec pecca-*

tum hominis dimitteret impunitum, quia justus est; nec insanabile, quia misericors est. Ergo bonitati et misericordiæ divinæ conveniens fuit ut homo lapsus repararetur.

Illud idem statui hominis lapsi congruebat. Si enim conferatur hominis lapsi conditio cum statu Angelorum lapsorum, planè apparebit congruum fuisse ut divina providentia cum illo benigniùs ageret, non tantùm eo sensu quòd minori pœnâ plecteretur, sed etiam quòd ei salus redderetur possibilis. Enimverò, ut observant S. Gregor. Magnus, Moral. lib. 4, cap. 9, S. Bernardus, S. Bonaventura, etc., Angeli mali propriâ suâ voluntate lapsi sunt; corruptio humana ab uno Adamo orta est. 2° Lapsorum Angelorum numerus longè minor fuit quàm Angelorum fidelium, quemadmodùm docet S. Augustinus in Enchiridio cap. 29; omnes verò homines in Adamo ceciderunt, ac proinde nisi illorum saluti Deus post lapsum providisset, regnum cœlorum ad quod universi destinati fuerant, nullus eorum fuisset assecutus. 3° Angeli mali sponte suâ et nullâ tentatione illecti peccaverunt, quod advertit S. Greg. Magnus, loco citato; tempus viæ brevissimum ipsis constitutum fuerat, et illorum voluntas suscepti propositi naturâ erat valdè tenax; at primi parentes à dæmone tentati sunt, et unusquisque nostrûm, per longum viæ tempus, *tentatur à propriâ concupiscentiâ abstractus et illectus.* Vid. S. Th. parte 1, quæst. 63 et 64. 4° Angeli propriâ voluntate peccantes et in malo obfirmati, pœnis æternis statim addici meruerunt. Peccatum verò ex quo maculam originalem contrahimus, tunc commissum fuit, cùm nondùm quidquam propriâ voluntate operari poteramus; ergo, etc.

Probatur secunda pars, quam esse certam definit Suarez, nempe Deum potuisse hominem lapsum non liberare: 1° ex Scripturis. Sapientiæ 12, v. 1 et seqq.: *O quàm bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus!... His tanquàm hominibus pepercisti... semen enim erat maledictum ab initio... quis imputabit tibi si perierint nationes, quas tu fecisti?* Isaiæ 54, v. 7: *In misericordiâ sempiternâ misertus sum tui, dixit Redemptor tuus Dominus.* Rom. 3, v. 24: *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu.* Ephes. 2, v. 4, 5, 7, 8: *Deus qui dives est in misericordiâ propter nimiam charitatem suam quâ dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis, convivificavit in Christo, cujus gratiâ estis salvati... ut ostenderet divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu; gratiâ enim estis salvati,* etc. Ad Titum 3, v. 5: *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm misericordiam suam magnam regeneraverit nos in spem vivam.* Ex his et aliis similibus, quæ sæpè occurrunt, testimoniis, sic argumentari licet: Qui hominem ex merâ suâ charitate, misericordiâ et gratiâ redemit et reparavit, potuit illum non redimere et reparare; siquidem opus misericordiæ et gratiæ libero miserentis proposito adscribitur. Exodi 33, v. 19, his verbis: *Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit;* quod et ratione perspicuum est; quæ enim misericordia et gratia elucere potest in eo quod necessitate naturæ perficitur? atqui, juxta allata Scripturæ loca, Deus ex merâ suâ bonitate et misericordiâ hominem redemit et salvavit; ergo, etc. 2° Auctoritate S. Augustini lib. de Naturâ et Gratiâ, cap. 5, n. 5: *Universa massa,* inquit, *pœnas debet, et si omnibus damnationis supplicium redderetur... Quis igitur usque adeò dementissimè insaniat, ut non agat ineffabiles gratias misericordiæ quos voluit liberantis, qui rectè nullomodo posset culpare justitiam universos omninò damnantis?* Certè ex hâc doctrinâ quæ genuinum est fidei Ecclesiæ de originali labe consectarium, planè sequitur simpliciter necesse non fuisse hominem lapsum à Deo erigi et liberari; 3° ratione theologicâ. Deus potuit non peragere opus extra se, ad quod peragendum nullo jure adstringebatur. Atqui redemptio generis humani est opus extra Deum, ut evidens est; præterea, ad illam peragendam nullo jure adstringebatur Deus; nam si aliquo jure Deus ad reparandum hominem lapsum adstrictus fuisset, vel quia homines lapsi minùs Angelis malis sontes fuerunt, vel quia potuissent mereri liberationem suam; atqui 1°, licet minùs sontes sint homines quàm Angeli mali, nec tantâ pœnâ digni sint, attamen propter peccatum quod ex Adamo contrahunt, à Deo abjici, et à regno cœlorum excludi merentur juxta fidem; 2° de fide etiam est eos non potuisse per se mereri justificationem et redemptionem suam; ergo, etc.

Obj. 1°, adversùs secundam conclusionis partem, auctoritatem sancti Athanasii inter probationes partis prioris allatam. Scilicet adducto loco S. Athanasius ait *indecorum et indignum bonitate divinâ* fuisse sinere homines interire; sed qui ita loquitur, procul dubio existimat Deum non potuisse non reparare genus humanum; repugnat enim Deum id non facere cujus oppositum bonitate ejus indignum et indecorum est; ergo. —Dist. majorem: ait S. Athanasius *indecorum et indignum*, etc., atque illud intelligendum est, ut aiunt, negativè, concedo; privativè aut positivè, nego. Illud esset indecens et indignum bonitate divinâ positivè, quod aliquid ipsi contrarii involveret. Illud esset eâdem bonitate indignum et indecorum privativè quod privaret bonitatem divinam decore aut dignitate quam ipsa necessariò postularet. Denique illud est hâcce bonitate indignum et indecorum negativè, quod hanc privat aliquo decore exteriori, si ita loqui fas est, qui ipsi quidem est consentaneus, sed, quo tamen deficiente, perinde perfecta manere concipitur. Cùm ait S. Athanasius, *indecorum et bonitate divinâ indignum fuisse* hominem lapsum à Deo non erigi, intelligendus est postremo hoc sensu, nempè quòd agendi ratio Dei erga homines, si in suâ corruptione relicti fuissent, characterem bonitatis divinæ sub eo respectu non tulisset, ita tamen ut loco pulchritudinis illius attributi, decorem alterius, justitiæ scilicet rigorosæ induisset. Atque non aliam fuisse S. doctoris mentem evincitur, 1° quia licet eodem in loco, n. 8, pariter doceat Dei Verbi fuisse *id quod corruptum erat, incorruptum iterùm reddere,* nihilominùs, orat. 2, aliàs 3, contra Arianos disertè tradit alio modo quàm per In-

carnationem Verbi homines redimi potuisse. 2° Quia rationem reddens loco objecto cur indecorum fuisset homines non liberari, ait, *infirmitatis Dei, non bonitatis majus fuisse argumentum, si nimirùm opus quod fecerat destrui permisisset.* Ubi de quâdam bonitatis divinæ manifestatione loquitur, quam profectò sibi Deus operando conciliare non tenetur. Nec nos movere debet, quòd S. doctor hanc rationem valentiùs premat, neque enim insolitum est, graves convenientiæ rationes quandoque significantioribus verbis urgeri.

Obj. 2° : S. Anselmus, lib. 1 *Cur Deus homo*, capite 4, Incarnationis necessitatem ita probat : *Nonne satis necessaria ratio videtur... quia genus humanum, tam scilicet pretiosum opus ejus, omninò perierat; nec decebat ut quod Deus de homine proposuerat penitùs annihilaretur; nec idem ejus propositum ad effectum duci poterat, nisi genus humanum ab ipso creatore suo liberaretur?* Audis ex S. Anselmo non decuisse ut homo lapsus non repararetur; atqui, juxta eumdem hujusmodi indecentia necessitatem inducit; capite enim 10 istud principium generale statuit : *Sicut in Deo quàmlibet parvum inconveniens sequitur impossibilitas, ita quamlibet parvam rationem, si majori non vincitur, comitatur necessitas.* Ergo, etc. Richardus à sancto Victore, de Incarnatione cap. 8, necnon Guillelmus Paris. in libello de Causis *Cur Deus homo factus sit*, S. Anselmo planè consentiunt. — Dist. majorem : Ex S. Anselmo non decuit consequenter ad aliquod decretum divinum ut homo lapsus non repararetur, concedo; in hypothesi solius lapsûs, nego. Jam observavimus quibusdam theologis videri hæc et alia similia sancti Anselmi dicta nullâ posse benignâ interpretatione emolliri, cumque in libris *Cur Deus homo*, ex professo docuisse, 1° solâ hominis lapsi spectatâ conditione, simpliciter necesse fuisse eum à Deo reparari; 2° non alio modo quàm per Incarnationem ipsi Deum subvenire potuisse. Contra Suarez, disp. 4, sect. 2, cardinalis de Lugo, de Incarnat. disp. 2, sect, 2, n. 4 et alii, S. doctorem explicare conantur de necessitate consequente decretum aliquod divinum, aut de majori quâdam decentiâ et congruentiâ, quam *per exaggerationem et figuram* interdùm impossibilitatem appellaverit. Nobis videtur simplicem et propriè dictam necessitatem Incarnationis in hypothesi reparationis hominis lapsi fuisse à S. Anselmo assertam; de quo argumento dicemus capite sequenti. Quod verò attinet ad reparationem ipsam de quâ nunc agitur, existimamus eam à S. Anselmo non dici simpliciter necessariam in hypothesi solius lapsûs. Ita S. doctorem interpretatur Petavius, lib. 2 de Incarnatione, cap. 13, n. 5 et 10. Loquitur ergo S. Anselmus loco objecto de decentiâ quæ necessitatem inducat; sed hæc decentia, ut et illa necessitas reparationis generis humani, *exurgit*, inquit S. Bonaventura in 3 dist. 20, a. 1, q. 1, mentem sancti doctoris exponens, *ex stabilitate et immutabilitate divinæ dispositionis, quæ non opponitur libertati voluntatis, ac per hoc nec gratiæ, nec liberalitati.* Scilicet opinatus est S. Anselmus certum aliquem salvandorum numerum decreto divino ab æterno fuisse constitutum; ne verò libertati Angelorum qui priòres ad gloriam fuerant destinati, vis inferretur, Deum permisisse ut eorum multi à salvandorum numero sese subtraherent, atque eumdem voluisse istorum locum ab hominibus occupari. Vide cap. 16 et 18, lib. 1 *Cur Deus homo*, in quibus suam hanc doctrinam disertissimè S. doctor exponit. Jam verò censemus S. Anselmum, cùm ait decuisse et necessum fuisse hominem lapsum reparari, ad hoc decretum ruinas Angelorum per homines resarciendi respexisse. Quam interpretationem duo conjuncta planè comprobant. Primum est, necessitatem quæ Deo ex immobilitate decreti sui contingit, commemorari à S. doctore lib. 2, cap. 4 et 5, atque ibidem ab eo exponi quomodò ejusmodi necessitas liberalitati et gratiæ non officiat. *Cùm*, inquit cap. 5, *ipse* (Deus) *se spontè necessitati benefaciendi subdit, nec invitus eam sustinet, tunc utique beneficii gratiam meretur majorem.... Dicamus tamen quia necesse est ut bonitas Dei propter immutabilitatem suam perficiat de homine quod incœpit, quamvis totum sit gratia, quod facit.* Alterum est, S. Anselmum ipsis verbis objectis ad decretum seu propositum divinum spectare, et ex eo deducere decentiam et necessitatem reparationis hominis lapsi. Sic enim loquitur : *Nec decebat, ut* QUOD DE HOMINE PROPOSUERAT, *annihilaretur.* Audis ideò non decuisse hominem lapsum non reparari, quia nisi erectus fuisset, *quod Deus de homine proposuerat*, omni suo effectu caruisset. Cùm ergo ex cap. 16 et 18 jam laudatis, habeamus juxta S. Anselmum, homines Angelis à gratiâ et ab æternâ salute lapsis supplendis fuisse à Deo destinatos, manifestum est ab ejusmodi destinatione et decreto decentiam et necessitatem de quibus loco objecto sermo fit, secundùm S. doctoris mentem, esse repetendas.

Richardo à S. Victore idem sensus adhuc faciliùs et clariùs accommodatur. Guillelmus Parisiensis nobis planè consentit, adeò ut mirum sit ab aliquibus ipsi adscriptam fuisse opinionem oppositam.

Obj. 3° : Deus omittere non potest quod aliquâ in hypothesi reipsà existente bonitati suæ est reverà conveniens; atqui, juxta primam conclusionis partem, bonitati et misericordiæ Dei conveniens fuit hominem lapsum redimi; ergo, etc. — Dist. mag. : Quod est bonitati suæ conveniens intrinsecè, id est, quod ejus bonitatem intrinsecè perficit, aut sine quo eam negare ipse censetur, concedo; quod est conveniens extrinsecè tantùm, id est, quod bonitati divinæ affert decorem aliquem extrinsecum quo ipsa non perficitur, et, quo deficiente, à Deo non negatur, nego. Reparatio generis humani exprimendæ bonitati et misericordiæ divinæ apta fuit, ut diximus; sed 1°, ejusmodi decore extrinseco hoc attributum non indiget, quemadmodùm capitibus 1 et 2 hujusce disputationis fusè explicatum et inculcatum est; 2° hunc decorem extrinsecum Deus agendi rationi suæ erga hominem non tribuendo, non ideò bonitatem et misericordiam suam negâsset; licet enim ex bonitate et misericordiâ donis suis gratuitis peccatori obviàm ire, ipsi gratiam quâ convertatur largiri, et veniam

concedere possit, attamen ejusmodi virtutes id fieri non necessariò exigunt, exercitium earum liberum est; nec illis quidquam oppositi Deus egisset, si loco effectuum hujusmodi attributa exprimentium, alios produxisset ejus duntaxat justitiæ characterem ferentes.

CAPUT IV.

De convenientiâ aut necessitate Incarnationis in hypothesi reparationis generis humani.

Omnes theologi post S. Thomam inter se consentiunt Incarnationem non tantùm in se sumptam, sed etiam ratione modi quo peracta est, fuisse reparando generi humano aptissimam et convenientissimam Sed præcipuè in disceptationem cadit, utrùm ad ejusmodi reparationem hoc mysterium simpliciter necessarium fuerit; seu, quod eòdem recidit, an citra debitam et condignam pro peccato satisfactionem, Deus homini lapso condonare potuerit. Ferè omnes theologi tanquàm indubitatum statuunt Deum in exercendâ justitiâ suâ ita esse liberum, ut, juribus propriis cedens, potuerit sine condignâ satisfactione pro peccato sibi persolutâ, ac proindè sine Incarnatione genus humanum liberare. Suarez, disp. 4, sect. 2, hanc doctrinam pronuntiat ita esse certam, *ut negari non possit sine temeritate et aliquo fidei incommodo.* Opinionem oppositam ait cardinalis de Lugo disp. 2, de myst Incarn. sect. 1, n. 6, *ad errorem accedere;* nec desunt qui adhuc gravioribus censuris hìc utantur. Docuit tamen S. Anselmus simpliciter necessariam fuisse Incarnationem ad hominem liberandum; quia non potuit Deus, illæsis justitiæ suæ juribus, eum salvum facere, quin pro ejus offensâ plena satisfactio exhiberetur. Vide inprimis cap. 12, lib. 1 *Cur Deus homo*, ubi S. doctor disertè significat tam Deum non potuisse sine satisfactione condignâ remittere, peccatum, quàm non potest velle mentiri, ratus utrinque parem adfuturam indecentiam intrinsecam, quæ in Deum cadere non potest. Eumdem sensum nonnulli affingunt quibusdam veteribus Patribus quorum testimonia mox referemus. Turretinus, celebris è Calvinistarum societate, in Academiâ Genevensi theologiæ professor, in Institutionibus suis Theologicis, et alii complures ejusdem religionis scriptores idem dogma tuentur, quod ad Socinianos satisfactionum Christi necessitatem inficiantes refellendos magis idoneum judicant. Videtur quoque inter recentiores theologos catholicos clarissimus Turnelius hanc opinionem suam facere, qui etiam scribit *præsentem quæstionem ex earum numero esse quæ salvâ fide in utramque partem defendi possunt, et theologicâ ratione potiùs quàm auctoritate dirimendæ sunt.*

Observa autem istius posterioris opinionis defensores aliquando monere se tantùm de potentiâ Dei ordinariâ loqui, adeò ut fateantur Deum ex potentiâ absolutâ et extraordinariâ posse, remittendo peccatum, condignam pro eo satisfactionem non exigere. Verùm ii nomine potentiæ Dei absolutæ et extraordinariæ, hìc intelligant necesse est, potentiam Dei in se sumptam, abstrahendo ab ejus attributis moralibus, et in ordine etiam ad ea quæ justitia Deo essentialis ab eo fieri vetat; quæ certè potentia, fatentibus iisdem theologis, in Deo nulla est, et libertati non sufficit, siquidem illud impossibile est à Deo oriri, quod aliquod necessarium ejus attributum, nempe ipsius justitia ab eo oriri non permittit. Recole quæ superiùs in simili argumento dicta sunt capite 1 hujus disputationis. Quòd si nomine potentiæ ordinariæ intelligerent, ut intelligi debet, potentiam quæ juxta ordinem à Deo constitutum exercetur; nomine verò potentiæ extraordinariæ significarent potentiam divinam in se sumptam, abstrahendo tantùm ab omni hypothesi contingenti, et à decretis liberè à Deo stabilitis; tunc distinctionem inter potentiam ordinariam et extraordinariam in præsenti negotio, ut advertimus, adhibendo, ad priorem opinionem mox explicatam de Incarnatione in hypothesi reparationis generis humani simpliciter non necessariâ redirent, et à pervulgatâ theologorum doctrinâ non recederent. Omnes enim concedunt, quod adversùs Socinianos disput. septimâ evincemus, Deo in præsenti hypothesi constantem esse voluntatem puniendi peccati, hujusque sine satisfactione accuratâ non remittendi.

Conclusio. Incarnatio tum in se sumpta, tum ratione modi quo peracta est, medium fuit reparando generi humano maximè conveniens. Ea tamen etiam quoad substantiam spectata, huic operi simpliciter necessaria non fuit.

Probatur prima pars, nimirùm Incarnationem in se sumptam fuisse medium reparando generi humano maximè conveniens. Enimverò Deus per Incarnationem hominem liberando manifestavit mirum in modum attributa sua, ut jam supra dictum est, nempe bonitatem, liberalitatem et misericordiam suam, tum justitiam, sanctitatem, sapientiam, omnipotentiam, etc.

Probatur secunda pars, illud scilicet mysterium peractum fuisse modo ad hominum reparationem congruo. Atque illud patet quidem ab effectu; Deus enim qui hoc modo voluit Incarnationem peragi ad homines salvandos, profectò non sine rationibus sapientiâ suâ et tanto mysterio dignis, talem modum selegit. Quapropter, etsi singulorum non possent à nobis infirmis mortalibus causæ sufficientes assignari, dubitandum tamen non esset quin reipsà ejusmodi causæ existerent.

Verùm paucis exponamus præcipuas rationes quibus mysterii illius modum convenientem fuisse SS. Patres ostendunt. 1° Convenientius fuit ut Filius incarnaretur, et ad liberandos homines veniret, quàm Pater aut Spiritus sanctus. Magis enim decebat 1° ut idem, qui est Filius Dei ab æterno, fieret in tempore filius hominis, ne scilicet duo in SS. Trinitate nuncuparentur filii, alter æternus, alter temporalis, et *filii nomen ad alterum transiret, qui non fuisset æternâ nativitate filius.* Ita ratiocinantur Gennadius, de Dogmatibus Eccles. cap. 2; S. Fulgentius lib. de Fide ad Petrum, cap. 2; S. Anselm. lib. de Fide Trinit. et de Incarnat. cap. 5; S. Bernardus, serm. 2 de Annuntiatione; Hugo Victor., etc. Decebat 2° ut Verbum quod *per appropriationem* omnia fecisse dicitur Joan. 1, v. 3, hominum quorum fuit conditor, esset

etiam liberator et reparator. Ita S. Athanasius lib. de Incarn. n. 7 et 8; S. Hilarius in Psal. 66, ad vers. 21; S. Cyrillus Alex. Glaphyrorum lib. 1, etc. Decebat 3° ut Verbum quod vi suæ originis est *imago Dei invisibilis*, imaginem Dei restitueret, quam in homine peccatum deleverat. Ita S. Athanasius, loco mox laudato; S. Cyrillus Alex. lib. 1 in Joannem; S. Joan. Damasc. lib. 4 de Fide orthodoxâ, cap. 4; Richardus à S. Victore, de Incarnat. cap. 10, etc. Decebat 4°, *incarnari* Filium qui est *Dei sapientia, ut deleretur hominis insipientia*, verba sunt Guitmundi episcopi Aversani in Confessione de S. Trinitate, etc. Denique *erat et decens*, inquit Hugo Victorinus, Summæ sententiarum tract. 1, cap. 15, *ut sicuti per sapientiam suam Pater mundum fecit, ita per eamdem redimeret.* Itaque magis conveniens fuit Filium ad liberandos homines incarnari quàm vel Patrem vel Spiritum sanctum. 2° Congruens etiam fuit ut Filius homines liberaturus veniens, homo fieret. *Sicut per unum hominem*, inquit S. Paulus, Rom. 5, 12 et 15, *peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt..... multò magis gratia Dei et donum in gratiâ unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.* Hinc S. Leo, serm. 20, aliàs 1 de Nativitate, cap. 1 : *In eo conflictu*, inquit, *pro nobis inito magno et mirabili æquitatis jure certatum est; dùm omnipotens Dominus cum sævissimo hoste, non in suâ majestate, sed in nostrâ congreditur humilitate.* 3° Decens fuit ut Filius divinus homines redempturus, ex muliere virgine carnem sumeret et nasceretur. *In Virginem enim adhuc Evam* (ait Tertullianus lib. de Carne Christi, cap. 17) *irrepserat verbum ædificatorium mortis; in Virginem æquè introducendum erat Verbum extructorium vitæ, ut quod per ejusmodi sexum abierat in perditionem, per eumdem sexum redigeretur in ordinem.* Et S. Augustinus lib. de Agone christiano, cap. 22, n. 24 : *Dominus Jesus Christus*, inquit, *qui venerat ad homines liberandos, in quibus et mares et feminæ pertinent ad salutem, nec mares fastidivit, quia marem suscepit, nec feminas, quia de feminâ natus est. Hùc accedit magnum sacramentum, ut quoniam per feminam nobis mors acciderat, vita nobis per feminam nasceretur.* 4° Eidem fini, nempe saluti hominum propter quam Filius Dei venit, consentaneum fuit, carnem nostræ similem, et eisdem (peccato excepto) obnoxiam miseriis ab eo assumi. Namque 1°, voluntariâ et summâ sui demissione, quam ejusmodi naturâ à se assumptâ Filius divinus exercuit, aptissimum superbiæ hominum, quæ maximum eorum malum est, remedium attulit. *Ne ergo*, (inquit S. Augustinus in Psal. 33, enarratione 1, n. 4) *dedignaretur homo imitari hominem humilem, Deus factus est humilis, ut vel sic superbia generis humani non dedignaretur sequi vestigia Dei.* Et alibi : *Quæ superbia sanari potest, si humilitate Filii Dei non sanatur?* 2° Deus assumens naturam nostræ similem exinanivit semetipsum, inquit Apostolus Philip. 2, v. 7; hoc autem opportunum fuit : nempe, ut advertit Richardus Victorinus, de Incarnat. capitulo 8, *quando homo præsumpsit contra Deum, facta est elatio de imo ad summum. Oportuit ergo ut ad expiationis remedium fieret humiliatio de summo ad imum; sed hoc omninò non potuit, nisi aliquâ in Trinitate personarum.* 3° Christus nobis similis factus, ut ad eum cum fiduciâ accedamus nos pie movet et compellit. *Non enim habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato.* 4° Tandem hinc etiam factum est ut dæmonem vinceret et nos sanaret per naturam ipsam quæ victa fuerat et sauciata. Ita S. Greg. Nyss. orat. catechet. cap. 27; S. August. l. 13 de Trinit. cap. 18; S. Leo serm. 20, aliàs 2, de Nativitate, etc. 5° Ad hominum redemptionem et salutem illud quoque accommodatum fuit, quòd Filius Dei, factus homo, pauperem vitam egerit, vilem conditionem elegerit, contumeliis, et suppliciis se offerret, ut scilicet, ab hominibus, ejus exemplo institutis, *neque* in bonis terrenis *quæreretur felicitas, neque* in malis sustinendis *infelicitas timeretur.* Verba sunt S. Augustini lib. de Catechizandis rudibus, cap 22, n. 40, qui lib. de Agone christiano, capite 11, n. 12, hæc etiam præclara profert : *Nolite amare temporalia, quia si benè amarentur, amaret ea homo quem suscepit Filius Dei. Nolite timere contumelias, cruces et mortem, quia si nocerent homini, non ea pateretur homo quem suscepit Filius Dei.* 6° Decorum fuit ut morte suâ nos redimeret, tum ut *mors morte perimeretur*, ut Oseam cap. 13, v. 14, imitatus loquitur S. Greg. Nazianz. Orat. 30; tum ut maximum daret hominibus amoris sui argumentum, sicque eos ad amorem divinum magis accenderet; tum ut injuriam Deo per peccatum illatam abundantiùs compensaret, gravitatem peccati tantâ pœnâ digni significantiùs declararet, et nos ab eo perpetrando validiùs avocaret. Pariter mortem illam affixus ligno crucis oppetere debuit, ut, quemadmodùm ab Ecclesiâ canitur, dæmon, *qui in ligno vincebat in ligno quoque vinceretur.* 7° Congruum fuit ut magistrum et doctorem hominum ageret, quippe qui viam salutis nobis monstraturus venerat. Decuit ut Apostolos toto orbe mittendos seligeret, eosque rudes et illitteratos; inde enim Dei virtus, gratiæ potentia atque fidei christianæ veritas maximè in admirabili religionis propagatione enituerunt. 8° Opera prodigiosa à Verbo incarnato fieri oportuit, tum quia necesse fuit ejus mysteria et doctrinam prodigiis confirmari et suaderi, tum quia cùm esset Deus et homo simul, ostentis admirandis manifestari debuit ejus Divinitas, dùm voluntariis demissionibus se esse hominem ostendebat, ac sese pro nostrâ salute immolabat. 9° Tandem quod ad tempus, quo incarnatio peracta est, attinet, novimus etiam quosdam fines optimos quibus consentaneum fuit versùs ipsa mundi exordia non incarnari Dei Filium, sed tantùm in plenitudine temporum. 1° Id videtur postulàsse tanti mysterii dignitas. *Per multam seriem temporum et annorum*, inquit S. August. tract. 31 in Joannem, n. 5, *prædicendus fuit. Non enim aliquid parvum venturum fuit. Diù fuerat prædicendus, semper tenendus. Quanto*

major judex veniebat, tantò præconum longior series præcedebat. 2° Lex evangelica, quam Christus erat instituturus, tantæ perfectionis est ut opportunum fuerit homines per longum tempus ad eam præparari. Hanc rationem post Eusebium, lib. 8 Demonstrat. evang., affert S. Th. parte 3, q. 1, a. 5. 3° Tanti doni dilatio, atque antiquior et uberior ejus prædicatio fidei nostræ excitandæ et augendæ apta fuit, dùm interim potuerunt veteres fide in Incarnationem futuram à peccatis liberari et salutem assequi. *Cessent illorum querelæ*, inquit, S. Leo serm. 22, aliàs 3, de Nativit. cap. 4, *qui impio murmure divinis dispensationibus obloquentes, de Dominicæ nativitatis tarditate causantur, tanquàm præteritis temporibus non si impensum, quod in ultimâ mundi ætate est gestum. Verbi Incarnatio hoc contulit facienda, quod facta; et sacramentum salutis humanæ in nullâ unquàm antiquitate cessavit... Sapientia verò et benignitas Dei hâc salutiferi operis morâ capaciores nos suæ vocationis effecit; ut quod multis signis, multis vocibus, multisque mysteriis per tot fuerat secula prænuntiatum, in his diebus Evangelii non esset ambiguum; et nativitas, quæ omnia miracula, omnemque excessura erat mensuram, tantò constantiorem in nobis gigneret fidem, quanto prædicatio ejus et antiquior præcessisset et uberior.* 4° Christus redemptor et salvator non priùs venire debuit, quàm homines fidem tanti mediatoris quâ salvari potuissent, negligentes et posthabentes, infirmæ rationis suæ cæcitatem et naturæ suæ virium in quibus malè confidebant imbecillitatem, infaustâ experientiâ agnovissent. Hanc doctrinam cujus fusior explicatio ad hunc locum non pertinet, passim tradunt variis in locis, præsertim SS. Augustinus et Thomas quam ab Apostolo mutuati sunt Act. 14, v. 15, Rom. 7, v. 8 et seqq., etc.

Jam verò, si conveniens fuit Incarnationem differri, ergo peragi debuit tempore quo peracta est, nempe in plenitudine temporum; namque ad usque finem mundi eam procrastinari non decuit, aliàs paucissimis hominibus tunc superstitibus tantum beneficium profuisset. Sunt procul dubio et aliæ dilati hujus mysterii rationes Deo cognitæ, ordini gratiæ, quem ipse instituere voluit connexæ, et nobis mortalibus, *per fidem nunc ambulantibus*, et *non per speciem*, absconditæ. Quas S. Augustinus in Epistolâ 102, aliàs 49, ad *Deo gratias*, quæst. 2, n. 14, generatim indicat, scribens *tunc voluisse hominibus apparere Christum et apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat et ubi sciebat esse, qui in eum fuerant crediturí;* supple, ex auxilio gratiæ divinæ homines ad credendum moventis, ut ipse explicat S. August., l. de Prædest. sanctorum, cap. 9, et lib. 2 Retractationum, cap. 31.

Probatur tertia pars conclusionis, scilicet Incarnationem etiam quantùm ad substantiam spectatam, reparando generi humano simpliciter necessariam non fuisse: 1° ex Scripturis in quibus Dei omnipotentia magnoperè prædicatur. Etsi enim inde colligi nequeat Deum ea posse producere quæ planè repugnant, attamen hinc sequitur cavendum ne id Deo impossibile esse dicatur quod manifestam repugnantiam non involvit. Atqui Deum homini peccatori gratiam et veniam concedere citra satisfactionem condignam, id est, vel gratis peccatum condonando, vel qualemcumque pro offensâ satisfactionem ratam spontè habendo, profectò non repugnat manifestè. Imò verò quis negaverit Deum, ut creavit hominem solo nutu, ita solo nutu posse absolutè peccatorem immutare eumque gratiæ sanctificantis infusione justum sine morâ efficere? 2° Auctoritate sanctorum Patrum.

S. Athanasius *Oratione* 2, aliàs 3, *contra Arianos*, n. 68 : *Etiam*, inquit, *sine ullo ejus (Salvatoris) adventu poterat Deus tantummodò dicere, atque ita solvere maledictionem. Verùm attendere oportet quid sit hominibus utile, non autem quid in omnibus possit Deus.* S. Gregorius Nazianz. Orat. 9 : *Hæc*, ait, *Salvator fecit, idque cùm voluntate solâ nobis, utpote Deus, salutem afferre posset, quemadmodùm et universam rerum machinam solo jussu atque imperio procreavit.* S. Augustinus lib. de Agone christiano, cap. 11, n. 12 : *Sunt stulti*, inquit, *qui dicunt :* « *Non poterat aliter sapientia Dei* « *homines liberare, nisi susciperet hominem, et nasceretur* « *de feminâ, et à peccatoribus omnia illa pateretur.* » *Quibus dicimus : Poterat omninò, sed si aliter faceret, similiter vestræ stultitiæ displiceret.* Et lib. 13 de Trinitate, cap. 10, n. 13 : *Eos*, inquit, *qui dicunt :* « *Itane* « *Deo defuit modus alius quo liberaret homines à miseriâ* « *mortalitatis hujus, ut unigenitum Filium Deum sibi* « *coæternum, hominem fieri vellet?....* » *parùm est sic refellere, ut istum modum.... asseramus bonum et divinæ congruum dignitati; verùm etiam ut ostendamus non alium modum possibilem Deo defuisse, cujus potestati cuncta æqualiter subjacent.* Audis præter Incarnationem, alium fuisse modum salvandi homines possibilem Deo, idque esse indubitatum, quia potestati Dei *cuncta æqualiter subjacent;* ergo ex S. doctore, licet modus salvandi homines per Incarnationem, fuerit *bonus* et *divinæ congruus dignitati*, alter tamen perinde possibilis est. S. Cyrillus Alexandrinus apud Euthymium tit. 13 : *Ne corpore quidem indiguit Deus Verbum cùm nullâ re egeat, et jussu solo potuit salutem nostram peragere.* Theodoretus serm. 6 contra gentes : *Erat illi facillimum*, inquit, *vel citra carnis involucrum, hominum salutem perficere, solâque voluntate mortis potestatem dissolvere.* S. Leo magnus sermone 21, aliàs 2, de Nativitate, cap. 3 : *Verax*, inquit, *misericordia Dei, cùm ad reparandum humanum genus infallibiliter ei multa suppeterent, hanc potissimùm consulendi viam elegit, quâ ad destruendum opus diaboli, non virtute uteretur potentiæ, sed ratione justitiæ.*

Concinunt alii multi, quorum testimonia exscribere longius foret. Hilarius Arelatensis homil. 4 de Paschate, S. Greg. Magnus, lib. 20 Moral., cap. 26; S. Joan. Damascenus, lib. 3, cap. 18; S. Bernardus, sermone 11 in Cantica, et tractatu de Erroribus Abælardi, olim. Epist. 190, ad Innocent. summum pontificem cap. 8, t. 1, pag. 654; Guitmundus Aversanus, in Confessione, t. 18 Bibl. PP. Lugd.; Guillelmus Parisiensis, in libello de Causis cur Deus homo, etc.

Adde hanc esse unanimem Petri Lombardi, in 3 dist. 20; Alexandri Alensis, 3 parte, quæst. 1, membro 3, art. 4; S. Thomæ 3 p., q. 1, a. 2; S. Bonaventuræ ad dist. 20 lib. 3 Sentent.; Scoti aliorumque ferè omnium theologorum sententiam, quorum plures, ut jam diximus, opinionem adversam non levi censurâ perstringunt. Vide cardinalem de Lugo, de Incarnationis mysterio, disp. 2, sect. 1, n. 6.

5° Hâc ratione theologicâ : Incarnatio Verbi in hypothesi liberationis hominum ideò diceretur simpliciter necessaria, quia Deus peccatum dimittere non posset quin pro injuriâ sibi à peccatore illatâ condignam satisfactionem exigeret; atqui citra ejusmodi condignam satisfactionem Deus peccatum condonare potuit. Nam punitio vel condonatio peccati est opus ad extra circa quod proinde Deus liber est nisi adsit aliqua repugnantia vel ex parte objecti, vel ex parte hominis, vel ex parte Dei ipsius. Atqui 1°, peccatum condonari aut pœnâ mitiori puniri ratione sui non repugnat, ut omnes fatentur. 2° Illud idem non repugnat ex parte hominis peccatoris, cùm è contra ejusmodi remissio pœnæ gratia sit maxima. 3° Non repugnat ex parte justitiæ divinæ; in eo enim non consistit justitia divina quòd teneatur à peccatore pœnas offensæ proportionatas repetere, sed quòd eas repetere possit. Distinguendum hìc inter justitiam divinam et ejus exercitium. Deus est naturâ sanctus et justus, necessariò amat ordinem, necessariò peccatum quod ordini oppositum est, aversatur; atque peccatori ut peccatori non tantùm benè velle non potest, sed etiam ipsi, sub hoc respectu, necessariò mâlè vult donec mutetur, potestque ab ipso pœnas æternùm repetere. At, cùm peccator alios habeat respectus quibus Deo odibilis non est, cùm nempe sit ejus creatura, gratiæ recipiendæ idonea, pœnitentiæ et sanctificationis capax, non repugnat Deum misericordem velle donis suis eum immeritum prævenire et restaurare, nullâ etiam, vel saltem mitiori et temporaneâ tantùm pœnâ ipsi inflictâ. Deus ejusmodi gratuitâ condonatione, non exprimeret quidem justitiam suam. At 1° hanc perfectionem non negaret, quippe illa non indiget exprimi, et præterea, cùm justitia Dei vindicativa, de quâ agimus, tum in potentiâ pœnas à sontibus debitas repetendi, tum in impossibilitate iis parcendi quamdiù à pœnitentiâ aversi sunt, tota consistat; gratuita pœnæ remissio peccatori per gratiam justificato concessa huic attributo non esset opposita. 2° Decore aliarum perfectionum divinarum non careret hæc agendi ratio; non tantùm bonitas et misericordia Dei eâ exprimerentur, sed etiam ejus sanctitas; quatenùs scilicet, ut Deus odio prosequi peccatores desineret et eis malè velle, hos justificari oporteret. Ergo nec justitiam suam, nec alia attributa sua Deus læsisset, si voluisset cedere juri suo, nec condignam pro peccato exigere satisfactionem. Et verò concedunt universi, et ex Scripturis certò colligitur, ut aliquando liquebit, præ merâ suâ benignitate et misericordiâ Deum Incarnationem in remedium peccati destinâsse : imò pœnas ab hominibus peccatoribus debitas in Christum sponsorem nostrum transferri liberè consensit, adeò ut ex rigore justitiæ potuisset satisfactiones condignas sibi à Christo pro nobis oblatas non recipere. Jam verò, si in gratiam peccatorum, ut salutem consequi possent, Christum loco nostro substitui gratis voluerit; ergo antecedenter ad satisfactiones Christi potuit quidquam in gratiam peccatorum decernere; quidni igitur potuisset peccata ipsis condonare gratis, aut saltem sine satisfactione condignâ?

Solvuntur objectiones. — Quæ adversùs primam conclusionis partem opponi possunt, necnon aliqua secundam impetentia jam capitibus 2 et 3 hujus disputationis præoccupavimus. Pauca supersunt quæ solutione indigent.

Obj. contra secundam partem conclus. 1° : Apostolus, 1 Cor. 1, v. 21, mysterium Crucis vocat *stultitiam prædicationis*. 2° Nonne indecens est Deum summum in infantis corpusculo contineri, eumque nasci, pati et mori? Hinc Apostolus, Philipp. 2, v. 7, fateri cogitur Deum seipsum Incarnatione *exinanivisse*. 3° Eatenùs Incarnatione salvamur, quatenùs Christus innocens pro nobis impiis morti traditus est, quo nihil à justitiâ et æquitate alienum magis. 4° Deus posito hoc mysterio per Deicidium à Judæis commissum nobis salutem conferre voluisset; atqui medium ejusmodi turpe et iniquum fuisset; ergo.

Ad primum, distinguo : Appellat *stultitiam prædicationis* alludens ad judicium perversum, quod de hoc mysterio ferebant gentiles et Judæi, concedo; reipsà, nego. Continenter enim S. Paulus subjungit v. 23, 24 et 25 : *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam; quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus*, etc. Ad secundum, distinguo quoque : Indecens est Deum in infantis corpusculo contineri, seu in eo coarctari; indecens est, imò planè absurdum est Deum in propriâ naturâ nasci, pati, mori, concedo; indecens est Deum infantis corpusculo ita uniri ut eo non coarctetur, vel eum in naturâ assumptâ nasci, pati, etc., nego. Natura humana Christi tota unitur toti naturæ divinæ in personâ Verbi, sed illa unio in dimensionum æqualitate et conveniențiâ non consistit, neque ejusmodi nexu quidquam detrahitur immensitati quâ Deus, substantiâ suâ infinitè perfectâ, omnia pervadit et omnibus præsens est. Pariter nativitas, passio, mors et alia quæcumque naturam humanam à Verbo assumptam afficiunt, nullo pacto in naturâ divinâ ut in subjecto recipiuntur, nec ullâ ratione Deum immutant. Enimverò ambæ illæ naturæ in Verbo arctissimè uniuntur sine ullâ confusione aut mixtione, servatâ earum distinctione et salvis utriusque proprietatibus ac operationibus; unde, ut observat S. Leo, serm. 20, aliàs 1 de Nativitate cap. 2 : *Nec inferiorem naturam consumit glorificatio, nec superiorem minuit assumptio. Tota est in majestate humilitas, tota est in humilitate majestas.* Sicut ex eo non deprimitur majestas divina, quòd locis etiam sordidissimis præsens sit, nec radius solaris conspurca-

tur quòd in lutum incidat; multò magis nec Filius Dei vilescit quòd sibi naturam humanam hypostaticè conjunxerit, et quæ humanitatis propria sunt, per eam operetur. Cæterùm, jam superiùs observavimus quantùm in iis omnibus agendis ipsa Christi resplenderit Divinitas. Cùm autem Philipp. 2, Apostolus ait Filium Dei se incarnatione *exinanivisse*, non significat eum à majestate divinâ excidisse, sed tantùm 1° naturam ab eo in hoc mysterio assumptam, utpote finitam et creatam, esse rem nullam si cum dignitate et perfectione Divinitatis conferatur; 2° hunc per ejusmodi naturam stupendos obedientiæ et demissionis actus pro nostrâ salute elicuisse. Ad tertium, adhuc distinguo: A justitiâ et æquitate alienum est innocentem pro sontibus neci tradi, ubi se pro sonte vadem et sponsorem liberè non constituit concedo; ubi dominium vitæ suæ habens seipsum vadem pro sonte constituit, seseque spontè pro eo neci offert, nego. Hæc ubi de satisfactione Christi uberiùs explicabuntur. Ad quartum, nego majorem. Neque ut finem, neque ut medium quo salus posset hominibus conciliari, Deus voluit Deicidium quod à Judæis patratum est. Nequaquàm prædestinavit Judæos ad Christum occidendum, ut eo scelere tanquàm medio salvandorum hominum uteretur. Sed ita sapiens et potens est ut ex tanto crimine bonum maximum eruere noverit. Scilicet prævisâ Judæorum malitiâ, voluit ut mors, quam Christo intulerunt, quatenùs ab eo voluntariè pro nobis tolerata, salutis causam hominibus afferret. Mors igitur Christi fuit ex parte Judæorum infandum scelus Deo et hominibus detestabile et omni pœnâ dignum; sed ex parte Christi sponte pro salute nostrâ se immolantis, fuit opus infiniti pretii, summæ erga Deum religionis et immensæ erga nos charitatis; ex parte Dei, opus summæ misericordiæ simul et justitiæ, necnon infinitæ dignitatis et majestatis. Vide S. Bernard. tract. de Erroribus Abælardi, olim Epist. 90, cap. 8, n. 21.

Obj. rursùs adversùs eamdem partem. Charitatis est beneficia accelerare, unde Proverb. 30, v. 38, legitur: *Ne dicas amico tuo: Vade et revertere, cras dabo tibi, cùm statim possis dare.* Ergo conveniens non fuit Incarnationem hominibus summè necessariam per tot secula differri. 1° Dist. ant.: Charitatis est accelerare beneficia, quando illis quibus conferuntur, prodest acceleratio, concedo; quando noceret, nego. Jam docuimus juxta sanctos Patres Incarnationis dilationem fuisse generi humano proficuam. Si summum remedium peccato destinatum, Incarnatio scilicet et mors Christi, hominibus ab exordio rerum concessum esset, fortè positâ præsenti rerum constitutione, à genere humano superbiente fuisset contemptum, atque ita hominum plaga insanabilis evasisset. *Si fortè inquiritis*, ait Theodoretus sermone 6 de Providentiâ Dei, *cur non priùs olim hoc præstiterit opifex mundi; medicos etiam accusate, quòd acriora remedia in ultimum tempus differunt; levioribus siquidem priùs, usi, potentiora ultimo loco adhibent.* 2° Dist. consequens: Si habeatur ratio non solùm bonitatis et misericordiæ divinæ, sed etiam aliorum attributorum, nego. Si habeatur ratio solius charitatis et misericordiæ Dei, subdistinguo: Si Incarnationis virtus applicari non potuerit antequàm illud mysterium perageretur, concedo; si virtus Incarnationis præteritis temporibus potuerit per fidem applicari, nego. Itaque 1°, etsi Incarnatio maximum sit Dei donum hominibus collatum, attamen, cùm de ejusmodi mysterii convenientiâ inquiritur, non habenda est solius divinæ misericordiæ et charitatis erga creaturas ratio. Ad reliqua etiam ejus attributa attendendum est, quæ hujus doni dilatione potuerunt exprimi. V. g., justitiam suam, sanctitatem et odium peccati ab homine commissi Deus Incarnationem differendo, magis expressit, quàm si tantum munus et uberes gratias ipsi annexas illicò concessisset. 2° Virtutem Incarnationis et mortis Christi fide sibi veteres applicare potuerunt, adeò ut licet nec lex naturæ, nec ipsa lex Mosaica de se ullam vim benè agendi conferrent, attamen à mundi origine Deus generi humano providerit; conferens scilicet intuitu meritorum Christi auxilia salutis, quæ gratiis post Incarnationem concessis minùs quidem affluxerunt, sed tamen non fuerunt nulla. Hinc Apocal. 13, v. 8, Christus dicitur *Agnus occisus ab origine mundi.* Atque illud est totius traditionis dogma quod inprimis S. Augustinus et ejus discipuli passim inculcant. *Incarnatio*, inquit S. Leo serm. 22, aliàs 3, de Nativit. cap. 3, *hoc contulit facienda, quod facta; et fundamentum salutis humanæ in nullâ antiquitate cessavit. Quod prædicaverunt Apostoli, hoc annuntiaverunt Prophetæ, nec serò est impletum quod semper est creditum.... Non itaque novo consilio Deus rebus humanis, nec serâ miseratione consuluit, sed à constitutione mundi unam eamdemque omnibus causam salutem attulit. Gratia enim Dei quâ semper est universitas justificata sanctorum, aucta est Christo nascente, non cœpta. Et hoc magnæ pietatis sacramentum, quo totus jam mundus impletus est, tam potens etiam in suis significationibus fuit, ut non minùs adepti sint, qui in illud credidêre promissum, quàm qui suscepêre donatum.*

Obj. adversùs tertiam conclusionis partem, plura SS. PP. testimonia, quibus id effici videtur, sine condignâ satisfactione, ac proinde sine Incarnatione, homines non potuisse liberari. Multa ejusmodi loca refert Petavius, lib. 2 de Incarnat. cap. 12 et 13; consule: aliqua exhibere sufficiet. S. Irenæus, lib. 3, cap. 18, aliàs 20, n. 7: *Nisi homo*, inquit, *conjunctus fuisset Deo* (per Incarnationem), *non potuisset particeps fieri incorruptibilitatis.* S. Athanasius, Orat. 3, aliàs 4, contra Arianos, n. 33: *Nisi*, inquit, *quæ propria sunt carnis, Verbi esse dicerentur, ab his homo non penitùs fuisset liberatus.* Adhuc significantiùs loquitur L. de Incarnatione Verbi Dei n. 7, pag. 53; S. Augustinus, serm. 174, aliàs 8, de Verbis Apostoli, n. 1: *Non liberaretur genus humanum, nisi sermo Dei dignaretur esse humanus.* Et sermone 14 de Tempore, nunc inter rejectos ad Append. 193: *Nullum esset salutis remedium, nisi Christus adveniret è cœlo.* S. Cyrillus, dialogo de Incarnatione Unigeniti: *Apprehendit*, inquit, *Deus.... semen Abrahæ, sicut scriptum est. Ita enim et*

non aliter, genus ad perniciem devolutum instaurandum erat. S. Leo Magnus, serm. 50, aliàs 1, de Passione Domini, cap. 2 : *Talibus*, ait, *vinculis tenebamur obstricti, ut nisi per hanc opem non possemus absolvi.* Denique S. Anselmus, in opere cui titulus : Cur Deus homo, ex professo probat præsertim lib. 1, cap. 12, Incarnationem fuisse medium reparando generi humano prorsùs necessarium.

Respondeo hæc et alia sanctorum Patrum, excepto S. Anselmo, similia testimonia intelligenda esse hypotheticè, seu de potentiâ Dei ordinariâ, quâ Deus secundùm leges quas ab æterno constituit, operatur, non verò absolutè, seu de potentiâ extraordinariâ quâ operatus fuisset in aliâ hypothesi, seu in alio rerum ordine quem instituere potuisset. Enimverò pœnas peccatis debitas Deus repetere in præsenti statu ab æterno decrevit; id certò ex Scripturis constat ut aliquando ostendemus; positâ illâ lege, manifestum est eum citra condignam satisfactionem, ac proinde sine Incarnatione peccata dimittere non potuisse, quin immutabilitatem, veritatem et justitiæ suæ jura læderet et posthaberet. Atque hoc unum significant SS. Patres; ut patet 1°, quia eorum sententiis hâc de re explicandis sufficit ejusmodi necessitas quæ consequitur decreta liberè à Deo ex omni æternitate constituta; 2° quia iidem SS. Patres à quibus Incarnationis necessitas ad liberandos homines asseritur, non minùs disertè inculcant alio modo verè potuisse reparari genus humanum. Vide loca inter probationes tertiæ partis concl. allata.

Obj. iterùm : Qui naturæ suæ necessitate justus est, sanctus, imò et justitia ipsa et sanctitas; qui peccatum necessariò odit, non potest illud non punire, non potest quin ex eo plenam satisfactionem reposcat; atqui Deus, etc.; ergo, etc. — Dist. majorem : Non potest illud non punire nisi illud deleat et aboleat, concedo; si illud deleat et aboleat, nego; fatemur Deum necessario odio peccatum prosequi, imò et peccatorem quà peccator est. Sed contendimus illud odium necessariam non habere cum satisfactione accuratâ reposcendâ connexionem; quid ita? 1° quia peccator varios habet respectus sub quibus Deus ipsi bonum velle potest; nimirùm est creatura à Deo facta, restaurationis capax; quare ergo Deus eum gratiâ suâ prævenire et reparare non posset, sicque iniquitatem ejus delere et abolere, atque ab eo ad justitiam reverso nullam pœnam, vel saltem mitiorem et temporaneam tantùm repetere? 2° Si odium summum quo Deus peccatum aversatur connexionem necessariam haberet cum peccatoris punitione, Deus non posset ex mero suo beneplacito et misericordiâ pœnas à sontibus luendas, in Christum innocentem transferre, neque consentiret hunc pro nobis condignæ satisfactioni imparibus justam compensationem exhibere. Nempe, ubi adest necessitas, ibi liberæ dispositioni nihil relinquitur. Si naturæ suæ necessitate Deus ita adigitur ad puniendum peccatum, ut nequeat illud abolere sine satisfactione condignâ, pœnas peccato debitas à peccatore ipso reposcat necesse est. Sin verò, ut peccator à debito liberari et salutem consequi posset, Deus misericors potuit statuere futurum ut alter pœnas peccato debitas solveret; ergo ex necessitate suæ naturæ Deus non odit sub omni respectu peccatorem, sed potiùs eum esse opus manuum suarum considerans, potest ex infinitâ suâ misericordiâ velle ipsi succurrere, et ejus reparationem, seu peccati abolitionem decernere. Proindeque odium necessarium, quo Deus peccatum et ipsum peccatorem ut peccatorem prosequitur, absolutè non habet necessariam cum plenâ satisfactione repetendâ connexionem.

Instabis : Deus non potest sibi denegare quod sibi debet ex justitiâ; atqui Deus sibi ex justitiâ illud debet ut plenam de peccato satisfactionem exigat; ergo, etc. — Nego minorem. Debetur quidem Deo plena pro peccato satisfactio. Hinc non modò potest non parcere nisi condigna pro peccato satisfactio ipsi exhibeatur, sed etiam potuisset hominibus condignæ satisfactioni reddendæ per se imparibus non condonare; imò non necessariò pro nobis acceptavit, quas Christus obtulit satisfactiones. At non idcò sibi absolutè et antecedenter ad omne decretum debet, ut condignam pro peccato commisso satisfactionem reposcat. Hoc enim tantùm absolutè sibi Deus debet 1° ut extra se agendo, sua attributa non neget, id est, ut nihil velit quod ipsis opponatur; 2° ut opus ejus et agendi ratio decorem habeant attributorum suorum. Atqui Deus, delendo et abolendo peccatum citra condignam satisfactionem, nihil operaretur justitiæ suæ oppositi. Eam quidem non exprimeret, sed ea non indiget exprimi. Cæterùm, nullam iniquitatem perseverare et subsistere impunitam sineret, nullum peccatorem facti non pœnitentem à pœnâ semper immunem relinqueret; siquidem ex hypothesi, quas sine satisfactione condignâ iniquitates condonaret, eas gratiâ suâ deleret et aboleret. Pariter, licet ejusmodi gratuita peccati abolitio et condonatio characterem justitiæ divinæ non gereret, non tamen attributorum divinorum decore privaretur. In eâ enim emicarent bonitas et misericordia, sanctitas et omnipotentia Dei. Bonitas nempe et misericordia, ut patet; sanctitas, seu amor recti et odium peccati, quatenùs ad peccatorem pœnis subtrahendum, eumque felicitate donandum, oportuisset eum immutari et justum effici; omnipotentia tandem in hâc ipsâ hominis immutatione et restauratione peragendâ. Fatendum in modo quo Deus genus humanum reparavit, longè splendidiùs hæc ipsa attributa, simul cum justitiâ et aliis perfectionibus divinis, refulgere et exprimi. Sed jam non semel docuimus, præsertim cap. 2 hujus disputationis, Deum non necessariò teneri, posito quòd agat, attributa sua quoad potest exprimere.

Obj. ultimò : Deus non potest justum mercede pactâ destituere; ergo à pari peccatorem pœnis debitis afficere tenetur. Nego consequentiam. Ratio disparitatis est quòd Deus operæ mercedem justo non tribuendo jus ejus violaret. Peccatum verò citra condignam satisfactionem remittendo nemini injuriam faceret, sed tantùm suo jure cederet, cujus exercitium ipsi necessarium non est.

CAPUT V.

Utrùm in hypothesi condignæ satisfactionis pro peccato exhibendæ, simpliciter necessaria fuerit Incarnatio?

Vox *satisfacere*, apud Latinos multiplici sensu accipi solet. Dicitur enim satisfacere, qui rem alteri gratam facit, et ejus desiderium implet, item qui officio suo fungitur, qui alicui se excusat, qui debitum solvit, illata resarcit damna, honorem læsum restaurat, etc. Eò loci satisfacere idem nobis est ac solvere debitum quod ex læsione honoris et existimationis contrahitur. Satisfactio hoc sensu accepta à multis dividitur in perfectam, condignam, et congruam. Satisfactio perfecta ea est, quæ omnes conditiones summo ure ad accuratè satisfaciendum requisitas continet, et definiri potest : *Redditio voluntaria honoris et reverentiæ æquivalentis, ex propriis et aliàs indebitis, ad compensandam injuriam alicui illatam.* 1° Dicitur, *Redditio*, quia satisfactio est actus justitiæ ad alterum, quo scilicet honos ei restituitur et injuria illata compensatur. 2° Dicitur, *Voluntaria*, tum quia injuria seu offensa ab actu libero profecta, actu libero compensari debet; tum quia sine aliquâ voluntariâ personæ honorantis submissione, nullus honos reddi posse concipitur; tum denique quia satisfactio est actus virtutis justitiæ; omnis autem virtutis actus voluntarius sit necesse est. Hinc propriè non dicitur satisfacere, sed satis pati, qui judicis sententiâ coactus pœnas debitas lueret, et alteri quod suum est invitus persolveret. 3° Dicitur *Honoris et reverentiæ æquivalentis*, id est, cujus æstimatio et valor compensandæ ad æqualitatem gravitati et malitiæ injuriæ sufficiant. Justitia enim, cujus actus est satisfactio, perfectam æqualitatem, si sit accurata, necessariò postulat. Hæc autem æqualitas est rei ad rem, unde arithmetica dici solet. Neque enim ad perfectam satisfactionem sufficeret illa æqualitas, quam in hoc negotio geometricam vocant, quâ scilicet tantumdem redditur quantùm debitoris toti solvendo non idonei facultas ferre potest. Si valor honoris in satisfactionem exhibiti, offensæ gravitate vel minimùm superaretur, à perfectione justitiæ deficeret. 4° Dicitur, *Ex propriis*, quia necesse est ut persona satisfaciens de suo offerat, quæ satisfactioni sufficiant, et ut in ea quæ offert, habeat dominium. Quòd si persona læsa de bonis suis tribueret, quæ sibi in satisfactionem reddi consentiret, non ideò tolleretur inæqualitas per offensam inducta. Censeretur hæc persona injuriam à se acceptam gratis condonare; quemadmodùm creditor pecuniam debitori suo donans ut sibi eam reddendo satisfaciat, censetur debitum remittere. Alio modo res se haberet, si quis lucrum ex bonis acceptis industriâ propriâ perceptum in solutionem tribueret; v. g., si homini industrio centum aureos tibi debenti, totidem alios in mercaturam impendendos ut ex lucro tibi satisfaciat, commodaveris; atque is reipsà illud lucrum faciat quod utrique debito exsolvendo aptum sit, tunc verè satisfacere poterit. Cæterùm, tum de hâc, tum de proximè sequenti satisfactionis perfectæ conditione accuratè definiendâ et explicandâ, nec non de utràque satisfactioni Christi accommodandâ, non leves sunt theologorum concertationes, quas dissertatione 8 de Perfectione satisfactionum Christi disserente, expendemus. 5° Dicitur, *Ex aliàs indebitis*, quia non satisfacit, qui rem alicui obligationi extinguendæ obstrictam et consumptam, in solutum novi debiti confert. Decem aureos mutuò accepisti, et alios decem ratione mercium non numeratâ pecuniâ sumptarum debes, huic duplici debito exsolvendo non sufficiunt decem aurei. Nec obstat aliquem sacris ordinibus initiatum et ecclesiastico beneficio potientem, etsi duplici titulo teneatur recitare horas canonicas, unâ tamen earum semel in die recitatione officio suo satisfacere; nam ejusmodi obligatio non à jure naturali, sed ab Ecclesiæ lege oritur, quæ id tantùm oneris in ejusmodi casu imponere voluit. 6° Dicitur, *Ad compensandam injuriam alicui illatam*, quia honor et reverentia satisfactione ad hunc finem redditur personæ læsæ, ut offensio seu injuria quam passa est, compensetur. Unde satisfactio differt à merito, quod præmium respicit, et à restitutione, quæ res ipsas seu bona fortunæ spectat.

Satisfactionis condignæ notio varia est apud diversos. Alii, ut Turnelius, quæst. 5, nomina satisfactionis condignæ et satisfactionis perfectæ et accuratæ promiscuè sumunt, et nullum inter ea discrimen constituunt. Alii, ut Frassen, de Incarn. disp. 1, satisfactionem condignam appellant eam quæ æquivalet debito, sed non fit ex aliàs indebitis. Alii, ut Suarez, disput. 4, sect. 7, statuunt ad satisfactionem aliquo modo condignam sufficere ex parte Dei, promissionem; et ex parte satisfacientis, aliquam, etsi imperfectam nec æquivalentem, operum ejus cum satisfactione exhibendâ proportionem, ex solâ gratiâ et charitatis dignitate ortam. Satisfactionis condignæ nomine intelligemus eam quæ est ad æqualitatem, seu desint, seu adsint aliæ conditiones ad perfectam satisfactionem summo jure necessariæ. Ita ut omnis satisfactio perfecta sit condigna, licet non vice versâ, ut ex consequentibus satis liquebit. Satisfactio congrua et imperfecta ea est cujus valor viribus debitoris toti solvendo imparis respondet, non debito. Ex his intelligitur operi quo satisfit, inesse aliquem valorem. Valor autem generatim est dignitas seu excellentia quædam, quâ aliquid natum est in pretium vel compensationem dari. Proindeque valor satisfactionis est dignitas quâ opera quibus exhibetur, compensandæ offensæ seu injuriæ idonea sunt. Planum est ejusmodi valorem (haud secùs ac honestatem et meritum actionum) esse quid morale, ex variis, tum ad excellentiam personæ satisfacientis, tum ad actuum objectum et circumstantias respectibus resultans, ac veræ æstimationi fundamentum præbens.

Observandum autem valorem satisfactionis eò superioris esse ordinis quò excellentior et sublimior est personæ satisfacientis dignitas; gravitatem verò, seu malitiam offensæ ex dignitate personæ læsæ et ex vilitate offendentis esse æstimandam. Ubi igitur summa est dignitas personæ satisfacientis, tunc valor satis-

factionis est ordinis supremi; atque ubi persona læsa offendenti infinitè præstat, tunc ad supremum offensæ genus gravitas injuriæ pertinet. Quæ tamen non officiunt ne intra eumdem satisfactionis ordinem, actus quibus satisfactio exhibetur, spectatis objecto, fine, difficultate, etc., varii valoris esse queant; nec etiam quominùs malitia seu gravitas offensæ intra eumdem ordinem major sit vel minor, prout gravior vel minùs gravis est materia peccati, majorque vel minor cognitio aut advertentia peccantis.

Jam porrò à nobis hîc supponitur, quod ex dicendis inferiùs dissert. 8 perspicuum fiet, Christum videlicet plenam et perfectam pro redimendis hominibus satisfactionem persolvisse. Quapropter præsens quæstio cò tota reducitur, an purus homo, seu mera creatura redimendis hominibus ex perfectâ justitiâ sufficerit, seu plenam et condignam pro eorum peccatis satisfactionem exhibere potuerit. Si enim quævis mera creatura donis gratiæ quibuslibet ornata condignam et accuratam pro peccatis hominum satisfactionem reddere non valeat, evidens est ad ejusmodi satisfactionem simpliciter necessarium fuisse mysterium Incarnationis, quantùm ad substantiam spectatum. Nam nomine meræ creaturæ ea intelligitur quæ alicui personæ divinæ unita non est.

Consentiunt omnes theologi 1°, quocumque in statu puram creaturam sibi relictam, seu omni auxilio gratiæ destitutam, non posse ullo modo verè satisfacere pro peccato quovis, præsertim mortali. Id certò colligunt ex iis quæ contra Pelagianos de necessitate gratiæ ad opus supernaturale et meritorium definita sunt. Consentiunt facilè 2°, meram creaturam, à peccato immunem, gratiâ sanctificante, et uberibus auxiliis actualibus instructam, de potentiâ Dei absolutâ potuisse saltem aliquo modo satisfacere Deo pro peccatis hominum. Ponamus enim, v. g., hominem quemdam, his donis cumulatum, aliorum hominum caput in ordine gratiæ à Deo constitutum fuisse, adeò ut juxta hanc dispositionem divinam is homo in alios influxisset, et iis potuisset prodesse sicut Adam nobis nocuit; hâc factâ hypothesi, opera quæ hic homo in satisfactione peccatorum alienorum obtulisset, utpote supernaturalia et à personâ sanctâ et Deo gratâ quæ esset cæterorum caput, profecta, aliquam ex gratiæ dignitate et ex Dei ordinatione habuissent ad satisfaciendum habitudinem; atque iis proinde, si non condignè, ut dicemus, saltem congruè et imperfectè Deo satisfactum fuisset. Consentiunt 3°, purum hominem, quamvis sanctissimum, de potentiâ Dei ordinariâ seu juxta præsentem rerum dispositionem, non potuisse de condigno et ad æqualitatem pro peccato omnium hominum Deo satisfacere, ac proinde ad salutem nostram operandam in hoc rerum statu opus fuisse Homine-Deo. Quod quidem tum ex Scripturis, præsertim Heb. 9 et 10, tum ex constanti SS. Patrum traditione, quorum multa testimonia mox referemus, manifestissimè deducitur. At verò in diversas itur sententias circa condignitatem et perfectionem satisfactionis quam de potentiâ absolutâ Dei, et juxta extraordinariam dispositionem rerum, mera creatura pro peccatis exhibere potuisset.

Scotistæ doctorem subtilem secuti, existimant purum hominem gratiæ donis ornatum, pro peccatis humani generis, de potentiâ Dei absolutâ, et secundùm extraordinariam ejus dispositionem, potuisse perfectè et ad æqualitatem ipsi satisfacere. Ratio quâ præcipuè innituntur, ita est, malitiam peccati eo tantùm sensu crescere juxta dignitatem personæ offensæ, et vilitatem offendentis, quòd offensa contra digniorem personam, cæteris paribus, sit gravior illâ, quæ minùs dignæ personæ irrogatur; adeò ut ejusmodi malitia solùm objectivè infinita sit, in se verò formaliter et intrinsecè etiam in genere moris finita; aliàs, inquiunt, nullum peccatum altero gravius esse posset, cùm infinitum non possit esse infinito majus. Hinc concludunt absolutè non repugnare ut opera hominis justi numero et dignitate suâ gravitatem offensæ per peccata hominum Deo illatæ adæquent, illamque ex perfectâ justitiâ compensent, quamvis tamen in præsenti statu nemo seu multitudine actuum satisfactoriorum, seu eorum excellentiâ possit condignam pro multitudine peccatorum generis humani satisfactionem impendere. Vide Frassenum, t. 3 theologiæ Scoti, tract. 1, disp. 4, a. 4, sect. 3, q. 2.

Thomistæ contra, rati malitiam peccati lethalis esse simpliciter et intrinsecè infinitam in genere moris, statuunt etiam de potentiâ Dei absolutâ fieri non posse ut pura creatura, quantiscumque gratiæ donis ornata, æquivalentem et perfectam pro mortali delicto seu proprio seu alieno satisfactionem impendat. Censent igitur in hypothesi condignæ seu æquivalentis satisfactionis, simpliciter necessariam fuisse Incarnationem. Vide Gonetum, tom. 4 Clypei Thomistici, tract. de Incarn., disp. 4, art. 1, et t. 3, tract. de Peccatis, disp. 9, ubi fusè explicat quâ ratione peccata lethalia diversæ gravitatis esse possint, etsi omnium malitia intrinsecè infinita sit.

Suarez in 3 S. Th., disp. 4 de Incarn., sect. 7, et alii circa necessitatem Incarnationis ad satisfactionem æqualem pro peccato mortali impendendam Thomistis consentientes, diverso tamen modo rem explicant. Nimirùm de peccati lethalis malitiâ quamdam inter oppositas Scotistarum et Thomistarum opiniones mediam sententiam tenent. Cum Scotistis negant hanc malitiam esse intrinsecè et simpliciter in genere moris infinitam. Tuentur autem cum Thomistis peccatum lethale in superiori quodam offensæ ordine ita esse collocatum, ut superet quamcumque injuriam cuilibet creaturæ etiam possibili irrogatam, et nullâ puræ creaturæ satisfactione exæquari et compensari possit. Vide Suarez, loco citato. Ilis notatis, sit

Conclusio. In hypothesi condignæ et accuratæ satisfactionis simpliciter necessaria fuit Incarnatio.

Probatur 1° ex SS. Patribus. S. Athanasius Orat. 2 contra Arianos, n. 67 : *Quod* (regnum cœlorum) *ideò*, inquit, *consequimur, quòd ipsum Dei Verbum proprium atque ex Patre genitum carnem induit, factusque homo est. Nam si creatam cùm haberet naturam, factus*

postea fuisset homo, idem profectò quòd antea mansisset hominum genus, neque cum Deo conjunctum fuisset. Quî enim res facta per rem factam cum Creatore conjungi posset?... Quî verò, si Verbum res creata esset, Dei sententiam abrogare, peccatumque dimittere, cùm hoc Dei proprium esse scripserint Prophetæ? S. Basilius, homiliâ in Psal. 48, ad hæc verba : *Frater non redimit, redimet homo*, etc. Sic habet : *Neque igitur fratrem in redemptionem quære, sed aliquem, qui tuam excedat naturam; neque hominem nudum, sed Hominem-Deum, Jesum Christum, qui solus pro nobis omnibus Deo dare potest placationem.* S. Augustinus, Enchiridii cap. 108 : « Neque, inquit, per ipsum liberaremur unum mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum, nisi esset et Deus. » S. Cyrillus Alex. in Epist. ad Valerianum Episcopum adversùs Nestorianos : *Quo pacto*, ait, *unus pro omnibus pretium exsolveret, si illa passio puri cujuspiam hominis fuisse putatur?* Simili ratione iterùm contra Nestorium arguit, lib. 4 de Fide ad reginas, ut probet Christum qui pro nobis passus est, purum hominem non fuisse. S. Leo Magnus, sermone 20, aliàs 1, de Nativitate, cap. 2 : *Nisi* (Christus) *esset Deus, non afferret remedium.* S. Paulinus Nolanus episcopus, in Epist. 4 ad Severum : *Ideò*, inquit, *dictum puto :* FRATER NON REDIMIT, REDIMET HOMO ; *quia quos frater non redemerat, hoc est, propheta, seu legislator, qui homo tantùm erat, hos homo redemit, qui et Deus erat :* DEUS *enim, inquit,* ERAT IN CHRISTO MUNDUM RECONCILIANS SIBI. *Hujus enim modi homo solus prævalere potuit adversùs sententiam mortis et aculeum peccati, ut chirographum mortis aboleret.* S. Fulgentius, lib. de Incarnatione et Gratiâ, cap. 4 : *Nullatenùs*, ait, *humana natura ad auferendum peccatum mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi in unione Dei Verbi non naturali confusione, sed solùm personali unitate transiret.* Adrianus I, S. pontifex, in Epistolâ ad episcopos Galliæ et Hispaniæ, et Patres concilii Francofordiensis, in libro Sacro-syllabo, probant Christum non fuisse filium adoptivum, quia gratiam adoptionis nobis obtinere non potuisset, si ipse, utpote homo purus eâ indiguisset. Vide t. 7 Concil. pag. 1017 et 1025. S. Joannes Damascenus, lib. 3 de Fide orthodox. cap. 15 : *Non*, inquit, *humano amore* (Christus) *humana factitabat, qui non homo solùm, verùm et Deus esset, unde passiones quoque ipsius vivificæ fuerunt et salutares.* S. Thomas, in 3 sent. dist. 20, q. 1, a. 4 : *Ex parte Dei*, inquit, *fuit alius modus possibilis nostræ liberationis, quia ejus potentia limitata non est, quem si elegisset, convenientissimus fuisset; non tamen habuisset rationem redemptionis, sed liberationis tantùm, quia liberatio non fuisset facta per solutionem pretii.* Art. 2 jam dixerat : *Ad hoc ut satisfactio esset condigna, oportebat quòd haberet virtutem infinitam, quia peccatum pro quo fiebat satisfactio, habebat infinitatem quamdam..... Actio autem puræ creaturæ non potest habere infinitam efficaciam, et ideò nulla pura creatura poterat sufficienter satisfactionem facere.* Et p. 3, q. 1, a. 2, ad 2 : *Peccatum contra Deum commissum, quamdam infinitatem habet ex infinitate divinæ majestatis; tantò enim offensa est gravior, quantò major est ille in quem delinquitur; unde oportuit ad condignam satisfactionem, ut actus satisfacientis haberet efficaciam infinitam, utpote Dei et hominis existens.* Probatur 2° duplici argumento theologico. Primum petitur ex triplici ratione juxta Scripturas et universam traditionem in peccato lethali attendendâ ; nempè debiti, quo, propter honorem Dei læsum, ejus justitiæ obstricti sumus ; inimicitiæ, quâ Dei inimici constituimur ; et criminis, quo rei sumus mortis et pœnæ æternæ. Unde peccatores in Scripturis, modò *debitores*, Matth. 6, v. 12, Coloss. 2 v. 14; modò *inimici Dei*, tam activè quàm passivè, Rom. 5, v. 10, Coloss. 1, v. 21; modò *rei*, Marci 3, v. 29, Jacobi 2, v. 10, appellantur. Itaque ut pro nobis satisfieret, necesse fuit debitum inimicitiâ Dei et pœnâ æternâ dignum persolvi ; num verò probabile est puram creaturam tanto debito ad æqualitatem solvendo idoneam fuisse ? Certè aliam omninò cogitationem nobis videntur injicere SS. Scripturæ, dùm Christum Hominem-Deum exhibent *delentem* (Coloss. 2 v. 14) *quod adversùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, affigentem illud cruci; solventem* (Ephes. 2, v. 14 et 16) *inimicitias in carne suâ... interficientem eas in semetipso; dolores nostros* (Isaiæ 53, v. 4) *portantem*, ac *pacificantem* (Col. 1, v. 20) *per sanguinem crucis, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt* ; ergo, etc.

Secundum argumentum deducitur ex conditionibus ad dignam et perfectam satisfactionem requisitis. Nam condigna satisfactio est æquivalens injuriæ illatæ, satisfactio autem perfecta debet præterea fieri ex propriis et ex aliàs indebitis ; atqui nec satisfactio æquivalens, nec satisfactio ex propriis et ex aliàs indebitis, citra Incarnationis mysterium Deo pro peccatis hominum impendi potuit. 1° Satisfactio æquivalens non potuit sine Incarnatione pro peccatis impendi, seu, quod idem est, ejusmodi satisfactioni reddendæ mera creatura, quibuslibet gratiæ donis ornata, impar fuisset. Enimverò omnes fatentur, et de se evidentissimum est, gravitatem seu malitiam offensæ ex personæ læsæ dignitate, et ex personæ offendentis vilitate esse æstimandam, ut jam explicatum est. Crescatne illa malitia seu gravitas ad æqualitatem arithmeticam, adeò ut extrinsecè et simpliciter infinita sit in genere moris, ut Deus infinitus est in ratione entis ? an verò crescat tantùm juxta aliquam proportionem quæ hic appellari solet geometrica, eo nempe sensu quòd offensa majestatis divinæ, etsi finita in se, ad supremum tamen offensæ ordinem pertineat? Controversiam hanc eò loci non attingimus. Solummodò statuimus malitiam seu gravitatem peccati mortalis in genere offensæ, ad eum gravitatis et malitiæ gradum seu ordinem esse referendam quem nulla puræ creaturæ satisfactio, etiam de potentiâ Dei absolutâ, exæquare valeat. Etenim dubitari non potest quin malitia peccati mortalis in genere offensæ, superet malitiam cujuslibet delicti, quocumque modo in quamvis creaturam commissi ; Deus enim ut infinitus, ut omnium finis ultimus,

tenuitur, deseritur per peccatum mortale, utpote quo unioni cum Deo anteponitur unio cum objectis caducis et finitis; ergo fingas quamlibet meram creaturam possibilem, in quocumque gradu honoris possibilis à Deo collocatam, injuria quæ illi creaturæ per aliam creaturam inferretur, inferior esset gravitati offensæ Deo peccatis lethalibus illatæ. Jam verò, ut jam observavimus, valor satisfactionis, quod spectat ordinem ad quem referendus est, petitur ex dignitate personæ satisfacientis; ubi igitur persona satisfaciens mera est creatura, quantacumque sit ejus dignitas, satisfactionum ejus valor non potest transcendere ordinem gravitatis injuriæ quæ creaturæ puræ ad summam dignitatem possibilem evectæ inferretur, ac proinde injuriæ Deo per peccatum mortale illatæ ad æqualitatem compensandæ sufficere non potest. Et verò, quemadmodùm crescit malitia offensæ ex dignitate personæ læsæ et vilitate offendentis, ita eò minuitur satisfactionis valor, quò persona satisfaciens inferior est personæ cui injuria fuit illata, et cui debetur satisfactio. Hinc omnibus probatur illud Aristotelis dictum lib. Moral. 5, de jure talionis non adhibendo, ubi deprehenditur personarum inæqualitas : *Si quis*, inquit, *magistratum gerens, alterum percusserit, non est percutiendus; si quis verò eum qui magistratum gerit, verberaverit, non modò reverberandus est, sed etiam supplicio afficiendus.* Cùm igitur dignitas cujusvis creaturæ puræ comparata ad supremam Dei majestatem nulla sit, planum videtur quamcumque ejusmodi puræ creaturæ satisfactionem, ad supremum satisfactionis ordinem reparando peccato mortali parem, pertingere non posse.

2° Citra incarnationem satisfactio non potuit esse ex propriis. Nam pura creatura de suo nihil in satisfactionem offerre potest; etsi enim gratiis sibi à Deo concessis homo purus liberè consentiat, ac proinde in ejusmodi auxiliorum usum et bonos fructus habeat dominium actui libero intrinsecum; attamen omne meritum actuum nostrorum in ordine ad finem supernaturalem, omnis omninò valor actionum quibus pura creatura potest pro peccatis utcumque satisfacere, ejusmodi, inquàm, meritum et valor à gratiâ quam Deus gratuito impertit ita oriuntur, ut à nobis provenire dici nequeant. *Non sumus*, inquit S. Paulus, 2 Cor. 3, v. 5, *sufficientes aliquid cogitare à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est;* et 1 Cor. 4, v. 7 : *Quid habes*, ait, *quod non accepisti?* unde S. Augustinus docet Deum coronando merita nostra coronare dona sua.

3° Satisfactio ex aliàs indebitis sine Incarnatione non potuit impendi. Nam tunc satisfactio non fit ex aliàs indebitis, cùm valor solvendo alteri debito jam obstrictus et consumptus in solutum novi debiti et quidem maximi per offensam illatam contracti offertur; atqui sic se haberet valor actionum quibus pura creatura Deo pro peccato satisfacere conaretur. Valor enim ejusmodi actionum 1° esset alteri debito solvendo obstrictus, siquidem quidquid creatura operatur, illud omne titulo gratitudinis, dependentiæ, religionis, ad Deum referri debet ut ad summum Dominum et ad omnium principium et finem. 2° Eidem solvendo debito esset consumptus, quippe tituli illi gratitudinis, dependentiæ, etc., satis superque sufficiunt omni exhauriendo valori actionum puræ creaturæ, cùm ille valor finitus sit. 3° Is valor in solutum novi et maximi debiti conferretur; maximi quidem, ut omnes fatentur et ex dictis liquet; novi etiam, nam vel creatura illa conciperetur satisfacere pro peccato proprio, vel pro alieno. Si pro peccato proprio, hoc ipsum est peccatum quod novum debitum extinguendum induxit. Cùm igitur is homo purus, antequàm peccâsset, omnia sua opera, omnes suos actus cum eorum valore Deo jam deberet, nihil proinde ipsi manet aliàs indebitum, quod in solutum hujus novæ et tantæ obligationis conferre possit. Si pro peccato alieno, vel mera creatura de quâ quæstionem movemus, lethaliter peccavit, vel ab omni peccato immunis est. Quamvis nihil peccâsset, illud tamen quod susciperet pro aliorum peccatis satisfaciendi onus, esset novum debitum, in solutionem cujus nihil potest afferre quod aliis titulis jam Deo non deberet. Sin autem lethali peccato obstricta esset, jam non modò titulis gratitudinis, dependentiæ, religionis, etc., sed etiam titulo justitiæ et satisfactionis illud Deo deberet, quod pro aliorum liberatione exhiberet; ergo pura creatura non potest Deo pro peccatis satisfacere ex aliàs indebitis, etc.

Solvuntur objectiones. — Obj. 1° : Mera creatura æquivalenti satisfactioni pro peccato lethali exhibendæ impar censeri nequit, nisi malitia peccati habeatur intrinsecè et simpliciter in genere moris infinita; si enim in se finita esset, et solummodò infinita extrinsecè et objectivè, seu ratione objecti infiniti quod lædit, procul dubio compensari posset valore actuum quibus pura creatura satisfaceret, siquidem illi actus etsi finiti intrinsecè, ad Deum tamen tendunt, et ad ipsum terminantur. Atqui malitia peccati lethalis in genere offensæ simpliciter et intrinsecè infinita non est. Aliàs omnia peccata lethalia essent perinde gravia, odium formale Dei non esset pejus furto; quod enim infinitum est nihil agnoscit se majus.—1° Neg majorem; nam, ut mera creatura impar sit exhibendæ æquivalenti pro peccato satisfactioni, satis est malitiam peccati in supremo ordine offensæ esse constitutam ad quem omnes actus satisfactorii puræ creaturæ pertingere non possint; atqui, etiamsi malitia peccati non esset in genere offensæ simpliciter infinita, attamen in supremo ordine gravitatis et malitiæ injuria illa constitueretur, ad quem actus satisfactorii puræ creaturæ pertingere non possent. Offensam enim cuilibet creaturæ quocumque in statu irrogatam malitia peccati lethalis in genere offensæ longè superaret, ut dictum est. Offensa autem longè superans omnem offensam quæ quocumque modo et quocumque in statu cuivis creaturæ irrogari potest, superioris est ordinis ad omnes puræ creaturæ satisfactiones.

Ad probationem majoris, distinguo : Si malitia peccati lethalis esset tantùm infinita extrinsecè, et præterea valor satisfactionum ab objecto, seu à personâ

cui satisfit perinde repeteretur, ut atrocitas delicti à personâ læsâ; tunc malitia peccati mortalis valore satisfactionum puræ creaturæ ad æqualitatem compensari posset, concedo; secùs, nego. Valor satisfactionum, ut non semel diximus, quantùm ad ordinem in quo collocandus est, à personæ satisfacientis dignitate desumitur, adeò ut eò superioris ordinis sit satisfactio, quò major et excellentior est personæ satisfacientis dignitas. Contrà, ordo ad quem pertinet malitia seu gravitas peccati lethalis in genere offensæ, petitur ex objecto quod hoc peccato contemnitur, seu ex dignitate personæ læsæ et ejus supra personam offendentem præstantiâ; ergo peccatum lethale, etsi malitiæ finitæ esset, posset tamen ex læsione objecti infiniti consequi gravitatem ordinis superioris quem satisfactiones puræ creaturæ exæquare non possent.

2° Negari potest minor cum Thomistis. Ad cujus probationem, distinguo : Omnia peccata mortalia essent perinde gravia, quâ parte infinita forent, concedo; undequàque, nego. Ponatur linea tenuis in infinitum protensa, et supponatur corpus crassius infinitè etiam secundùm longitudinem ductum, eadem erit utriusque longitudo, sed tamen extensio amborum erit longè diversa quantùm ad alias dimensiones. Sic licet omnia peccata lethalia in ratione offensæ et in genere moris essent infinita simpliciter quatenùs à Deo ut à fine ultimo avocant et disjungunt, ex aliis tamen capitibus possent valdè differre, nempe ex speciali gravitate violati præcepti, ex majori cognitione et deliberatione, ex subjectâ materiâ.

Instabis 1° : Gravitas offensæ ex dignitate personæ læsæ derivatur quidem, sed secundùm modum et capacitatem ipsius actûs quo injuria irrogatur; atqui is modus in peccato lethali finitus est, hujusque peccati malitiam supra ordinem satisfactionum puræ creaturæ constitui non arguit. Peccatum enim lethale nullâ perfectione intrinsecâ Deum privat, ejus beatitudinem non minuit, entitate finitum est, non habet intensionem infinitam, non fit cum cognitione Dei perfectâ et adæquatâ, cùm advertentiâ infinitâ; ergo gravitas offensæ Deo per peccatum lethale illatæ, nec est infinita simpliciter, nec excedit ordinem valoris satisfactionum quas pura creatura exhibere potest. — Nego minorem. Ad probationem, reponunt Thomistæ his omnibus probari tantùm peccati lethalis malitiam non esse infinitam in genere entis, id est, non esse actum physicè seu entitate infinitum, quod libenter fatentur; ex iisdem verò non consequi malitiam peccati in genere offensæ et moris non esse intrinsecè infinitam. Nam, inquiunt, atrocitas offensæ non sequitur rationem entitatis actûs peccaminosi, sed ex dignitate personæ læsæ æstimanda est, proindeque, cùm suprema Dei dignitas peccatorem, qui illam lethali delicto contemnit, non lateat, agnoscendum est eum offensæ infinitæ esse reum, etsi nec ejus advertentia et cognitio, nec ipsius actûs intensio et entitas infinitæ sint. Quòd si hæc difficulter admittas, istud saltem fatearis, quod nobis hîc satis est, ex supremâ Dei per peccatum mortale contempti et posthabiti majestate, derivari gravitatem seu malitiam, nullâ puræ creaturæ satisfactione, ut explicatum est, æquivalenter compensandam.

Instabis 2° : Actus charitatis habet à gratiâ quòd sit ordinis divini. Præterea, idem actus Deum ut summè bonum et omnium finem ultimum respicit, atque objectivè infinitus est, ut et offensa Dei. Hinc charitas omnium virtutum est perfectissima. Deinde actus charitatis et contritionis perfectæ peccato lethali è diametro opposita est, ita ut charitas tantùmdem reddat Deo, quantùm ipsi per peccatum ablatum est; scilicet peccator aufert Deo rationem finis ultimi, hanc ipsi charitas restituit; ergo actibus charitatis perfectæ purus homo absolutè posset pro suo aut alieno peccato ad æqualitatem satisfacere. — Respondeo ad singula. Ad primum, etsi purus homo gratiâ sanctificante ornatus, sit divini seu supernaturalis ordinis, etsi actus charitatis perfectæ ad eumdem ordinem pertineat, attamen integra tum hujusce personæ, tum illius actuum dignitas seu valor ab aliquo creato et finito oritur, nempe à dignitate gratiæ quâ ornatur movetur-que. Verùm offensæ Deo per peccatum illatæ gravitas ab ipsâ Dei majestate increatâ et infinitâ repetitur; proindeque illa gravitas exæquari non potest dignitate seu valore actuum charitatis, prout à gratiâ oriuntur, et ab homine justo producuntur. Ad secundum, charitas habet quidem Deum pro objecto; circa eum perfectiùs quàm aliæ virtutes versatur, atque illarum omnium est perfectissima. Sed non eodem sensu objectivè infinita est, quo peccatum lethale. Charitate amor et obedientia Deo debita ipsi redduntur; peccatò mortali describitur Deus, posthabetur, et in eum rebellatur. Quis autem non videt in exhibendis principi obsequio et amore debitis, parùm esse meriti; defectionem verò et in ipsum rebellionem esse crimen læsæ majestatis quod severiùs puniri nequit? Sed præterea, hîc de satisfactione agitur; valor autem in genere satisfactionis quem charitas ab objecto suo consequitur, æquiparandus non est gravitati quæ ex Deo læso in peccatum mortale sub ratione offensæ derivatur. Offensa enim multò magis crescere concipitur secundùm personæ offensæ præstantiam, quàm valor actûs quo personæ dignitatis summæ amor et obsequium debitum redduntur, ex ejusmodi personæ excellentiâ in genere satisfactionis crescere potest et adaugeri. Ad tertium, ex eo quòd charitas et peccatum è diametro opposita sint, id unum sequitur : peccatum prout inducit privationem charitatis esse tantum malum, quantum bonum est charitas. At nihilominùs peccatum lethale, ut est offensa Dei, in superiori quodam ordine constituitur, ad quem charitas in ratione satisfactionis non assurgit. Scilicet ordo ad quem pertinet valor charitatis, quatenùs in satisfactionem impendi potest, sumitur à dignitate personæ sese per charitatem litantis et consecrantis. Atqui ejusmodi valor non potest offensæ gravitatem ex supremâ Dei læsi majestate derivatam adæquare; ut ex dictis satis liquet. Neque insolitum est inter actus oppositos virtutum et vitiorum, nullam in ratione offensæ et satisfactionis deprehendi æquali-

tatem, ubi personæ sunt inæquales. V. g., qui regi suo addictus est nullam mercedem meretur; qui verò regem odio prosequitur, et in eum rebellat summo supplicio est dignus. Itaque licet peccator actu charitatis ad Deum ut ad finem ultimum convertatur, à quo per peccatum aversus fuerat, non ideò tamen exhibet Deo honorem æquivalentem injuriæ quam ipsi per peccatum intulerat, quod tamen ad condignam satisfactionem esset requisitum.

Ad consequentiam, ex dictis patet puram creaturam actibus charitatis perfectæ non posse satisfacere pro peccato mortali alieno. Multò minùs autem posset satisfacere pro suo. Nam creatura pura satisfaciens pro alieno supponi potest gratiâ sanctificante ornata et grata Deo, quæ dignitas meritum auget. Peccator verò qui actu charitatis pro suo peccato satisfacere dicerctur, nondùm esset gratiâ sanctificante instructus, quippe quæ remissionem et condonationem peccati secum habet necessariò annexam.

Instabis 3° : Malè censemus puram creaturam non posse de potentiâ Dei absolutâ pro peccato mortali satisfacere, etiamsi malitia hujus peccati non esset simpliciter et intrinsecè infinita. Namque, ut ait Gonetus de Incarn. disp. 3, c. 1, n. 5, offensa peccati mortalis non est ordinis divini per essentiam, nec per communicationem Divinitatis ut formæ seipsâ dantis gravitatem, aliàs esset infinita simpliciter et entitativè ; ergo solùm est ordinis divini objectivè, quatenùs terminatur ad Deum, et participativè, gravitate derivatâ à personâ divinâ per peccatum offensâ. Sed actus charitatis est etiam ordinis divini objectivè, terminatur enim ad Deum, et participativè, cùm charitas creata sit effluxus et participatio charitatis divinæ ; ergo, nisi offensa peccati mortalis constituatur infinita simpliciter in genere moris, non erit superioris ordinis ad omnes actus satisfactorios puræ creaturæ.—Dist. min : Actus charitatis est ordinis divini, id est, ordinis supernaturalis, concedo. Est ordinis divini eodem modo quo offensa Deo per peccatum mortale illata, nego. Actus charitatis est ordinis divini, seu supernaturalis 1° objectivè, quòd nempe Deum summè bonum ut gratiæ et gloriæ auctorem habeat pro objecto ; 2° ratione principii, siquidem gratia ad eum eliciendum necessaria naturæ non debetur et gratis à Deo conceditur ; 3° ratione finis, quia ad supernaturalem finem, scilicet visionem Dei, relationem dicit. Sed non ideò in genere satisfactionis est ejusdem ordinis ac offensa peccati mortalis. Nam valor actûs charitatis in genere satisfactionis petitur à dignitate gratiæ, et personæ gratiâ sanctificante ornatæ ; quæ sunt ordinis creati et finiti, etsi à Deo oriantur ut à causâ efficiente, et ad ipsum tendant ut ad gloriæ auctorem. At verò gravitas offensæ Deo per peccatum mortale illatæ, immediatè petitur ex ipso Deo tanquàm à personâ læsâ et contemptâ ; proindeque non eâdem ratione, ordinis divini sunt actus charitatis et offensa peccati lethalis ; illud igitur immotum stat, gravitatem hujus offensæ, etsi dicenda non esset simpliciter infinita, propter finitum modum quo peccator Deum offendit, nihilosecius tamen ad supremum offensæ ordinem nullâ puri hominis satisfactione condignè compensandum attinere.

Inst. 4° : Valor satisfactionis non tantùm sumitur à personâ satisfaciente, sed etiam ab objecto et aliis circumstantiis concurrentibus ad actum, sicut gravitas offensæ, non solùm à personâ læsâ, sed etiam ab objecto et à circumstantiis ad actum peccati concurrentibus desumitur ; ergo. — Dist. ant. : Valor satisfactionis intra eumdem ordinem sumitur ab objecto, etc., ut et gravitas offensæ, concedo. Valor satisfactionis ut et gravitas offensæ ratione ordinis in quo collocanda sunt, nego. Si persona regiæ dignitatis satisfactionem aliquam exhibeat, nemo non videt hujusmodi satisfactionem esse ordinis superioris satisfactioni quam impenderet plebeius. Posset verò regia hæc persona intra eum ordinem satisfactionis quem ejus dignitas constituit, diversi pretii actus satisfactorios elicere, pro diversitate objecti, difficultatis et circumstantiarum. Pariter offensa quam rex à plebeio sibi subdito acciperet, ordine superaret offensam quam subditus alii hujus regis subdito inferret ; atque intra illud offensæ regi factæ genus, diversitas objecti, modi et circumstantiarum, potest augere vel minuere delicti gravitatem. Itaque valor satisfactionis ratione ordinis ad quem pertinet, ut et gravitas offensæ eodem modo spectatæ, repeti debent, ille à dignitate personæ satisfacientis, hæc à personæ læsæ præstantiâ et excellentiâ ; tametsi, intra eumdem ordinem, ad valorem satisfactionis et gravitatem offensæ, objectum et circumstantiæ operis conducunt ; proindeque quantuscumque sit valor, quem charitas ab objecto suo consequitur, is in genere satisfactionis, ad ordinem supremum quò gravitas peccati lethalis in genere offensæ pertinet, assurgere non potest.

Instabis 5° : Ex his sequeretur nunquàm posse privatum pro injuriâ vel levissimâ regi illatâ satisfacere ; ergo, etc. — Nego ant.. Quando enim personæ læsæ dignitas solùm finita est, quod personæ satisfacienti deest, illud excellentiâ et utilitate operis satisfactorii suppleri et compensari non repugnat. V. g., si subditus qui aliquam regi offensam intulit, sese postea capitali periculo offerret ad eum incolumem servandum, atque ipsum adimeret letho, illi satisfecisse meritò censeretur. Sed ubi persona læsa offendenti infinitè præstat, offensa ad supremum ordinem gravitatis attinet, proindeque, etc.

Inst. 6 : Tantus est valor actûs charitatis perfectæ, quantum est peccati mortalis demeritum, siquidem, ut peccato mortali debitum pœnæ æternæ contrahitur, ita per actum charitatis æterna meretur felicitas. — Dist. ant. : Tantus est valor actûs charitatis perfectæ, in ratione operis meritorii, quantum, etc., concedo ; in ratione operis satisfactorii, nego. Ad merendum de condigno vitam æternam non requiritur actus qui in se sit pretii et valoris præmio æqualis ; satis est hominem in statu gratiæ sanctificantis esse constitutum, atque ab eo elici opus supernaturale, id est, quod ad supernaturalem beatitudinem de se habitudinem dicat. Nam meritum de condigno non tan-

tùm in opere meritorio fundatur, sed præsertim in promissione Dei qui ad præmium ob ejusmodi opus largiendum fidem suam obligavit. Verùm ad satisfactionem condignam et æquivalentem necesse est gravitatem offensæ ipso opere satisfactorio exæquari.

Instabis 7° : Peccator actu contritionis et charitatis perfectæ, gratiam sanctificantem consequitur; atqui nisi contritio charitate perfecta satisfactioni æquivalenti sufficeret, ejusmodi actu peccator gratiam sanctificantem non posset consequi; ergo saltem pro peccato proprio potest creatura pura donis ornata satisfacere. — 1° Dist. maj. : Gratiam sanctificantem consequitur in præsenti statu, et ex Dei liberalitate, concedo; absolutè, et ex naturâ rei, nego. Itaque, etsi juxta dispositionem præsentem à Deo institutam, homo peccator per contritionem charitate perfectam cum voto sacramenti, à peccatis illicò liberetur, et gratiam sanctificantem consequatur, attamen ejusmodi dispositionis naturæ non necessariò alligatur justificatio, seu infusio gratiæ sanctificantis. Congruum quidem est ut Deus peccatori cui actum contritionis charitate perfectum inspiravit, veniam et sanctificationem quoque tribuat; sed illud non est absolutè necessarium. Hinc concilium Tridentinum, sess. 6, cap 3, inter actus quibus ad justificationem peccator gratiâ excitatus se disponit, Dei dilectionem computans, in iis tamen nullam rationem meriti vel satisfactionis cap. 8 agnoscit. De quo legatur Vega, quæst. 6 et 7, de Justificatione; Bellarminus, de Justificat. cap. 23; Suarez hìc disp. 4, sect. 8. 2° Nego minor. Si peccatori actu contritionis charitate perfectæ sese ad gratiam obtinendam disponenti, deberet ex naturâ rei concedi à Deo venia et sanctificatio, non ideò pura creatura censenda esset pro peccato proprio satisfacere de condigno seu æquivalenter; sed inde sequeretur duntaxat, Deum auxilia ad actum contritionis charitate perfectæ eliciendum necessaria peccatori concedendo, velle ipsi gratis et citra æquivalentem satisfactionem remittere peccatum.

Obj. 2° : Mera creatura potest gratiâ infinitâ donari; atqui hoc posito condignè satisfaceret; ergo. Præterea potest pati pœnam infinitam; sed pœna infinita satisfactioni condignæ procul dubio sufficit; ergo. — Ad primum, nego maj., quia quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur; ergo gratia cujus entitas esset infinitè intensa non potest in merâ creaturâ quæ necessariò finita est, recipi. 2° Nego minorem. Nam valor satisfactionis exhibitæ à merâ creaturâ dono gratiæ infinitæ instructâ repeteretur ab aliquo creato, et infinito tantùm sub aliquo respectu, nempe à gratiâ infinitâ. Gravitas autem peccati lethalis in ratione offensæ petitur à dignitate Dei, qui in omni genere perfectionum infinitus est. Ad secundum, 1° nego etiam maj., quia pœna infinita non potest in subjecto finito recipi. Æternùm quidem pœnam dabunt damnati, quia eorum peccatum semper manebit. Sed nunquàm dici poterit pœnam infinitam ipsos esse passos. Ipsa damni pœna infinita est solùm objectivè. 2° Nego min., quia aliud est satis pati, aliud est satisfacere. Satis patitur qui pœnas delictis debitas etiam invitus subit. Satisfacit verò ad æqualitatem, qui ut offensam illatam compenset, honorem æquivalentem voluntariè reddit.

Obj. 3° : Homo purus potest satisfacere ex propriis. Nam 1° actuum suorum habet dominium, utpote liber. 2° Si ad satisfactionem ex propriis non sufficeret illud in actus satisfactorios dominium, quod intrinsecum est actui libero, neque Christus pro nobis potuisset ex propriis satisfacere. 3° Supremum dominium quod Deus habet in actus supernaturales creaturæ non magis officit quominùs mera creatura ex propriis satisfacere possit, quàm dominium reipublicæ in bona subditorum obesse potest ne privati ex propriis satisfacere valeant reipublicæ; ergo. — Nego antecedens. Ad primum in probationem adductum, non sufficit ut quis satisfaciat ex propriis, illud quod offert, esse aliquâ ratione sub ejus dominio; insuper requiritur ut id quod in satisfactionem impendit de suo proveniat. Atqui mera creatura nihil potest in satisfactionem impendere quod de suo proveniat; quidquid enim valoris supernaturalis seu in genere meriti, seu in genere satisfactionis actibus ejus liberis inesse potest, illud ex ipsâ non provenit, sed ex gratiâ quæ ejus naturæ non debetur, quamque à Dei liberalitate accepit. Ad secundum, ostendemus cap. 3 disputationis 7, ubi de perfectione satisfactionum Christi, earum valorem ex ipsâ Christi personâ provenisse. Ad tertium, nego paritatem. Dominium altum quod respublica in bona subditorum habet, iis tantùm in casibus exerceri potest, in quibus necessitas reipublicæ id postulat. Neque enim ejusmodi bona sunt propria reipublicæ, neque ab eâ accepta sunt ut eorum usus ad eam referatur; privati soli eorum habent dominium tam utile quàm directum. Verùm omnis actuum creaturæ puræ valor in genere meriti aut satisfactionis magis Dei est, quàm hujus creaturæ, neque oritur à naturâ, sed à gratiâ naturæ creatæ indebitâ et à Deo liberaliter impertitâ, ut ejus usum ad eum solum referamus.

Quæres an pura creatura possit condignè satisfacere pro peccato veniali? — Resp. hominem purum gratiâ sanctificante ornatum posse de condigno satisfacere pro peccato veniali. Ita fert communis opinio theologorum, vide Suarez, Gonetum disputationibus supra citatis, etc. Probatur 1°, quia testimonia Patrum quibus puram creaturam condignæ satisfactioni exhibendæ non esse idoneam modò evicimus, de solo peccato mortali manifestè intelligenda sunt. 2° Quia peccatum veniale juxta Scripturas et traditionem à peccato mortali essentialiter differt, ut theologi ostendunt in tractatu de Peccatis. In hoc autem juxta veram et communem doctrinam, constituitur illud discrimen, quòd peccato mortali Deus ut finis ultimus à creaturâ deseratur et contemnatur, quatenùs unioni cum ipso præfertur unio cum rebus caducis et finitis; dùm contrà per peccatum veniale homo à Deo ut à fine ultimo nullo modo se avertit; sed tantùm in re levi ad dissolvendam cum Deo unionem non sufficienti, vel saltem cum imperfectâ advertentiâ aut consensu præceptum aliquod divinum transgreditur. Hinc S. Th.

primâ secundæ, q. 72, a. 5, in corp. : *Quando enim*, inquit, *deordinatur per peccatum usque ad aversionem ab ultimo fine, scilicet Deo, cui unimur per charitatem, tunc est peccatum mortale; quando verò fit deordinatio citra aversionem à Deo, tunc est peccatum veniale.* Jam verò peccatum quo Deus non deseritur, quod cum voluntate ipsi ut fini ultimo adhærendi consistit, neque infinitum in genere offensæ dici potest, neque ad ordinem supremum injuriæ pertinet, ad quem pura creatura satisfactionibus suis assurgere nequeat; ergo, etc. 3° Quia si pura creatura donis ornata non posset pro peccato veniali ad æqualitatem satisfacere, sequeretur 1° Deum posse in æternum punire justum ob peccatum veniale ab ipso commissum; tamdiù enim qui peccatum commisit, ob illud justè puniri potest, quamdiù ad æqualitatem non satisfecit. Atqui repugnat justum puniri in æternum propter peccatum veniale; tum quia Deo gratus est justus ac proinde in æternum non potest puniri; tum quia illud est noxam venialem inter et peccatum mortale discrimen necessarium, quod illâ non mereri pœnas æternas demonstrat. *Qui peccat citra aversionem à Deo*, inquit S. Thomas loco mox citato, *ex ipsâ ratione peccati reparabiliter deordinatur, quia salvatur principium* (vitæ, nempe ratio finis ultimi); *et ideò dicitur peccare venialiter, quia scilicet non ita peccat, ut mereatur vitam interminabilem amittere.* Sequeretur 2°, justum noxæ venialis reum Deo magis esse odibilem, quàm gratus esse possit ratione gratiæ sanctificantis quâ ornatur; quippe, cùm malitia peccati venialis in hâc hypothesi dicenda foret infinita, vel saltem ad ordinem aliquem in genere offensæ pertinere quem nullis satisfactionibus justus assequi posset.

Dices 1° : Peccatum veniale est offensa Dei; atqui dignitas offensæ crescit ex dignitate personæ læsæ; ergo gravitas peccati venialis in genere offensæ est intrinsecè infinita, aut saltem est ordinis superioris ad quem justi satisfactiones assurgere non possunt.— Disting. major. : Est Dei offensa levis et secundùm quid, concedo; est Dei offensa gravis et simpliciter, nego. Peccatum veniale illud habet commune cum peccato mortali, quòd utroque præceptum Dei violetur; verùm longè diverso sensu peccatum mortale ita offendit Deum, ut ejus contemptum et abjectionem includat. Nimirùm peccans mortaliter unionem cum creaturâ unioni cum Deo anteponit, ac proinde Deum descrit et contemnit, atque in eum rebellat. Contrà verò, justus in peccatum veniale incidens, à Deo ut fine ultimo non avertitur, ipsum non deserit nec contemnit; benevolentiæ divinæ non præfert creaturarum possessionem; quippe nihil aliud est peccatum veniale, quàm aliqua præcepti divini transgressio ita levis ut, juxta veram æstimationem dissolvendæ Dei cum creaturâ suâ unioni non sufficiat. Jam porrò nemo non videt offensam ejusmodi non esse offensam simpliciter, sed tantùm secundùm quid et sub aliquo respectu, proindeque de ejusmodi offensæ gravitate et ordine idem non esse statuendum quod de offensâ per peccatum mortale illatâ docuimus.

Dices 2° : Justus pro peccato veniali non magis satisfacere potest ex propriis et ex aliàs indebitis, quàm pura creatura gratiæ donis ornata potest ex propriis et ex aliàs indebitis pro peccato mortali, proprio aut alieno satisfacere; ergo, etc. — Nego consequentiam. Non dicimus justum pro peccato veniali posse secundùm perfectionem justitiæ satisfacere, sed tantùm illud, posse condignam exhibere satisfactionem. Atqui ut satisfactio secundùm perfectionem justitiæ reddatur, necesse est quidem hanc fieri ex propriis et ex aliàs indebitis; idem verò non requiritur ad satisfactionem tantùm condignam, sed sufficit æqualitatem restitui per actus satisfactorios in quos illud personæ satisfacienti competat dominium, quod actibus liberis intrinsecum est, adeò ut illi actus liberè producantu. et eorum valor liberè in satisfactionem impendatur. Enimverò alia est ratio satisfactionis ac restitutionis; in restitutione transfertur dominium saltem physicum rei quæ restituitur, proindeque in eâ maximè attendi debet an fiat ex propriis et aliàs indebitis; in satisfactione verò non transfertur ullius rei dominium, sed solùm redditur honos ablatus, et injuria illata compensatur; ergo ut condignè satisfiat, sufficit actibus liberis tantum honorem reddi, quanta erat injuria reparanda.

Dissertatio vj.

DE NATURA INCARNATIONIS.

Naturam Incarnationis non ita exponere aggredimur ut mysterium tam altè reconditum captui et intelligentiæ nostræ subjicere intendamus. Diligenter enim in dissertationis hujus limine advertendum est, non idem esse theologis naturam alicujus mysterii explicare et evolvere, ac illud ipsum ratione attingere et planum manifestumque facere. Agnoscunt divinarum rerum tractatores hoc posterius penitùs repugnare, quia Deus optimus, ut *obsequio fidei* locum daret, nonnisi imperfectam et tenebris obsitam mysteriorum fidei notitiam nobis in hâc vitâ concessit. Prius verò feliciter tentant et exequuntur, quippe quod in aliquâ hujusmodi imperfectæ notitiæ expositione, et in tradendâ fidei prædicandæ accuratâ ratione solùm consistit. Itaque hîc nobis duntaxat animus est illam quam ex Scripturis et traditione hausimus Incarnationis ideam post sanctos Patres et theologos pro virili evolvere, ita ut exactiorem et hæresibus comprimendis aptiorem de mysterio nostro loquendi usum definiamus et exponamus.

Jam verò, cùm natura mysterii Incarnationis in eâ unione mirabili consistat, quâ natura humana Christi cum naturâ divinâ in personâ Verbi hypostaticè conjungitur; liquet totam præsentem quæstionem circa ea quæ ad hanc unionem pertinent explicanda versari. Quatuor autem capitibus hæc omnia complectimur. Primum erit de unione hypostaticâ seu personali, ubi quid voces hypostaseos, personæ, etc., significent aperiemus; secundum erit de extremis unionis hypostaticæ; tertium, de ejusdem unionis modo;

quartum, de ejus proprietatibus, præsertim de communicatione idiomatum.

CAPUT PRIMUM.

De unione hypostaticâ in se spectatâ.

Unio hypostatica seu secundùm hypostasim aut subsistentiam definiri potest : Unio quâ natura humana et natura divina in unitatem personæ Verbi divini in Christo conjunctæ sunt. Itaque hujusce unionis in se sumptæ tractatio duo inquiri postulat, primum, quid voces *hypostaseos* et *personæ* juxta Ecclesiæ usum significent; alterum, quid unionem hypostaticam formaliter constituat. Istud igitur caput in duos articulos dividemus.

ARTICULUS PRIMUS

De usu et significatione vocum Hypostaseos et Personæ.

1° *Ejusmodi vocabulorum usus et necessitas.*

Nominum hypostaseos et personæ sensus quidem deprehenditur in Scripturis, at non verba ipsa, atque ea, non nisi cogente necessitate, ad coarctandas hæreticorum fraudes in fidei prædicationem invecta sunt. Enimverò, mysteria Trinitatis et Incarnationis ad quæ exprimenda, his vocibus utimur, non aliis in Scripturâ sacrâ sententiis designantur quàm istis aut similibus : Patrem, Filium et Spiritum sanctum esse tres, et simul esse unum Deum ; Christum esse Verbum carnem factum, esse Deum et hominem, esse Filium æqualem Patri, formâ servi indutum, etc. Quibus loquendi modis, cùm aliæ deinceps formulæ adjectæ sunt, putà, unam esse in Deo naturam et substantiam, et tres personas, vel hypostases, aut subsistentias; atque unam esse in Christo hypostasim et personam, duas autem naturas, non ideò quidquam novi dogmatibus in Scripturâ inculcatis adjectum est, siquidem nihil vocabulis illis significatur, nisi quod Scripturæ locutiones referunt; neque major horumce inscrutabilium mysteriorum intelligentia ex hâc vocabulorum accessione fidelibus instillata est. Quippe quid sint, v. g., tres personæ, perinde inexploratum est, ac cùm Pater, Filius et Spiritus sanctus tres simpliciter dicebantur. *Cùm quæritur quid tres*, inquit S. Augustinus, lib. 5 de Trinitate, cap. 9, *magnâ prorsùs inopiâ humanum laborat eloquium. Dictum est tamen tres personæ, non ut illud diceretur, sed ne taceretur.* Itaque non aliâ de causâ hæ voces ab Ecclesiæ doctoribus usurpatæ sunt, quàm ut genuina fides et verus Scripturarum sensus contra hæreticos illibata et integra servarentur. Nempe, cùm novorum dogmatum inventores perversis suis et distortis interpretationibus sacras Scripturarum sententias erroribus suis accommodarent, necesse fuit controversias fidei ipsis terminis quibus motæ et agitatæ fuerant definiri, sicque, novarum vocum usu, hæreticorum tergiversationibus et fallaciis occurri. Quod imprimis annotavit Facundus Hermianensis, lib. 1 : *Personarum nomen*, inquit, *nonnisi cùm Sabellius impugnaret Ecclesiam necessariò in usum prædicationis assumptum est, ut qui semper tres creditî sunt et vocati, Pater, Filius et Spiritus sanctus, uno quoque simul et communi personarum nomine vocarentur. Deinde etiam subsistentiæ dictæ sunt, quoniam Ecclesiæ placuit ad significandam Trinitatem, et hoc nomen distinctioni personali tribuere.*

2° *Quid vox Personæ significet.*— Persona vulgò definitur : Natura rationalis ultimò completa. Differt à supposito ut species à genere : nempe suppositum est natura quæcumque ultimò completa, unde natura irrationalis etiam potest esse suppositum. Soli verò naturæ rationali nomen personæ competere potest. Omnis igitur persona est suppositum, non verò omne suppositum est persona. Id porrò, quo natura ultimò completur, generatim nunc appellatur subsistentia, et ubi agitur de personâ, dicitur etiam personalitas. Idem ergo subsistentiam inter et personalitatem discrimen intercedit, quod inter suppositum et personam. Omnis personalitas est subsistentia, sed non omnis subsistentia est personalitas. Quid verò sit illa subsistentia et personalitas, seu ultimum illud complementum quo suppositum et persona in ratione suppositi seu personæ constituuntur, jam declarandum ; atque in eo tota præsentis quæstionis difficultas consistit.

Subsistentia definiri solet : Ultimum complementum naturæ, eam reddens incommunicabilem alteri tanquàm supposito. Dicitur 1° *complementum*, id est, perfectio et forma quædam, seu modus aliquis actualis. Dicitur 2° *ultimum*, id est, cæteras perfectiones, proprietates et affectiones ipsamque existentiam supponens. Dicitur 3° *naturam reddens incommunicabilem alteri tanquàm supposito*, quibus vocibus exprimitur illius formæ seu complementi natura et effectus formalis. Quod ut intelligatur, quadruplicem hìc distinguere solent incommunicabilitatem. Prima est incommunicabilitas alteri tanquàm subjecto inhæsionis ; hæc incommunicabilitas substantiam constituit, ac proinde competit supposito et personæ, siquidem accidens non potest esse suppositum aut persona ; verùm supposito vel personæ constituendis illa non sufficit ; quippe quidquid habet rationem substantiæ, non ideò est persona vel suppositum ; v. g., natura humana in genere non est persona, etsi ratio substantiæ ipsi conveniat.

Secunda est incommunicabilitas alteri tanquàm inferiori, quæ in singularitate seu entitate numericâ et individuali consistit, atque ab existentiâ inseparabilis est ; quidquid enim existit, unum sit et singulare necesse est; universalia non existunt, nisi quatenùs attributa quibus naturæ universales constant, in earum individuis è nihilo eductis continentur. Porrò ad rationem suppositi requiritur quidem, sed non satis est ista incommunicabilitas ; nam, etsi omne suppositum sit substantia singularis, non tamen omnis substantia singularis est suppositum ; v. g., manus Pauli est aliqua singularis substantia, nec tamen rationem suppositi continet. Pariter anima ejusdem Petri, quamvis sit substantia singularis, non est etiam persona, propter habitudinem quam habet ad corpus cui unitur.

Tertia est incommunicabilitas alteri tanquàm toti. Hæc soli convenit toti actuali propriè dicto, id est, soli substantiæ singulari, quæ nec alicui uniri indiget ut omnem

sibi naturalem perfectionem habeat, nec reipsà unitur alteri à quo perficiatur. Deest verò 1° naturæ seu substantiæ incompletæ, quæ scilicet, quamvis sine cujusvis consortio existat, alteri tamen uniri indiget ut perfectione sibi naturali potiatur. Sic anima à corpore sejuncta dici non potest incommunicabilis alteri tanquàm toti, quia habitudinem ad unionem cum corporeâ naturâ dicit, quippe cùm ipsi sint naturales functiones quas avulsa à corpore exercere nequit., Deest proinde 2° parti propriè dictæ, id est, substantiæ, quæ suî unione cum altero, illud perficit et ab eo vicissim perficitur, ut manus quæ jungitur corpori, corpus quod animæ copulatur, etc. Deest 3° illi parti impropriè dictæ, quæ illud cui unitur non perficit, sed tantùm ab eo perficitur, cujus fortè nullum exemplum planè idoneum reperire est nisi in naturâ humanâ Christi. Etenim nulla fortè datur res vel minima, quæ finito quantùmlibet perfecto adjuncta aliquid ei perfectionis non adjiciat. Christi verò humanitas perficitur quidem unione sui cum Verbo, et ad tantam dignitatem evehitur, ut non possit altiùs extolli, sed nullam suî accessione Verbo divino perfectionem affert. Quid ita? quia Verbum utpote infinitè perfectum, omnes humanitatis perfectiones eminenter continet. Unde naturam humanam assumendo factum non est pars perfectionis Christi, nec rationem totalitatis perfectionis amisit, seu Christus divinâ et humanâ naturâ constitutus, non est perfectior personâ Verbi in se tantùm considerati.

Quarta est incommunicabilitas alteri tanquàm supposito, id est, quâ natura singularis et totalis fit sui juris physici; ita ut 1° quæcumque diversis ejus respectibus aut partibus competunt, ejus reipsà sint, ei attribui debeant, ut toti omnes partes et facultates et respectus suos continenti; ita ut 2° ejusmodi natura singularis et totalis, quatenùs hâc incommunicabilitate afficitur, non possit de altero prædicari, neque sit alterius essentia et attributum, neque ejus pars aut accessio quædam, vel forma, vel modus. Rem explico exemplo: etsi intellectio et volitio Petri ab ejus animâ solâ eliciantur, et functiones ejus corporis à facultatibus ipsius corporeis producantur, ac proinde ejusmodi actus tribui possint, hi facultatibus corporeis ac corpori Petri, illi, ejus animæ et facultatibus ejusdem spiritualibus, attamen tum ejusmodi volitiones et intellectiones, tum motus illi et functiones corporeæ reverà Petri personæ attribui debent, utpote cujus sunt tum anima, tum corpus, tum proinde utriusque facultates et operationes; ipse verò Petrus de altero prædicari non potest, neque ut essentia aut natura, neque ut forma et attributum, neque ut pars aut actus ejus. V. g., dici non potest esse natura aut forma aut pars Pauli, Joannis, etc., quia nempe ab iis distinguitur et disjungitur, et seorsim existit. Sic igitur concipere est Petrum esse sui juris et incommunicabilem alteri tanquàm supposito.

De hâc quartâ incommunicabilitate tria dicam paucis. Primum, eâ nihil contineri, quod subsistentiæ seu rationi personæ et suppositi apprimè non congruat, ut exemplo mox allato liquet. Alterum, hanc esse necessariam appendicem incommunicabilitatis alteri tanquàm toti. Quippe totum propriè dictum, cùm seorsim et sine alterius à quo perficiatur consortio existat, necessariò est sui juris physici sensu quem mox explicavimus; hoc est, neque alterius est attributum, neque actio, modus, vel forma, neque ejus est pars propriè dicta, aut accessio quædam. Tertium est illam tamen incommunicabilitatem alteri tanquàm supposito in definitione subsistentiæ minùs accuratè exprimi. Malè enim memoratur suppositum in definitione in quâ agitur de ejus ratione constitutivâ explicandâ.

Ergo ut accuratiùs definiamus subsistentiam, dicimus 1° hanc in genere esse modum existendi, quo substantia singularis redditur incommunicabilis alteri ut perficienti. 1° *Est modus existendi*, unde cùm prius (ratione) sit existere, quàm existere tali modo, seorsim videlicet, aut alteri unitum, sequitur subsistentiam esse ultimam rei formam, seu modum, id est, eâ supponi omnes rei perfectiones, proprietates et modos existentes. 2° Est modus *quo substantia singularis*, etc., scilicet, ut dictum est, neque accidentibus, neque universalibus potest competere ratio suppositi aut personæ. 3° Est modus quo ejusmodi substantia *redditur sui juris, seu incommunicabilis alteri perficienti;* talis videlicet est ille modus, ut, eo stante, natura cui inest seorsim existat et distincta ab alio quocumque à quo perficeretur.

Probatur autem hanc definitionem subsistentiæ in genere esse legitimam, 1° quia hâc definitione continetur quidquid in alterâ vulgari, singulas ejus partes recensendo, contineri diximus. 2° Quia ea definitio convenit omnibus subsistentiarum speciebus, nempe subsistentiis tum divinis, tum creatis, et insuper id continet quo posito suppositum et persona concipiuntur, quo sublato non concipiuntur. Convenit quidem nostra definitio subsistentiis divinis: tres enim subsistentiæ seu personalitates divinæ sunt totidem modi existendi, quibus natura divina in genere talis personæ contrahitur, et sub eo respectu incommunicabilis redditur. Convenit etiam nostra definitio subsistentiis creatis. Quocumque modo explicetur ratio suppositi et personæ in creatis, seu sit modus realis naturæ singulari superadditus, seu nihil aliud sit quàm ratio totius, seu perfectionum totalitas, seu, quod in idem recidit, concipiatur instar negationis unionis alteri ut comparti perfectivæ, etc., planum est ejusmodi ratione seu subsistentiâ illud includi quod nostra definitio complectitur. 3° Ubi ponitur in aliquâ singulari substantiâ modus existendi eam incommunicabilem alteri perfectivo reddens, tunc ratio suppositi concipitur; sublato autem hoc existendi modo, ratio suppositi et personæ concipi non posset. Enimverò quidquid alteri perfectivo physicè communicatur, seu conjungitur, seorsim non existat nec sui juris sit necesse est, nec proinde potest esse persona vel suppositum. Positâ verò ratione existendi singularem substantiam reddente incommunicatam alteri perfectivo, adeò evidens

est adesse rationem suppositi, ut aliud quidquam assignari nequeat, quod vocibus suppositi et personæ intelligatur.

Nec objicias subsistentiam et personalitatem, seu rationem suppositi et personæ terminis abstractis et generalioribus à nobis definiri. Etenim quod universalissimum est, atque Deo et omnibus personis et suppositis creatis est commune, illud vocibus abstractis et universalissimis explicari nihil mirum; quemadmodùm rationes generales substantiæ, modi, potentiæ, individuationis, et alia ejusmodi benè multa ad ontologiam pertinentia abstractis et generalissimis notionibus explicantur.

Dico 2° subsistentias seu personalitates divinas esse eas proprietates relativas quæ singulis personis propriæ sunt; in creatis verò subsistentiam in totalitate perfectionum substantiæ singularis reponi.

Probatur prima pars, quia per proprietates relativas, unicuique personæ divinæ proprias, nempe per paternitatem, filiationem et spirationem passivam (quæcumque sit illarum perfectionum ratio quam non satis cognoscimus), natura divina triplici modo existit, et, ut existens tali modo, incommunicabilis est alteri personæ divinæ, quod ex principiis fidei in tractatu de SS. Trinitate facilè deducitur. Quod autem naturam divinam contrahit, eamque, ut tali modo existentem, personæ divinæ incommunicabilem reddit, id consequenter hanc reddit incommunicabilem alteri ut perfectivo. Quippe si (quod prorsùs repugnat) natura divina ut sit contracta alicui perfectivo communicari posset, sanè non nisi quatenùs, ut sic contracta, ponereturr (quod pariter impossibile est) alteri personæ divinæ communicari. Enimverò planum est personam divinam, utpote perfectissimam, nullâ sui communicatione cum naturâ quâlibet creatâ posse perfici; v. g., Filius divinus assumendo et sibi uniendo naturam humanam, perfectior non factus est, quippe, cùm infinitus sit, omnes non tantùm hujus humanitatis, sed etiam omnium creaturarum perfectiones eminenter continet.

Probatur secunda pars: nempe subsistentiam in creatis nihil aliud esse quàm rationem totalitatis perfectionum substantiæ singularis. Hæc enim totalitas est certus existendi modus, in eo positus quòd res nec exigat uniri, nec reipsà uniatur physicè cum altero à quo perficiatur. Substantia enim singularis quæ naturâ ulteriores perfectiones exigeret, non conciperetur totalis ratione perfectionum; imò nec esset completa in ratione naturæ. Hinc anima humana, quæ sejuncta à corpore, quasdam facultates sibi naturâ insitas exercere non potest, incompleta appellari solet, nec totalitatis propriè dictæ rationem includit. Porrò substantia singularis completa in ratione naturæ, nec per se postulans uniri cum altero, si reipsà tamen alteri perficienti adjungatur, eo ipso desinit habere perfectionum totalitatem, quippe ulteriorum perfectionum additione hanc totalitatem tolli manifestissimum est; quemadmodùm numerus, v. g., denarius, unius unitatis adiectione fit undecimus, et denarius esse desinit. Jam verò nemo non videt, hâc totalitate perfectionum stante, substantiam singularem cui competit, esse incommunicabilem alteri perficienti; ergo. Et certè, nonne evidentissimum est omnem substantiam singularem et totalem suppositum aut personam appellari; quiquid verò non est substantia singularis totalis, illud nec personam nec suppositum dici? Atque hinc omne accidens, omnis substantia et natura communis, omnis etiam substantia singularis quæ sit pars physica alicujus totius, aut alterius principalioris accessio quædam et veluti additamentum, excluduntur à ratione suppositi et personæ; ergo, etc.

Ex his colliges quâ ratione utcumque explicare liceat 1°, unam esse in Christo personam Verbi divini; 2° naturam Christi humanam carere propriâ subsistentiâ, seu personalitate, subsistere verò et terminari personâ seu subsistentiâ Verbi. Cùm enim unione sui cum Verbo divino natura humana Christi ulteriùs perficiatur, manifestum est hâc unione ipsi auferri rationem totalitatis perfectionum, quam habuisset si cum altero perfectivo non fuisset unita. Caret verò hâc totalitatis ratione, non propter deductionem seu jacturam ullius perfectionis sibi essentialis, sed propter perfectionis alicujus maximæ et supernaturalis, nempe unionis cum Verbo, adjunctionem et accessionem; etenim nihil aliud præter ejusmodi unionis adjectionem, huic rationi totius auferendæ necessarium concipitur. *Dicendum*, inquit S. Thomas, parte 3, q. 4, a. 2, ad 2, *quòd naturæ assumptæ non deest propria personalitas propter defectum alicujus, quod ad perfectionem naturæ humanæ pertineat; sed propter additionem alicujus quod est supra naturam humanam, quod est unio ad divinam personam.* Vide etiam ejusdem Opusculum 3, cap. 6, et Compendium theologiæ, cap. 211. Quando autem natura humana Christi unita est Verbo divino, sicque caruit subsistentiâ sibi propriâ seu totalitate perfectionis, ex ejusmodi unione subsistentia aliqua communis Verbo et naturæ humanæ minimè coaluit; sed rationem personæ et subsistentiæ solum Verbum servavit et constituere potuit; quippe ex ipsius solius parte mansit totalitas perfectionum, neque hâc unione communicatum est alteri perfectivo. Enimverò, ut jam dictum est, nulla perfectio accessit aut accedere potuit Verbo divino, cùm naturam humanam in Christo sibi hypostaticè copulavit; siquidem Verbum divinum, propter infinitam perfectionem sibi essentialem, formaliter continet perfectiones summas, omnis perfectionis finitæ, ac proinde perfectionum naturæ humanæ vicem præcellentissimâ ratione supplentes. Quapropter Christus constans naturâ divinâ et naturâ humanâ in unâ Verbi personâ conjunctis, perfectior non est solo Verbo divino seorsim spectato. Atque hinc natura humana Christi subsistere dicitur et ultimò compleri et terminari subsistentiâ seu personâ Verbi divini; quòd scilicet hæc natura ita uniatur Verbo ut ejus sit velut accessio quædam, quòdque propriâ subsistentiâ non subsistens, una sit ex naturis quibus constat Christus,

qui non aliam subsistentiam et personalitatem habet quàm personalitatem Verbi divini.

Colliges 2° malè fingi à pluribus scholæ theologis substantialem quamdam entitatem modalem naturæ superadditam, in quâ entitate rationem subsistentiæ reponant. Etenim 1° hujusmodi entitatis modalis nullum in rerum naturâ reperire est vestigium; imò, si solis philosophiæ principiis insistas, quæcumque concipiuntur ad suppositi aut personæ notionem pertinere, tunc alicui substantiæ evidenter insunt, cùm habet omnia ad suam naturalem integritatem requisita, et insuper non adjungitur alteri cujus sit pars aut accessio. 2° Fides mysterii Incarnationis nullo pacto exigit entitatem ejusmodi in suppositis aut personis creatis agnosci. Natura enim humana Christi, etsi singularis et completa in ratione naturæ, tamen unita Verbo concipitur non esse persona, etsi hâc unione nullâm entitatem deperdat; nam non est persona, si non existat seorsim, non sit proinde sui juris, non habeat rationem totius: non existit autem seorsim, non est sui ijuris, non habet rationem totius, seu totalitas perfectionum ipsi tribui nequit, statim atque unitur perfectiori, cujus sit veluti accessio et quoddam veluti additamentum, ut jam explicatum est; ergo, etc.

Dices: Una est in Deo natura et persona triplex, et una ex adverso persona in Christo et natura duplex; ergo realiter distinguuntur natura et subsistentia seu personalitas; ergo subsistentia et personalitas in aliquâ entitate modali et substantiali quæ naturæ superaddita concipiatur, reponendæ sunt. Aliàs metuendum est ne erroribus veterum hæreticorum, Sabellii scilicet, Arii, Nestorii et Eutychis patrocinium præbeatur, siquidem ii idcircò erraverunt, quòd inter suppositum seu personam et naturam non satis distinguerent. — Nego utramque consequentiam. Cùm subsistentia, ut diximus, sit aliquis modus rei existentis, non solùm fides, sed etiam ratio manifestè postulat distinctionem aliquam inter naturam et subsistentiam seu personalitatem admitti; quæ verò illa sit distinctio non facilè determinatur. 1° Pro certo ponimus hanc non esse realem majorem, quæ etiam simpliciter realis solet nuncupari, id est, non esse hujus generis distinctionem, quæ inter substantiam et substantiam, personam et personam, rem et rem constituitur; quod quidem de se evidentissimum est. 2° Statuimus illam ejusdem speciei esse in creatis, cujus est distinctio quæ inter naturam et ejus modificationes non necessarias intercedit. Namque subsistentia est quidam existendi modus quem natura creata non conservat ubi unitur physicè alteri à quo perficiatur, ac proinde modis qui possunt adesse vel abesse sine subjecti interitu illa accensenda est; ergo qui modos rei non necessarios volunt abs re ipsâ distingui positivè et ante omnem mentis operam, distinguant eâdem ratione, per nos licet, subsistentiam à naturâ quam complet et terminat; qui verò modos ejusmodi inter et naturam agnoscunt dictinctionem virtualem tantùm, non aliam admittant inter subsistentiam et naturam; neque de hâc opinione etiam hìc disputabimus. Scilicet ab ejusmodi subtilibus, et in utramque partem agitari solitis logicorum quæstionibus, certitudo aut explicatio fidei non pendet. Mysterio Incarnationis satis est subsistentiam humanam ab humanitate modaliterd istingui, id est, instar modorum à naturâ cui insunt; ex quo consequens est, sicut substantia quævis potest existere sine aliquo modo speciàli quo non necessariò afficitur, ita naturam humanam Christi posse esse sine subsistentiâ propriâ, si nempe perfectiori, ut dictum est, putà Verbo divino, physicè uniatur. 3° Quod ad perfectiones relativas quibus personalitates divinæ constituuntur, attinet, eas dicimus eodem modo distingui à naturâ divinâ quo cæteræ ejusdem naturæ proprietates necessariæ. A se invicem ejusmodi relativæ perfectiones distinguuntur quidem realiter, quia constituunt personas inter quas distinctio realis major admittitur; sed ad naturam divinam cui insunt seu inhærent, non aliam dicunt habitudinem quàm cætera attributa seu proprietates. Proindeque si hæ à naturâ divinâ distinguuntur positivè et ante omnem mentis operam, idem statuendum erit de personalitatibus divinis ad naturam comparatis. Sin autem cum Thomistis attributum absolutum à naturâ divinâ dixeris duntaxat virtualiter et æquivalenter differre, personalitates divinas à naturâ solùm etiam virtualiter et æquivalenter secernere erit. Quævis porrò seligatur opinio, concedendum erit tum ejusmodi personalitates inter et naturam esse aliquam distinctionem, tum ejusmodi distinctionem, quæcumque sit, sufficere, ut, servatâ unitate naturæ, tres sint in Deo realiter personæ. Sed hujus argumenti tractatio ad hunc locum non pertinet.

3° *De usu et significatione vocis* ὑποστάσεως, *ubi de ejus à substantiâ et naturâ discrimine.* — Vox ὑποστάσεως, si primam ejus originem et acceptionem attendas, id significat quod reipsà existit, estque aliquid solidum, non fictum et adumbratum. Hinc 1° derivata est ad designandum aliquid permanens et consistens, cui opponitur res fluens et caduca, quo sensu res omnes creatæ *hypostasi* carere aliquando dictæ sunt. Hinc 2° *tota litterarum secularium schola*, si S. Hieronymo fides in Epist. ad Damasum, *nihil aliud hypostasim, nisi* USIAM, (id est, substantiam) *noverat.* Hinc 3° deduci facilè potuit ad significandam substantiam singularem, actu existèntem, completam, et per se seorsim ab aliâ omni subsistentem, quæ, ut diximus, in rebus ratione destitutis idem est ac suppositum, et in naturis intellectu prædìtis appellatur persona. Omnes autem in eo conveniunt eruditi, hanc, à labente seculo quinto, ubique vocis *hypostaseos* obtinuisse notionem, ut sumeretur pro supposito aut personâ, aut saltem, quod rarius est apud antiquos, pro formâ suppositi aut personæ constitutivâ, quæ, ut antea notatum est, solet hodiè *subsistentia* appellari. Vide Petav., lib. 4 *de Trinit.*, et lib. 2 *de Incarn.*, cap. 2. Porrò Thomassinus, ex aliquo S. Augustini testimonio (lib. 5 de Trin. c. 9), et ex altero Facundi Hermianensis (lib. 1) inter se collatis, colligere sibi videtur nonnisi sub finem seculi quinti excusum fuisse

à Latinis nomen *subsistentiæ*, quod vocabulo *hypostaseos* Græcis usitato responderet. Verùm, subsistentia, ut monet Petavius, lib. 4 *de Trinit.*, c. 3, n. 6, apud veteres non sumebatur *in abstracto*, sicut hodiè accipitur, sed concreti nominis vim habuit, et suppositum aut personam, non suppositi aut personæ formam tantùm significavit.

Quis verò prioribus quinque Ecclesiæ seculis fuerit apud Christianos vocis *hypostaseos* usus; quidve eam inter et οὐσιαν, id est, *essentiam* seu *substantiam*, et φύσιν, seu *naturam*, distulerit, operosius est definire.

Petavius locis mox laudatis docet 1°, à Patribus antenicænis, ab ipsâ synodo Nicænâ et à S. Athanasio contra Arianos disputante nomina *hypostaseos* et *usiæ* pro uno eodemque habita et ab illis utroque vocabulo nihil aliud fuisse designatum, nisi rem seu substantiam actu existentem, ac proinde singularem et determinatam, siquidem universalia non existunt. Hoc ipsum etiam traditur ab illustrissimo Huetio, Origenian. lib. 2, pag. 52, et doctiss. Thomassino, jam laudato, lib. 3 de Incarn. cap. 1. Docet 2° φύσιν proinde seu naturam ab *usiâ* et *hypostasi* tunc fuisse distinctam; voce φύσεως nimirùm designante naturam communem, quæ definitione explicatur, seu complexionem attributorum necessariorum quibus singularibus communis constituitur. Docet 3°, à labente medio seculi quarti, *usiam* ab *hypostasi* aliquo modo distingui cœptam, ita ut prioris vocabuli eadem esset notio ac φύσεως, illudque naturam communem et ab individuis abstractam exprimeret, sola verò *hypostaseos* appellatio naturam actu existentem et singularem designaret. Docet 4°, ex quo usu recepta est illa *hypostaseos* ab *usiâ* distinctio, ut hæc communem naturam, individuam et singularem illa notaret, duplici ratione paululùm diversâ *hypostasim* esse acceptam. Nimirùm. aliis hanc fuisse substantiam individuam duntaxat, atque unam numero, quocumque tandem modo, hoc est, seu proprio, seu alieno subsisteret; aliis verò substantiam non tantùm singularem, sed etiam per se et seorsim ab aliâ omni substantiâ consistentem, quæ aliàs suppositum aut persona dici solet. Docet denique nonnisi post elapsam majorem seculi quinti partem, hypostaseos rationem fixam et constitutam fuisse, ut apud ecclesiasticos scriptores suppositum aut personam constanter designaret. Atque ista fusè prosequitur locis citatis doctiss. Petavius.

Plura verò iis adversa statuit eruditus Bullus, presbyter Anglicanus, in eximiâ suâ *fidei Nicænæ Defensione*, sect. 2, cap. 9, n. 11. Is quidem fatetur voces *hypostaseos* et *usiæ* priscis temporibus apud Christianos variè usurpatas. Advertit vocem *usiæ* pro eo quod nos *hypostasim* appellamus à Pierio martyre et presbytero, Pamphili martyris præceptore, apud Photium *Bibliot. cod.* 119, et ab aliis quibusdam aliquando fuisse acceptam. Notat quoque synodum Sardicensem quæ anno 347 habita est, et deinde plures è Catholicis et è scriptoribus ecclesiasticis per aliquod tempus eâdem voce pro eo quod *usiam* seu *substantiam* dicimus, usos esse. Tandem diversas ejusmodi nominis interpretationes schismatis infausti causam attulisse observat. Verùm contendit à priscis Ecclesiæ doctoribus, etiam qui concilium Nicænum antecesserunt, illud vocabulum aliquoties usurpari pro *subsistentiâ*, vel pro re singulari per se subsistente, quæ in rebus intellectu præditis idem est quod *persona*. Id verò invictè, nostro quidem judicio, probat testimoniis Origenis (1), præsertim tomo 12 in Joan. edit. Huetianæ, pag. 186; Dionysii utriusque, Romani scilicet in Epistolâ adversùs Sabellianos, apud S. Athanasium lib. de synodi Nicænæ decretis, et Alexandrini, tum in responsione ad quæstionem quartam Pauli Samosateni, tum in Apologiâ suâ contra Sabellianos apud S. Basilium lib. de Spiritu sancto cap. 29; sex episcoporum, qui è synodo Antiochenâ ad Paulum Samosatenum scripsêre; S. Alexandri episcopi Alexandrini in Epistolâ ad Alexandrum Constantinopolitanum ante synodum Nicænam exaratâ; ac tandem Eusebii Cæsariensis *quo nemo meliùs*, inquit Bullus, *antiquum vocis* ὑποστάσεως *in Ecclesiâ usum intellexit*, quique in litteris suis ad Eustathium Antiochenum referente Socrate Hist. lib. 1, c. 23, scripsit, *Filium Dei propriam hypostasim et subsistentiam habere, Deumque in tribus hypostasibus unum esse.* Addit porrò vir eruditus se vocis HYPOSTASEOS, *à scriptore aliquo catholico de SS. Trinitate disserente ante concilium Nicænum, aut aliquandiù post*, pro *usiâ* usurpatæ nequaquàm meminisse. Ait præterea *hypostasim* sumi pro *subsistentiâ* aut *personâ* à concilio Nicæno in Symbolo fidei, cùm eos anathemate percutit, qui dicerent Filium esse ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως, ἢ οὐσίας *ex aliâ hypostasi, sive substantiâ* quàm Patris. Hæc ipsa sunt verba in quibus Petavius, et post eum Huetius et Thomassinus arbitrantur *hypostasim* pro *usiâ* à sanctâ synodo sumi. Bullus contrà existimat ibi damnari duos errores, unum nempe Arianorum rigidiorum, qui Filium neque ex substantiâ, neque ex hypostasi seu subsistentiâ Patris esse sentiebant, quique ideò eum, ut cæteras creaturas, ex non extantibus productum fuisse apertè pronuntiabant; alterum Semiarianorum, qui, cùm Filium negarent esse consubstantialem Patri, non tamen inficiabantur eum ex Patris personâ peculiari quodam modo ante omnia tempora natum esse; quorum dogma disertè explicatum est ab ipso Petavio, lib. 1 de Trinit. cap. 10, n. 7. Atque hanc suam sententiam confirmat Bullus, 1° auctoritate S. Basilii Magni, qui ejusmodi particulam symboli Nicæni hâc ratione in Epistolâ olim 78, nunc 123, tom. 3, p. 215, interpretatus est; 2° ejusdem S. doctoris argumentis, quorum prius est, in tam

(1) Grotius in *Notis* ad Joan. c. 1, v. 2, et Epist. ad Hebr. c. 1; v. 3, ait usum vocis ὑποστάσεως pro personâ fuisse ab Origene primùm in Ecclesiam ex Platonicis invectum. Sed hanc acceptionem antiquiorem fuisse colligit Bullus, præsertim ex S. Hippolyto Portuensi, qui contra Noetum n. 5, edit. græco-latinæ Hamb. 1718, p. 17, hæc habet : « Neque « caro per se sine Verbo subsistere (græcè ὑποστᾶναι) « poterat, quia in Verbo habebat τὴν σύστασιν (legit « Bullus ὑπόστασιν, sed repugnant omnes editio- « nes); » id est, inquit interpres Turianus, *in Verbo subsistebat.*

brevi symbolo duas istas voces simul adhibituros non fuisse Patres Nicænos, si eadem fuisset ambarum significatio. Nec sanè hujusce symboli sensum satis assequitur Petavius, dùm aliquam sibi videtur in eo ejusdem rei repetitionem deprehendere; de quo vide Bullum ubi supra, nobis enim in his diutiùs immorari non licet. Alterum est, duas reverà extitisse modò memoratas Arianorum classes, quorum alii negarent, Filium è substantiâ esse Patris, alii contenderunt eum neque ex Patris substantiâ esse, neque ex ejus insuper prodiisse hypostasi; ac proinde pronum fuisse à Patribus Nicænis utrumque ejusmodi perversum dogma verbis de quibus agitur, tanquàm alienum à sensu ecclesiastico repudiari.

Demùm arbitratur Bullus vocem hypostaseos pro subsistentiâ aut personâ *sine offensione usurpari perseveraturam fuisse, nisi*, inquit, *Ariani ipsâ abusi fuissent ad propagandam hæresim suam pro naturâ ac substantiâ eam in generaliori significatione accipientes, ac docentes Patrem et Filium duas esse hypostases, hoc est, naturas ac substantias diversas, à se invicem discrepantes. Adversùs hos*, pergit ille, *catholici doctores affirmârunt in concilio Sardicensi Patris et Filii μίαν esse ὑποστάσιν.* Quod ut confirmet recitat verba Epistolæ synodicæ, ut loquitur, Patrum Sardicensium, apud Theodoretum Hist. Eccl. lib. 2, c. 8, quæ hujusmodi sunt juxta ejus versionem : *Hæreticorum factio pertinaciter asseverat, Patris ac Filii et Spiritûs sancti diversas esse hypostases, à se invicem separatas : nos verò hanc à majoribus accepimus ac didicimus, et hanc tenemus catholicam atque apostolicam traditionem et fidem ac professionem, unam esse hypostasim, quam ipsi hæretici substantiam appellant, Patris ac Filii et Spiritûs sancti.* Quæ sic exponit : *Hic Patres*, inquit, *disertè monent, se Patrem, Filium et Spiritum sanctum μίαν ὑποστάσιν dixisse eo tantùm sensu, quo hæretici vocem ὑποστάσιν pro οὐσία acceperunt; significantes nimirùm se alium hujus vocabuli sensum, apud veteres Ecclesiæ doctores receptum* (quippe à quibus usurpatum fuerit pro personâ sive subsistentiâ) *non ignorâsse, cumque libenter amplexuros fuisse, ac fassuros juxta istam vocis acceptionem, tres esse in Divinitate personas sive subsistentias. Hinc tamen natum fuisse constat triste illud dissidium, quod postmodùm Orientis adeòque Occidentis Ecclesias turbavit, de unâ sive tribus hypostasibus divinis; dùm scilicet alii cum Patribus concilii Sardicensis loqui amârunt; alii verò veterem vocabuli usum et significationem retinuerunt, quem usum sùâ tandem auctoritate confirmavit concilium Constantinopolitanum primum; in Epistolâ synodicâ apud Theodoretum, Eccl. Hist. lib. 5, c. 9. Cæterùm Ariani tandem etiam vocem ὑποστάσεως unà cùm οὐσίας vocabulo, è symbolis suis abjiciendam decrevêre..... in confessione Constantinopoli scriptâ ab Acacio, Eudoxio, aliisque qui Seleuciensis synodi decreto damnati ad Imperatorem confugerunt.* Hactenùs vir eruditus.

Jam verò, si inquiras quid de duabus adeò oppositis sententiis ac de veteri vocis *hypostaseos* usu tandem statuendum sit, dico 1°, vocabulum *hypostaseos* nunquàm à veteribus ubi de mysterus nostris disserebant, usurpatum fuisse, nisi vel ut illud exprimerent quod nominibus *subsistentiæ, suppositi*, aut *personæ* intelligimus; vel saltem ut substantiam aliquam singularem et realem seu actu existentem et ut extra nihil constitutam designarent. Enimverò docti consentiunt quòd nonnisi alterutro ex his modis vox ejusmodi in scriptis veterum adhibita reperitur.

Dico 2°, pro certo tenendum vocem *hypostasis*, multò antequàm Nicæna synodus haberetur, à celeberrimis Ecclesiæ scriptoribus de SS. Trinitate disserentibus pro *subsistentiâ* aut *personâ* aliquoties usurpatam fuisse. Atque illud profectò evincunt testes magni nominis à Bullo producti, quos etiam modò post ipsum laudavimus. Suadent etiam tum auctoritas, tum pondus rationum S. Basilii Magni eodem sensu Patres Nicænos illud vocabulum in suo Symbolo adhibuisse.

Dico 3° nullum afferri scriptorem ecclesiasticum qui de mysteriis SS. Trinitatis aut Incarnationis disserens, ante celebratam synodum Sardicensem, *hypostasim* pro re singulari et existente tantùm, non pro personâ aut supposito acceperit. Enimverò *Epistola* 38, aliàs 43, S. Basilii, in quâ ab aliis dici unam in Deo *hypostasim*, quòd eam cum *usiâ* confunderent, ab aliis dici tres *hypostases*, observat, ideòque ejusmodi vocum notiones accuratè distinguit et explicat, non ante annum 369 ab habitâ synodo Sardicensi vigesimum secundum exarata est. Et præterea S. doctor in eâ *hypostasim* interpretatur suppositum seu personam, tresque ait esse in SS. Trinitate hypostases. Jam autem observavimus eumdem in Epistolâ 125, aliàs 78, scriptâ an. 373, pro certo habere et ex professo statuere vocem hanc alio sensu quàm pro οὐσία à Patribus Nicænis fuisse usurpatam. Pariter S. Athanasius non nisi anno 362 post syn. Sard. decimo quinto, scripsit tomum synodicum ad Antiochenses in quo disserit de iis qui in eâdem fide reverà consentientes, tamen circa vocem *hypostaseos* differebant, ita ut alii tres hypostases profiterentur, alii unam tantùm, prout illud vocabulum de *usiâ*, vel de *personâ* intelligebant. Ipse verò, tum in Expositione fidei, cujus annus incertus est, n. 2, t. 1, part. 1, pag. 100; tum in Tractatu ad illud : *Omnia mihi tradita sunt*, n. 6, ibid. pag. 108, ante an. 343, ac proinde ante concilium Sardicense exarato; tum etiam in lib. de Incarnatione et contra Arianos, ibid. part. 2, n. 10, pag. 878, vocem *hypostasis* pro *personâ* accipit; siquidem in priori loco adversùs Arianos docet *tres hypostases* in Deo *non esse divisas*, sed distinctas; et in duobus aliis, *tres esse* in unâ Divinitate *hypostases*.

Objicitur quidem eum in Oratione 4 *contra Arianos*, olim 5, n. 1, t. 1, p. 617, promiscuè sumpsisse *usiam* et *hypostasim*, atque eumdem in Epistolâ ad Afros, trium horumce vocabulorum *usiæ*, *hypostasis*, et ὑπάρξεως seu *existentiæ*, unam esse vim asserere; nempe iis significari, *hoc ipsum quod est..... et existit.* Verùm hæc oratio, ut et reliquæ contra Arianos, non ante annum 358 edita est, et Epistola ad Afros non ante annum 369 diu post synodum Sardicensem.

Dico 4°, ex his maximè confirmari quod Bullus conjicit, videlicet ab Arianis primùm vocem *hypostaseos*, pro eo quod substantiam dicimus fuisse usurpatam, ut nempe hæresim suam de substantiâ Filii diversâ à substantiâ Patris faciliùs propinarent. Nec videtur esse dubium quin propterea episcopi quidam concilii Sardicensis, verbis, quæ ex Theodoreto refert Bullus, voluerint contra eos definiri unam esse Patris, Filii et Spiritûs sancti hypostasim eo sensu quo illi hæretici vocem ejusmodi pro *usiâ* seu *substantiâ* accipiebant. Etsi autem hæc definitio ut superflua et post confessionem Nicænam minimè necessaria plerisque Patribus, ac proinde synodo probata non fuerit, ut ex S. Athanasio habetur in Epistolâ ad Antiochenses, n. 5, t. 1, part. 2, pag. 772, adeòque Bullus à vero deviaverit hanc toti synodo adscribendo; attamen inde præsertim natus est diversus hujusce vocabuli usus, quo (salvâ tamen fidei substantiâ, ut ibidem auctor est S. Athanasius) dissidiis non levibus occasio data est, quorum tractatio ad hunc locum non pertinet.

Dico 5° vocem *hypostaseos*, pro substantiâ aut personâ à S. Cyrillo Alexandrino pluries adhibitam, pluries etiam contra Nestorium in significatione latiori; eamdem de naturâ singulari et existente in anathematismis S. doctoris interpretatos esse Theodoretum et Orientales; tandem cùm pax S. Cyrillum inter et Orientales composita est, omnem hujusce vocabuli prætermissam esse mentionem.

Probantur singula. Primum, nempe S. Cyrillum Alexandrinum pro subsistentiâ aut personâ vocem hypostaseos pluries usurpâsse liquet ex *Dialogo* 6 *de Trinit.*, t. 5, pag. 592, ubi ait Patri et Filio propriam esse utrique hypostasim; tum ex *Dialogo* 1, ibid. pag. 409, et ex lib. 3 *contra Nestorium*, t. 6, pag. 91, quibus in locis docet tres esse in Deo hypostases, et unicam ac singularem naturam; tum etiam ex ejus ad Valerianum Epistolâ, t. 5, p. 160, ubi salvam manere in Christo utramque hypostasim sentientes rejicit, eosque ex similitudine hominis mente et corpore constituti, in quo una tantùm est hypostasis, refellit. Secundum, scilicet S. doctorem pluries etiam usurpâsse hanc vocem in significatione quâdam latiori, seu genericâ respectu tum substantiæ realis et existentis, tum suppositi vel personæ, demonstrant varia testimonia ex scriptis quæ contra Nestorium aut ejus defensores edidit deprompta. Nam lib. 2 contra Nestorium, docet *duos induci Filios; nec unum jam Dominum, et Christum et Filium fore, si utrique sua persona est et ratio, atque etiam hypostasis ad diversitatem secedens, et rem veræ unionis recusans, et quæ omninò cum alterâ convenire non possit.* Adverte nomini *hypostasis* rationem divisionis et separationis à S. doctore adjici ad exprimendam suppositi notionem. In Defensione anathematismi sui primi, contra Theodoretum, ait *rerum, sive hypostaseon concursum* (in Incarnatione) *factum esse*; quæ intelligi de unitione rerum solidarum et realium, seu naturarum singularium et existentium, non verò de personis, et orthodoxa fides, et doctrina quam ipse aliàs sæpè declarat, necessariò postulant. Non absimilia habet lib. 2 contra Nestorium, t. 6, p. 33 et 34, ubi quod Nestorius appellaverat *naturam*, ipse *hypostasim* nuncupat. Eamdem acceptionem *hypostaseos* observare est in Defensione tertii anathematismi contra Theodoretum et in Defensione quarti contra Orientales, etc. Tertium, Orientales nimirùm et Theodoretum in Anathematismis S. Cyrilli *hypostasim* interpretatos esse naturam singularem, apertè deprehendere est in scriptis quæ Andreas Samosatenus nomine Orientalium et Theodoretus adversùs eos promulgârunt, quæ extant t. 6 Oper. S. Cyrilli, pag. 159 et seqq., et t. 3 Concil. Labbæi, p. 829 et 889. Quartum denique, omnem videlicet prætermissam fuisse *hypostaseos* mentionem, cùm pax Orientales inter et S. Cyrillum redintegrata est, manifestissimè patet ex istius pacis monumentis, nempe ex *Confessione fidei* quam Joannes Antiochenus ad S. Cyrillum misit, et ex istius ad Joannem responso, cui illa fidei confessio inserta est.

Quæres 1° quid causæ fuerit cur S. Cyrillus acceptionem *hypostaseos* pro personâ aut supposito, quam aliàs, præsertim ubi de Trinitate usurpat, contra Nestorium et ejus defensores scribens non semper adhibuerit. — Respondeo S. doctorem latiori significatione contra Nestorium usurpando vocem hypostaseos, causæ Ecclesiæ consuluisse et inutiles morosasque vitâsse nominis quæstiones. Enimverò naturam seu substantiam singularem et existentem inter et naturam seu substantiam per se et seorsim ab aliâ consistentem quæ suppositum dicitur, nihil differentiæ Nestorius agnoscebat. Proindeque vocem *hypostascos* quæ à Patribus diversimodè, nempe vel pro naturâ seorsim existente, seu supposito, vel pro re singulari tantùm et reali usurpata fuerat, cautè S. doctor nonnisi in significatione quâdam latiori adversùs versipellem hunc hæreticum agens, plerumque accepit; ita ut ad suppositum vel personam significandam non poneretur sola, sed cum aliquo addito ipsam suppositi aut personæ rationem magis explicante et inculcante; imò et aliquando usurparetur ipso adversariorum sensu, pro naturâ singulari et existente, tum ad quæstiones vocum removendas, tum ad dogma catholicum ipsis pressiùs et evidentiùs ingerendum. Ubi observa longè aliter se gessisse S. Cyrillum circa vocem προσώπου *personæ*, ac circa nomen *hypostaseos*. Cùm enim prioris indubitata et fixa semper fuisset notio, nunquàm passus est hanc immutari aut dici in Christo duas convenisse *personas*. At de *hypostascos* vocabulo utpote à Patribus variè accepto, necdùm illâ ætate ad significandum suppositum aut personam planè fixo et constituto, prudenter œconomiâ uti voluit, atque illud ex scopo et adjunctis et ex adversariorum mente, ad hanc vel illam significationem induendam restringi.

Quæres 2° quo sensu S. Cyrillus intellexerit nomen *hypostaseos*, in hâc sententia quam frequentissimè usurpat, quæque græcis latinisque theologis deinceps celeberrima evasit: *Naturam* nempe *humanam unitam esse Verbo secundùm hypostasim?* — Respondeo multis videri S. doctorem ibi vocem *hypostascos*

sumpsisse pro *personâ;* adeò ut sensus propositionis sit, naturam humanam naturæ divinæ per incarnationem unitam fuisse in unâ Verbi personâ; seu, quod eòdem recidit, naturam humanam carere propriâ subsistentiâ, et in unâ Verbi personâ subsistere. Existimat verò Petavius, lib. 6 de Incarn. c. 2, n. 4 et seqq., nomine hypostaseos in hâc suâ sententiâ S. Cyrillum intellexisse φύσιν seu *naturam*, atque istud significare voluisse, unionem naturæ humanæ cum Verbo divino esse secundùm naturam, ut aliàs loquitur S. doctor, id est, realem, physicam, non moralem tantùm, nec totum aliquod morale aut accidentale solùm constituentem; uno verbo eam esse ex quâ resultet unitas suppositi.

Hic autem advertere operæ pretium est, utramque ejusmodi interpretationem, etsi, quod ad nomen *hypostaseos* attinet, valdè diversam, ad eumdem tamen sensum sententiæ S. doctoris affingendum spectare. Nam si unio naturæ humanæ cum Verbo sit physica et naturalis, non moralis tantùm, necesse est ejusmodi naturam in unâ Verbi personâ subsistere; et pariter, si natura humana Christi in unâ Verbi personâ subsistat, huic oportet illam physicè uniri. Unam proinde esse in Christo Verbi Dei personam, contra Nestorium S. Cyrillus eâ, de quâ agimus, sententiâ perindè expressit, seu eam pronuntians nomine *hypostaseos*, intellexerit personam aut suppositum, sive naturam aut essentiam cogitaverit. Nec sanè ibi tantùm, sed et aliis in locis quandoque deprehenditur vox *hypostaseos* à sancto doctore sic adhibita ut duplici suâ vi perversam Nestorii doctrinam æqualiter feriat. Vid. Anath. 3 et 4 contra Nestor., etc.

Indè verò hoc efficitur, ut nonnisi difficulter solvi queat quæstio proposita. Cùm enim aliàs constet, ut notatum est, S. Cyrillum duplici sensu usurpâsse vocem *hypostaseos*, nempe pro personâ et pro naturâ aut substantiâ, adeoque ex adjunctis aut ex subjectâ materiâ definiendum sit utram variis in locis significationem hujuscè vocabuli adhibeat; manifestum est mentem ejus non esse obviam, ubi utraque significatio ad rem æquè pertinet, et in idem conspirat. Verisimilius tamen videtur hìc et aliis in testimoniis in quibus nomen *hypostaseos*, neque ex antecedentibus neque ex ipsâ re subjectâ ad naturam seu substantiam tantùm significandam determinatur, illud esse accipiendum de personâ aut supposito, quippe cùm compertum sit hanc vocem ubi de Trinitate, et interdùm ubi de Incarnatione, illo sensu à S. doctore sumi. Nec obstat quod Petavius ait, unionem secundùm hypostasim, aliàs appellari à S. Cyrillo secundùm naturam, secundùm essentiam, naturalem, physicam, essentialem, substantialem, etc. Etenim illæ omnes denominationes ipsi unioni personali seu secundùm subsistentiam et personam, perfectissimè conveniunt.

Dico 6° istud generatim statui posse, sæpè *veteres in usurpandis istiusmodi vocabulis*, USIÆ, HYPOSTASEOS, NATURÆ, etc., *non ejus quam illis tribuebant, notionis, sed in quâ usurpabant ii, contra quos, vel ad quos, et quorum gratiâ loquebantur, rationem habuisse.* Verba sunt Petavii, lib. 6 de Incarn. cap. 2, n. 8, qui et ibidem accuratè adjicit quòd, *etsi vocum ejusmodi non tanta est ab illis adhibita cautio, quantam ii qui deinceps sunt secuti, tenuerint; nihilominùs aliis et idem significantibus vocabulis, aut eodem certè conspirante verborum circuitu ad hoc pervenerunt, quod recentior theologia majore est compendio consecuta. Intellexerunt enim,* inquit, *et aptis etiam sententiis exprimere studuerunt, in substantiâ quâlibet duo, re implicata et involuta, ratione et cogitatione distincta cerni: quorum unum est commune pluribus ejusdem nominis ac formæ; quod interroganti quid rei sit responderi soleat, ut in homine communi subjecta nomini ratio ac definitio est, ut sit animal intelligentiâ et ratione præditum; alterum singulorum sub eodem vocabulo ac definitione proprium, quo à se mutuò illa dignoscantur; adjectis ad id quod commune est particularibus notis. Sed nec istud ignorârunt naturam aliquam et substantiam esse, quæ non solùm extaret reipsà, nec nihil esset; verùm etiam per sese et ab quâcumque aliâ separata consisteret, nec in unius compositionem cum altero veniret.*

ARTICULUS II.

In quo formaliter consistat unio hypostatica.

Illud jam non semel monuimus, imò et ex Scripturis et ex traditione aliquando confirmavimus, hypostaticam unionem esse mysterium altiùs reconditum, quàm ut à nobis mortalibus quos rerum vel maximè obviarum et tritarum natura latet, mente concipi et verbis dilucidè explicari valeat. Verùm generalem, imperfectam atque analogicam illius nexûs ideam, quam nobis suppeditat fides, cum philosophiæ placitis post SS. Patres et theologos hic conferre expedit, tum ut paulò minùs generalem, si fieri potest, ejus notionem, horumce placitorum ope, ex principiis fidei exprimamus; tum etiam ut magis ac magis illud appareat, quod jam disputatione 1, c. 2, art 2, assecuti sumus, scilicet ejusmodi mysterium argumentis philosophicis frustra et præposterè ab hæreticis et incredulis impugnari.

Inprimis verò advertendi sunt quatuor modi quibus unionis hypostaticæ ratio, quoad licet, declarari potest. Primus adhibetur, cùm vocibus propriis pro virili exprimere conamur quàm arcta sit illa unio et quis sit ejus formalis effectus. Hunc modum usurpant SS. Patres et theologi, dùm inculcant unionem naturæ humanæ cum Verbo divino in Christo, esse physicam et naturalem, veram, realem, solidam, intimam, intrinsecam, substantialem, secundùm naturam, secundùm substantiam, in personâ Verbi, secundùm hypostasim, etc. His omnibus locutionibus significare intendunt, unione hypostaticâ constitui unum aliquod, constans duabus naturis perfectis et integris in unicâ Verbi personâ conjunctis. Quod ut pleniùs intelligatur, sciendum est *unionem* ab *uno* dici; nempe *unum* quod ex pluribus copulatis resultat, est formalis effectus *unionis;* hinc ad se invicem *unum* et *unio* referuntur, adeò ut talis sit *unio* quale est *unum* quod ex illâ coalescit, et vice versâ. *Unum* porrò vocatur quod minimè divisum est

et multiplex. Aliud verò nuncupatur unum impropriè et metaphoricè, aliud per se et propriè. Ea dici solent efficere quid *unum* impropriè et metaphoricè, quæ etsi multa sint et non modò distincta et diversa, sed et separata, et seorsim extantia, ratione tamen effectûs vel similitudinis, vel imitationis aut finis ad quen. tendunt, aut etiam loci aut contactûs, necessitudinem quamdam et habitudinem inter se habent. In hâc significatione impropriâ et metaphoricâ cœtus, exercitus, acervus quoque rerum corporearum, etc., appellantur quid unum. Sic pariter S. Lucas ait Act. 3, v. 32 : *Multitudinis credentium cor unum et animam unam* fuisse; et Christus, Joan. 17, v. 21, discipulos suos *unum esse* jussit. *Unio* quâ *unum* ejusmodi efficitur, impropriè dicta appellatur et moralis.

Unum per se et propriè dictum, illud est, quod verè et reipsà indivisum est, seu quod coalescit vel ex attributis, vel ex rebus ita connexis ut multiplicem naturam, aut saltem multiplex suppositum aut personam non constituant. Unio ex quâ ejusmodi *unum* resultat, vera et propriè dicta dicitur; atque hujusmodi est unio hypostatica; siquidem Divinitatem humanitatem que consociat, non quidem in unicâ naturâ, sed in unicâ propriè eâdemque personâ. Quod quidem dogma contra Nestorium supra assertum est, Dissertatione 4. Idipsumque est quod diversis locutionibus quas modò retulimus, Patres et theologi declarare conantur.

Secundus modus unionem hypostaticam utcumque exponendi, consistit in enumerandis simul et excludendis variis unionum generibus ab hypostaticâ diversis. Scilicet juxta ejusmodi methodum dicitur unionem hypostaticam non esse metaphoricam, fictam, umbratilem, adumbratam; non esse moralem tantùm et secundùm affectum, qualis est inter amicos; non in prædestinatione solùm, aut præcellentissimis etiam gratiæ et gloriæ donis, quæ sanctis à Deo dantur, reponendam; non esse duntaxat secundùm dignitatem aut honorem, qualis intercedit principem supremum inter et magistratum aut ducem præcipuum, quem auctoritatis suæ princeps participem facit; neque secundùm solam habitudinem similitudinis alicujus, aut imitationis, aut dependentiæ instrumenti ab eo qui illud adhibet; nec denique secundùm contactum solum et unionem localem, ut est inter corpora contigua, vel inter liquores permixtos, aut substantias in eodem loci spatio sese penetrantes, et quoquo modo extantes. Planum est hanc methodum ad aliquam unionis hypostaticæ veram notionem nobis efformandam valdè esse utilem, maximè si, ut fieri solet, simul adhibeatur alter modus quem mox explicavimus.

Tertius ejusdem unionis declarandæ modus in variis comparationibus et similitudinibus positus est, quibus passim SS. Patres et theologi utuntur. Quæ etsi omnes imperfectæ sint et in multis vitiosæ, mentem tamen cœlestia attingere adnitentem utiliter fulciunt, ipsique ad veritatem capessendam maximo adjumento sunt. 1° Igitur Origenes, S. Basilius, S. Joannes Damascenus et alii usi sunt exemplo ferri igniti, ad diversa tamen pro sui scopi diversitate ejusmodi similitudinem referentes. Origenes enim humanitatem ferro et Divinitatem igni conferebat, ut nempe exprimeret totam naturæ assumptæ perfectionem et efficaciam, summumque operationum per eam elicitarum valorem oriri à Verbo, quemadmodùm tota vis urendi quâ ferrum ignitum pollet, non à naturâ ferri, sed ab igne derivatur. Sanctus Basilius verò hanc ignis et ferri comparationem adhibuit, ut Verbum humanitatis assumptæ fragilitate et imperfectione vitiatum non fuisse adumbraret. Sicut enim ignis de ferri proprietatibus nihil accipit, neque ex ejus frigedine frigescit, neque ejusdem nigredine tingitur, sed potiùs ipsi calorem splendoremque communicat, *hunc ad modum*, inquit S. doctor, *et humana Domini caro cùm Divinitatis effecta est particeps, suam ipsius infirmitatem nequaquàm contulit Divinitati*. Observat porrò S. Joannes Damascenus, si ferro ignito aqua supereffundatur, ignem extingui, incolume manente ferro quod ab aquâ pati non natum est; illoque exemplo ostendit impassibilem divinitatem potuisse nullo pacto lædi, dùm humanitas ipsi unita dolores passionis sustinuit. 2° Cyrillus Alexandrinus, lib. 2 contra Nestorium et alibi, carbonis ardentis similitudinem in medium adduxit. Ut enim carbo ex ligno et igne, rebus dissimilibus et in unitatem conjunctis constituitur, ita Christus constat duabus naturis in unâ personâ subsistentibus et coadunatis. Præterea, ut ignis de suis proprietatibus nihil amittens, in suum splendorem et vires lignum transfert, sic Verbum idem manens, quam assumpsit naturam, perficit et decorat. 3° S. Gregorius Nyssenus adversùs Apollinarem disserens, humanitatem à Verbo assumptam confert guttæ aceti immenso mari commixtæ, ut scilicet naturæ assumptæ perfectiones, si Verbi divini perfectione comparentur, nullas esse adumbraret, easque divinâ virtute imbui, tum unam esse Christi personam significaret. 4° Theodorus de Abucara, tom. 11 Bibl. PP. pag. 392, et Theorianus in Dialogo ad Armenos, ut sensibus quasi subjiciant quâ ratione Filius divinus etsi ejusdem cum Patre et Spiritu sancto essentiæ, potuerit solus carnem assumere, atque ejusmodi novam induere naturam sine ullo Divinitatis suæ detrimento, Verbum incarnatum comparârunt uni ex tribus aureis, qui solus in ignem conjectus ejus naturâ solus induitur, non amissâ naturâ auri. 5° Multi (1) hypostaticam unionem nominibus *mixtionis et mixturæ Dei et hominis*, aut similibus designârunt; metaphorâ procul dubio inde ductâ quòd res sensibiles sibi invicem immixtæ seseque immeantes maximè videantur uniri; atque ut inculcarent quidquid Verbo divino inest, illud toti humanitati arctissimè esse conjunctum. Ubi tamen, sicuti S. Augustinus diù ante Eutychis hæresim quæ hic vocibus

(1) Tertull. l. 2 contra Marcionem, et Apologet. c. 12; Orig. l. 3 contra Celsum; S. Cypr. de Vanitate idolorum; S. Greg. Nyss. Orat. catech. 25; S. Greg. Naz. Orat. 1; S. Augustinus in epist. ad Volus. 137, aliàs tertiâ; S. Cyrillus Alex. in Thesauro, p. 235; S. Leo serm. 22 de Nativitate, aliàs 3; Vigil. Martyr. L. 1 contra Eutychen, etc.

abusa est, accuratè advertit, oportet ut *recedat auditor à consuetudine corporum, quâ solent duo liquores ita commisceri ut neuter servet integritatem suam; quanquàm*, inquit præclaram et ipse similitudinem adducens, *et in ipsis corporibus aeri lux incorrupta misceatur.*

Verùm has omnes atque alias similes comparationes tùm celebritate tùm etiam convenientiâ majori facilè vincit ea quæ ab unione animæ et corporis in homine ducitur. Hanc frequentissimè SS. Patres adhibent, necnon Symbolum quod S. Athanasio diù attributum est, ipsaque concilia passim. In tribus autem illa similitudo potissimùm consistit. Enimverò 1°, sicut ex unione animæ et corporis una exurgit natura totalis atque unum suppositum seu persona quæ sit talis homo; ita ex unione Verbi cum naturâ humanâ resultat, non quidem una natura totalis (obstat enim summa Dei Verbi perfectio, ut sæpiùs explicatum est, eâque parte exemplum animæ et corporis deficit), sed unum totum duplici naturâ constans, nempe unus Christus, uno Verbi divini supposito seu personâ subsistens. 2° Anima et corpus, etsi tam arcto vinculo copulata, ita tamen à se invicem differunt, ut nisi tanta ejusmodi substantiarum unio experientiâ cognosceretur, procul dubio vix judicaretur possibilis. Hinc intelligitur summam distantiam quæ humanitatem inter et Verbum divinum intercedit non posse nobis obtrudi ut certum impossibilitatis unionis hypostaticæ argumentum. 3° Denique, quemadmodùm suppositum unicum seu persona quæ ex unione animæ et corporis coalescit, est principium unicum ac subjectum denominationis omnium actionum tùm animæ tùm corporis; ita unione hypostaticâ naturæ humanæ ad Verbum divinum, efficitur ut una Christi persona, nempe persona Verbi, omnes non tantùm Divinitatis, sed etiam humanitatis proprietates et actiones sibi vindicet, unumque sit principium per humanitatem operans; unde communicatio idiomatum capite 4 hujusce Dissertationis explicanda nascitur, necnon valor infinitus actionum quibus Christus pro nobis satisfecit.

Quartus modus unionis hypostaticæ explicandæ, in hâc definiendâ quæstione situs est, an unio hypostatica aliquid in se physicum formaliter includat, seu utrùm aliquam mutationem physicam, aliquam formam sive modum perficientem novum et realem arguat saltem in naturâ humanâ, quâ formâ seu modo ratio formalis hujusce unionis constituatur. Circa hanc quæstionem quæ jam nobis expendenda est, varias in partes scinduntur scholæ theologi, quorum eâ de re opiniones ad duo generatim systemata referri possunt, ut jam alibi docuimus. Prius his terminis solet declarari: hypostaticam unionem formaliter nihil distincti esse ab extremis unitis, nempe à personâ Verbi et à naturâ assumptâ. Sed hæc magis exponenda sunt. Defensores igitur hujusce systematis non modò pro certo ponunt Verbum divinum sibi naturam humanam uniendo nihil novi in se recepisse, nullâque ratione esse mutatum, quod libenter admittunt adversæ sententiæ patroni; sed præterea statuunt ad rationem formalem illius unionis constituendam necesse non esse naturam assumptam physicè immutari, seu aliquâ formâ, aliquâ modificatione reali et physicâ instrui quam non habuisset si à Verbo non fuisset assumpta. Quapropter ex eorum mente unio hypostatica definiri potest, communicatio subsistentiæ immutabilis Verbi, nullam naturæ assumptæ physicam mutationem in suo conceptu formaliter involvens. Dico *in suo conceptu formaliter*, quia non negant ii theologi quorum placita referimus, maximas ex unione hypostaticâ diffluere in naturam assumptam dotes, quibus physicè immutatur et perficitur. Dico etiam *nullam mutationem physicam*, quia libentissimè agnoscunt naturam humanam, etsi Verbo divino sine ullâ modi realis receptione (ut putant) uniatur, tamen hâc unione eatenùs dici posse mutatam, quatenùs, ut SS. Patres observârunt, nexu tam intimo cum Divinitate ad summum honoris fastigium exaltata concipitur.

Quòd si objicias Incarnationem à Deo productam fuisse actione quâdam verâ et reali, cujus proinde esse debeat aliquis terminus formalis, nullum verò assignari posse hujus actionis terminum, nisi, præter Verbi personam increatam, et naturam humanam quæ creatione producta est, aliquid physici et realis concipiatur ad hanc unionem formaliter requisitum, respondent actionem quâ Incarnatio peracta est, fuisse *unitivam;* terminum porrò actionis unitivæ esse unionem extremorum, seu illa uniantur per aliquod physicum de novo adveniens, seu sine ejusmodi medio; priori casu actionem quâ extrema copulantur esse unitivam simul et productivam; posteriori hanc appellandam esse unitivam tantùm; demùm actionibus ejusmodi duntaxat unitivis illam accensendam esse quâ Deus Incarnationem peregit, ut et eam quâ hominis animam et corpus conjunxit. Utrùm autem actio hujusmodi, quâ Deus Incarnationis mysterium operatus est, distinguatur necne ab actione quâ humanitatem Christi creavit, inter se disputant, quâ de re non inquirimus.

Si objicias iterùm, relationem unionis nullam posse intercedere inter Verbum divinum et naturam assumptâm, nisi in aliquo reali et physico fundetur, quod, ejusmodi unione non stante, minimè existeret, quod indifferentiam naturæ humanæ ad illam unionem tollat, quodque in hâc naturâ sit receptum, siquidem in Verbo utpote immutabili nihil hujusmodi tanquàm in subjecto recipi potest, aiunt huic fundandæ et efficiendæ relationi sufficere ipsam Verbi personam, seu personalitatem; hanc enim volunt ejus esse perfectionem, et ut loquuntur, actualitatem, ut sine ullâ sui mutatione, sine ullâ novæ modificationis receptione, dicere possit relationem unionis physicæ ad hanc vel illam naturam rationalem, seu eam ultimò complere et terminare antecedenter ad quamlibet etiam hujusce naturæ mutationem; quemadmodùm, inquiunt, actus voluntatis divinæ simplicissimus et purissimus, sine ullâ sui mutatione atque idem semper manens, creaturas producit vel non producit. Atque hæc est summa

prioris systematis, quod fusiùs expositum et latè propugnatum videre est apud Gonetum, t. 5 *Clypei Thomistici*, tract. de Incarn. disp. 6, a. 3, ubi illam opinionem tribuit Cajetano, Alvari, Joanni à S. Thom. et aliis pluribus insignibus Thomistis. Eam quoque tenent quantùm ad substantiam, Turnelius et Witassius. Goneto autem nihil super hâc re pronuntiâsse videtur S. Thomas.

Ad eamdem sententiam revocandum est quod docet Thomassinus et ex SS. Patribus probare nititur toto ferè, lib. 3 de Incarnatione, eo videlicet intelligi factam esse utriusque naturæ hypostaticam unionem, quo Verbum divinum ad se tanquàm ad digniorem hypostasim, traxisse sibique physicè conjunxisse concipitur naturam humanam, ut eam velut sibi propriam suique juris factam immearet, regeret et ageret. Neque enim agnoscit ille quidquam in humanitate assumptâ esse productum, quo formaliter fiat ut illa humanitas immeetur, pervadatur regaturque à Verbo eâ speciali ratione quæ hypostaticæ unioni constituendæ necessaria est. Hinc Witassius systemati mox exposito, ut notatum est, adhærens, explicationem Thomassini suam quoque facere et adoptare non dubitat.

Secunda opinio multorum etiam est qui existimant naturam humanam Christi non potuisse Verbo hypostaticè uniri nisi ipsa reciperet aliquid reale et physicum, seu aliquem modum realem, quo constitueretur formaliter unita cum personâ Verbi. Aiunt hunc modum naturâ suâ necessariò dicere relationem unionis physicæ inter naturam humanam et Filium divinum, adeò ut repugnet humanitatem eo affici, quin Verbo divino hypostaticè conjuncta sit. Naturam hujus formæ seu modi nobis esse ignotam non diffitentur; haud secùs, inquiunt, ac ignoramus naturam vinculi animam cum corpore unientis. Sed nihilominùs illum modum admittendum esse statuunt, quia eo sublato, 1° Verbum divinum non magis ad hanc naturam quam assumpsit, relationem habere videretur, quàm ad aliam naturam rationalem; 2° natura assumpta ad unionem conciperetur indifferens, nec magis ad Verbum quàm ab Patrem aut ad Spiritum sanctum relationem unionis diceret; 3° actio quâ tota Trinitas Incarnationem produxit, nullum haberet terminum formalem, nec quidquam physici produceret. Hanc sententiam prout à nobis terminis generalioribus hactenùs explicata est, multi sequuntur theologi, nempe Thomistæ insignes non pauci, teste Goneto ubi supra, Frassen, de Incarnat. disp. 1, a. 2, cum aliis scholæ Scotisticæ magistris, Suarem in 3, D. Th., disp. 18, Vasquez, disp. 18, Salmanticenses, etc. Hos verò inter nonnihil discriminis interjacet; nam aliqui docuerunt realem illum naturæ assumptæ modum quamdam esse qualitatem supernaturalem, quam *gratiam unionis* nuncupârunt, ut eam humanitati quæ assumpta est debitam non fuisse significarent. Alii dixerunt hunc esse modum substantialem, rati modo accidentali non nisi accidentalem unionem posse constitui, non verò substantialem et hypostaticam; ita Suarez, Vasquez, Salmanticenses, etc. Alii existimant eumdem modum nihil aliud esse quàm modum realem seu physicum in humanitate Christi à Deo liberè productum, et ab eâ distinctum eâdem ratione quâ modi solent distingui à substantiis quibus inhærent; cujus quidem modi natura in eo posita sit quòd inter hanc humanitatem et Verbum divinum relationem unionis veræ, substantialis, et physicæ, non moralis tantùm constituat. Ita videntur opinari Frassen et alii Scotistæ, qui modum hunc propterea appellare solent *relationem realem unionis extrinsecùs advenientem*. Sed de variis illis opinionibuscirca modi hujus naturam necesse non est ut inquiramus: ista sufficiat

Conclusio. Incertum videtur utrùm unio hypostatica formaliter includat necne aliquam formam, seu modum quemdam humanitatis perfectivum qui in ipsâ à Deo sit productus; et cujus ea natura sit, ut ejusmodi unionis relationem essentialiter dicat naturam humanam inter et Verbum divinum.

Probatur, quia neque ex auctoritate, neque ex ratione theologicâ quæstio illa videtur posse dirimi. Non ex auctoritate. Enimverò in Scripturis quidem disertè traditur Filium Dei carnem factum esse, et in utero Virginis conceptum, sed ratio formalis hujus mysterii in iis non aperitur. Id verò unum, quod ad præsentem quæstionem transferri possit, concilia et SS. Patres habent, nempe naturam quam Verbum sibi unire dignatum est, hâc unione esse mutatam et perfectiorem evasisse, Verbum autem immutatum mansisse. Atqui hæc loquendi ratio ad illius modi exclusionem nihil attinet, ut evidentissimum est; generalior autem est, quàm ut inde colligi possit novam formam seu aliquam mutationem physicam unioni hypostaticæ formaliter constituendæ necessariam esse; nam quoquo modo facta sit unio hypostatica, certum est et ab omnibus concessum eâ formaliter mutatum esse statum et conditionem naturæ assumptæ, quippe quæ fuisset persona merè humana, si Verbo conjuncta non fuisset; unita verò personæ Verbi, jam personam humanam non constituit, sed ad hunc honoris gradum evehitur, ut subsistentiâ divinâ sibi modo admirabili communicatâ ultimò compleatur et terminetur. Adde propter illam unionem donis eximiis scientiæ, gratiæ, etc., humanitatem Christi esse cumulatissimam; quæ dona etsi unionis hypostaticæ sint tantùm appendices, potuerunt tamen à sanctis Patribus attendi, dùm locutionem de quâ agimus, usurpârunt; ergo ex auctoritate quæstio proposita dirimi nequit.

Nec etiam ex ratione theologicâ. Nam non potest rejici modus de quo loquimur, nisi ut impossibilis aut saltem inutilis; neque haberi potest ut certò admittendus, nisi possibilis ponatur et necessarius. Atqui nullum horum ratione theologicâ evinci potest. 1° Non evincitur impossibilis ille modus seu illa forma aut perfectio quam in humanitate Christi ut in subjecto inhæsionis plures volunt esse receptam, quâque relationem unionis hujus humanitatis ad Verbum constitui statuunt. Quis enim novit quousque extendatur naturæ humanæ potentia obedientialis, seu ad quem perfectionis gradum ea possit absolutè evehi? Nege-

tur Deum id posse quod planè repugnare percipitur; hoc juris sibi ratio meritò vindicat. Verùm, ex conjecturis et verisimilitudinibus quibuslibet, limites omnipotentiæ divinæ præscribere nefas est. Nunquàm porrò modi, de quo loquimur, impossibilitatem veris demonstrationibus adstruet. Fatendum quidem rationi sibi relictæ nullam modi illius notionem esse posse. Fatendum quoque ejusdem modi possibilitatem aut existentiam ex Incarnationis fide certò non colligi, ut modò videbitur; fatendum denique ideam cui efformandæ fides Incarnationis locum præbet, esse valdè generalem et imperfectam. Sed modi illius, ad unionem hypostaticam fortè necessarii, possibilitati pugnaciter negandæ hæc non sufficiunt. Certè quidem nonne experientiâ quotidianâ et ipso intimo sensu multa existere cognoscimus, quorum possibilitatis aliàs ne minimam quidem suspicionem habuissemus, quæque etiam ubi nobis comperta sunt, nonnisi generalibus et imperfectis ideis exprimere possumus? exempla afferre necesse non est, adeò vulgata sunt et obvia. Quòd si objicias nullam in animâ sentiri modi hujus recipiendi capacitatem, illi te similem ostendes, qui sensibus tantùm quatuor ab ortu instructus, quinti possibilitatem idcircò nollet agnoscere, quòd facultatem sentiendi impressiones quæ ope ejusmodi sensûs habentur, in se nunquàm expertus esset, quasi verò capacitates et potentiæ animæ alio modo cognoscerentur, quàm sensu quem sui faciunt actus ex ejusmodi facultatibus aut potentiis manentes vel in iis recepti. Quod cùm de facultatibus naturalibus verum sit, à fortiori de potentiâ obedientiali ad recipiendos modos et formas supernaturales intelligendum est.

2° Ille modus non evincitur inutilis. Ut enim, eo posito, unio hypostatica naturæ humanæ ad Verbum necessariò datur, ita, eo sublato, saltem incertum est an unio hypostatica dari possit. Etenim, ut natura humana uniatur Verbo divino, necesse est 1° hanc desinere esse passivè indifferentem ad unionem hypostaticam cum aliquâ personâ divinâ; 2° eamdem naturam potiùs ad Verbum quàm ad Patrem et ad Spiritum sanctum relationem unionis dicere; 3° hanc consequenter à Verbo potiùs respici et ultimò compleri quàm cæteræ humanitates. Quis autem pro certo habuerit hæc tria fieri potuisse sine aliquâ mutatione physicâ quâ humanitas Christi ad unionem hypostaticam cum Verbo formaliter accommodaretur, id est, sine modo illo perfectivo de quo sermonem habemus? Num clarè concipitur naturam humanam Christi desiisse esse indifferentem ad unionem hypostaticam cum aliquâ personâ divinâ, quamdiù non aliâ ratione se habuit physicè ac cæteræ humanitates quæ ad hanc unionem indifferentes manent? Pariter, numquid manifestum est ejusmodi naturam ad Verbum magis quàm ad Patrem aut ad Spiritum sanctum relationem unionis potuisse dicere, dùm non alio modo affecta est ac si Patri aut Spiritui sancto uniretur? An denique nullum dubium est quin Verbum immutatum manens, nec ullam modificationem novam in se ut in subjecto inhæsionis recipiens, potuerit tamen ad humanitatem aliquam, citra omnem ejus mutationem physicam quâ à cæteris humanitatibus distaret, specialem respectum dicere, eamque in personæ unitatem sibi conjungere? Quòd si modum illum seu formam perfectivam admittas, hoc ipso tollitur indifferentia naturæ humanæ ad unionem cum Verbo, discriminatur assumpta humanitas à cæteris quæ non sunt assumptæ, ac Verbum cui vis perfectissima naturam unioni accommodatam ultimò terminandi competit, concipitur sine ullâ sui mutatione humanitatem Christi eo modo immeare, pervadere et regere, quo unio hypostatica constituitur; ergo modus ille non evincitur inutilis. Adde non satis concipi quomodò tota SS. Trinitas Incarnationem peregerit, nisi ad unionem hypostaticam formaliter constituendam necessarius fuerit ille modus de quo disputamus. Actionis enim divinæ quâ Incarnatio peracta est, assignandus videtur aliquis terminus realis et physicus. Is terminus non est Verbum aut ejus aliqua mutatio, quippe quod increatum est, et immutabile; non est etiam natura assumpta, quæ per creationem producta est; ergo, nisi naturam ejusmodi formalitate unitam constituerit aliqua forma seu perfectio quâ caruisset si non fuisset assumpta, non facilè assignatur in Incarnatione terminus aliquis operationis trium SS. Trinitatis personarum, proindeque, etc.

3° Idem modus non evincitur possibilis; nam planum est ex imperfectæ ideæ quam nobis de hoc modo fingimus, contemplatione, nos nihil certi de ejus possibilitate pronuntiare; ergo eatenùs tantùm posset adstrui ejus possibilitas, quatenùs eum existere ex revelatione deduceretur, id est, quatenùs unioni hypostaticæ constituendæ ostenderetur necessarius. Atqui, etc.

4° Tandem is modus non evincitur necessarius. Nam, etsi argumenta quæ modò attulimus ut hunc modum non posse rejici ut inutilem comprobaremus, magni videantur esse momenti ad ejus necessitatem adstruendam, attamen, si genuina unionis et actionis indoles, necnon illa vis quæ inesse potest subsistentiæ Verbi divini, propiùs inspiciantur, ejusmodi argumenta non esse indubitata apparebit. Observandum itaque 1°, nullam nobis esse ideam unionis, potentiæ, et actionis physicæ, nisi valdè imperfectam et generalem; vulgò videri possunt hæ voces perspicuæ, quia familiares et usitatissimæ; quisquis verò philosophus eas definire aggreditur, veritatem quam observari volumus statim perspicit. Potentia generatim est capacitas ad aliquid. Actio physica est exercitium potentiæ ad aliquid efficiendum seu producendum, seu est potentia alicujus efficiendi exercita et ad effectum producendum applicata. Unio physica est ea quâ substantiæ in unum propriè dictum coalescunt; id est, vel in unam naturam totalem, ut in unione animæ et corporis; vel in unum (servatâ naturarum discretione et integritate) suppositum, ut in mysterio quod explicamus. Jam verò generalissimas et inadæquatas esse ejusmodi notiones nemo non videt. Observ. 2°, non consentire inter se philosophos utrùm actio physica aliquam per se formaliter importet mutationem poten-

tiæ; seu an per se et necessariò dicat aliquid reale et physicum potentiæ superadditum, et ab effectu distinctum. Sententia autem negans vera nobis videtur. Sit in exemplum anima nostra aliquam volitionem producens. Certè nostram animam esse causam physicam volitionum suarum deliberatarum, ac proinde earum producendarum ipsi inesse vim seu potentiam, ex sensu intimo indubitatum est. Volitiones, puta actus amoris, odii, etc., sunt hujusce potentiæ immediatum objectum et effectus. Constat ejusmodi volitiones in animâ recipi, ut in subjecto inhæsionis; ac proinde iis quasdam modificationes addi animæ (si ita loqui fas est), seu potentiæ volendi. Verùm ut anima, seu potentia volendi, has volitiones produceret, debuitne priùs *natura* seipsam complere et alio modo sese disponere, quàm se habuisset si eas non produxisset? En difficultatis cardo. Si dicas volitionem hanc esse productam aliâ volitione, de istâ recurret quæstio, et sic in infinitum. Si velis ad hanc volitionem præ aliâ producendam animam determinari ideis et motionibus prævîis quas recipit, id quoque fatebimur; sed fatearis quoque necesse est, positis hisce ideis iisdemque motionibus prævîis quibuscumque, animam (utpote etiam in præsenti statu, et à fortiori in statu naturæ integræ aut innocentis, à necessitate liberam), potuisse ad aliam volitionem producendam se ipsam inflectere; ergo exercitium potentiæ quam habet anima circa volitiones suas, seu actio quâ eas producit, formaliter non includit aliquam hujusce potentiæ mutationem physicam seu aliquem modum ipsi (si ita loqui fas est) superadditum antecedenter ad actûs producti receptionem; sed vis illa animæ talis est ut, sine ullâ suî physicâ mutatione aut modificatione novâ antecedenti, et ad hanc vel illam volitionem præ cæteris habitudinem dicente, hanc tamen vel illam præ aliâ per se et immediatè inferat et producat. Proindeque dari potest actio physica quæ nullam potentiæ mutationem physicam arguat, seu nihil ipsi superaddat distincti ab effectu.

Aliud hujus rei exemplum suppeditat actio quâ Deus omnia produxit. Tam ratione quàm fide constat Deum, utpote nihil necessariò extra se appetentem, potuisse abstinere à creando mundo. Actus autem quo mundum creavit, potest concipi vel ut modus non necessarius, et in se minimè perfectivus, qui sit effectus liber voluntatis divinæ, et quo Deus caruisset si mundum noluisset producere; vel ut perfectio quædam simplicissima quæ sit subjectum libertatis divinæ, ipsamque voluntatem divinam constituat. Si prius, is actus dicendus erit à voluntate divinâ processisse, citra omnem hujusce voluntatis mutationem huic actui antecedentem, adeò ut voluntas divina ac ipse Deus totus quantus est se non alio modo intrinsecè habuerit, sub eo respectu sub quo est principium hujusce actûs, ac se habuisset, si alium produxisset actum. Actus seu volitio creandi mundi fûisset quidem in hoc systemate modificatio quædam quâ Deus alio modo (sed non perfectivo) se haberet, ac si mundum noluisset creare; sed ex câdem potentiâ volendi antecedenter ad omnem ejus mutationem aut dispositionem diversam, seu ex eodem principio, positâ hâc sententiâ emanâsset volitio creandi hanc rerum universitatem, è quo volitio creandi alterius mundi, vel nolitio creandi profluxisset, si Deus nihil creare, vel aliud producere statuisset. Hùc, servatâ, quæ par est, proportione, transfer quæ de volitionibus animæ nostræ modò tradebamus. Quòd si nihil in Deo cogitetur per modum potentiæ, ut reipsà in eo nihil hoc modo cogitandum esse sentimus; si proinde actus divinus concipiatur ratione entitatis suæ necessarius et immutabilis, ipse sit libertatis divinæ sedes, uno verbo, voluntatem divinam constituat; tunc ipsi attribuenda erit vis per se et immediatè inferendi creaturas has vel illas sine ullâ suî mutatione antecedenti, ut ex dictis facile colligere est, sive etiam consequenti, cùm creaturæ non recipiantur in Deo ut in subjecto inhæsionis. Sed de his in tractatu de Deo uberiùs disseritur. Hîc satis sit ostendisse exercitium potentiæ aliquid producendi, ac proinde actionem ipsam, non necessariò ac semper in suo conceptu formali arguere quidquam physici et existentis potentiæ adjuncti, et ab effectu distincti.

Observ. 3°, præter actionem voluntatis divinæ tribus SS. Trinitatis personis communem, quâ Incarnatio decreta est et peracta, quæque ideò appellanda est actio uniens seu unitiva, necesse fuisse ad mysterium illud formaliter peragendum, ut Verbum exerceret vim illam seu potentiam quam habet naturam rationalem ultimò terminandi et complendi. Quid autem vetat quominùs exercitium ejusmodi potentiæ concipiatur instar actionis à Divinitate prout in Verbo est, id est, à personâ Verbi quatenùs est talis persona, seu ab ejus personalitate aut subsistentiâ proficiscens, quâ actione formaliter à Verbo assumpta fuerit natura humana Christi? Etenim substantiam divinam etiam sub hoc respectu actuosam esse, non inertem et omni efficaciâ vacuam, numquid stolidè supponitur? Si autem potentia quæ inest personæ Verbi Dei, ad sustentandam naturam à se distinctam, supponatur actuosa, ergo exeritur, seu exercetur per actionem aliquam soli Verbo propriam, quæ formaliter sit ipsa unio ex parte Verbi, seu unio activè sumpta, id est, assumptio naturæ humanæ à Verbo divino in personæ unitatem. Quò non immeritò referes quod SS. Patres et concilia asserunt, Verbum scilicet assumpsisse naturam humanam. Hâc enim sententiâ aliquam Verbi Dei actionem denotabant. Illa autem actio non erat voluntatis divinæ Verbi, aliàs fuisset communis Patri et Spiritui sancto; ergo unionem ex parte Verbî in quâdam vi ejus personæ insitâ, in exercitio virtutis quam habet sustentandi, ac proinde in actione quâdam ipsi propriâ formaliter consistere significâsse videntur.

His observatis, jam facilè comprobatur modum illum de quo agimus, non demonstrari necessariò in humanitate Christi ad unionem hypostaticam requisitum Nam 1°, ex observ. 1 et 2, actio seu exercitium potentiæ activæ non necessariò et semper ratione suî formaliter arguit mutationem aliquam physicam seu modum potentiæ superadditum antecedenter ad effe-

ctum productum; 2°, ex observ. 3, unio ex parte Verbi divini, concipi potest instar actionis, seu exercitii potentiæ quam habet Verbum sustentandi naturam rationalem à suâ distinctam. Ergo 1° unio ex parte Verbi, etiamsi instar actionis quâ naturam humanam assumat, concipiatur, non tamen ideò dici potest addere quidquam Verbo, nempe modum aliquem physicum quo caruisset, si carnem non assumpsisset. Ergo 2°, eadem unio activè sumpta relationem unionis naturæ assumptæ ad Verbum fundare potest, citra modum ullum in naturâ humanâ ad hanc unionem productum. Eâ enim unione seu actione Verbum divinum statim occupat et sui juris facit naturam humanam. Dùm enim eam Verbum assumit, necesse est ut et ipsa assumatur. Et sanè quis pro certo et indubitato statuerit exercitium potentiæ sustentandi Verbo insitæ solùm non posse sufficere ad ejusmodi relationem fundandam, si attenderit ad modum observ. 2 declaratum, quo potentia efficiendi sæpè suos infert et producit effectus?

Solvuntur objectiones. — Obj. 1° : Modus quidam in humanitate receptus, et unionis relationem Verbum divinum inter et naturam humanam dicens impossibilis est. 1° Quia nonnisi accidentaliter Verbo uniret naturam humanam, quæ tamen ipsi substantialiter unitur. 2° Vel modus ille in totâ humanitate reciperetur, vel in corpore solo, vel in animâ solâ. Si in corpore solo, ergo corpus quod in extensione actuali certo modo dispositâ consistit, cujus proinde omnes modificationes nihil aliud sunt quàm relationes distantiarum, dicendum erit posse quâdam formâ donari ex quâ unio hypostatica humanitatis ad Verbum resultet; quod absurdum est. Si in totâ humanitate, ergo partim spiritualis et partim corporeus erit ille modus; quod etiam absurdum est. Si in animâ solâ, ergo vi ejus non tota humanitas, sed sola anima Verbo divino immediatè et proximè copulabitur; corpus verò nonnisi remotè et quatenùs animæ conjunctum est, quod communi et certæ theologorum doctrinæ adversatur.

Nego ant. Ad primam probationem, nego etiam ant. Si enim ea esset modi illius ratio et indoles, ut naturâ suâ relationem unionis inter humanitatem et Verbum divinum diceret, si præterea unio inde resultans ipsas naturas respiceret, atque (citra earum confusionem) in unum propriè dictum, id est, in suppositi unitate conjungeret, quis negaverit futurum ut hoc modo unio essentialis et substantialis eodem sensu constitueretur, quo unio hypostatica à SS Patribus essentialis et substantialis appellata est? Ad secundam probationem, 1° nego, ex eo quòd ille modus in solâ animâ ut in subjecto inhæsionis reciperetur, inde consequi eo non posse constitui relationem unionis humanitatis totius ad Verbum. Humanitas quippe in eo systemate non eatenùs dicitur Verbo formaliter uniri, quatenùs præcisè modi hujus est subjectum, sed quatenùs is modus perfectivus, seu forma essentialiter et naturâ suâ constituit relationem actualis unionis humanitatem inter et Verbum divinum. Fortè ergo ille modus, licet in solâ animâ tanquàm in subjecto inhæsionis resideret, posset tamen non tantùm animæ, sed et corporis unionem immediatam ad Verbum divinum fundare, nempe propter habitudinem naturalem quam anima ad corpus dicit, et corpus ad animam. 2° Verum quidem est omnes corporis affectiones nihil aliud fore quàm relationes distantiarum si materiæ essentiâ in solâ extensione actuali reponeretur. Sed nemo nescit varias esse hâc de re philosophorum opiniones, atque, ut dicam quod res est, naturam materiæ solùm ferè cognoscimus quantùm satis est, ut eam à substantiâ cogitante certissimè secernamus.

Obj. 2° : Qui modi alicujus in humanitate recepti necessitatem ad unionem hypostaticam tuentur, concedere coguntur Verbum, citra omnem hujus rationis modum in eo receptum, desinere esse indifferens ad unionem hypostaticam. Atqui planum est non magis modum aliquem esse unioni hypostaticæ necessarium ex parte humanitatis ad tollendam ejus indifferentiam, quàm ex parte Verbi divini; ergo inutilis est modus in humanitate receptus, etc.

Præterea anima et corpus sine ullo modo immediatè uniuntur, atque actio quâ ejusmodi unionem Deus producit, est unitiva tantùm, non productiva; ergo, etc.

Ad primum, nego minorem. Aliud est duo extrema uniri inter se, citra omnem utriusque mutationem physicam, aliud est hanc unionem formaliter constitui uno ex extremis ad eam accommodato, et propterea physicè immutato, id est, aliquâ modificatione instructo, quâ aliàs caruisset. Aliquid enim physici et realis in altero extremorum receptum, fundandæ relationis inter utrumque facilius concipitur sufficere, quàm hæc unio intelligi queat exurgere ambobus extremis perinde non mutatis manentibus. Porrò, si ad tollendam indifferentiam naturæ humanæ ad Verbum et vicissim Verbi ad naturam humanam, necessarius sit modus in alterutro receptus, meritò naturæ humanæ adscribitur, tum quia Verbum est immutabile, tum quia propter suæ subsistentiæ perfectionem poni potest per se idoneum ultimò complendæ et sustentandæ naturæ creatæ intelligenti quæ ad hanc unionem accommodata est. Ad secundum, transeat antecedens; quia natura unionis animæ et corporis nos latet. Deinde nego conseq. Anima et corpus sunt naturæ incompletæ quæ uniri postulant; adeòque ut uniantur, fortè sufficit ea creari iis donata proprietatibus et dotibus quæ ad ipsa naturaliter attinent. At humanitas Christi est completa in ratione naturæ, nec Verbo uniri naturaliter postulat; ergo, etc.

Obj. 3° : Ille modus tum Verbo, tum humanitati uniretur vel immediatè, vel mediante alio modo. Si prius, nonne Verbum et humanitas tam possent immediatè inter se conjungi, quàm cum illo modo? Si posterius, admittendus erit in infinitum progressus modorum inter se conjunctorum; ergo ille modus repugnat, vel saltem inutilis est. — Respondeo, si detur hic modus, 1° eum in humanitate recipi tanquàm in subjecto inhæsionis, atque sub eo respectu ejusdem esse

conditionis ac cæteros modos humanitatis perfectivos; 2° nec Verbum, nec naturam humanam cum illo uniri hypostaticè, siquidem repugnat modum aliquem per se esse unum ex extremis hypostaticæ unionis; hæc unio est naturarum in personâ, non modorum aut formarum subjecto inhærentium; 3° hanc igitur fore modi illius naturam, ut relationem unionis hypostaticæ immediatam et proximam diceret totius naturæ assumptæ ad Verbum divinum.

Obj. ultimò : Tres SS. Trinitatis personæ Incarnationem, utpote opus ad extra, peregerunt; atqui, si unio hypostatica peracta fuisset illâ ratione quam explicavimus, ut modum in humanitate receptum huic unioni necessarium non adstrui ostenderemus, jam tres SS. Trinitatis personæ Incarnationem non peregissent; quippe, cùm juxta hanc explicationem, nullus esset terminus formalis actionis ejusmodi personarum. Enimverò ille terminus deberet esse aliquid reale et distinctum à Verbo, quod increatum est, et ab humanitate Christi, quæ creatione fuit producta; sed juxta explicationem allatam nihil hujusmodi in Incarnatione daretur; ergo, etc.

Respondeo in illo systemate ut et in altero quovis, terminum formalem decreti et actionis quâ Pater, Verbum et Spiritus sanctus ab æterno liberè decreverunt Incarnationem in tempore peragendam, hunc, inquam, terminum formalem esse assumptionem naturæ humanæ à Verbo, seu communicationem personæ Verbi factam naturæ humanæ. Si dicas ad hanc assumptionem aut communicationem formaliter necesse fuisse modum aliquem realem et perfectivum in humanitate produci, hunc modum tres personæ produxerunt, eorumque actio fuit productiva, et unitiva simul. Sin verò facta fuerit hæc communicatio aut assumptio sine ullâ ejusmodi formâ reali et physicâ, dicendum erit actionem trium personarum fuisse unitivam tantùm, et in adductione extremorum eorumque ineffabili conjunctione citra omnem modum realem peractâ fuisse sitam.

Corollarium. — Ex dictis colliges duas unionis hypostaticæ explicandæ vulgò adhiberi rationes, quas repugnare hæretici et increduli non demonstrabunt. Recole etiam quæ Disputatione 1 diximus de possibilitate Incarnationis.

CAPUT II.

De extremis unionis hypostaticæ

Extrema unionis hypostaticæ sunt persona assumens, nempe Verbum, et natura assumpta, seu natura humana. De utroque dicendum duobus articulis.

ARTICULUS PRIMUS.

De personâ assumente

Circa personam assumentem seu Verbum divinum duo tantùm investigabimus. Primum an ejus natura dicenda sit unita naturæ humanæ, ita tamen ut unio facta sit in persona non in naturâ. Alterum an solum Verbum naturam humanam assumere potuerit, seu an Pater et Spiritus sanctus incarnari potuissent. Itaque,

1° *Uniunturne natura divina et natura humana in Christo; atque unio facta sit unio hypostatica in naturâ, an verò in personâ.* — Conclusio I. Natura divina dicenda est in Christo unita naturæ humanæ, et vice versâ humanitas unita divinitati. Probatur. Nam 1°, id significat Apostolus, dùm ait in Christo *habitare plenitudinem Divinitatis corporaliter*. 2° Idem exprimunt SS. Patres, cùm passim tradunt humanitatem à Divinitate assumptam fuisse, ipsi esse immersam, ejus virtute imbibitam, alteram alteri esse immixtam, ac tandem secundùm naturam eas esse conjunctas et unitas. Quorum plurima câ de re testimonia apud Petavium, lib. 5 de Incarn., cap. 1, et apud Thomass. lib. 3, capit. 4, 5, 6, 7, 8, collecta habentur. 3° Natura humana unita est physicè et hypostaticè Verbo divino; atqui evidens est Verbum non posse tam arcto vinculo uniri naturæ humanæ, quin Divinitas prout in Verbo est, et ejus personalitate contrahitur, tota uniatur toti naturæ humanæ Christi, et vice versâ; ergo, etc.

Conclusio II. Unio hypostatica facta est in personâ, non in naturâ. Probatur 1° auctoritate concilii Toletani XI, an. 675, quod in professione fidei illum loquendi modum usurpat et disertè explicat: *Solus Filius*, inquit, *formam servi accepit in singularitate personæ, non in unitate divinæ naturæ; in id quod proprium est Filii, non quod commune Trinitati*. Probatur 2° ex SS. Patribus, qui sæpissimè docent idipsum quod illâ locutione intelligitur, nempe Filium solum, non Patrem, neque Spiritum sanctum assumpsisse naturam nostræ similem; ex quo sequitur naturam humanam non uniri naturæ divinæ absolutè in se spectatæ abstrahendo à personâ Verbi, et quatenùs tribus personis est communis; sed hanc unionem esse factam sub câ tantùm ratione quâ Divinitas contrahitur personalitate Verbi, et ad constituendam secundam SS. Trinitatis personam restringitur, si ita loqui fas est, et determinatur. Rem totam dilucidè exponit Ferrandus diaconus in Epistolâ ad Anatolium: *Pater et Filius*, ait, *substantiâ unum sunt, non personis; una est natura Patris et Filii, sed alia est persona Patris, alia Filii. Filius verò suscipiens carnem..., naturam sibi adunavit humanam, sed in unitate personæ, quam non habet cum Patre communem, non in unitate substantiæ, quam habet cum Patre communem. Ideò non Trinitas, sed tantummodò Filius et natus et passus est*. Probatur 3°, quia si unio hypostatica facta esset in naturâ divinâ, cùm hæc natura communis sit tribus SS. Trinitatis personis, manifestissimè sequeretur Patrem et Spiritum sanctum, perinde ac Filium, esse incarnatos, natosque, passos, etc., quod fidei catholicæ omninò adversatur; ergo, etc. Atque ex his omnibus patet utramque conclusionem esse de fide, quatenùs iis significatur Deum Verbum naturam humanam assumpsisse, atque ipsum solum fuisse incarnatum.

Dices : Quæ primâ conclusione observavimus à Patribus esse dicta de unione utriusque naturæ in Christo, videntur significare unionem ejusmodi factam

esse in naturâ; ergo, etc. Nego ant. Ejusmodi enim locutionibus id unum exprimunt SS. Patres unionem duarum naturarum divinæ et humanæ in Christo, citra omnem confusionem, esse arctissimam, intimam, realem et physicam, quod omnes Catholici uno ore profitentur. Verùm, dùm ita loquuntur SS. Patres, non definiunt, naturam divinam, abstrahendo à personâ Verbi, et quatenùs communis est tribus SS. Trinitatis personis, humanitatem assumpsisse, etc. Imò verò evidentissimum est hæc ab iis intelligi de Divinitate prout in Verbo existit, seu quatenùs per ejus personalitatem contrahitur et Filium æternum constituit. Sæpissimè enim aiunt Deum Verbum, Filium Dei, nostrâ naturâ esse indutum, atque ejusmodi locutiones, aut alias similes tanquàm synonymas et parallelas cum loquendi modis in objectione notatis, passim adhibent, ac longè frequentiùs illas usurpant. Deinde, dùm crebrò attribuunt soli Filio quòd carnem assumpserit, hoc ipsum conceptis verbis Patri et Spiritui sancto adjudicant. Denique errorem eorum qui carnem et passionem Patri, vel toti Trinitati adscripserunt, ut tetram et turpissimam hæresim habuêre; quæ omnia nimis comperta sunt, quàm ut iis diutiùs immoremur.

Instabis: Si dixeris unionem hypostaticam factam esse in personâ, non in naturâ, nonne videris in quorumdam abire sententiam, quos doctissimus Thomassinus, lib. 3 de Incarn., cap. 5, n. 2, his verbis perstringit: *Permirum accidit mihi quidem, ecquid in mentem venerit nonnullis naturas separare, immediato iis interdicere complexu, personæ tantùm quasi extremi termini contactu eas admovere magis quàm connectere, aut eo quasi vinculo connectere tantùm, non insinuare, non immergere alteram alteri, non permiscere, cùm ex hâc tamen insinuatione, immersione et commixtione, inconfusa utriusque naturæ* (juxta SS. Patres) *efflorescat unitas personalis?* ergo, etc.

Respondeo doctissimum Thomassinum *nonnullis* tantùm scholæ magistris hanc censuram inurere; dùm tamen omnes docent post S. Thomam et concilium Toletanum, et juxta totius traditionis sensum, unionem hypostaticam factam esse in personâ, non in naturâ; proindeque noluit celeberrimus ille theologus neque hunc loquendi modum, neque dogma illo expressum, quod certissimum est, quodque ipse aliàs ut indubitatum tradit et disertè explicat, ullo pacto reprehendere. Et verò nemo theologorum non agnoscit, naturam divinam quatenùs Verbi est, totam esse unitam toti naturæ humanæ Christi, quæ doctrina idipsum est quod variis comparationibus, metaphoris et locutionibus à Thomassino notatis declarant SS. Patres. Quòd si hos inter et illos discrimen aliquod intercedat, illud exaggerandum non est, quippe quòd rei substantiam non spectet, et in loquendi modo ac speciali quâdam rei considerandæ ratione totum contineatur.

Dices 2°: Unio hypostatica sæpè in eo dicitur consistere quòd natura humana sit juris Verbi, ab eo pendeat et regatur; sed ejusmodi jus, dominiumque et regimen competunt Verbo Dei prout habet naturam tribus personis communem, seu prout voluntate supremâ et omnipotenti præditum est, quæ facultas ad naturam tribus personis communem pertinet; ergo unio hypostatica facta est in naturâ.— Dist. maj., sit juris physici, pendeat à Verbo ut à personâ ultimò complente et sustentante, et regatur ab eo sub eodem respectu, concedo; sit juris moralis tantùm, pendeat et regatur à Verbo duntaxat ut à causâ efficiente et movente, nego. 1° Jam docuimus duplex jus distinguendum, aliud physicum, aliud morale; istud per voluntatem exercetur, ibique reperitur quidem ubi est persona, cùm persona naturam intellectualem in suo conceptu involvat; verùm non constituit rationem personæ; quapropter potest etiam concipi in naturâ abstrahendo à personâ, et reipsà exercetur humanitate Christi, quæ tamen persona non est. Jus physicum necessaria est totalitatis perfectionum appendix, unde est commune tum supposito, tum personæ; in eo autem positum est quòd quæcumque naturæ insunt, et ab eâ producuntur, debeant supposito aut personæ cujus est natura, *in concreto* attribui, et reipsà ad ipsum attineant. Cùm humana Christi natura dicitur per Incarn. juris Verbi divini facta, id intelligitur de jure illo physico, non de morali quod independenter ab illâ unione necessariò Verbo competit ut et aliis duabus SS. Trinitatis personis. 2° Natura humana Christi duplici modo pendet à Verbo, primò ut à causâ efficiente, sicque etiam pendet à Patre et Spiritu sancto; sed hæc ejus dependentia unionem hypostaticam non constituit; secundò ut à personâ ultimò complente et sustentante, sicque à solo Verbo pendere dici potest, quia ipsi soli unitur physicè. 3° Regitur etiam humana Christi natura à tribus SS. Trinitatis personis, quatenùs quidquid in eâ et per eam producitur, à totâ oritur SS. Trinitate, sed à solo Verbo regitur specialiter, ut à personâ cui physicè unita est, et quæ eam proprii sui juris fecit.

2° *Utrùm Pater et Spiritus sanctus incarnari potuerint.* — Conclusio. Absolutè repugnare non videtur Patrem aut Spiritum sanctum incarnari. Probatur 1° auctoritate divi Thomæ et theologorum, qui idipsum statuunt. Probatur 2°, quia persona Patris et persona Spiritûs sancti non minùs perfectæ sunt quàm persona Filii, nec proinde minorem habent virtutem ad naturam aliquam rationalem ultimò complendam et terminandam. Neque enim videtur posse Filio divino inesse aliquid speciale et proprium quo solus ex personis divinis absolutè reddatur humanitati assumendæ idoneus. Magis tamen decuit ut Filius incarnaretur propter rationes congruentiæ quas supra post SS. Patres attulimus, Dissert. 5.

Articulus II.

De naturâ assumptâ.

Non hìc inquirimus quæ natura à Verbo divino assumpta fuerit. Jam Disputatione 3 adversùs hæreticos monstratum est hanc non aliam esse quàm naturam humanam animâ rationali et corpore solido ex

Mariâ nato constantem, omnibusque facultatibus et proprietatibus quibus humanitas constituitur, donatam. Supponimus autem hanc humanitatem quam Verbum sibi unire dignatum est, etsi à primo ortu summis donis ornata fuerit, atque ignorantiæ, peccati, et fomitis peccati expers fuerit, iis tamen antequàm Christus gloriosè resurgeret obnoxiam fuisse defectibus sine quibus fines Incarnationis non potuissent attingi; proindeque Christo fuisse naturam dolori mortique obnoxiam, corpus passibile, mortale, siti, fami, defatigationi subjacens, ut scilicet pro hominibus ille posset satisfacere, nobisque eximia omnium virtutum præbere exempla. De his naturæ assumptæ defectibus, et simul de ejus perfectionibus ex professo dicturi sumus dissert. 9, c. 2. Impræsentiarum quæstio est 1°, an sola natura humana potuerit à Verbo assumi; 2°, an natura quam Verbum assumpsit, propriam habeat existentiam, sitque individua et singularis; 3°, an omnes naturæ humanæ partes assumptæ fuerint. Quæ tria sigillatim expendenda sunt.

1° *An sola natura humana potuerit à Verbo assumi?* — Conclusio. Verbum divinum absolutè potuisset naturam angelicam assumere. Probatur, quia per se non magis repugnat naturam angelicam aut quamlibet rationalem à Verbo assumi, quàm naturam humanam. Illinc Scripturæ indigitant et SS. Patres supponunt, vel etiam expressè tradunt magnum illud esse bonitatis et munificentiæ divinæ erga homines beneficium, non modò quòd pro eorum salute Verbum voluerit naturam aliquam creatam sibi secundùm hypostasim unire, sed etiam quòd humanitatem ad tantum mysterium peragendum elegerit. Divinæ autem sapientiæ non defuerunt rationes naturæ humanæ præ angelicâ assumendæ; quarum plurimæ procul dubio nos latent. Quæ nobis innotescunt suprà à nobis fuerunt expositæ jam citatâ dissert. 4, cap. 2 et 4.

Quæstiones aliquas à theologis nonnullis de possibilitate vel impossibilitate quarumdam assumptionum hìc agitatas nos consultò prætermittimus, quippe quas otiosas et steriles, aliquando solutu impossibiles, vel etiam minùs decentes et decoras arbitramur.

2° *Utrùm natura humana à Verbo assumpta propriam existentiam habeat, sitque individua et singularis?* — Negant plures Thomistæ naturæ humanæ Christi suam esse existentiam propriam, quâ in quæstione fortè magis de nomine quàm de rebus disputatur. Ut omnis ergo tollatur æquivocatio, nomine existentiæ intelligimus positionem rei extra nihil, seu modum quo reponitur extra nihil.

Quod ad aliam quæstionem attinet, de eâ omnes theologi post S. Joannem Damascenum lib. 3 de Fide orthod. cap. 11, unanimiter statuunt naturam humanam Christi esse singularem. Natura autem singularis illis ea est quæ pluribus non est communis, quæ ab individuis non abstrahit, quæ est una numericè.

Conclusio. Natura humana Christi propriam habet existentiam, atque est singularis. Probatur prima pars, nempe naturæ humanæ Christi propriam esse existentiam. Nam existentia est positio rei extra nihil; atqui natura humana Christi habet positionem extra nihil sibi propriam sibique inhærentem; enimverò positio hujusce naturæ humanæ extra nihil non est modus Verbi, sed status hujus naturæ, neque ab unione sui cum Verbo habet hæc humanitas quòd existat, siquidem priùs *naturâ* debuit existere quàm Verbo divino hypostaticè adunaretur; ergo. Probatur secunda pars, nempe naturam humanam Christi esse singularem seu individuam, non communem et ab individuis abstractam. Quæ propositio eatenùs fide certa est, quatenùs fide constat Christum esse hominem singularem, ab aliis numero distinctum, non tantùm ratione personæ, sed etiam naturæ humanæ. Probatio verò est obvia et facilis. Nam natura à Verbo assumpta existit; atqui quod existit illud singulare est, et numericè differt à quolibet alio existente. Universalia enim ab individuis abstracta non existunt; atque eatenùs tantùm attributa quæ ideis universalibus exhibentur, in rerum naturâ possunt extare, quatenùs in singularibus seu in individuis extra nihil constitutis continentur.

Dices 1° adversùs primam partem. Sophronius Hierosolymitanus in Epistolâ synodicâ quam concilium generale VI, act. 2, approbavit; et S. Joan. Damasc. lib. 3, de Fide, cap. 12, aiunt carnem Christi non per seipsam, sed in Verbo *extantiam* seu existentiam habuisse; ergo, etc.—Dist. ant. Ut significarent carnem Christi non existere seorsim et separatam à Verbo, concedo; ut existentiam propriam seu humanam ipsi abjudicarent, nego. Aliud est humanitatem Christi in Verbo existere, aliud est hanc non existere per existentiam humanam, nec nisi per existentiam Verbi. Prius docent Sophronius et S. Joan. Damas. adversùs Nestor.; de posteriori nihil pronuntiant.

Dices 2°: Natura humana Christi non habet propriam subsistentiam, sed solùm subsistit subsistentiâ Verbi; ergo ipsi nec existentia propria adscribi potest. —Nego consequentiam et paritatem. Aliud est subsistentia, aliud existentia. Illa hanc supponit, atque etiam afficit ut et cæteras rei affectiones et modificationes. Res enim existens seu extra nihil posita, potest in se subsistere vel in alio; in se subsistit, si seorsim existat, nec uniatur alteri perfectivo, adeò ut sit sui juris physici, integrumque atque unicum suarum actionum principium; in se verò non subsistit, si seorsim non existat, id est, si fiat pars propriè dicta alicujus totius, vel quasi accessio quædam perfectionis, et veluti additamentum. Non ideò igitur natura humana Christi in Verbo subsistit, quòd existentiam humanam non habeat, sed quia seorsim et separata à Verbo non existit, seu quia ipsi unitur physicè, summam inde perfectionem consequens, et nullam ipsi tribuens, unde ipsius juris fit, et in ejus personâ subsistere dicitur.

Dices adversùs alteram partem, naturam hominibus communem, juxta quosdam SS. Patres, à Verbo esse assumptam. Dist., id est, naturæ nostræ similem, et iisdem attributis, et partibus constantem, quibus natura omnibus hominibus communis constituitur, concedo; naturam universalem, ab individuo abstractam, nego.

Dices iterùm : Suppositum nihil nisi principia individuationis seu rationem individui addit naturæ specificæ et communi ; atqui natura individua et singularis continet principia individuationis, seu rationem individui ; ergo si Verbum assumpsisset naturam humanam individuam et singularem, assumpsisset suppositum seu personam ; quod fidei repugnat.— Nego majorem, nam principia individuationis seu ratio individui ad omnem naturam existentem pertinent et quidem eo ipso quo existit. Ratio autem suppositi addit naturæ existenti ac proinde individuæ et singulari, specialem statum seu modum, in se videlicet et seorsim, nomine totius, existendi.

3° *An Verbum assumpserit omnes naturæ humanæ partes?*— Natura humana quam sibi Verbum in personæ unitatem devinxit, multis partibus, ut et cæteræ humanitates, constat ; nempe illa constituitur animâ rationali variis donatâ facultatibus, tum corpore quod in partes diversi generis distribuitur, ut sunt ossa, caro, sanguis, alii humores, etc. Quæritur utrùm ad hæc omnia unio hypostatica pertineat, et quomodò, an proximè, an remotè ? Quæ quidem quæstio multa continet capita, non omnia pari certitudine definienda.

Conclusio I. Verbum assumpsit naturam humanam, veram et essentialiter perfectam, ac proinde assumpsit veram animam rationalem, verum solidumque corpus ejusdem materiæ et rationis, quoad substantiam, cum nostro, atque illam quidem animam, illudque corpus inter se unita ad humanitatem unam perfectam componendam.

Tota propositio est de fide, quantùm ad omnes suas partes, ut satis liquet ex iis quæ suprà, dissert. 4, fusè demonstravimus adversùs hæreticos, quorum alii animam, alii mentem, alii corpus solidum et ex Mariâ natum, alii personæ unitatem Christo Domino detraxerunt.

Aliquid tantùm superest hìc addendum circa ultimam partem nostræ conclusionis, nempe Magistrum Sentent. in 3 dist. 6, et Hugonem à S. Victor., lib. 1 de Sacramentis, parte 2, non habuisse ut hæreticam quorumdam opinionem negantium corpus et animam quæ Verbum assumpsit, fuisse partes inter se unitas ; Scotumque in eamdem distinctionem 6, quæst. 3, aliosque scholæ perantiquos doctores censuisse hanc sententiam non fuisse hæreticam, donec ab Alexandro III pontifice maximo damnata fuit in capite *Cùm Christus*, extra. *de Hæreticis*.

Verumtamen omninò constat et ex dictis in mox citatâ dissertatione planè liquet, hanc etiam nostræ conclusionis partem, corpus scilicet et animam quæ Verbum sibi univit, fuisse inter se ad unam humanitatem componendam conjunctâ ; constat, inquam, hanc partem ad fidem catholicam semper attinuisse, seu ab Ecclesiâ ad credendum semper fuisse clarè propositam. Enimverò, 1° id de ipsâ est mysterii Incarnationis substantiâ, et ad conceptum ejus formalem pertinet, siquidem de conceptu formali naturæ humanæ est ut constet animâ rationali et corpore inter se unitis, nec aliud intelligi potest, cùm dicitur Verbum factum esse hominem nisi ipsum assumpsisse animam et corpus inter se unita, ut par est, ad humanitatem constituendam.

2° Concilia et SS. Patres hoc ipsum sæpiùs significant, ipsammet dogmatis catholici substantiam exprimendo. Alii enim, inprimis verò S. Cyril., in Epist. suâ secundâ ad Nest., dicunt Verbum assumpsisse carnem animâ rationali animatam ; qui modus loquendi, ut frequenter occurrit, ita nihil aliud sonat quàm corpus animæ unitum. Alii, quos infra laudabimus, tradunt Christum assumpsisse carnem mediante animâ, ubi unio animæ Christi cum corpore assumpto ut res certa ponitur et perspicuè exprimitur. Alii in eo mysterium Incarnationis consistere conceptis verbis declarant, quòd Verbum assumpserit corpus et animam, et factum fuerit homo, simulque aiunt hominem constitui animâ rationali et corpore simul conjunctis. Ita auctor Symboli quod dudùm S. Athanasio adscriptum est, ipsique adhuc à pluribus attribuitur ; ita concilium Chalced. act. 5 ; Lateranense in cap. *Firmiter*, de summâ Trinitate ; S. Augustinus in Epistolâ 173, aliàs 3, ad Volusianum ; S. Joan. Damascenus, lib. 3 de Fide orthodoxâ, cap. 2 ; S. Thomas in Opusculo 4, contra Gentes, cap. 37, etc.

3° Si corpus et anima Christi non fuissent inter se unitâ, non potuissent à se invicem morte divelli et separari, unde nec Christus mori potuisset. Pariter nec verè resurrexit, nisi ejus anima et corpus iterùm post mortem in unam naturam coaluerint. Denique, sublatâ hâc unione, Christus ut homo verè non est genitus ex matre, siquidem generatio hominis ad unionem animæ cum corpore formaliter refertur.

Conclusio II. Corpus humanum quod Verbum Dei assumpsit, fuit integrum et omnibus suis partibus constans.

Propositio certissima est, atque eo nomine ab omnibus admissa. Probatur, quia Christus non est tantùm homo verus, sed etiam perfectus et integer, nullâ suî parte mutilus aut monstrosus. Nam 1° Scripturæ significant eum fuisse hominem, corpore et animâ constitutum, ejusque corpus in utero beatæ Mariæ Virginis speciali Spiritûs sancti operatione efformatum. 2° Docent concilia et SS. Patres Verbum assumpsisse corpus perfectum, quale in Adamo condiderat ; sicut ergo Adamus creatus est integer quoad omnes partes, ita etiam Verbum perfectam et integram humanitatem sibi hypostaticè conjunxit. Vide S. Joan. Damascen. lib. 3 de Fide, cap. 3 et 6.

Ex his colligere est Verbum divinum vel proximè et secundùm hypostasim, vel saltem remotè et ut in humanitate inclusas et ei adjunctas assumpsisse omnes corporis Christi partes. Quasnam verò assumpserit proximè, an aliquas assumpserit remotè tantùm jam explicandum est. Observa autem quibusdam partibus ita constitui corpus humanum ut sine iis nullo in statu esse possit ; quasdam ad integritatem illius pertinere, ut pes, manus ; alias functionibus vitæ, saltem in præsenti statu, esse necessarias, ut humores ; alias ad ornatum, ut capilli ; alias ad ornatum simul et aliquas ope-

rationes, ut dentes, etc. Quæstio est an omnes ejusmodi partes unic hypostatica complectatur et immediatè attingat.

Conclusio III. Verbum saltem præcipuas corporis assumpti partes proximè et hypostaticè sibi univit.

Propositio certa est. Probatur, quia pro certo tenendum est corpus, quod Verbum assumpsit, ipsi uniri proximè et hypostaticè. Quod quidem ex mox dictis, maximè ex hâc locutione Patrum, Verbum assumpsisse carnem animâ rationali animatam, satis apparet, quodque inferiùs, capite sequenti art. 3 et 4, ex professo confirmabitur, cùm explicabimus hanc unionem esse indissolubilem, necnon quo sensu à Patribus dictum sit Verbum mediante animâ carnem assumpsisse. Atqui Verbum proximè et secundùm hypostasim assumere corpus non potuit, quin eodem modo præcipuas hujusce corporis partes assumeret, siquidem corpus non est aliud quidquam à suis partibus, nec ulla afferri potest ratio, quæ magis de unâ ejusmodi parte præcipuâ quàm de aliis similibus militet.

Jam verò si inquiras quænam sint illæ partes præcipuæ, quas saltem constet à Verbo proximè et hypostaticè assumptas? Respondent Suarez, disp. 15, sect. 5, Turnelius, q. 10, a. 2, et alii communiter theologi, eas esse quæ informantur animâ rationali; atque vulgò ut ex philosophiâ certum ponunt, sic ab animâ informari et vivificari partes omnes organicas, necnon ossa, et carnem, etc. De humoribus verò, dentibus, unguibus, capillis, utrùm scilicet anima hæc informet, in varias opiniones abeunt. Verùm, quandoquidem de partibus corporis quibus anima immediatè unitur, recentiores philosophi tum à veteribus plerumque, tum à se invicem non minùs quàm circa unionem utriusque illius substantiæ explicandam, id est, summè dissentiunt; idcircò Christi partes præcipuas hîc satiùs ducimus eas definire, quæ constitutioni ac integritati corporis humani ita necessariæ sunt, ut, ipsâ teste S. Scripturâ, in corpore Christi resuscitati etiam extiterint; sic enim efficitur à nobis nihil doceri quod Scripturæ testimonio non firmetur. Jam verò ex sacris litteris habemus Christo ex mortuis resuscitato fuisse corpus carne et ossibus coagmentatum, illudque eodem modo figuratum et dispositum, atque iisdem membris et organis ac corpora nostra constans, licet diversis omninò qualitatibus affectum. Vide Matth. cap. 28, Marc. 16, Luc. 24, Joan. 20 et 21, Act. 1, necnon S. Augustinum in Epistolâ 205, aliàs 146, ad Consentium.

Conclusio IV. Sanguis Christi Domini fuit proximè et hypostaticè Verbo unitus.

Propositio intellecta de sanguine unito corpori Christi, ut certa habetur à plerisque theologis. Durandus quidem in 4 distinct. 10, q. 1, n. 16, Gabriel in Canonem Missæ Lect. 53, ejusdemque Gabrielis Supplem. in 4 dist. 44, q. 1, circa finem, et alii quidam sanguini Christi, etiam ejus carni antequàm mortem subiret unito, nonnisi remotam ratione totius corporis, non verò proximam et hypostaticam cum Verbo unionem concesserunt. Verùm obsoleta est et patronis jam destituta hæc opinio. De sanguine qui triduò mortis Christi ab ejus corpore separatus extitit, dicemus capite seq. art. 4, ubi de indissolubilitate unionis hypostaticæ. Probatur 1° ex Scripturis. Matth. 26, v. 28: *Hic est enim sanguis meus... qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Quæ observa esse dicta de sanguine quemadmodùm de corpore dicitur Luc. 19: *Quod pro vobis datur*, et 1 Cor. 11, v. 24: *Quod pro vobis tradetur.* Ephes. 1, v. 7: *Habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum;* 1 Petri 1, v. 18: *Non corruptibilibus auro et argento redempti estis..... sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi;* 1 Joan. 1, v. 7: *Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Ex his et aliis ejusmodi locis, quibus tota traditio concinit, manifestè apparet Christi sanguinem, utpote quo redempti dicimur, infiniti valoris et efficaciæ fuisse, quam à solâ Verbi dignitate consequi potuit. Undè multi statim concludunt unionem sanguinis Christi cum Verbo immediatam fuisse et proximam. Verùm non advertunt duo tantùm requiri et sufficere ut Christi sanguine redempti dici possimus: Primum, ut efficacia seu valor infinitus illi sanguini annexus fuerit saltem quatenùs à personâ infinitâ effusus est, quemadmodùm et lacrymæ Christi, et alia ejus opera quæ Verbo per se uniri hypostaticè non poterant, vim infinitam ab ipsius personæ dignitate consequebantur. Alterum, ut Deus ejusdem sanguinis effusioni seu morti Christi nostram salutem specialiter alligaro voluerit. Quapropter ut ex locis allatis conclusio efficaciùs comprobetur, illud videtur inprimis premendum quod statim observavimus, eodem scilicet modo dictum esse sanguinem Christi pro hominibus effundendum, quo et corpus ejus pro iisdem tradendum; atqui corpus Christi, dùm tradebatur pro multis, valorem infinitum consequebatur ex unione sui proximâ cum Verbo, quam nemo inficiatur; ergo idem statuendum est de sanguine.

Aliud probandæ conclusioni idoneum argumentum desumitur ex illo Hebr. 2, v. 14: *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem.* Ubi Christus eodem modo et iisdem verbis dicitur participâsse tum carni, tum sanguini. Non aliter autem nostræ naturæ particeps factus est quàm eam assumendo; ergo sicut assumpsit carnem proximè et hypostaticè, ita et dicendus est assumpsisse sanguinem. Atque hæc est interpretatio quam illius loci tradunt S. Chrysost., S. Ambrosius, Theodoretus, Theophylactus, Œcumenius, S. Anselmus et S. Thomas. Eamdem etiam tradit S. Cyrillus, lib. de Incarnatione Unigeniti circa finem, et lib. 1 de Fide ad reginas, longè post medium. Probatur 2° ex traditione. In actione primâ concilii Ephesini et in secundâ conc. Chalcedonensis refertur et approbatur secunda S. Cyrilli ad Nestor. Epistola ubi sic legitur: *Verbum carnem factum esse, id aliud nihil est, quàm quòd carni et sanguini communicavit.* Quam quidem explicationem tradidit etiam S. doctor, lib. 1 de Fide ad Theodos. versùs initium. Homiliâ autem 5, Ephesi

dictâ *Verbum carnem et sanguinem assumpsisse* pronuntiat, et lib. de Fide ad reginas, illud *particeps factum esse carnis et sanguinis*. S. Gregorius Nazianzenus, Homil. 50, ait Verbum carnem factum esse *non putativè, sed verè*, quia assumpsit corpus *ex carne, ossibus et sanguine* constans. Et S. Epiphanius hæresi 77, *Christus*, inquit,... *mentis est humanæ particeps quemadmodùm carnis et sanguinis*. Non prætermittendum illud Clementis VI, in extravag. *Unigenitus*, de pœnitentiis et remissionibus ubi de effuso super arâ crucis sanguine Christi sic habet : *In arâ crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis sufficiebat, sed velut quoddam profluvium noscitur effudisse*. Ubi tanquàm rem certam ponit summus pontifex sanguinem Christi fuisse unitum Verbo, et ex hâc unione vim infinitam esse consecutum. Probatur 3° ratione theologicâ ex mysterio Eucharistiæ deductâ. Nam sub speciebus vini in hoc sacramento vi verborum formaliter constituitur præsens solus sanguis Christi, cætera verò ad Christum pertinentia solummodò per concomitantiam. Atqui non patitur tanti mysterii dignitas et efficacia illud quod unum in eo vi verborum formaliter sub speciebus vini constituitur præsens, non uniri proximè Verbo divino, sed tantùm remotè et ratione corporis quod sub ejusmodi specie per concomitantiam solùm habetur ; ergo.

Dices : Non rarò concilia et SS. Patres tradunt Christi operationes esse assumptas à Verbo, et ipsi uniri, atque inde valore infinito conspergi ; atqui tamen dici non potest Verbum proximè et hypostaticè assumpsisse modificationes naturæ humanæ, ut sunt operationes quas elicit ; ergo ex eo quòd à conciliis et à SS. Patribus dictum sit Verbum assumpsisse sanguinem Christi, ideòque illi sanguini valorem infinitum tribuant, non sequitur ejusmodi sanguinem assumptum esse proximè et hypostaticè.— Nego consequentiam et paritatem ; ratio disparitatis est quòd iisdem modis loquendi ad varias ideas exprimendas idoneis, variæ reverà ideæ alligandæ sint pro subjectâ materiâ. Cùm ergo operationes quas Christus per naturam humanam producit, non possint uniri Verbo, nisi quatenùs sunt naturæ quam hypostaticè assumpsit, oportet allata SS. Patrum verba ubi operationibus humanitatis Christi applicantur, de unione remotâ et ratione naturæ eas elicientis exponere. Cùm verò eædem locutiones ad Christi sanguinem qui proximè Verbo uniri potuit transferuntur, tunc de unione proximâ intelligendæ sunt, maximè quia idem loquendi modus in locis inter probationes allatis sanguini simul accommodatur ac carni, quam constat esse Verbo proximè et hypostaticè conjunctam.

Conclusio V. Probabilius videtur tres alios humores proximè etiam à Verbo assumptos, tùm etiam spiritus vitales, dentes, ungues, capillos ipsos. Sed substantias medias inter alimenta et sanguinem, lacrymas pariter, salivam, sudores et similia excrementa nullo pacto Verbum assumpsit.

Probatur prima pars, quia probabile est illos tres humores, necnon spiritus vitales, non tantùm in præsenti statu functionibus vitalibus esse necessarios, sed etiam per se ad integritatem corporis humani requiri ; unde et in corporibus gloriosè resurrecturis non improbabiliter quantùm ad substantiam admitti possunt, longè diversis tamen qualitatibus vestiti, et usibus quibusdam ad corpus animale pertinentibus non ampliùs destinati. Quod ad dentes, ungues et capillos attinet, ii videntur ad aliquam corporis humani integritatem et perfectionem per se referri. Certè quidem S. Augustinus, lib. 22 de Civit. Dei, cap. 19, et Enchiridii c. 88, eos corporibus resurgentium non defuturos docet ; quod et opinantur theologi omnes post ipsum. Nec sanè dubium esse potest quin Christus resuscitatus has etiam partes habuerit, siquidem post resurrectionem suam legitur comedisse, ac proculdubio quâ ante mortem apparere solebat figurâ ac specie, eâdem discipulis suis redivivus apparuit. Quæcumque prior ista conclusionis pars continet, confirmari possunt auctoritate S. Athanasii in Epistolâ ad Epictetum apud S. Epiph. hæresi 77, et S. Ambrosii lib. de Incarnat. Dominicæ Sacramento, cap. 6. Hi statuunt hæreticos qui Divinitati et carni Christi unam et eamdem substantiam esse prædicabant, consequenter dicturos esse in carnem, capillos, ossa et sanguinem Verbum esse conversum. Ubi manifestè ponitur capillos, ut et carnem et ossa et sanguinem, Verbo esse unitos. Jam verò si unio hypostatica capillos etiam corporis Christi respiciat, quidni ungues, dentesque, spiritus vitales atque humores ?

Probatur secunda pars, quia substantiæ mediæ inter alimenta et sanguinem, putà cibi primò aut secundò digesti, et ipse chylus ad veritatem humanæ naturæ et ad vitæ operationes per se non requiruntur, sed tantùm ratione specialis statûs in quo ad sustentandam vitam cibi necessarii sunt ; unde post resurrectionem in corporibus ejusmodi substantiæ nullæ erunt. Lacrymæ verò, sudor, saliva aut similia excrementa nullo modo ad naturæ humanæ integritatem spectant.

Dices : Cùm Christi corpus naturali modo nutritum fuerit, creverit ac vixerit, multas ipsi partes indesinenter accessisse, multas etiam ab eo recessisse manifestissimum est ; planè oportuit sanguinem, aliosque humores et spiritus vitales perpetuò in eo transmutari, resolvi et renovari. Ergo si partes præcipuæ corporis Christi, imò et sanguis, humores alii et spiritus vitales fuerint proximè et hypostaticè unita Verbo divino, admittenda erit nova alicujus materiæ unio continuò facta ad Verbum, necnon alterius materiæ nova à Verbo separatio ; ex quo illud tandem consequetur non modicam materiæ molem fuisse successu temporis unitam Verbo et ab eodem prorsùs dimissam. Atqui hæc repugnare videntur tum rationi, tum axiomati in scholis pervulgato quod ex S. Joanne Damasceno lib. 3 de Fide orthodoxâ, cap. 27, desumptum est, *nunquàm* scilicet *à Verbo esse amissum quod semel assumpsit* ; ergo. — Respondeo nec rationi, nec effato in scholis

pervulgato hæc adversari. 1° Non rationi; etsi enim mysterium Incarnationis humanas omnes cogitationes longè superet, attamen eo admisso ratio facilè concipit corpus Christi in terris conversantis, utpote simile nostro quantùm ad præcipuas functiones vitales, nutritionem videlicet, accretionem, etc., necessariò varias debuisse experiri mutationes, tum accessu novæ materiæ sustentandis et alendis quibuslibet partibus et maximè sanguini necessariæ, tum particularum resolutione, et dissipatione, spirituum exinanitione, etc. Ex quo illud consequens est, quod ultrò fatemur nec rationi dissonare ostendi potest, partes nempe plurimas materiæ quæ successivè ad Christi corpus accedebant, ubi primùm formâ seu configuratione partis seu particulæ alicujus naturalis ejusmodi corporis donabantur, hoc ipso fuisse unitas Verbo, quemadmodùm et tunc uniebantur animæ quâ illud informabatur corpus. Particulas verò ab eodem corpore jugiter recedentes, ubi formam inducebant à configuratione partium ad corporis humani integritatem pertinentium alienam, hoc ipso desiisse Verbo divino uniri, quippe cui eatenùs solùm conjungebantur, quatenùs ad integritatem corporis Christi contingebant. Quid porrò incommodi deprehendes, si multæ partes materiæ, amissâ (sensim et juxta leges à Deo constitutas) ratione particularum corporis à Verbo assumpti, novâque omninò indutâ formâ, atque idcircò jam à Verbo dimissæ, si, inquam, ejusmodi partes, ut in omnibus corporibus viventibus citra miraculum contingit, à Christi corpore recessisse dicantur et in rerum naturâ etiamnum extare diversis indutæ formis? Certè id non magis impossibile est quàm particulas animâ rationali informatas dùm corpus humanum constituunt, repugnat ab illo corpore amoveri, stante adhuc ejus cum animâ unione, et in diversi generis corpuscula transmutari. 2° Neque etiam effato quod à S. Joanne Damasceno scholæ mutuatæ sunt, illa omnia repugnant. Nam sensus hujusce axiomatis est, Verbum nunquàm separatum esse ab animâ et corpore quæ assumpsit; non verò hâc sententiâ significatur eas corporis humani particulas, quæ, ni obstet miraculum, continuò immutantur et recedunt, non potuisse in corpore Christi nondùm glorià quam resurgendo consecutus est, vestito, formam ab integrantibus partibus aut particulis hujusce corporis omninò diversam induere, hâcque indutâ, non potuisse ab illo corpore secundùm naturæ leges recedere, atque à Verbo separari. Et verò nonne meritò judicatur animam à corpore quod informat, non avelli nisi per mortem, licèt à primo instanti quo illi corpori conjungitur, usque ad tempus mortis, perpetua hujusce corporis partium mutatio et renovatio contingat?

Instabis. Nonne absurdissimum est et infinitâ Verbi Dei majestate indignum, illud uniri proximè variis humani corporis partibus, ipsis unguibus, capillis? — Dist.: Si hæc unio facta est sine respectu ad animam rationalem, concedo; secùs, nego. Jam aliquando diximus, et modò ampliùs exponemus, unionem Verbi cùm naturâ humanâ, et cum corpore Christi factam esse in ordine ad animam rationalem; scilicet si natura humana solo corpore constitisset, non mente, nunquàm fuisset assumpta à Verbo, tum quia absurdum atque indecorum est cogitare naturam irrationalem assumi à Verbo Dei, tum quia natura ejusmodi saluti nostræ operandæ inutilis fuisset. Etsi autem Verbum ab animâ rationali infinito intervallo distet, hanc tamen propter se, tum corpus propter ipsam atque corporis partes non potuisse à Verbo immediatè assumi, seu esse unum ex extremis unionis immediatæ cum ipso nunquàm demonstrabitur. Illud Verbo Dei indignum non est quod nullam in ipsum mutationem inducit, nullam ei perfectionem detrahit, quo salutis media hominibus ratione admirabili affert, quo tandem perfectiones divinæ ipsaque Verbi Dei majestas mirum in modum declarantur. Atqui aliquam in Verbo mutationem aut imperfectionem nostro mysterio argui non ostenditur, ut patet ex dictis, dissert. 1, cap. 2, a. 2. Atque perfectiones divinas ipsamque Verbi Dei supremam majestatem Incarnationis mirum in modum declarari jam alibi explicavimus. Vide dissert. 5, cap. 1, 2, 3 et 4; ergo.

Conclusio VI. Corpus Domini nunc in cœlo existens, constat ossibus, carne et sanguine, carnisque habet lineamenta. Verùm hæc omnia jam qualitatibus longè diversis ab iis quas ante Christi resurrectionem induerant, afficiuntur et ornantur.

Probatur prima pars, quia corpus Christi in cœlo iisdem constat partibus, quibus post ejus resurrectionem, in terris componebatur. Absurdè enim diceretur corpus quod gloriosè è sepulcro egressum est, deinde fuisse à Domino immutatum, aliisque partibus coagmentatum. Et præterea nonne fide tenendum est illud in cœlis extare, quod à discipulis visum est in cœlos ascendere, præsertim cùm Act. 1, v. 11, vox angelica insonuerit: *Sic veniet quemadmodùm vidistis eum euntem in cœlum.* Atqui ex Scripturis indubitatum est corpori Christi post resurrectionem fuisse ossa, carnem ac formam corporis humani; *Videte manus meas et pedes*, inquiebat Luc. 24, v. 39, discipulis de resurrectione suâ dubitantibus, *palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* De sanguine aliqua difficultas, quia Scripturæ sacræ corpori Christi redivivo ejusmodi humorem conceptis verbis non adscribunt. Verumtamen, 1°, cùm juxta easdem sacras litteras necnon testimonia SS. Patrum, certum sit, ut modò dicebamus, Verbum divinum sanguinem immediatè et proximè assumpsisse, ipsique hâc unione valorem contulisse infinitum, quo redempti sumus; consequens est re tanti pretii et sibi naturali non esse in cœlo vacuum illud corpus. 2° Non caro tantùm Christi Domini, sed et sanguis ejus in sacramento Eucharistiæ verè adsunt, nobisque sub speciebus panis et vini in alimentum animæ tribuuntur. Atqui, quod sub ejusmodi speciebus in Eucharistiâ verè extat, et fidelibus datur, illud sub specie propria in cœlo existit et constituit corpus Christi immortale et gloriosum; ergo, etc. 3° Sanguis integritati ac veritati corporis humani ita necessarius est, ut ecr-

poribus resurgentium detrahi nequaquàm possit; ergo, etc.

Probatur secunda pars, nempe carnem, ossa, sanguinem atque universas Christi corporis partes longè diversis in cœlo ornari qualitatibus, quàm cùm in terrâ ante resurrectionem extabant. Fide enim omni constat Christi corpus in cœlis esse immortale et gloriosum, nec passioni nec dolori subjectum, atque, uno verbo, illud multò præcellentius quàm cætera gloriosè resurgentium corpora iis vestitum esse dotibus corporis *spiritualis*, quas in Epistolâ ad Cor. primâ, cap. 15, S. Paulus describit. Ergo leges motuum generales quæ ad corpora *animalia* et terrestria hîc pertinent, in hoc corpore non ampliùs observantur; juxta alias regulas à Deo optimo, maximo, præclarè institutas, reguntur vitales ejus motus; nec ulli partium aut particularum resolutioni, transmutationi, accessioni, aut separationi obnoxium est.

De utrâque porrò nostræ conclusionis parte S. Augustinum disserentem audire non abs re erit. Is, in Epistolâ 205, aliàs 146, ad Consentium qui ab ipso postulaverat, *utrùm nunc corpus Domini ossa et sanguinem haberet, et reliqua carnis lineamenta*, primùm sapienter monet *ea quæ in usu vitæ hujus nostræ corruptibilia novimus, sine corruptione cogitare vix nos posse, cùm divinorum miraculorum quædam documenta jam aata sint, ex quibus liceat conjectare majora. Nam*, inquit, *si vestis Israelitarum per tot annos in eremo sine triturâ esse potuit; si morticina pellis calceamentorum tamdiù sine labe duravit, potest utique Deus quorumlibet corporum, per quantum voluerit tempus, incorruptam protendere qualitatem.* Deinde quæstionem solvit his verbis : *Ego*, ait, *Domini corpus ita in cœlo esse credo, ut erat in terrâ quando ascendit in cœlum.* Allatisque verbis Christi discipulos de resurrectione suâ dubitantes alloquentis : *Videte manus meas*, etc., quæ mox laudavimus : *Fides adsit*, inquit, *et nulla quæstio remanebit, nisi fortè de sanguine requirendum est, quia cùm dixisset : « Palpate et videte quia spiritus carnem et « ossa non habet » non addidit, sanguinem.* Ne autem ista quæstio aliis disceptationibus importunis det locum, hanc agitari non vult, quamvis tamen corpori Christi in cœlis sanguinem profectò non detrahat. *Non ergo*, pergit, *et nos addamus inquirere, quod ille* (Christus) *non addidit dicere; et de compendio, si placet, finita sit quæstio. Fortassis enim acceptâ occasione sanguinis, urgebit nos molestior perscrutator, et dicet : Si sanguis, cur non et pituita, cur non et fel flavum et fel nigrum, quibus quatuor humoribus naturam carnis temperari etiam medicinæ disciplina testatur? Sed quodlibet quisque addat, corruptionem addere caveat, ne suæ fidei sanitatem castitatemque corrumpat.* Quàm porrò digna sunt observari quæ addit S. doctor! *Ex consuetudine rerum expertarum*, ait, *inexperta opera divina infirmitas metitur humana, et argutulè se garrire arbitratur, cùm dicit, si caro est, et sanguis est, si sanguis, et cæteri humores; si cæteri humores ergo, et corruptio. Eodem modo diceret, si flamma est, et ardet; si ardet, et urit; si urit, ergo virorum trium in fornacem ignis ab impio rege missorum corpora incendit. Si autem hoc in tribus viris miraculum factum esse non dubitat quisque de divinis operibus rectè sapit, cur non creditur qui fecit illa corpora non posse igni corrumpi, fecisse illud corpus nec igne, nec fame, nec morbo, nec senio, nec ullâ vi aliâ, quâ solet humana corpora labefactare corruptio?*

CAPUT III.

De modo unionis hypostaticæ.

Quatuor hîc quæruntur, 1° an unio hypostatica sit naturalis, substantialis et omnium unionum maxima; 2° an natura humana Christi priùs extiterit quàm uniretur Verbo; 3° an illa unio facta fuerit animâ mediante; 4° an sit indissolubilis.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm hypostatica unio sit naturalis, substantialis et omnium unionum maxima.

Dico 1° : Unio hypostatica vero sensu dicenda est naturalis, non tamen si vox, *naturalis*, contra supernaturale accipiatur. Probatur prima pars, quia S. Cyrillus anathematismo 3 et alibi, necnon alii plures è sanctis doctoribus unionem ejusmodi appellavêre naturalem et secundùm naturam; 1° quia vera est, physica, et realis, non fucata, non adumbrata; 2° quia est naturarum in personæ unitatem, non personarum, inter quas non potest esse unio nisi moralis et secundùm affectum. Probatur secunda pars, quia reverà unio hypostatica est supernaturalis respectu naturæ assumptæ. Ipsi enim indebita fuit, superat omnem creaturæ exigentiam, atque ad finem supernaturalem tendit et refertur; ergo, etc.

Dico 2°, unionem hypostaticam dicendam esse substantialem. Probatur, tum quia hâcce loquendi ratione usi sunt SS. Patres, tum quia ejusmodi locutio valdè idonea est exprimendæ veritati et soliditati unionis hypostaticæ : unio enim substantialis non est solùm juxta affectum, sed res ipsas seu naturas attingit, atque eas, si non in unam naturam totalem, saltem in unitatem supositi copulat et conjungit.

Dico 3°, unionem hypostaticam esse omnium unionum maximam. Probatur. Ea enim unio est omnium maxima, quâ extrema summè à se invicem discita præstantissimo et arctissimo nexu colligantur; atqui 1° extrema unionis hypostaticæ, Verbum scilicet et natura humana summè distant, nempe ut finitum differt ab infinito. 2° Unio hypostatica præcellentissimè et arctissimè ejusmodi extrema unit, siquidem Deus non potest sese perfectiùs et uberiùs creaturæ communicare, nec creatura ulla potest præstantiùs et arctiùs conjungi Verbo divino quàm per unionem hypostaticam; ergo.

ARTICULUS II.

An natura humana Christi priùs extiterit quàm uniretur Verbo.

Manifestissimum est naturam humanam priùs *naturâ*, ut aiunt, extitisse, quàm in Verbo subsisteret; priùs est enim esse quàm alicui conjungi. Agitur ergo

de prioritate temporis. Docuit Origenes animam Christi ante Incarnationem extitisse, atque ut illud mysterium fieret meruisse. Ita lib. 2 de Principiis, c. 6; quod dogmatis præexistentiæ animarum ab ipso asserti quoddam consectarium fuit. Paulus Samosatenus et Photinus opinati sunt Christum priùs extitisse quàm Deo conjungeretur, adeò ut ejusmodi unionem decursu temporis promeruisset. Idem error solet affingi Nestorio. Vide Petavium, lib. 1 de Incarnat. capp. 9 et 10. Cæterùm ii nonnisi adumbratam et moralem admiserunt unionem Christi hominis cum Deo. Accuratè verò observat Garnerius in suis ad Marium Mercatorem *Dissertationibus*, illam unionem moralem, quam inter Christum hominem et Deum Verbum Nestorius admisit, juxta ipsum à primo Christi conceptu in utero B. Virginis incœpisse.

Conclusio. Humanitas Christi nullâ suî parte priùs extitit, quàm Verbo hypostaticè copularetur.

Propositio est de fide. Probatur 1° ex Scripturis. Isaiæ 7, v. 14, et Matth. 1, v. 23 : *Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum : Nobiscum Deus.* Luc. 1, v, 3 : *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*, Galat. 4, v. 4 : *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Rom. 1, v. 2 et 3 : *Quod ante promiserat.... de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundùm carnem.* Ex quibus testimoniis manifestum est eum quem beata Virgo concepit, fuisse *Deum nobiscum*, seu incarnatum fuisse Filium Dei, factum ex muliere, et ex semine David. Atqui, nisi in primo conceptu humanitas fuerit unita Verbo divino, beata Virgo non concepisset Deum incarnatum, nec Filius Dei dici posset *ex muliere factus;* quid ita? quia si humanitas in primo ortu Verbo divino non fuisset unita, tunc in se et seorsim substitisset, ac proinde constituisset hominem merum, meram personam humanam; ergo, etc.

Probatur 2° ex concilio generali VI, act. 11 : *Incarnatur Verbum Deus penès nos, non priùs effictæ carni copulatus, aut præformato, atque in sese præsubsistenti aliquando corpori implicatus, aut præexistenti animâ compositus, sed his tunc ad existentiam venientibus, quando ipsis Verbum Deus compositus est. Naturaliter coævam habentia ipsi existentiæ unionem, et non ante suam cum Verbo verissimam copulationem per se ipsa unquàm fuêre, aut cujusquam alterius extiterunt, sed coætaneam habentia cum Verbi unione existentiam, non, vel quantùm ictus est oculi, anteriorem, ut Paulus Samosatenus et Nestorius obstrepunt. Simul enim caro, simul Dei Verbi caro fuit, simul animata rationaliter, simul Dei Verbi caro animata rationaliter.* Et actione 18 : *In Verbi hypostasi, totius humanitatis formata natura, et quæ sua sunt indiminutè operante, cum eo cui unita est hypostaticè.*

Probatur 3° ex Confessione fidei Justiniani imperatoris pro synodo V : *Unitas autem secundùm hypostasim*, inquit, *significat quòd Deus Verbum, id est, una hypostasis ex tribus Deitatis hypostasibus, non præexistenti homini unita est, sed in utero sanctæ Virginis fabricavit sibi ex ipsâ in propriâ hypostasi carnem animatam animâ rationali et intellectuali, quod est humana natura... Neque enim humana Christi natura per se absolutè unquàm dicitur. Sed nec propriam hypostasim, aut personam habuit; sed in hypostasi Verbi principium habuit existentiæ.* Idem Justinianus in Epistolâ ad Mennam, quam, si Liberato fides, Vigilius S. pontifex approbavit, sic habet : *Si quis dicit aut sentit Domini animam priùs extitisse, atque unitam fuisse Deo Verbo ante Incarnationem et generationem ex Virgine, anathema sit.* Ibid. corpus Christi statuitur ante unionem non formatum.

Probatur 4° auctoritate S. Leonis Magni qui in Epistolâ 25, ad Julianum Coensem episcopum, ita loquitur : *In eo verò quod Eutyches in episcopali judicio ausus est dicere, ante incarnationem duas in Christo fuisse naturas, post Incarnationem autem unam, necessarium fuerat ut ad reddendam rationem professionis suæ, crebris atque sollicitis judicum interrogationibus urgeretur, ne tanquàm inane aliquid præterfluëret, quod nonnisi de haustu venenatorum dogmatum videbatur effusum. Arbitror enim talia proloquentem hoc habere persuasum, quòd anima quam Salvator assumpsit, priùs in cœlis sit commorata quàm de Mariâ Virgine nasceretur, eamque sibi Verbum in utero copularet. Sed hoc catholicæ mentes auresque non tolerant.... natura quippe nostra non sic assumpta est, ut priùs creata post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur. Unde quod in Origene meritò damnatum est*, etc.

Probatur 5° ex SS. Patribus, qui 1° omnes unanimiter docent Dei Verbum ex Mariâ Virgine naturam humanam, seu, ut sæpè loqui amant, carnem animâ rationali animatam assumpsisse, ideòque beatam hanc Virginem appellandam esse Deiparam. *Non dubitârunt* (sancti Patres), inquit S. Cyrillus in Epistolâ 3 ad Nestorium, *sacram Virginem Deiparam appellare, non quòd Verbi natura, ipsiusve Divinitas ortûs sui principium ex sanctâ Virgine sumpserit, sed quòd sacrum illud corpus animâ intelligente perfectum ex eâ traxerit, cui et Dei Verbum secundùm hypostasim unitum secundùm carnem natum dicitur.* 2° Tradunt præterea SS. doctores naturam assumptam nunquàm seorsim extitisse, nunquàm propriâ subsisteutiâ substitisse, sed in hypostasi, et, ut sic loquar, in sinu Verbi divini fuisse productam et in primo suo ortu ab eo assumptam. S. Augustinus Enchiridii cap. 36 : *Quid enim*, inquit, *humana natura in homine Christo meruit, ut in unitatem personæ uniti Filii Dei singulariter promereretur Deum? Nempe ex quo esse homo cœpit, non aliud cœpit esse homo quàm Dei Filius.* S. Cyrillus, in Epistolâ secundâ ad Nestorium, quam tota synodus Ephesina solemniter approbavit : *Non enim*, ait, *primùm vulgaris quispiam homo ex Virgine ortus est, in quem Dei Verbum deinde sese demiserit; sed in ipso utero carni unitum, secundùm carnem progenitum dicitur, utpote suæ carnis generationem sibi ut propriam vindicans.* S. Joan. Damas. lib. 4 de Fide orthodoxâ, cap. 6 : *Non*, inquit, *quemadmodùm quidam falsò prædicant, mens ante carnem ex Virgine assumptam, Deo Verbo copulata*

est, et jam tum Christi nomen accepit. Commentum enim hoc inter Origenis deliramenta recensetur, qui animas esse corporibus vetustiores docuerit. Joannes Maxentius, dialogo primo : *Non homini jam in propriâ manenti subsistentiâ Deum Verbum credo unitum.... Sed subsistentiam sive personam Verbi naturam suscepisse humanam quæ nunquàm velut communis præter Deum Verbum subsistit.*

Ratio autem cur anima Christi non priùs extiterit quàm corpus ejus adaptaretur, sumenda est ex eo quòd Christus ut homo ejusdem ac cæteri homines fuerit naturæ ; atqui animæ nostræ non priùs creantur quàm corpus nostrum organis suis fuerit instructum. Hoc discriminis solùm occurrit, quòd in ordinariâ generatione materia per gradus disponitur ac paulatim organa evolvuntur et explicantur. Corpus verò Christi statim à Spiritu sancto perfectè conformatum fuit.

Quæres an impossibile fuerit naturam humanam priùs seorsim existentem, postea assumi à Verbo in unitatem personæ? — Respondeo ejusmodi naturam non posse existere, quin propriâ seu merâ humanâ ; subsistentiâ consistat ac mera sit persona humana, repugnare proinde hanc assumi à Verbo, et simul personam merè humanam remanere ; atque hoc saltem sensu à SS. Patribus passim pronuntiatum est, Verbum nonnisi secundùm affectum, uno verbo nonnisi moraliter, non verò hypostaticè aliquam sibi potuisse conjungere personam. Utrùm autem Verbum absolutè posset ejusmodi naturam personalitate ipsi propriâ, si ita loqui fas est, spoliare, sicque eam sibi in personæ unitatem devincire, quæstio est levioris momenti circa quam non omnes eodem modo sentiunt. Notandum est hâc de re istud Leontii Bysantini testimonium : *Quod nonnulli dicunt* (inquit in solutione argumentationum Severi), *quia humanitas Christi non priùs fuit formata, neque priùs in se habuit hypostasim, neque perfecta assumpta fuit, sed in Verbo habuit hypostasim, idcircò unam hypostasim amborum facere, hoc quidem ex parte verum est ; ex parte non. Etenim non habuisse in se hypostasim neque priùs formatam esse, nos etiam dabimus ; fieri verò propter hoc unam hypostasim amborum, tanquàm non posset aliter fieri, neque possent Deus et perfectus homo sic uniri, hoc non dabimus. Quid enim sic aut illo modo habenti, amplius erit Deo ad unionem? Nec enim tempus unionis, vel locus vel imperfectio corporis, sed ipse modus unionis unum Christum fecit. Non igitur propter impossibile, sed quia non decebat nudam esse unquàm, et sine divinitate humanitatem Domini, ideò rejicimus ante-formationem.* Doctrinam verò hanc Leontii redarguit doctissimus Thomassinus, lib. 3, cap. 12, n. 11 ; primò quia adversatur *auctoritati conspiratissimæ SS. Patrum, qui adstipulatione unanimi unam utriusque naturæ ideò factam esse personam asseverârunt, quia non præsubsistens humanitas copulata Verbo postea est, sed creando assumpta. Si potest enim,* inquit, *præsubsistens assumi ad personæ unitatem, falsum ergo est ideò assumptam esse ad unitatem personæ, quia non præsubsistens, sed creando assumpta est. Nobis tanta est,* inquit vir doctissimus, *hæc auctoritas Patrum, ut dissentienti non facilè Leontio auscultemus.* Secundò propter momenta quibus naturam priùs per se consistentem post assumi non posse adstruitur, quæ ipse sic explicat : *Quia nempe,* inquit, *profana est* (natura) *quæ sine Divinitate aliquando fuit ; quia deflorata quodam modo et infamata est, quæ creatæ hypostasi subjacent ; quia ingenua non est, quæ creatæ personæ jure et dominio attrita est ; quia non coalescet usquequàque cum Verbo, quæ extranea quandoque ab illo fuit ; quia peregrinitatis vestigia elui penitùs non potuerunt ab eâ quæ peregrè nata sit extra divinitatis confinia ; quia peregrina erit ipsa Deitati, Deitas ipsi, nisi ab exortu concreverint ; quia naturale et substantiale non erit ipsi, quod natæ diù et formatæ supervenerit ; quia propriam semel vel aliquandiù experta hypostasim, minùs libenter eâ spoliabitur, ad eam suspirabit postea, rugamque facict ne exactissimè cum superiore hypostasi conveniat ; insuperabilis enim est naturæ impetus, sistique et retardari sanè potest, at extingui radicitùs haud unquàm potest.* Habes in his duobus testimoniis quæcumque de propositâ quæstione utrinque dici possunt. Nobis verò videtur temperandum quod Thomassinus tradit, à sanctis videlicet Patribus unanimiter doceri aut saltem supponi naturam humanam absolutè assumi non potuisse à Verbo, nisi in ipso primo suo ortu. Nam paucos reperies ex Patribus qui hanc de possibili quæstionem conceptis verbis attigerint ; paucos etiam qui exponentes esse unam in Christo personam quia natura humana à primo conceptu assumpta fuit, non magis studuisse videantur rationem ipsam quâ mysterium peractum est declarare, et ex eâ illud explicare, quàm, utrum alio modo absolutè fieri potuisset, investigare. Etenim aliud est cum SS. Patribus, unam in Christo esse personam inde colligere, quòd natura humana nunquàm à Verbo separata extiterit, nec proinde propriam personalitatem unquàm habuerit ; aliud est dicere ejusmodi naturam, si semel seorsim et per se constitisset, nunquàm potuisse assumi à Verbo divino ; nec ullus non perspicit prius esse verissimum, quidquid de posteriori statuatur. Præclarè porrò ad quæstionem quam agitamus hæc habet Petrus Pictaviensis Sententiarum parte 4, cap. 10 : *Ad præmissam quæstionem nullam novimus solutionem nisi quam Augustinus docet :* NON QUÆRAMUS ID QUOD NON EST, NE ID QUOD EST NON INVENIAMUS. *Ergo cùm Filius statim animam et carnem assumpsit ex quo fuerunt, non quæramus quid fieret si priùs essent caro et anima, quàm essent assumpta. Fortè enim impossibile est fuisse factum.* Quâ responsione nihil sapientius.

ARTICULUS III.

Utrùm Verbum divinum mediante animâ carnem assumpserit?

Tria in quæstionem hìc veniunt. Primum, an dicendum sit solo animæ interventu carnem à Verbo fuisse assumptam. Secundum, an ex necessitate vel ex congruentiâ tantùm id factum fuerit. Tertium, quo sensu intelligi debeat carnem mediante animâ esse assumptam.

Conclusio I. Verbum carnem assumpsit mediante animâ rationali.

Probatur auctoritate SS. Patrum quorum hæc est doctrina et modus loquendi; quem loquendi modum imitati sunt Magister Sententiarum, l. 3, dist. 2; S. Thomas, 3 p., q. 6, a. 1 et 2, et post ipsos theologi omnes. Itaque Origenes, lib. 2 de Principiis, cap. 6 : *Hâc ergo*, inquit, *substantiâ animæ inter Deum carnemque mediante; non enim possibile erat, Dei naturam corpori sine mediatore misceri.* S. Greg. Nazianz. Orat. primâ : *Ob hanc causam*, inquit, *Deus animæ interventu carni junctus est; ac res inter se distinctæ et dissidentes per medium interpositæ rei cum utrâque illarum affinitatem et cognationem habentis copulatæ sunt.* Et Orat. trigesimâ quintâ : *Per intermedium mentem Verbum cum carne conjunctum est.* Denique Orat. 51, seu Epistolâ 1, ad Cledonium : *Mens menti*, inquit, *ut propinquiori et conjunctiori jungitur, et per eam carni, inter Divinitatem et carnis molem intervenientem.* Ruffinus in Symbolum scribens : *Filius ergo Dei*, ait, *nascitur ex Virgine, non principaliter soli carni sociatus, sed, in animâ inter carnem Deumque mediâ, generatur. Animâ ergo mediâ et in secretâ rationabilis spiritûs arce Verbum Dei capiente... Deus est natus ex Virgine.* S. Augustinus, Epistolâ 137, aliàs 3, ad Volusianum : *Ipsa* (Divinitas), inquit, *animam rationalem, et per eamdem etiam corpus humanum totumque omninò hominem sibi coaptavit.* Et Epistolâ 140, aliàs 120, cap. 4 : *Verbum*, ait, *particeps carnis effectum est animâ rationali mediante.* Vide et lib. de Agone christiano, cap. 18. S. Gregorius Magnus, lib. 18 Moral. cap. 20, aliàs 12, n. 33 : *Dominus*, inquit, *per Divinitatem lumen est, quod mediante animâ in ejus* (B. Virginis) *utero fieri dignatus est per humanitatem corpus.*

Rationes diversas quibus conclusio fulciri potest, exposuit Petrus Cluniacensis, lib. 2 Epistolarum, Epistolâ primâ. Præcipuas facilè colligere erit ex modò dicendis conclusione tertiâ, ubi genuinam hujusce Patrum sententiæ interpretationem trademus. Interim advertendum est ejusmodi doctrinam usui præsertim duplici fuisse sanctis Ecclesiæ doctoribus. 1° Ut Appollinaristas confutarent, qui, ut dissert. 4, cap. 3, notavimus, animam aut mentem Christo detrahebant, et Verbum vices animæ aut mentis in ipso gessisse affirmabant; nam si Verbum divinum non potuerit assumere carnem nisi animâ rationali mediante, ergo anima rationalis Christo adscribenda est. 2° Ut paganis mysterium Incarnationis idcircò irridentibus quòd Deus christianorum, utpote spiritus simplicissimus, crasso corpori uniri non posset, faciliùs responderent. Etenim observabant animam licet spiritualem corpori humano arctissimè uniri, aiebantque minùs difficile videri creditu Deum naturâ spiritualem uniri posse animæ spirituali, quàm animam corpori. *Quid incredibile est*, inquiebat S. Augustinus, l. 10 de Civit. Dei cap. 29, Platonicos alloquens, *si aliqua una intellectualis anima modo quodam ineffabili et singulari pro multorum salute suscepta est? Corpus verò animæ cohærere ut homo totus et plenus sit, naturâ nostrâ ipsâ teste cognoscimus. Quod nisi usitatissimum esset, hoc profectò esset incredibilius. Faciliùs quippe in fidem recipiendum est, etsi humanum divino, etsi mutabile incommutabili, tamen spiritum spiritui, aut, ut verbis utar quæ in usu habetis, incorporeum incorporeo, quàm corpus incorporeo cohærere.*

Conclusio II. Verbum mediante animâ carnem assumpsit non ex congruitate tantùm juxta SS. doctores, sed ex necessitate.

Probatur 1°, quia SS. Patres locis modò allatis, præsertim verò Origenes, S. Greg. Nazianz. et S. Augustinus rem alio modo fieri non potuisse perspicuè significant, quibus adjungendus est S. Ambrosius, seu auctor tractatûs in Symbolum ad Append. oper. S. doctoris in ultimâ edit. rejecti. *Verbum*, inquit ille scriptor antiquus, quisquis sit, c. 13, *Verbum et substantia Dei, quæ per omnia incorporea est, corpori humano inseri non poterat, nisi aliquâ spiritali naturâ mediante, id est, animâ.* Probatur 2°, quia adversùs Appollinaristas hanc doctrinam SS. Patres urgebant ut Christum animâ rationali non esse spoliatum ostenderent; atqui, nisi posuissent Verbum ex necessitate carni mediante animâ fuisse unitum, seu non aliâ ratione quàm mediante spiritu hanc unionem potuisse peragi, jam nullum fuisset eorum argumentum; ergo.

Dices : S. Th. part. 3, q. 6, a. 1, ad tertium, non obscurè innuit animam fuisse Verbo divino duntaxat medium *congruitatis* ad sumendam carnem. Unde, triduo mortis Christi *separatâ animâ* (à corpore) *remansisse unionem Verbi Dei ad carnem* concludit; ergo, etc.— Dist. ant., animam actu corpori conjunctam, medium congruitatis duntaxat fuisse eo sensu quòd animæ et carnis unione ad tempus cessante, non ideò Verbum carnem deserere debuerit, concedo; eo sensu quòd corpus, seu animæ unitum, seu ab eâ separatum, sub alio respectu potuerit conjungi Verbo, quàm propter habitudinem quam ad animam dicit, nego. Patrum sententiæ doctrina S. Thomæ consentanea est. Loquitur ille objecto in loco de animâ prout actu unitâ corpori. Censet hanc unionem actualem nexui carnis cum Verbo non ità esse necessariam ut eâ aliquantulùm triduo mortis interruptâ, tunc Verbum à carne separari debuerit. Quæ doctrina veterum sententiæ consona, ut capite sequenti patebit. Verùm non negat S. doctor carnem, etiam dùm ab animâ triduo mortis separata existit, alio modo fuisse unitam aut potuisse uniri Verbo, quàm propter habitudinem quam ad animam per id tempus retinuit. Quod tamen sufficit ut corpus ab animâ separatum nonnisi mediante animâ triduo mortis Verbo unitum permansisse dici debeat; et quidem eodem sensu quo hanc locutionem adhibuêre SS. Patres, ut modò videbitur.

Conclusio III. Corpus *mediante animâ* assumptum non est eo sensu, quòd sola Christi anima proximè uniatur Verbo divino, corpus verò nonnisi remotè et quatenùs animæ unitæ conjunctum est; sed illud, *mediante animâ*, saltem significat corpus non fuisse assumptum nec potuisse assumi nisi propter habitudinem quam ad animam dicit.

Probatur prima pars, quæ certa est et ab omnibus docetur theologis, excepto Gabr. qui in 3 dist. 1, q. 2, a. 3, dub. 2, contrarium probabile judicat; probatur, inquam, 1° ex hoc testimonio S. Gregorii Nysseni Orat. 1 in Christi resurrectionem : *Vides*, inquit, *quomodò Divinitas utrique parti* (animæ scilicet et corpori) *conjuncta per utramque declaratur* (miraculis à Christo patratis), *cùm et corpus agat et animus velit*. 2° Quia capite præcedenti ex Scripturis et ex SS. Patribus manifestè ostensum est non modò animam Christi, sed et ejus corpus, imò et ejus corporis partes esse terminum proximum et immediatum unionis hypostaticæ, seu ea proximè et immediatè à Verbo fuisse assumpta. Quod et capite seq. planè confirmabitur compluribus SS. doctorum testimoniis, disertè tradentium tum animam, tum corpus Christi triduo mortis, etsi à se invicem separata, Verbo tamen unita permansisse; ergo, etc. Probatur secunda pars, tum quia reipsà constat corpus Christi non fuisse assumptum nisi propter habitudinem quam habet ad animam rationalem, siquidem sine hâc habitudine assumptio corporis ad Incarnationis fines nihil attinuisset; tum quia, vel nihil sonat illa locutio, vel saltem significat Christi corpus esse assumptum propter habitudinem quam ad animam dicit. Consultò autem dicimus id *saltem* ejusmodi locutione significari. Nam 1°, non absurdè censerentur SS. Patres voluisse indigitare priùs *naturâ* animam quàm corpus esse assumptam. Hoc unum quidem docet fides totam humanitatem simul tempore conditam et Verbo unitam fuisse; sed nihil vetat quominùs una humanitatis illius pars dicatur unita Verbo priùs *naturâ* quàm altera. Censent plures è scholâ theologi priùs hoc modo corpus esse assumptum, quia, inquiunt, priùs naturâ fuit organis suis instructum corpus Christi quàm animâ informaretur : atqui fuit unitum hoc ipso quo suis organis instructum; ergo. Verùm toties concilia et SS. doctores asserunt Verbum assumpsisse carnem animâ rationali animatam, ut nullo pacto dici queat carnem priùs naturâ esse assumptam quàm animâ informaretur. Imò verò, si quis ordo ejusmodi in assumptione animæ et corporis Christi cogitandus est, anima quæ per se assumpta est et in quâ reperitur ratio assumendi corporis, priùs censenda est assumpta. *Una intellectualis anima*, ait S. August. loco jam allato lib. 10 de Civit. Dei, cap. 29, *modo quodam ineffabili et singulari pro multorum salute suscepta est; corpus verò animæ cohærere, ut homo totus et plenus sit, naturâ nostrâ ipsâ teste cognoscimus*. 2° Fortè etiam ita locutio, *mediante animâ*, transferri potest ad significandum aliquâ perfectione seu formâ perfectivâ in animam ut in subjectum inhæsionis inductâ, totam humanitatem atque adeò ipsum corpus fuisse immediatè copulatum Verbo; seu, quod eòdem recidit, ejusmodi formâ sive modo perfectivo in animâ recepto fundari relationem unionis proximæ tum animæ tum corporis ad Verbum. De quâ perfectione seu modo in memoriam revoca quæ superiùs dicta sunt cap. 1 hujusce dissertationis, art. 2.

ARTICULUS IV.

Utrùm unio hypostatica sit perpetua et indissolubilis?

Tria hîc quæruntur, primùm ,an Verbum divinum ita sibi conjunxerit humanitatem Christi, ut nunquàm hanc deseruerit aut deserturum sit; secundum, an corpori ab animâ separato triduo mortis Christi unitum permanserit; tertium, an etiam per idem tempus sanguini in passione effuso conjunctum fuerit. Circa primum, notandus 1° error Marcelli Ancyrani, juxta quem, teste Eusebio, lib. 3 de Eccles. Theol. cap. 9, Christus impleto omni servatoris et mediatoris munere, post ultimum judicii diem, corpus suum et animam erat derelicturus; tum, iis in nihilum reversis, Patri resignaturus quod ab ipso regnum acceperat. Notandus 2° error Arianorum quos S. Gregorius Naz., Orat. 36 refert opinatos esse Divinitatem conterritam accedente morte à Christo recessisse. Circa secundum, Gabriel, in 3, dist. 1, probabilius judicat triduo mortis corpus Christi Verbo unitum non fuisse; quæ opinio ei consentanea est, quam, ut jam notavimus, tanquàm probabiliorem ibidem tradit, nempe carnem Christi nonnisi remotè et mediatè esse Verbo conjunctam. Circa tertium, observandum est 1°, quæstionem hanc de sanguine effuso et à carne separato, longè esse diversam ab eâ quam supra tractavimus de sanguine in corpore Christi ante ejus mortem diffluente, vel rursùs ab ipso cùm à mortuis resurrexit, assumpto. Obser. 2°, non agi de illis sanguinis Christi particulis quæ in Ecclesiis quibusdam asservari dicuntur; nec de iis cruoris sacri vestigiis, quæ, v. g., in sindone Taurini exhiberi solitâ, deprehenduntur. Qui ejusmodi reliquias pretiosi sanguinis tanquàm veras admittunt theologi, has non ampliùs esse Verbo divino unitas consentiunt. Obser. 3°, quòd circa an. 1351, grave jam super eâ quæstione dissidium Barcinonæ exortum fuerat; de quo ad Arragoniæ inquisitorem rescripsit Morlandinus, cardinalis Clementis VI tum S. pontificis nepos, se vivo vocis oraculo in mandatis à pontifice accepisse, ut qui sanguinem in passione effusum à Divinitate fuisse separatum prædicaverant, ad retractandam hanc sententiam ut hæreticam cogerentur. Quod cùm executioni demandari curâsset inquisitor, tota controversia tunc temporis consopita est.

Recruduit verò anno 1462, Dominicanos inter et Franciscanos, Sedem S. Petri tenente Pio II, istis propugnantibus sententiam negantem ab Arragoniæ inquisitore proscriptam. Tribus diebus hoc ipso anno, coram ipso pontifice maximo, quæstio hinc et inde magno æstu agitata est. Qui in aliud tempus decisionem referri tunc voluit. Post biennium autem *ad pacem inter illos Ordines et in universâ Ecclesiâ super hâc quæstione conservandam*, inquit Spondanus, *statuit* (constitutione datâ calendis augusti) *nulli licere opinionem negantem sanguinem Christi in triduo passionis à corpore separatum, Divinitati unitum permansisse, ut hæreticam proscribere, donec per Sedem Apostolicam, quid in hujusmodi quæstione sentiendum esset, definiretur*. Atque adhuc sub judice lis est, de quo lege Wadingum

in annalibus Ordinis Minor. ad an. 1351 et 1462, et Frassenium, t. 3 Scoti Academici, disp. 2, de Incarn. a. 1, sect. 2, q. 3.

Observ. 4°, duas igitur de propositâ quæstione esse theologorum sententias. Durandus, in 4, Gabriel in Canonem, Tostatus Paradoxo 2, Cardinalis S. Petri ad Vincula, et alii negant sanguinem effusum mansisse unitum Verbo. Ex adverso stant Capreolus, in 4, Bartholomæus Medina, 3 parte, q. 5, Suarez hìc disput. 15, sect. 6, Vasquez, Gonetus, etc., qui sententiam negantem velut temerariam, erroneam et à S. Sede damnatam traducere non dubitant. Collius collegii Ambrosiani doctor, in amplâ dissertatione quam quinque libris de hâc controversiâ Mediolani edidit an. 1617, opinionem affirmantem ut longè probabiliorem et veram amplectitur, sed notam erroris opinioni oppositæ impingere non audet. Eamdem sententiam, sed tantùm ut probabiliorem tenent Frassenius loco citato, Witassius et alii. Utriusque partis rationes summatim refert celeberrimus Turnelius, non in unam magis quàm in aliam inclinans.

Conclusio I. Unio hypostatica est ita constans et indissolubilis, ut Verbum humanitatem assumptam nunquàm deseruerit nec deserturum sit.

Propositio est fidei dogma certum et inconcussum. Probatur 1° ex Scripturis. Danielis 7, v. 14: *Potestas ejus* (Christi) *potestas æterna, quæ non auferetur; et regnum ejus quod non corrumpetur.* Psalm. 109, v. 4: *Tu es sacerdos in æternum.* Luc. 1, v. 33: *Regni ejus non erit finis.* Joan. 12, v. 34: *Christus manet in æternum.* Hebr. 7, v. 24: *Hic autem eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium;* et cap. 13, v. 8: *Jesus Christus heri et hodiè, ipse et in secula.* Quæ omnia de Christo ut homine esse dicta manifestissimum est; ergo, etc. Probatur 2° ex conciliis. In Symbolo Nicæno, quod omnia concilia subsequentia approbârunt, habetur regnum Christi nunquàm desiturum: *Et regni ejus non erit finis.* Et in definitione fidei concilii Chalcedonensis utraque natura dicitur concurrisse in eamdem personam *indivisibiliter* et *inseparabiliter.*

Conclusio II. Verbum divinum triduo mortis corpori Christi unitum mansit. Probatur 1°, quia tum in Scripturis, tum in Symbolo fidei Christus dicitur sepultus, ratione videlicet corporis sui quod in sepulcro jacuit. Eodem autem modo dicitur sepultus, quo dicitur ratione animæ ad inferos descendisse; cùm ergo ipsis adversariis indubitatum sit animam Verbo conjunctam ad inferos descendisse, ac proinde de Christi personâ intelligi debeat quod dicitur eum descendisse ad inferos; ita pariter et de personâ Christi ratione corporis accipiendum est quod dicitur, eum sepultum fuisse. Ergo persona Christi seu Verbum triduo mortis corpori unitum mansit.

Probatur 2° ex versu 10 Psalm. 15: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Quæ prophetia à S. Petro, Act. 2, v. 27, ad Christum in sepulcro jacentem, ibique nullam expertum putredinem, atque inde redivivum cum gloriâ egressum refertur et applicatur. Ergo, cùm Christi corpus in sepulcro jacuit, ipse *sanctus Dei*, id est, Christi persona juxta Psaltem Regium et Apostolum Petrum ibi jacuisse dicenda est, ratione videlicet corporis. Nec aliam ob causam omnis putredo ab ejusmodi corpore propulsata est, nisi propter illius cum Verbo unionem; ergo, etc.

Probatur 3° auctoritate SS. Patrum. S. Gregor. Nyssenus, Orat. 1 in Christi resurrectionem, sic loquitur: *Deus qui totum hominem per suam cum illo conjunctionem in naturam divinam mutaverat, mortis tempore à neutrâ illius quam semel assumpserat parte recessit.* Et paulò post: *Quoniam igitur duplex est hominis concretio, simplex autem atque una Divinitatis natura, cùm homo dirimitur atque distrahitur, Divinitas ipsa, quæ individua est, non separatur, sed contra potiùs propter unitatem naturæ divinæ quæ utrique hominis parti ex æquo inest, quæ sejuncta separataque erant, rursùs coeunt et conjunguntur.* S. Augustinus, Epist. 87, aliàs 57, ad Dardanum, cap. 3, n. 7: *Homo Christus*, inquit, *illo die* (mortis) *secundùm carnem in sepulcro, secundùm animam in inferno futurus erat; Deus verò idem ipse Christus ubique semper est.* S. Leo, serm. 66, qui est 17, de passione Domini, cap. 1, ait *in tantam unitatem Dei et hominis naturam convenisse, ut nec supplicio potuerit dirimi, nec morte disjungi.* Ergo, si corpus Christi, juxta S. doctorem, fuerit à Verbo assumptum, constat ex ipso illud triduo mortis Verbo unitum permansisse. Atqui secundùm S. Leonem corpus Christi fuisse à Verbo assumptum patet ex his ejus verbis sermone 27, qui est 8, de Nativit. cap. 1: *Utrique naturæ in suis proprietatibus permanenti tanta est unitatis facta communio, ut quidquid ibi est Dei non sit ab humanitate disjunctum; quidquid autem est hominis, non sit à Deitate divisum.* S. Joan. Damascenus, lib. 3 de Fide, cap. 27, rem totam dilucidè exponit his verbis: *Quamvis*, inquit, *Christus ut homo mortem obierit, sanctaque ipsius anima ab immaculato corpore distracta sit; Divinitas tamen à neutro, hoc est, nec ab animâ, nec à corpore quoquo modo sejuncta est, neque propterea persona una in duas personas divisa fuit, siquidem et corpus et anima simul ab initio in Verbi personâ existentiam habuerant, ac licet in morte divulsa fuerint, utrumque tamen eorum unam Verbi personam quâ subsisteret semper habuit. Quam ob rem una eademque Verbi hypostasis, tum animæ tum corporis erat. Neque enim unquàm aut anima aut corpus peculiarem atque à Verbi subsistentiâ diversam subsistentiam habuit.*

Probatur 4° ex axiomate in scholis pervulgato: Quod semel Verbum assumpsit, nunquàm dimisit; atqui Verbum non modò animam, sed et corpus assumpsit; ergo, etc. Probatur 5° ex facto quod Suavis et post eum cardinalis Pallavicinus l. 17 Hist. conc. Trid. cap. 6, referunt; cùm videlicet Amandus aut Amans è familiâ Servitarum theologus, inter disputandum de Communione sub utrâque specie, Corpus Christi demortui sejunctum fuisse à Divinitate pronuntiâsset, tum exortum esse inter Patres Trid. strepitum et murmur, illudque dictum improbatum fuisse. Nullum tamen hujusce theologi errorem in

acta relatum haberi observat Pallavicinus. Probatur 6° ex ratione quâ utitur S. Joannes Damascenus loco mox citato, nempe *nunquàm aut animam aut corpus* (Christi) *peculiarem atque à Verbi subsistentiâ diversam subsistentiam habuisse.* Nam corpus triduo mortis ab animâ separatum, nisi Verbo unitum permansisset, saltem partialem habuisset subsistentiam creatam, quippe cùm seorsim extitisset. Dixi *saltem partialem;* quidam enim volunt substantiam quamlibet singularem et existentem, hoc ipso quo seorsim seu alteri non unita existit, esse suppositum vel personam, sive sit natura completa in ratione naturæ, sive sit incompleta, id est, seu dicat naturaliter habitudinem ad constituendam cum altero naturam aliquam totalem. Qui autem hanc opinionem sequuntur, quæ, etsi minùs communis, nequaquàm tamen est evidenter falsa, ii, inquam, quod consequens est statuerent, corpus Christi videlicet si triduo mortis à Verbo sejunctum fuisset, tunc totalem subsistentiam creatam habiturum, adeò ut verum et propriè dictum suppositum creatum constituisset. Verùm, licet in triduo mortis, partialis tantùm subsistentia creata corpori Christi tribueretur, suppositum creatum partiale ipso tunc fuisset constitutum, quod cum fide orthodoxâ conciliari non potest; ergo, etc.

Dices : Tertullianus, l. contra Praxeam, cap. 30, Eusebius l. 4 Demonst. evang. cap. 13, S. Hilarius, cap. 33 in Matth., S. Epiphanius hæresi 20 et 69, S. Ambr. l. 10 in Lucam et in expositione Symboli nunc ad Appendicem rejectâ, cap. 13, Leporius in libello emendationis, Vitalis et Constantius Hispani episcopi, in Epistolâ ad Capreolum, Carthaginensem episcopum, docent ipso mortis tempore carnem à Divinitate fuisse derelictam; ergo, etc. — Dist. ant., fuisse derelictam quantùm ad specialem protectionis influxum, concedo; quantùm ad unionem hypostaticam, nego. Intelligendi sunt hi veteres eo sensu quòd, tempore passionis et mortis, Divinitas humanitatem non eruerit, non defenderit, sed sævientium manibus dereliquerit, ut secundùm altissima sapientiæ æternæ consilia, Christus omnium salvator et redemptor esse posset. Quo sensu hanc Christi morientis vocem : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* S. Leo, serm. 66, qui est 17, de Passione, et alii interpretes explicant. Magister Sententiarum l. 3 dist. 21, ita S. Ambrosium interpretatur, atque non aliam S. Hilarii fuisse mentem volunt doctissimi Benedictini in suâ ad S. doctoris opera præfatione.

Dices 2° : Si triduo mortis corpus et anima Christi manserunt unita Verbo, nonne dicenda sunt unita mansisse inter se, ac proinde veram et propriè dictam humanitatem constituisse? atqui tamen propriè dici nequit Christum triduo mortis verum fuisse hominem; ergo, etc.—Nego maj. Siquidem alia est unio animæ et corporis ad se invicem, humanitati constituendæ necessaria; alia unio utriusque cum Verbo divino.

Conclusio III. Certò definiri non potest Christi personam sanguini quem in passione effudit, hypostaticè unitam permansisse. Id tamen probabile videtur.

Probatur prima pars, quia nullo argumento, sive ex Scripturis, sive ex traditione deducto id certò adstrui potest. Diximus quidem superiùs Verbum divinum sanguini intra vivens Christi corpus extanti hypostaticè unitum fuisse, atque hanc propositionem pronuntiavimus nobis videri certam, licet Frassenius Scoti Acad. t. 5, p. 16, et alii non infimæ notæ theologi eam tantùm ut probabiliorem tueantur. Verùm, licet, Suarez et alii nonnulli contra sentiant, magnum discrimen statuendum est quæstionem inter de sanguine unito, et illam de sanguine separato quam nunc tractamus. Sanguis unitus pars est necessaria corporis, ejus functionibus vitalibus inserviens; sanguis effusus et separatus, hoc ipso desinit esse pars corporis, illicò corrumpitur, seu induit formam ab eâ quam in corpore habet diversam. Quod ergo de priori ex Scripturis et traditione colligitur, non ideò adscribendum alteri. Et verò fatentur omnes theologi Verbum divinum non mansisse unitum sanguini quem Christus in circumcisione effudit, quia sanguis ille à corpore Christi separatus mutavit formam nec amplius erat ipsius pars actualis. Quo igitur argumento certo evinci poterit Christum sanguini in passione effuso et separato unitum permansisse? Dicentne sanguinem qui in passione effusus est, incorruptum mansisse? Sed nullam in Scripturis aut traditione reperire est idoneam et certam hujusce incorruptibilitatis sanguinis effusi ac separati probationem. Hinc illum sanguinem à corruptione non eximunt, nisi quia supponunt quod in quæstione positum est, nempe ejus unionem cum Verbo triduo mortis perseverantem. 2° Tantùm abest ut certò cognoscatur utrùm Christi sanguis à corpore separatus naturam sanguinis servaverit, ut potiùs contrarium suadere videantur illæ pretiosi cruoris reliquiæ quæ aliquibus in locis conservantur, quæque, eò quòd sanguinis naturam amiserint, à theologis qui eas esse veras sentiunt, Verbo jam non unitæ asseruntur.

Probatur secunda pars, præsertim ex virtute quam sanguini et aquæ ex latere Christi lanceâ post mortem percusso egressis Scripturæ et SS. Patres attribuere videntur. *Hic est,* inquit S. Joannes, ad id prodigium cujus testis fuerat, respiciens, *qui venit per aquam et sanguinem Jesus Christus; non in aquâ solùm, sed in aquâ et sanguine.* Sanctus verò Augustinus, tractatu 120 in Joannem, n. 2, de eodem ostento disserens : *Vigilanti verbo,* inquit, *Evangelista usus est, ut non diceret: Latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud; sed,* APERUIT, *ut illic quodam modo vitæ ostium panderetur; unde sacramenta Ecclesiæ manaverunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur. Ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum; aqua illa salutare temperet poculum; hæc et lavacrum præstat et potum... Secundus Adam in cruce dormivit, ut inde formaretur ei conjux, quod de latere dormientis effluxit... quid isto sanguine mundius? Quid illo vulnere salubrius?* Plura de hoc argumento legere est apud auctores supra appellatos.

CAPUT IV.

De duobus unionis hypostaticæ consectariis, nempe an compositio aliqua in Christo admittenda, et quæ communicatio idiomatum.

In duos articulos caput istud esse dividendum, ipse titulus ejus præfert.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm Christus aliquâ ratione compositus dici possit, et quomodò ?

Conclusio. Christus non est compositus eâ compositionis specie quæ fit ex partibus propriè dictis et incompletis, quæque in scholis appellari solet *ex his;* benè verò eâ quæ fit per modum numeri, et appellatur *cum his.*

Probatur prima pars; nam partes propriè dictæ sunt naturæ incompletæ quæ ad constituendum aliquod totum per se habitudinem dicunt, unde sibi mutuò aliquam perfectionem addunt; atqui Christus non constat ex ejusmodi partibus seu incompletis naturis, ut patet 1° ex sacris Scripturis, siquidem ex iis liquidò habetur Verbum divinum esse immutabile et perfectissimum, ac proinde carnem assumendo non fuisse immutatum aut perfectius factum. 2° Ex SS. Patribus, S. Athanasius apud Euthymium in Panoplià, p. 2, tit. 15 : *Cernis,* inquit, *in unâ personâ non partium compositionem, sed perfectarum* (id est, completarum in ratione naturæ) *naturarum conjunctionem, quâ non duæ una fiunt essentia, sed una dignitas et gloria declaratur.* Et S. Augustin. l. 2 contra Maximinum Arian., cap. 10 : *Christus una persona est geminæ substantiæ, quia et Deus et homo est. Nec tamen Deus pars hujus personæ dici potest; alioquin Filius Dei Deus, antequàm susciperet formam servi, non erat totus, et crevit cùm homo Divinitati ejus accessit.* 3° Ex ratione theologicâ; tum quia fide constat duas esse in Christo naturas distinctas et inconfusas, non unam tantùm ex duplici naturâ compositam; tum quia nec natura divina cum humanâ uniri postulat, nec humanitas ad unionem cum divinitate habitudinem naturaliter dicit; tum denique quia perficitur quidem maximè natura humana, cùm unitur divinæ in personâ Verbi; at Verbum cùm sit suâpte naturâ perfectissimum, nullam inde perfectionem consequi potest, nec Christus constans naturâ divinâ et humanâ perfectior dici potest Verbo ipso, quod utpote summè perfectum, quidquid perfectionis inest naturæ assumptæ, in se eminenter continet.

Probatur secunda pars, nempe Christum esse compositum eâ specie compositionis quæ fit ex partibus impropriè dictis seu per modum numeri; partes enim impropriè dictæ sunt naturæ distinctæ realiter, et completæ in ratione naturæ, quæ uniri physicè naturaliter non postulant, quæque unione suî vel non perficiuntur, vel non perficiunt; atqui ex duabus ejusmodi naturis Christus constat; natura enim divina et humana ex quibus coalescit, sunt distinctæ numero; præterea physicè uniri non postulant, ut dictum est; atque hæc perficitur quidem unione hypostaticâ, sed alteram non perficit; illa verò perficit, non autem perficitur. Hinc SS. Athanasius et Augustinus modò laudati dixerunt *duas essentias* seu *geminas* esse Christo *substantias* in unâ personâ Verbi. Et concilium V œcumenicum collat. 8, anathematismo 4, S. Cyrillus l. de rectâ Fide, ad Theodos. act. 1, concil. Ephes., S. Maximus, in tractatu contra unam naturam, Sophronius, in Epistolâ synodicâ ad Sergium, S. Joannes Dam., l. 3 de Fide cap. 3 et 5, et alii, cùm de Christo loquuntur, compositionis nomen non refugiunt : et meritò sanè, cùm compositio nihil aliud sit quàm distinctorum unio. Atque juxta sensum in hâc secundâ conclusionis parte explicatum, intelligendum est quod à nonnullis veteribus aliquando dictum est, Divinitatem et humanitatem esse partes Christi. Nempe nomen partium acceperunt impropriè, ut exprimerent naturam divinam et humanam in unam personam convenire.

Quæres 1°, an dici possit Christum esse ex duabus naturis, an præterea dicendus sit esse in duabus naturis ? — Respondeo catholicam esse hanc locutionem, Christus est ex duabus naturis, siquidem duæ sunt in Christo naturæ, divina et humana. Hanc adhibet S. Hilarius, lib. 9 de Trinitate, n. 3, necnon Flavianus in suâ primâ fidei professione, quam concilium Constantinopolitanum probavit. Cùm tamen Eutychiani ut fucum facerent, Christum ante unionem ex duabus esse naturis profiterentur, duplicem cæteroqui naturam post unionem in ipso non agnoscentes; idcircò, ut ejusmodi hæreticorum fraudi occurrerent, Patres concilii Chalcedonensis act. 4, formulæ fidei Anatolii Constantinopolitani in quâ dicebatur *Christum esse ex duabus naturis,* voluêre adjici non tantùm *ex duabus,* sed etiam *in duabus naturis* esse Christum.

Quæres 2°, an Christus dici possit ex tribus substantiis, nempe ex divinitate, animâ rationali et carne ? — Respondeo affirmativè. Ita locuti sunt S. Augustinus, lib. 13 de Trinit. cap. 17, n. 22, Isidorus Hispalensis, lib. de Differentiis n. 6, synodus Toletana XI, anno 675 celebrata in Professione fidei, item Toletana synodus XV, an. 688; imò aliquando utile fuit hunc loquendi modum adhiberi ut error Appollinaris Christo animam rationalem detrahentis disertiùs excluderetur. Quapropter cùm Benedictus II, summus pontifex, ad episcopos Hispanos rescripsisset, minùs cautè ab iis dictum in mox laudatâ synodo Toletanâ XI, Christum esse ex tribus substantiis; ii coactâ alterâ synodo contenderunt dici quidem posse Christum ex duplici constare substantiâ, divinâ nempe et humanâ, sed et alteram locutionem quam adhibuerant, esse etiam conformem fidei, et præterea elidendis Arianorum et Appollinaristarum fraudibus magis idoneam.

ARTICULUS II.

De communicatione idiomatum in Christo.

Ex iis quæ adversùs Nestorium, dissert. 4, cap. 2, art. 2, statuimus, liquidò constat esse admittendam in Christo aliquam nominum et proprietatum utriusque naturæ communicationem. Illa verò communio et at-

tributio mutua considerari potest vel respectu naturæ, ut si diceres : *Divinitas est humanitas, natura humana est immensa, Divinitas est mortalis ;* quæ propositiones falsæ sunt et tam fidei quàm rationi repugnant, ut deinceps ostendemus ; vel considerari potest respectu personæ, ut si de Christo agens dicas : *Deus est homo, homo est Deus ; Deus est mortalis, homo est immortalis ;* id est, persona Christi habens Divinitatem habet etiam humanitatem, etc. Quæ positâ unione hypostaticâ sunt verissima et necessariò admittenda.

Duplex circa communicationem idiomatum est error extremè oppositus alter Nestorianorum, qui communicationem ejusmodi etiam ratione personæ è medio sustulerunt, ut aliquando diximus ; alter Lutheranorum, qui communionem illam etiam respectu naturæ, saltem quantùm ad aliqua Divinitatis attributa communicata humanitati, agnoscendam censuerunt. Itaque communicationem idiomatum sub duplici illâ ratione sigillatim spectabimus.

De communicatione idiomatum in Christo ratione personæ adversùs Nestorianos. — Communicatio idiomatum quam ex mysterio Incarnationis nexam esse Scripturæ et tota traditio demonstrant, definiri solet, prædicatio seu attributio mutua et reciproca, in concreto, nominum, attributorum et proprietatum naturæ divinæ et humanæ, ratione unius Christi personæ. Sic, v. g., dicitur : *Christus est homo, Christus est Deus ; hic homo est Deus, Deus est homo ; Deus natus est, passus, mortuus ; homo est æternus, impassibilis, immortalis*, etc. Ut illa definitio intelligatur, observandum est nomina alia esse abstracta, alia concreta. Nomen abstractum seu terminus abstractus formam tantùm significat, non subjectum. Hujusmodi sunt hæ voces, Divinitas, humanitas, æternitas, mortalitas. Nomen concretum significat tum formam tum subjectum ejus, ut *Deus*, id est, ille qui habet naturam divinam, *homo*, id est, *habens naturam humanam ; immortalis*, id est, *habens immortalitatem*, etc. Prædicatio igitur seu attributio nominum utriusque naturæ si fieret in abstracto, coincideret cum communicatione quæ fieret ratione naturæ, de quâ communicatione mox locuti sumus, daretque istas propositiones insulsas et fidei contrarias, ut videbimus : *Divinitas, seu natura divina in Christo est humanitas ; natura humana est natura divina ; Divinitas est mortalis, humanitas est Deus*, etc. Prædicatio verò seu attributio reciproca eorumdem nominum et attributorum in concreto et ratione unius Christi personæ, istas loquendi formulas exhibet : *Christus est homo, Christus est Deus ; Deus est homo*, etc. Hæ sunt locutiones quæ ex unione hypostaticâ necessariò consequuntur. Nempe, quemadmodùm propter unionem physicam animæ et corporis, ex quâ unica hominis persona resultat, dici potest, homo est corporeus, homo est rationalis, necnon rationalis est corporeus et vice versâ ; quia nempe hæc unitatem personæ hominis duas substantias diversas complectentis duntaxat supponunt, ut patet eò quòd illæ propositiones sic resolvendæ sint : Qui habet humanitatem, habet tum corpus, tum animam rationalem ; hæc persona quæ habet animam rationalem, habet etiam corpus ; ita propter unionem hypostaticam naturæ humanæ ad Verbum, quâ fit ut in Christo natura sit duplex, et una Verbi Dei persona, dici debet Christum esse Deum, et esse hominem, Deum esse hominem, et hominem Deum, etc. In comprobandâ autem ex sacris litteris et ex SS. Patrum et conciliorum auctoritatibus hâc idiomatum communicatione hic non immorabimur, quippe cùm jam à nobis id confectum sit dissert. 4, cap. 3, ubi adversùs Nestorium demonstravimus unicam esse in Christo personam ; tunc enim in probationem attulimus nominum et attributorum utriusque naturæ communionem, in Scripturis et in totâ traditione sæpè usurpatam ; quæ, ut est hujusce unitatis necessaria appendix, ita ejusdem est certum et indubitatum indicium.

Verùm tradendæ sunt regulæ juxta quas illa communicatio idiomatum adhibenda sit ; ad quarum intelligentiam præterea advertendum ex nominibus concretis, alia appellari substantiva, alia adjectiva. Inter quæ illud discrimen intercedit quòd concreta substantiva rei naturam tanquàm formam cum subjecto exprimant, ut Deus, id est, habens Divinitatem, seu naturam divinam, homo, id est, habens naturam humanam ; contra verò adjectiva cum subjecto non significent naturam ipsam, sed tantùm formam aliquam seu necessariò seu accidentaliter naturæ adjacentem, vel ejusdem naturæ actionem aliquam aut passionem aut participationem, ut immortalis, natus, mortuus, humanus. Rursùs nomina concreta adjectiva, vel sunt derivata, vel absoluta. Derivata participationem aliquam substantiæ seu naturæ designant, ut *humanus, divinus*. Absoluta vel proprietates, vel actiones, vel passiones naturæ denotant, ut mortalis, natus, passus, etc. His præmissis sit

Regula I. Nomina concreta substantiva, id est, quæ naturam ipsam seu Dei seu hominis tanquàm formam cum subjecto exprimunt, ut *Deus et homo*, de Christo et de se invicem possunt prædicari. Itaque dicendum est : *Christus est homo, Christus est Deus*, et pariter cùm de Christo agitur, *Deus est homo, et homo est Deus*. Ratio est quia nomina concreta substantiva subjectum ipsum cum formâ ei conveniente exprimunt ; ergo, cùm unum sit in Christo subjectum seu suppositum, evidens est ubi nomina concreta substantiva utriusque naturæ de Christo et de se invicem prædicantur, iis hoc unum significari, nempe idem suppositum seu personam quæ in Christo divinitatem habet, habere etiam humanitatem, quod verissimum est et ad fidem catholicam pertinet, juxta quam una est Christi persona et natura duplex, divina et humana. Triplicem tamen volunt theologi adhiberi cautionem. Prima, ut nomen substantivum personam creatam non designet. Sic, v. g., demonstrato Christo dici nequit : *Hic homo factus est Deus*, licèt dici possit : *Deus factus est homo*. Posterior enim propositio solùm significat Deum seu personam divinam factam esse personam quæ humanitatem habeat ; quod ipsam dogmatis sacri substantiam exhibet. Prior autem indigitaret personam aliquam quæ priùs fuisset

persona creata et humana, factam esse decursu temporis personam divinam; quod fidei penitùs adversum est. Ob eamdem causam abstinendum est quoque ab illâ locutione : *Homo factus est Deus*, quanquàm aliquo sensu catholico accipi possit, quo eam usurpârunt S. Athanasius, lib. 1, *de Naturâ humanâ;* S. Greg. Naz., *Orat.* 36; S. Augustinus, lib. 4 *de Prædestinatione Sanctorum*, cap. 16, et synodus Lateranensis, sub Martino I. Secunda cautio est ut nulla reduplicatio fiat. Namque dici non potest : Deus quatenùs Deus est homo. Reduplicatio in formam cadit, et sen susejusmodi proposi tionis foret Deum, quatenùs habet Divinitatem, habere naturam humanam; quod tam insulsum est quàm fidei adversum. Tertia ut illæ vitentur loquendi rationes, quæ etsi veræ in se, hæresi tamen promovendæ adjumento esse possent. Sic licet Christus ut homo reverà sit creatus et creatura, atque ideò, eum creaturam veriti non sint appellare SS. Ambros. serm. 5 in Psal. 118, August. Epistolâ 187, aliàs 57, ad Dardanum, Joan. Damasc. lib. 3, c. 3, etc., attamen hæc propositio : *Christus est creatura*, simpliciter pronuntianda non est, ut S. Thomas animadvertit, 3 p., q. 16, a. 8, et post eum Petavius, l. 7 de Incarn. cap. 6, quia scilicet hæresim Arianorum adjuvaret; sed dicendum : *Christus secundùm quòd homo est creatura.*

Regula II. Nomina concreta adjectiva quæ absoluta sunt, seu quæ proprietates, actiones, passiones significant, de Christo dici possunt et de se invicem. Sic, verbi gratiâ, dicendum est *Christum esse mortalem et immortalem, eum qui est immortalis factum esse mortalem*, etc. Pariter dicendum est, *Deum esse in terris visum, esse natum, passum, crucifixum*, etc. Ratio est quia illa omnia suppositum sonant, et ad illud referuntur. Immortalis enim idem est ac habens immortalitatem, mortalis verò idem ac qui naturam mortalem habet; proindeque cùm natura divina sit immortalis et natura humana morti obnoxia, sequitur, 1° illum qui habet utramque, dici posse mortalem simul et immortalem; 2° de eodem agendo dicendum quoque immortalem esse mortalem, etc., seu eumdem qui habet immortalem naturam, habere etiam naturam mortalem.

Observa autem neque hic apponendam esse reduplicationem. Scilicet dici nequit : Christus ut Deus, est mortalis, est natus, passus, etc.; non enim hæc competunt Christo sub eo respectu quo Deus est, sed tantùm propter naturam creatam quam assumpsit.

Regula III. Nomina concreta adjectiva, quæ derivata appellantur, seu quæ participationem aliquam naturarum sonant, ut *divinus, humanus*, minùs accuratè dicuntur de Christo et de se invicem. Sic, v. g., minùs rectè diceretur Christum esse divinum, dominicum, deiferum, vel humanum. Ratio est quia is minùs accuratè naturam divinam aut humanam participare solùm dicitur, qui utramque reverà habet et complectitur : atqui Christus naturam divinam et humanam non modò participat, sed utramque habet et complectitur; ergo minùs accuratè, etc. Id porrò unum in hâc regulâ pronuntiamus, quòd hæc *minùs accuratè* dicerentur. Scilicet locutiones ejusmodi errorem fidei adversum necessariò non involvunt, nec difficulter ad significationem catholicam possunt inflecti. Unde à veteribus quibusdam hæresis Nestorianæ non suspectis, et fidem unius in Christo personæ aliàs disertè exprimentibus, citra omnem erroris notam adhiberi potuerunt, ut observavimus dissert. 4, cap. 2, art. 2. Unùm igitur harumce propositionum vitium est, quòd mancæ et imperfectæ dogmatis catholici expositiones sint, sensui hæretico per se non oppositæ, illique animis instillando valdè idoneæ, si nempe qui eas adhibere amat, simul voces alias sacro dogmati plenius declarando natas abjiciat, ut Nestorio contigit.

Allatam regulam S. Augustinus totam confirmat, lib. 1 Retractationum, cap. 19, n. 8, ubi postquàm dixit : *Non video utrùm rectè dicatur*, HOMO DOMINICUS, *qui est mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, cùm sit utique Dominus... sed ubicumque hoc dixi, dixisse me nollem. Postea quippe vidi non esse dicendum;* continenter addit : *Quamvis nonnullâ possit ratione defendi.* S. Thomas, 3 parte, q. 16, a. 3, ab ejusmodi regulâ excipiendam ducit propositionem istam : CHRISTUS EST HOMO DIVINUS; *quòd*, inquit, *nomen illud divinum consuevit prædicari etiam de his de quibus prædicatur essentialiter nomen Deus. Dicimus enim quòd divina essentia est Deus... et quòd essentia est Dei sive divina... et Verbum divinum, cùm tamen Verbum sit Deus.* Hæc S. doctor. Attamen, si ad exactioris dialectices amussim dictam propositionem expendamus, satius videbitur eâ abstinendum, ne fortè cùm diceretur Christus homo divinus, dotibus duntaxat præcellentissimis ornatus intelligeretur, ut cùm Plato homo divinus fuisse perhibetur. Cæterùm caro et anima Christi accuratè dicuntur deificatæ; namque id tantùm significat humanitatem Christi Deo Verbo esse hypostaticè unitam.

Regula IV. Nomina abstracta naturæ divinæ possunt de personâ Christi in sensu reali prædicari, non verò nomina abstracta naturæ humanæ. Sic, v. g., dici potest personam Christi, seu Christum esse Divinitatem, omnipotentiam, veritatem, etc. Non verò potest dici Christum esse humanitatem, vel humanitatis proprietates. Ratio est quia Divinitas, et omnia Divinitatis attributa identificantur realiter cum personâ Christi, nempe Verbo divino; contra verò natura humana et ejus proprietates, etsi uniantur Verbo, ab ipso tamen realiter distinguuntur.

Regula V. Quæ competunt naturæ divinæ et naturæ humanæ, de se invicem non possunt in abstracto prædicari. Sic dici non potest : Natura divina est natura humana, vel humanitas est æternitas. Ratio est quia ambæ naturæ unione hypostaticâ non confunduntur, sed distinctæ manent et inconfusæ.

Regula VI. Nomina concreta, seu substantiva, seu adjectiva unius naturæ non possunt de aliâ naturâ prædicari aut de ejus partibus. Sic dici nequit : *Divinitas est homo, humanitas est Deus; Divinitas est nata, passa*, etc.

Ratio est quia, cùm naturæ distinguantur, necesse

est ut quæ propria sunt uni, non possint de alterâ prædicari.

Regula ultima. Nomina adjectiva quibus unio hypostatica seu assumptio naturæ humanæ asseritur, de Christo Deo et homine non possunt promiscuè dici. Nimirùm, v. g., licèt optimè dicatur, Deus incarnatus, vel caro factus, non tamen dici potest, homo incarnatus. Ratio est, quia communicatio idiomatum supponit unionem hypostaticam cujus est necessaria appendix, non proinde ad ea quæ ejusmodi unionis sunt, seu quæ eam constituunt, se extendit.

Quæres utrùm vera sit et catholica hæc propositio : *Unus de Trinitate passus est;* necnon ista : *Unus de Trinitate incarnatus est*, seu : *Christus* aut *Verbum est unus de Trinitate;* quam sententiam altera supponit? — Respondeo has propositiones esse verissimas et catholicas. Hoc unum inter eas discrimen intercedit, quòd ista : *Unus de Trinitate incarnatus est*, vera sit etiam reduplicativè, seu quatenùs est *unus de Trinitate;* altera verò quæ ex eâ deducitur, nempe *unus de Trinitate passus est*, non sit vera nisi ratione humanitatis assumptæ in quâ solâ Christus passus est, et propter communicationem idiomatum, quam jam explicavimus. Probatur responsio 1° ex conciliis. Synodus V generalis, can. 10, sic habet : *Si quis non confitetur Dominum Jesum Christum, qui crucifixus est carne, Deum esse verum, et Dominum gloriæ et unum de sanctâ Trinitate, talis anathema sit.* Vide etiam can. 4 et 5. Concil. Lateran. à Martino I, anno 649, contra Monothelitas celebratum, can. 2, sic statuit : *Si quis... non confitetur propriè et secundùm veritatem ipsam unum sanctæ et consubstantialis et venerandæ Trinitatis Deum Verbum è cœlo descendisse, et incarnatum ex Spiritu sancto ex Mariâ semper Virgine, et hominem factum, crucifixum carne*, etc., *condemnatus sit.* Patres concilii VI, tum in definitione fidei, t. 6 Conc. pag. 1095, tum in sermone acclamatorio ad imperatorem, pag. 1052, tum etiam plerique actione VIII, suffragia singuli proferentes, Christum unum de Trinitate prædicant.

Probatur 2° auctoritate summorum pontificum. Joannes II, in Epistolâ 2 ad Justinianum imperatorem datâ Romæ 8 kal. aprilis an. 534, primus quæstionem definivit, confirmans quæcumque ad eum de fidei doctrinâ Justinianus scripserat in litteris quas suæ epistolæ inserit, inter quæ illud erat inprimis *Christum... crucifixum, unum esse sanctæ et consubstantialis Trinitatis.* Et in Epistolâ 3 ad Senatores : *Justinianus imperator filius noster*, inquit... *de his tribus quæstionibus orta certamina fuisse significavit, utrùm unus ex Trinitate Christus et Deus noster dici possit; hoc est, una de tribus personis sanctæ Trinitatis sancta persona*, etc. *Probavimus in his catholicam imperatoris fidem*, etc. *Unum enim ex sanctâ Trinitate Christum esse, hoc est, unam de tribus sanctæ Trinitatis personis sanctam esse personam, sive subsistentiam, quam Græci* ὑπόστασιν *dicunt... evidenter ostendimus.* Eamdem Justiniani fidem de uno ex Trinitate passo approbavit etiam Agapetus, Joannis II successor, in Epistolâ ad Justin. his verbis : *Huic quisquis contradicere præsumpserit, à catholicâ communione se noverit alienum.* Dedit hanc Epistolam Agapetus, die 18 martii Constantinopoli, quò à senatu romano exoratus, belli ab Italiâ avertendi causâ, se contulerat. De anno verò quo exarata est, scitè observat doctissimus et eminentissimus Norisius, in dissertatione de uno ex Trinitate passo cap. 10, pontificem non nisi die 22 februarii an. 536 Constantinopolim pervenisse, ac proinde ejusmodi Epistolam in edit. Binii et Labbæi malè legi datam *Flavio Belisario* V. C., id est, anno 635 ; legendum cum codice Vaticano : *Post consulatum Belisarii* V. C., id est, anno 536.

Vigilius papa in constituto quod eidem Justiniano inscripsit, dato Constantinopoli die 14 maii an. 553, hunc laudat quòd *orthodoxâ professione unum de sanctâ Trinitate Christum Deum et Dominum nostrum confitendum adstruxerit.* Tandem S. Agatho, in Epistolâ ad imperatorem Constantinum Pogonatum quæ actione 4 concilii VI recitata est, *fidei* quam Justinianus imperator suis edictis professus est, *rectitudinem* laudat. Is porrò maximè inculcârat unum de Trinitate esse Christum qui pro nobis crucifixus est.

Probatur 3° ex sanctis Patribus. Dissimulandum non est propositionem de quâ agimus, licet quantùm ad sensum in Scripturis et in totâ traditione sæpiùs exprimatur, iisdem tamen terminis et vocibus non fuisse adhibitam ante quintum seculum. Primus omnium S. Proclus, fidei catholicæ adversùs Nestorium strenuus et accuratus defensor, *ad interimendas*, inquit Liberatus, *Breviarii* cap. 10, *Nestorianorum versutias qui duas in Christo inducunt personas, unum de Trinitate incarnatum posuit.* Extat hæc Epistola S. Procli tum græcè, tum ex versione Dionysii Exigui, qui Hormisdâ pontificatum gerente, occasione dissidii à monachis Scythis excitati, hanc latinè reddidit. Non modò autem unum de Trinitate incarnatum, sed etiam Christum pro nobis carne passum unum esse ex Trinitate tradidit S. Proclus in Epistolâ ad Joannem Antiochenum cui tomum suum ad Armenos approbandum miserat. Cujus quidem Epistolæ fragmenta leguntur apud Liberatum loco mox citato, apud Facundum Hermianensem, lib. 1, et collatione 5 concilii V generalis. Laudat etiam in hanc rem Joannes papa II, in Epistolâ 3, quæ est ad Senatores, duo testimonia S. Procli ut excerpta ex ejus Epistolâ ad Occidentales. Horumce verò textuum posteriorem ut et alia plura Maxentius in Professione fidei, t. 9 Bibl. PP. Lugd., p. 535, tanquàm ex Epistolâ Procli ad Armenos desumpta recitat, in quâ tamen non reperiuntur. Censet Petavius, lib. 5 de Incarn. cap. 3, in Epistolâ Joannis II mendum irrepsisse, et legendum *ad Orientales* quibus S. Proclum reverà scripsisse ex S. Cyrillo colligitur ; Maxentium verò, quæ in hâc S. Procli Epistolâ ad Orientales continebantur, præ inconsiderantiâ, ut è tomo ad Armenos excerpta exhibuisse. Contra Norisius Maxentium interpretatur de refutatione capitulorum Theodori Mopsuesteni Epistolæ ad Armenos adjectâ. Quæ refutatio periit quidem, sed exstitisse

colligitur tum ex fragmentis Epistolæ ad Joan. Antioch. collat. 5 synodi V insertis, tum ex alterâ S. Procli ad eumdem Epistolâ apud Facundum Hermianensem, lib. 8, cap. 2. Testis porrò est Liberatus, loco mox citato, Epistolam S. Procli ad Armenos à Joanne Antiocheno et ab episcopis cum eo congregatis approbatam fuisse et subscriptam Cyrillus Schytopolitanus scribit S. Euthymium, celebrem monachorum in Palæstinâ institutorem, qui anno 473 obiit, necnon S. Sabam abbatem adversùs Nestorianos prædicâsse unum de Trinitate esse Christum. Constat quoque tum ex libello quem legatis Anastasii papæ Apocrisiarii Ecclesiæ Alexandrinæ, versùs initia imperatoris Anastasii obtulerunt, cùm maximè ex supplicatione seu deprecatione clericorum et abbatum diœcesium Antiochiæ, Hierosolymorum et secundæ Syriæ ad Justinum imper., Anastasii successorem, constat, inquam, famosam sancti Procli sententiam de Christo uno ex Trinitate, genuino et catholico sensu intellectam, etiam quo tempore eâ mutilatâ, ut deinde dicemus, abutebantur Eutychiani, à Catholicis in pluribus Orientis Ecclesiis in professione fidei contra Nestorianos fuisse recitatam. Latinis quidem seriùs cognita et usitata fuit eadem sententia. Nec mirum, siquidem 1° ad notitiam eorum non antea pervenit Epistola S. Procli ad Armenos, quàm à Dionysio Exiguo temporibus Hormisdæ S. P. latinitate donaretur. 2° Contra Nestorianos quibus coercendis nata erat illa locutio, concertationes Occidentalibus erant pauciores; Orientalibus verò frequentissimæ. 3° Henoticum Zenonis, datum anno 482, Procli sententiam his verbis conceptam continebat : *Trinitas enim mansit Trinitas, et incarnato uno de sanctâ Trinitate Deo Verbo.* Illud autem edictum in Occidente rejectum est unanimi cum Ecclesiâ Romanâ consensu, à pluribus verò in Oriente receptum fuit. Facilè ergo intelligitur quæ fuerit causa cur sententia de quâ agimus, etsi planè catholica et quoad rem ipsam ab Occidentalibus admissa, non statim quoad verba, ab iis recepta fuerit, quandoquidem nova iis videri debuit, et eâ insuper abusi fuerant Eutychiani. Sed ex eo maximè elucessit veritas hujusce locutionis, quòd eam esse catholicam Dionysius Exiguus in præfatione ad Epistolam S. Procli, Ferrandus diaconus in Epistolâ ad Anatolium, et alii præstantes viri apud Latinos statim agnoverint; quòdque post aliquam ejus ventilationem et discussionem, anno à morte Hormisdæ papæ qui de eâ nihil statuere voluerat, decimo, Joannes II, S. P., hanc solemniter approbandam duxerit, nemine reclamante præter solos ferè monachos Acœmetas, quos idem pontifex propter Eutychianum errorem ab Ecclesiæ communione expellendos censuit.

Probatur ultimò ratione theologicâ. Omnes Catholici semper fassi sunt, atque etiam, dùm inter ipsos de uno ex Trinitate passo disputatum est, altè profitebantur, quod ex Scripturis et ex traditione certissimum est, Christum scilicet, qui pro nobis secundùm humanitatem passus et crucifixus est, esse Verbum ipsum, seu Filium Dei, pro nostrâ salute incarnatum, unam è personis sanctissimæ Trinitatis. Atqui hæ propositiones, unus de Trinitate incarnatus est et pro nobis secundùm carnem est passus, hoc ipsum significant, non aliud quidquam. Enimverò planum est hanc esse ejusmodi propositionum significationem, modò vox *unus* in hâc locutione, *unus de Trinitate*, accipienda sit *personaliter* et *notionaliter*, non verò *essentialiter* et *substantialiter;* adeò ut sensus sit, una Trinitatis persona, non verò una Divinitas Trinitatis, vel unus è Trinitate Deus; atqui cùm dicitur, *unus è Trinitate*, vox *unus* sumitur personaliter non essentialiter, et sensus est, una persona SS. Trinitatis, non una Divinitas, seu unus Deus Trinitatis. Nam 1°, istud Dei dictum Genes. 3, v. 22, *unus ex nobis*, juxta genuinam et omnibus probatam interpretationem, idem sonat ac una persona ex tribus SS. Trinitatis personis. Atqui eadem planè vis est vocis *unus*, in hâc locutione, *unus de Trinitate*, ac in istâ Dei de se loquentis sententiâ, *unus ex nobis;* ergo, etc. Hoc argumento utuntur Joan. II, in Epist. 3, ad senatores, Facundus Hermianensis, lib. 1, etc. 2° S. August. Enchiridii cap. 38, ait : *Unus trium*, ut designaret unam SS. Trinitatis personam; atqui hæ voces, *unus de Trinitate*, idem manifestè exprimunt, ac istæ *unus trium*, quando agitur de Trinitate; ergo, etc. 3° Quandocumque vox unus, sine adjuncto *Deus* aut alio æquivalenti, de Trinitate agendo pronuntiatur, nunquàm concipitur essentiam seu naturam divinam quæ cum suo concreto Deus identificatur, significare. Si velis unicâ voce unitatem substantiæ seu naturæ tribus personis communis designare, adhibe vocem *unum*, ut dixit Christus : *Ego et Pater* UNUM *sumus;* non dicas, *unus*, aliàs in Sabellianissimi notam incurres; Pater enim, Filius et Spiritus sanctus sunt *unum*, id est, una substantia et divinitas, seu unus Deus, at non sunt *unus*, seu *unus* subsistens, ut aiunt, seu *una* persona. Hanc rationem premit Ferrandus diaconus cap. 15 Epistolæ ad Anatolium. 4° Cùm dicitur, *unus de Trinitate*, nonne ipsâ vi sermonis et indole vox *unus* ad aliquem ex iis tribus quibus sancta Trinitas constat, refertur? Certè id confirmant omnes loquendi modi quibus unus de pluribus numero designatur. Atque unus ex tribus quibus sancta Trinitas constituitur, idem planè est ac una sanctæ Trinitatis persona. Unde meritò Joan. II, in Epistolâ 3 ad senatores, jam non semel laudatâ, unum de sanctâ Trinitate Christum esse ita explicat : *Hoc est, unam de tribus sanctæ Trinitatis personis sanctam esse personam;* ergo, etc.

Quæres 2°, quodnam fuerit controversiæ de uno ex Trinitate passo olim excitatæ initium, status, progressus et finis. Respondeo quatuor præsertim circa id negotii esse notatu digna et tenenda. Primum est duplicem olim fuisse Catholicis de sententiâ S. Procli admittendâ aut rejiciendâ concertationem. Prior, imperantibus Zenone ac deinde Anastasio, mota est adversùs hæreticos : Petrum nempe Fullonem sedis Antiochenæ invasorem et alios Eutychianos Theopaschitas, qui in sententiâ S. Procli nomen carnis quâ passus est Christus, et aliud quodcumque naturarum in Christo di-

versitatem indicans consultò resecantes, idcircò profitebantur unum de Trinitate passum, ut significarent naturam divinam, quâ putabant humanitatem Christi esse absorptam et consumptam, dolores passionis sustinuisse. Ii igitur vocem *unus* in mutilatâ sententiâ S. Procli sumebant essentialiter, vel saltem propositionem hanc, *unus de Trinitate passus est*, propugnabant reduplicativè; nolebantque eâ enuntiari subjectum duplex: aliud denominationis, nempe persona Verbi cui tribuitur passio propter naturam humanam quam hypostaticè assumpsit, et in quâ solâ dolores passionis recepti sunt; aliud inhæsionis, nempe humanitas quâ Christus passus est, quamque, unitione factâ, superstitem non mansisse Theopaschitæ contendebant. Hinc Felix III, in Epistolâ 3 ad Petrum Fullonem, graviter eum objurgat, eique in crimen maximum meritò vertit quòd unum de Trinitate passum dicens, Trinitatem consubstantialem in tres Deos dividat. Qui enim Deum Filium in propriâ naturâ passum dicit, divinam ejus naturam necessariò distinguit à Divinitate impassibili Patris et Spiritûs sancti, siquidem natura passibilis et natura impassibilis una eademque esse non possunt, adeòque plures naturas divinas et proinde plures deos inducit. Ubi manifestè apparet sum. hunc pontificem qui in câdem Epist. Filium appellare non dubitat *unum individuæ Trinitatis*, non rejecisse hanc propositionem in se sumptam, unus de Trinitate passus est, sed tantùm prout ab hæreticis obtrudebatur ad errorem suum callidè mentibus infundendum.

Altera controversia, quæ de hâc propositione olim mota est, ipsosmet Catholicos divisit. Cœpit anno 519 Constantinopoli, auctoribus monachis quibusdam Scythis, hujusce sententiæ, unus de Trinitate passus est, professionem nimio studio urgentibus, Justino imperante, et Hormisdâ romano pontifice. Tunc in hâc urbe versabantur Sedis apostolicæ legati, quos pacis Ecclesiarum diuturno Acacii schismate interruptæ redintegrandæ causâ Hormisdas ad Justinum principem catholicum miserat. Ii contentionem à monachis Scythis excitatam compescere frustra conati, de eâ Hormisdam certiorem faciunt, quem etiam ut adirent monachi Romam profecti sunt. Hormisdas, ex prudenti œconomiâ, quæstionem, ut modò probabimus, solemni iudicio dirimere noluit, adeò ut adiaphoris liberæ Catholicorum disputationi relictis hæc controversia annumerata fuerit, donec anno 534, à morte Hormisdæ decimo, Joannes II hanc Justiniani Augusti professionem, nempe, unum de Trinitate esse Christum qui pro nobis crucifixus, auctoritate suâ confirmaverit.

Secundum, quòd hic observandum et tenendum ducimus, istud est, eos Scythas monachos, qui tanto studio pro sententiâ S. Procli, Constantinopoli primùm, ac deinde Romæ decertârunt, ab omni hæreseos Nestorianismo oppositæ, nempe ab Eutychianâ pravitate fuisse prorsùs immunes. Baronius ad annum 520, Binius in notis ad Epist. 70 Hormisdæ, Labbæus, in observationibus ad Epistolam eamdem, et alii complures, monachos Scythas Eutychianâ saltem fuligine tinctos putant. Vasquesius verò, in 3 S. Th. Disp. 15, cap. 3, Petavius, lib. 5 de Incarn. cap. 2, Thomassinus, Dissert. 18 in Synodos, n. 10, et ib. 3 de Incarn. cap. 14, Christianus Lupus in Notis ad Epist. variorum Patrum t. 2, p. 452, Duhamelius, lib. 2 de Incarn. cap. 3, Dionysius à Sanctâ Marthâ in vitâ Cassiodori gallicè scriptâ, Norisius in Dissertatione de uno ex Trinitate passo, et in Apologiâ monachorum Scytharum, etc., quam sequimur opinionem propugnant. Probatur autem quia, ut ait Petavius loco citato n. 2, *qui professiones fidei ab illis* (monachis Scythis) *editas, ac cætera eorumdem scripta, quæ extant, diligenter expenderit, nullum ibi deprehendet vestigium hæresis illius*, videlicet Eutychianæ. Quod quidem doctissimi Petavii judicium nemo theologus non approbaverit, si accuratè legat ejusmodi scripta, nempe Apologiam quam illi monachi legatis obtulerunt; habetur t. 9 Bibl. PP. Lugd. p. 534; capitula quæ ejusmodi Apologiæ adjunxerant, ibid. p. 537; Professionem fidei Maxentii horumce monachorum doctissimi, quæ iisdem ferè vocibus concipitur, quibus definitio fidei concilii Chalcedonensis, ibid. p. 534; denique reliqua hujusce Maxentii opera, in quibus vehementius aliquando studium, et alios hujus generis nævos nonnunquàm deprehendes, nihil verò prorsùs quod eum Eutychianæ hæreseos suspectum efficiat.

Tertium est nec legatos Hormisdæ, neque Hormisdam ipsum, monachorum Scytharum propositionem ut hæreticam damnâsse. Et quidem legati ut hæreticam non proscripserunt. Tametsi enim in suis ad Hormisdam suggestionibus, illorum monachorum intempestivam *inquietudinem* maximè vituperant, fidem eorum suspectam habent, atque illorum propositionem novam et hæresibus multisque malis in Ecclesiâ fovendis idoneam esse scribunt, attamen 1° non suggerunt Hormisdæ ut monachorum propositionem tanquàm hæreticam proscribat, sed tantùm ut eam dogmati catholico contra Nestorianorum versutias declarando non esse necessariam doceat. *Sanum mihi videtur, et utile et ad pacem Ecclesiarum conveniens*, inquit Dioscorus diaconus in unâ è suis ad Hormisdam de hoc negotio suggestionibus, *nihil aliud responsum dari, nisi: Sufficit sanctum Chalcedonense concilium, in quo et aliæ synodi continentur; sufficiunt Epistolæ papæ Leonis, quas synodus confirmavit. Novitatem in Ecclesiâ introducere nec volumus nec debemus.* 2° Quod à S. pontifice respondendum arbitrabantur legati, illud ipsum coram imperatore et senatu de illâ quæstione responderant: *Modò hoc dicimus*, inquiunt in suggestione ad Hormisdam cunctorum nominibus inscriptâ, *ut nulla novitas à Sede apostolicâ scribatur; quia et nos ante imperatorem et ante senatum hæc indicavimus, dicentes: Extra synodos quatuor, extra Epistolas papæ Leonis nec dicimus nec admittimus quidquid non connumetur in prædictis synodis, aut quod non est scriptum à papâ Leone non suscipimus; quia si voluerit Dominus noster qualemvis novitatem scribere, pejus erit istud inutium* (vitium) *quàm illud quod factum est per Eutychetem.* Similia quoque iidem legati ad

monachos, coràm se et coram episcopo Constantinopolitano, adversùs Victorem diaconum, volentes ut concilio Chalcedonensi necnon S. Leonis et S. Cyrilli dogmaticis litteris adderetur *unus de Trinitate*, responderunt, teste Dioscoro diacono in aliâ suâ suggestione ad Hormisdam, t. 4 Conc. pag. 519. Itaque sententia quam monachi tanto æstu propugnabant non visa est legatis ut hæretica damnanda; nempe eos minimè latere poterat ejusmodi propositioni in se sumptæ significationem inesse catholicam; sed 1° quia nova erat, id est, neque à conciliis neque à S. Leone conceptis verbis adhibita; 2° quia in sensum perversum à Petro Fullone et ab Anastasio imperatore fuerat usurpata; ideò volebant eam synodorum definitionibus non adjici, imò minimè necessariam declarari, atque ejusmodi synodos et Epistolas S. Leonis plenæ dogmatis expositioni statui sufficere. Votis legatorum suorum annuit Hormisdas. In sex Epistolis quas de monachorum Scytharum dissidio scripsit, hanc propositionem, *unus de Trinitate passus est*, non modò non condemnat, sed ne quidem conceptis verbis exprimit et memorat. In primâ, quæ est ad Justinianum numero 66, solummodò rescribit monachos illos Romæ mansuros, donec legatis suis reducibus inquirere possit *quâ reverà faciente causâ inter eos fuerit commota discordia*. Secundæ ejus Epistolæ, quæ est 67, idem est argumentum. In tertiâ, quæ est 70 ad Possessorem, in Scythas monachos Româ profugos vehementer quidem et acriter invehitur, illos rixandi libidinis accusat, temeritatisque, novitatis, superbiæ et contumaciæ notas iis impingit. At nullam hæreseos accusationem in ipsos instruit, nullamque propositionis, *unus de Trinitate passus*, expressam mentionem facit. In quartâ, quæ est 77 ad Justinianum, promissam sibi à Justiniano circa hoc negotium legationem à se expectari dicit. Interim, ut excludat sensus perversos qui propositioni famosæ quam tamen expressè non commemorat, poterant ab hæreticis alligari, hæc de sanctâ Trinitate docet: *Sancta Trinitas, Pater, Filius et Spiritus sanctus, unus est Deus, hanc Israel jussus adorare; cujus inseparabilis et indiscreta substantia non potest dividi, non potest sacrilegà distinctione separari, servatâ tamen proprietate unicuique personæ*. In quintâ, quæ est 78 ad Justinum Augustum, constitutis à concilio Chalcedonensi, et à S. Leone inhærendum statuit; et quamvis ab imperatore rogatus quæstionem definire, vitandæ tamen discordiæ causâ nihil de eâ pronuntiandum putat. In sextâ demùm, quæ est 79 ad eumdem Justinum Augustum, Trinitatis et Incarnationis mysteria accuratè exponit, divisionem in Trinitate, et passionem in Divinitate admittendam negat, sicque eos proscribit pravos errores quos propositioni, *unus de Trinitate passus*, Theopaschitæ præposterè annexuerant. Cæterùm de hâc propositione idem silentium servare pergit. Ergo propositionem monach. Scytharum Hormisdas ut hæreticam non damnavit. Id ipsum testimoniis auctorum coætaneorum maximè confirmatur. Maxentius in Responsione ad Epistolam Hormisdæ, cunctis notum esse affirmat, quòd monachis responsum quærentibus romanus episcopus dare omnibus distulerit. Ferrandus diaconus in Epistolâ ad Severum scribit nihil ante pontificatum Joannis II fuisse ab Ecclesiâ romanâ in hâc causâ definitum. Denique Anatolius Ecclesiæ romanæ diaconus post Hormisdæ mortem de hâc propositione eumdem consulit Ferrandum diaconum Carthaginensem; quod certo indicio est quæstionem à Sede apostolicâ nondùm solemni judicio definitam fuisse.

Itaque Hormisdas S. P. ex unâ parte prospiciens sententiam, *de uno ex Trinitate passo*, non fuisse antiquis Patribus usitatam, tùm Latinis prorsùs ignotam esse, eamdemque apud Græcos à Petro Fullone pseudopatriarchâ Antiocheno, et ab Anastasio imperatore sensu Eutychiano usurpatam; ex aliâ verò parte sibi non dissimulans hâc propositione in se sumptâ sensum catholicum referri; de cætero apud se meritò statuens eam plenæ declarationi fidei minimè esse necessariam; prudenter œconomiâ usus est, atque ab ejusmodi approbandâ vel reprobandâ sententiâ cautè abstinuit, jure veritus ne in iis quibus res christiana versabatur circumstantiis, definitio quæstionis ejusmodi, quoquo modo fieret, novarum dissensionum in Ecclesiâ occasionem daret.

Quartum est controversiam de uno ex Trinitate passo meram fuisse inter Catholicos logomachiam, seu quæstionem de nomine. Quod probatur 1°, quia hoc ipsum annotârunt Justinianus in tertiâ quam de ejusmodi argumento ad Hormisdam scripsit Epistolâ, t. 4 Conc. Labb. col. 1517; Ferrandus in Epistolâ ad Anatolium c. 18, et in Epistolâ ad Severum c. 9, necnon Facundus Hermianensis, lib. 1 de tribus Capitulis. Probatur 2°, quia omnes Catholici quidquid in hoc negotio fide erat tenendum, apertè et unanimiter profitebantur. Etenim aiebant universi secundam SS. Trinitatis personam seu Filium Dei unigenitum pro nobis esse incarnatum, et secundùm carnem cruci affixum, seu, quod eòdem recidit, Christum qui pro nobis passus est, unam esse Trinitatis personam. Cuncti in Christo duas admittebant naturas, divinam secundùm quam eum prædicabant esse impassibilem, et humanam secundùm quam eum esse passum et crucifixum credebant. Hæc erat fides inprimis legatorum Hormisdæ, ut patet ex jam laudatâ suggestione secundâ Dioscori diaconi ad Hormisdam, tùm Hormisdæ ipsius qui in Epistolâ suâ ad Justinum, quæ est 79, hanc disertè exponit, tùm denique monachorum Scytharum, ut videre est in eorum Apologiâ et capitulis, et in Maxentii lucubrationibus. Qui igitur unum ex Trinitate passum nolebant dicere, vocem *Unum*, accipiebant essentialiter, et absolutè, id est, sine relatione ad personas, unde inferebant hâc locutione vel Divinitati ac proinde toti Trinitati passionem adscribi, vel sanctam et individuam Trinitatem in tres Deos dividi. Sanè ex Epistolis 77 et 79 Hormisdæ manifestissimè colligitur hunc esse veritum pontificem ne propositio quâ de agimus, ejusmodi pravo et hæretico sensu quo à Fullone propugnata fuerat, adhiberetur. Aliqui

etiam, ut Trifolius (1), vocem *unus*, pro *uno* Patre, aut *uno* Filio, aut *uno* Spiritu sancto in laudatâ propositione sumi posse contendebant, quasi eâ unus Pater de Trinitate, aut unus de Trinitate Filius, etc., passus significaretur. Quapropter ineptè postulabant quis ex tribus Patribus, aut ex tribus Filiis, etc., hâc sententiâ passus exprimeretur? Jam verò qui inter Catholicos ex adverso unum Trinitatis esse passum profitebantur, ut Dionysius Exiguus, Ferrandus Rusticus, ipsique monachi Scythæ, ii omnes S. Proclum sententiæ hujus auctorem secuti, vocem *unus* accipiebant ut in eâ propositione reverà sumi debet, notionaliter scilicet seu personaliter, non pro uno Patre, aut uno Filio, etc., ut ridiculè Trifolius, sed generaliùs pro uno subsistente, seu unâ è Trinitatis personis, adeò ut sensus sit : Unus subsistens de Trinitate, seu una de Trinitate persona carnem assumpsit, et in naturâ assumptâ dolores passionis et ipsam crucifixionem sustinuit. Atque non aliam fuisse ejusmodi Catholicorum mentem ex eorum scriptis adhuc superstitibus liquidissimè constat. Ergo, licet Maxentius in responsione ad Epistolam Hormisdæ et alibi adversarios suos non sine magnâ temeritate hæreticos nuncupet, quamvis legatis Hormisdæ suspecta visa fuerit monachorum Scytharum fides, istorumque propositione hæresim Arianam propinari senserit Trifolius, attamen quod ad fidem attinet, et substantiam dogmatis, nullum hos inter et illos discrimen intercessit.

Quæres 2°, an Trisagio, id est, invocationi quâ Deus ter dicitur sanctus in hunc modum : *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*, addi possit, *qui crucifixus* aut *crucifixus es pro nobis*. Respondeo 1°, si primum Trisagii usum spectes, juxta quem ad totam SS. Trinitatem refertur, illi nonnisi impiè et hæreticè adjici posse hæc verba : *Qui crucifixus es pro nobis*. Ratio est quia hâc additione vel toti Trinitati adscriberetur passio, vel saltem Spiritui sancto, qui, ut observat Felix III, S. P., in Epistolâ tertiâ ad Petrum Fullonem, his verbis, *sanctus immortalis*, in Trisagio ad totam Trinitatem relato designatur. Atqui sive toti Trinitati, sive Spiritui sancto ac proinde Divinitati passionem adscribere impium, absurdum et hæreticum est. Solus Filius pati potuit qui solus naturam passibilem assumpsit, nempe naturam humanam in quâ, non in Divinitate, dolores passionis sustinere dignatus est. Hinc Petrus Fullo, sedis Antiochenæ invasor, graviter à Felice III, mox laudatâ ejus Epistolâ tertiâ, nec non in duabus sequentibus, reprehensus est quòd sacro Trisagii hymno additionem de quâ agimus adjungere ausus esset. Quas Epistolas, etsi Valesius in observat. de Petro Antiocheno ad Evagrium cap. 5, pag. 178, Tillemontius in Acacio Constantinop. art. 49, et alii spurias existiment, meritò tamen retinendas censet Norisius in Historiâ controversiæ de uno Trinitatis passo, cap. 2, et geminàs esse colligit ex Anastasio Biblioth. in Epistolâ ad Joannem diaconum, t. 12 Biblioth. PP. Lugd. p. 834, col. 2. Tanti verò Constantinopoli tumultus occasione ejusdem additamenti jussu Anastasii imperatoris in Ecclesiâ solemniter decantati, anno 512 exorti sunt, tantaque seditio adversùs impium principem tanquàm in Trinitatis inimicum mota, ut ipse ne è solio ejiceretur metuens, se deinceps in Ecclesiæ ritibus nihil innovaturum polliceri et jurare coactus fuerit. Factum referunt Evagrius, lib. 3 Hist. eccles. c. 44, Marcellinus comes in Chronico, Theophanes, Cedrenus, Victor Tununensis, Zonaras, etc., quorum in enarrandis quibusdam rei circumstantiis dissimilitudines hîc annotare nihil necesse est.

(1) Vide Epistolam Trifolii presbyteri t. 4 Conc. Labb., et ad calcem t. 2 Collect. Harduini.

Respondeo 2° Christum, utpote naturâ Deum, reverà dignum esse qui ter sanctus, Deus, fortis et immortalis nuncupetur; nihil proinde in eo usu reprehendi posse, juxta quem Trisagion ad solum Christum referretur; atque demùm, ubi ad solum Christum hymnus ter sanctus dirigitur, nihil nisi fidei maximè consentanei in additione crucifixionis illi assutâ reperiri; siquidem Christus secundùm humanitatem verè crucem subiit. Quapropter laudanda fuit prudens dispensatio et œconomia Calendionis viri apprimè catholici, qui in locum Petri Fullonis quem Zeno imperator in exilium amandârat, canonicè suffectus, Ecclesiam Antiochenam aliquandiù rexit. Is, ut testatur Theodorus Lector Hist. eccles. lib. 1, pag. 566, sacro hymno inseruit, memoratæque additioni, *qui crucifixus es pro nobis*, præfixit has voces, *rex Christe*, quibus eam invocationem soli Christo applicans errorem à Fullone propinatum amovit. Verùm Calendione paulò post jussu ejusdem Zenonis ejecto, *reversus* iterùm Petrus Fullo *sustulit verba*, *Rex Christe*, inquit Theophanes in Chronographiâ.

Respondeo 3° hunc olim in Ecclesiis orientalibus, non verò in Ecclesiâ Constantinopolitanâ, neque apud Latinos, obtinuisse usum, ut Trisagion cum additione, *qui crucifixus es pro nobis*, etiam Christi nomine non appellato, usurparetur, sine ullo fidei detrimento. Nempe ejusmodi Ecclesiæ Orientis, etsi mentionem Christi expressam in Trisagio non facerent, attamen ad ipsum solum illam invocationem cum additione dirigebant; ut ex eo facilè intelligere erat, quòd solum Filium esse incarnatum altè profiterentur, et in eo duas esse naturas, alteram impassibilem, nempe divinam, alteram quâ passus est, nempe humanitatem. Cujus quidem usûs et interpretationis habetur inprimis testis locupletissimus Ephrem patriarcha Antiochenus qui seculo sexto floruit. Vide plura de hoc argumento apud doctissimum Assemani, t. 1 Biblioth. Orientalis pag. 518, et apud Michaelem Le Quien in *Oriente Christiano*, t. 3, p. 22.

Respondeo 4°, de usu hodiernarum Christianorum societatum in Oriente, quæ Trisagium cum additamento, *qui crucifixus*, etc., etiam tacito Christi nomine adhibent, esse judicandum præsertim ex ejusmodi societatum professione et fide. Enimverò constat ex dictis hunc hymnum secundùm analogiam fidei, et

secundùm usum veteris Ecclesiæ orientalis cum additione de quâ agitur, sensu orthodoxo ad Christum solum referri. Quæ ergo societates orientales fidem catholicam de Christo, de duplici in eo naturâ, de Divinitatis impassibilitate profitentur, necessariò censendæ sunt Trisagium cum mentione crucifixionis usurpatum ad solum Christum dirigere, sicque hoc suo usu doctrinam orthodoxam nihil lædere. Secùs sentiendum esset de Eutychianis qui humanitatem à Divinitate absorptam et consumptam putarent. Ii, si sibi constent, non alio sensu possunt in Trisagio passionem et cruci affixionem commemorare quàm ut passionem Divinitati ac proinde toti Trinitati attribuant.

Docet probatque doctissimus Assemanus Maronita Biblioth. Orient. t. 1, pag. 518, *Monophysitas antiquiores recentioresque Jacobitas circa Trisagium cum Catholicis* (illud ad solum Christum referentibus) *sensisse et modò sentire.* De Maronitarum verò circa hymnum eumdem usu, quos catholicæ fidei addictos et romanæ Sedi communione conjunctos esse nemo nescit, hæc scribit Faustus Naironus Banensis Maronita, Romæ, seculo proximè elapso, linguæ Syriacæ professor, in suâ de origine, nomine et religione Maronitarum Dissertatione, n. 85 : *Id fieri quidem* (nempe crucifixionem Trisagio addi) *etiamnum à Maronitis fateor, sed sensu catholico et ab Ecclesiâ romanâ non improbato, cùm illud in recognitis ipsorum ecclesiasticis libris Romæ impressis reliquerit; sed tunc non refertur Trisagium ad Trinitatem sanctissimam, sed ad Christum unum, qui ter sanctus, id est, infinitè sanctus, omnium confessione dicendus est. Nam apud Maronitas Trisagium dupliciter accipitur; aliquando enim tribus applicatur personis, et tunc crucifixionem addere impium, blasphemumque arbitrantur; ac propterea nunquàm in hoc sensu penès eos legitur hic hymnus cum additione crucis; ut videre est in ipsorum Mizzali post lectionem Evangelii, ubi sic :* « *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis,* « *miserere nobis.* » *Aliquando verò soli tribuitur Filio et tunc additur crucifixio, quia verè crucifixus est Christus, imò in multis locis Breviarii Maronitarum manifestè declaratur, et præsertim ad Matutinum Officii Nativitatis Domini, sic :* « *Sanctus Deus, qui Nativitate tuâ sanctâ* « *liberâsti nos à seductionibus. Sanctus fortis, qui forti-* « *ficâsti gregem tuum, ut canat tibi gloriam. Sanctus* « *immortalis, quoniam mortales filii Adam vixerunt, Na-* « *tivitate tuâ vivificante omnes. Qui crucifixus es, Do-* « *mine noster, pro Ecclesiâ tuâ, et liberâsti eam die Na-* « *tivitatis tuæ ex seductione et peccato.* » Hactenùs Naironus, cui consonant doctissimus Assemanus Biblioth. Orientalis 1, pag. 520, necnon eruditus Michael Le Quien Ordinis Prædicat. Orientis christiani tomo 3, de Ecclesiâ Maronitarum n. 17, p. 24. Atque hanc ipsam à Nairono traditam de duplici apud Maronitas Trisagii acceptione distinctionem attulerunt quoque Maronitæ præsules anno 1596, mense sept. in synodo congregati coram R. P. Hieronymo Dandino quem eorum doctrinæ cognoscendæ causâ Clemens VIII in Syriam miserat. Cujus quidem concilii acta capite 34 Historiæ itineris ejusdem patris Dandini ad montem Libanum inserta habentur.

De communicatione idiomatum in abstracto adversùs Lutheranos. — Attributa Divinitatis, nempe omnipotentiam, omniscientiam, ac præsertim omnipræsentiam humanitati Christi communicatam fuisse docet Lutherus in libro, seu sermone, *Quòd verba Christi :* Hoc est corpus meum, *adhuc stent*, quem anno 1527 edidit, tum in Confessione de cœnâ Domini, ubi vult Christi carnem tam longè extra creaturas collocandam, quàm Deus ipse extra creaturas est, eòque progreditur ut Zuinglianos vehementer reprehendat quòd Christi passiones soli humanitati attribuant, non etiam Deitati. Dogma istud, Christi carnem vi unionis hypostaticæ esse ubique præsentem, appellatum est *Ubiquismus.* Illud verò commentus est Lutherus, vel potiùs à Jacobo Fabro Stapulensi ad cap. 14 Joan. et ad 12 primæ ad Cor. jam antea traditum, idcircò suum fecit, quia Christi corporis præsentiæ reali in Eucharistiâ defendendæ ipsi idoneum visum est. Philippum Melanctonem discipulorum Lutheri doctissimum et celeberrimum, doctrinam ubiquitatis detestatum fuisse constat. At eam amplexi sunt Joannes Brentius qui hanc ita locupletavit, ut dictus fuerit ubiquitatis parens, Flaccius Illyricus, David Chytræus, Joannes Widangus, Nicolaus Selneccerus, Jacobus Andreas Smidelinus, Martinus Kemnitius qui cautiùs cæteris loqui affectat, etc. Atque is error in libro Concordiæ quem ferè universi in Germaniâ Lutherani reperunt, tanquàm fidei dogma asseritur pag. 572, 731 et 745 edit. 1580. Duplex autem apud Lutheranos scriptores deprehenditur ubiquitatis explicandæ ratio; nam alii, ut Brentius, Smidelinus, etc., sentiunt omnipræsentiæ communicationem factam humanitati Christi, ut et aliorum saltem plurimorum attributorum, ad essentiam unionis hypostaticæ pertinere, seu hanc unionem formaliter constituere; alii verò, ut, Kemnitius, hanc communicationem solùm docent esse unionis hypostaticæ necessarium consectarium, adeò ut, hâc unione positâ, consequens sit naturam humanam Christi verè esse omniscientem, omnipotentem, et omnipræsentem.

Conclusio. Communicatio idiomatum in abstracto, seu respectu naturarum, nulla in Christo admittenda est, neque unio hypostatica postulat ut Christi corpus sit ubique præsens. Probatur prima pars, nempe communicationem idiomatum in Christo respectu naturarum admittendam non esse, ac proinde dici non posse naturam humanam Christi esse immensam, esse omnipotentem, esse scientiâ infinitâ præditam, etc. Probatur, inquam, 1° quia nec in Scripturis, nec in conciliis, nec apud sanctos Patres ullum reperire est ejusmodi locutionum exemplum. 2° Quia si natura humana Christi verè et reipsà esset immensa, omnipotens, omniscia, etc., quocumque modo id explicetur, jam desineret habere humanitatis proprietates, divinisque attributis constaret; atqui humanam Christi naturam sui cum Verbo unione, humanitatis proprietatibus spoliatam fuisse, et attributis divinis con-

stitutam, ipsa est Eutychianorum hæresis, in concilio Chalcedonensi proscripta; ubi definitum est incarnationem peractam esse *salvâ utriusque naturæ proprietate, et in unam personam atque subsistentiam concurrente.* Quod quidem dogma fidei ex Scripturis et ex traditione supra, Dissertatione 4, cap. 3, fusè demonstravimus. 3° Quia absurdissimum est attributa Divinitatis verè et in conceptu suo formali communicari naturæ creatæ et finitæ qualis est Christi humanitas. Quod enim finitum est, in se verè et formaliter attributum seu proprietatem infinitam non potest recipere. Deinde naturam humanam Christi à Divinitate esse distinctam de fide est et Lutherani profitentur; si igitur naturæ Christi humanæ verè tribuatur omnipotentia divina, et immensitas, jam duæ erunt omnipotentiæ divinæ et duæ immensitates in Christo; siquidem repugnat unicum attributum in duplici naturâ, ut in subjecto inhæsionis simul existere. Atqui duas naturas omnipotentes, immensas, etc., admittere impium et absurdum; ergo, etc. Denique anima et corpus in homine personam unicam constituunt; atqui tamen corpori non communicantur animæ attributa et proprietates, nec vice versâ. Neque enim corpus dici potest intelligere, judicare, dubitare, velle, etc., quæ animæ propria sunt; neque ex adverso quis dixerit animam ambulare, sedere, etc., quæ sunt propria corporis. Ergo ut Christi humanitas Divinitati uniatur in unâ Verbi personâ necesse non est illi humanitati divina attributa adscribi.

Aiunt Concordiæ auctores (1) necnon Kemnitius (2) et alii, proprietates divinas juxta se non fieri proprietates naturales et essentiales humanitatis Christi, sed illi tantùm esse communicatas per gratiam, sicut principale agens virtutem suam instrumento communicat. Sed hæc malè cohærent. Nulla vera communicatio idiomatum inter instrumentum et agens principale admitti potest. Quis scriptoris scientiam et eloquentiam attribuet calamo quo is scriptor utitur? Quocumque igitur modo scientia, omnipotentia, immensitas et alia Dei attributa humanæ Christi naturæ communicata dicantur, seu essentialiter, seu per gratiam tantùm, necesse est hanc communicationem realem esse et veram, adeò ut humanæ Christi naturæ verè ejusmodi attributa inhærcant; aliàs dici non poterit quod volunt Lutherani, nempe Christi humanitatem verè esse omnipotentem, immensam, etc., neque ex eâ communicatione colligi poterit, hanc naturam humanam reverà ubique existere.

Probatur secunda pars, nempe unionem hypostaticam non postulare ut Christi corpus ubique sit præsens. 1° Ex Scripturis ex quibus patet Christi corpus sive ante mortem, sive post mortem non fuisse ubique, sed contra, loco finito circumscriptum. Matth. 28, v. 6: *Jesum qui crucifixus est, quæritis; non est hic* Joan. 11, v. 15: *Lazarus mortuus est; et gaudeo propter vos, ut credatis quia non eram ibi.* Ibid. v. 21: *Domine,* ait Martha, *si fusses hic, frater meus non esset mortuus,* quibus alia innumera addi possunt; ubi exhibetur Christus iter faciens, ex uno loco in alium locum se conferens, modò in navi, modò in templo, modò in deserto, etc., consistens. Addenda etiam testimonia in quibus Christus dicitur natus, crucifixus, sepultus, descendisse ad inferos, resurrexisse, ascendisse in cœlum, et inde cum glorià venturus. Enimverò natus intelligitur, cùm è sinu B. V. exivit; cruci affixus, cùm in eâ pependit; sepultus, cùm è cruce in tumulum corpus ejus translatum est; descendisse ad inferos, cùm ejus anima à corpore avulsa eò permeavit; resurrexisse, cùm è sepulcro redivivus egressus est; ascendisse in cœlum, cùm illuc è terris fuit sublatus, et è cœlo venturus, cùm ad judicandos homines inde descendet; ergo cùm Christus, si secundùm humanitatem ubique sit, locum non potuerit mutare, sequitur, etc.

Respondent Lutherani hæc omnia dicta esse de Christo, quia etsi locum reverà non mutaret, tamen apparenter et secundùm formam visibilem mutare locum videbatur. Sed licetne ad libitum confingere tot Scripturæ sacræ testimoniorum expositiones metaphoricas, ubi quid simile ne minimùm innuitur!

2° Ex symbolis quæ Christum post Scripturas exhibent etiam natum, sepultum, ad cœlos sublatum, etc., quæ cum omnipræsentiâ corporis ejus ubique, stare non possunt.

3° Ex SS. Patribus. Multa eorum loca in hanc rem proferunt Bellarminus, lib. 3 de Christo, cap. 14, Petavius, lib. 10 de Incarn. cap. 7, et alii. Unum satis sit S. Augustini testimonium, quo cæterorum mens præclarè exhibetur. *Secundùm hanc formam* (naturam humanam), inquit, Epist. 187, aliàs 57, ad Dardanum, n. 10, *non est putandus* (Christus) *ubique diffusus. Cavendum enim est, ne ita divinitatem astruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus... aliter homo ille in Deo, quoniam aliter et Deus ille in homine, proprio quodam et singulari modo. Una enim persona Deus et homo est, et utrumque est unus Christus Jesus, ubique per id quod Deus est, in cœlo autem per id quod est homo.*

4° Ex triplici ratione theologicâ. Prima est, ubiquitate destrui ipsum præsentiæ realis dogma propter quod excogitata est. Namque si eatenùs Christi corpus est in Eucharistiâ, quatenùs est ubique; ergo nullâ speciali ratione est in Eucharistiâ quàm in re aliâ quâlibet; neque ex institutione suâ in ordine ad præsentiam realem quidquam habet Eucharistia, quod cuilibet rei alteri non competat. Imò repugnabit Christi corpus accipi et manducari in Eucharistiâ; quia quod ubique est, non potest ex ore in stomachum transmitti. Dicentne cum Brentio in Eucharistiâ Christum esse specialiter præsentem, propter specialem efficaciam quam in hoc Sacramento exercet? Verùm hâc responsione nihil speciale in Eucharistiâ agnosceretur nisi virtus quædam; quod ipsum est Sacramentariorum à Lutheranis tanto studio reje-

(1) In repetitione articulorum controvers. art. 8.
(2) Lib. de duabus Naturis cap. 21, 22 et 23.

ctum. Secunda est, ubiquitatis dogmate Eutychianismum invehi. Nam si humanæ Christi naturæ, ipsique ejus corpori propter unionem hypostaticam divina competat immensitas, adeò ut de ipso verè prædicari possit; cùm unum attributum singulare non possit esse commune duabus naturis, necesse est duas Christi naturas in unam confundi et commisceri. Præterea, cur immensitas humanæ Christi naturæ communicata vi unionis hypostaticæ prædicabitur, necnon omnipotentia et omniscientia, non verò æternitas et alia ejusmodi attributa? Numquid omnipotentia et immensitas, subjecti inhæsionis finitudine et limitatione minùs excluduntur quàm æternitas et aliud quodlibet divinum attributum? Denique, cùm attributa divina absoluta inter se realiter identificentur, evidentissimum est unum non posse alicui naturæ attribui, quin et reliqua eidem naturæ adscribantur. Tertia est, nullum afferri posse à Lutheranis momentum seu ex Scripturis seu ex ratione depromptum, quo probent si vi unionis hypostaticæ saltem aliqua attributa divina verè et reipsà naturæ assumptæ communicantur, inde non sequi aliquas pariter ejusdem naturæ assumptæ proprietates de naturâ divinâ prædicari posse. Dicent proprietatibus naturæ humanæ sibi reipsà communicatis divinam naturam destructum iri. Fatemur, sed si fieri posset naturam humanam sibi reipsà communicatis et in se receptis quibusdam attributis divinis in divinitatem non converti, quidni divinitas posset quasdam humanitatis proprietates in se ut in subjecto inhæsionis recipere quin in humanam naturam mutaretur? Par utrobique ratio, non magis proprietates humanæ naturæ divinitati repugnant, quàm proprietates naturæ divinæ repugnant humanitati; ergo, etc.

Dices 1° : Christus ut homo sedet ad dexteram Patris; atqui dextera Patris est ubique; ergo Christus ut homo est ubique. Dist. maj. Christus ut homo sedet ad dexteram Patris ratione suppositi et personæ, concedo majorem; ratione naturæ humanæ præcisè, nego. Sedere ad dexteram Patris æqualitatem honoris significat : cùm ergo Christus ut homo dicitur ad dexteram Patris sedens, sensus est personam quæ Christi humanitatem habet, esse æqualem Patri, quod verissimum est, siquidem illa persona ipsum est Verbum divinum. Sed sensus non est naturam humanam Christi esse Divinitati æqualem. Id tam impium quàm absurdum foret. Jam verò persona habens humanitatem Christi, cùm sit Patri æqualis, ubique consistat necesse est, sed nihil probat de humanitate assumptà idem esse statuendum. Imò ex Scripturis et ex ratione evidentissimum est hanc naturam non posse esse immensam.

Dices 2° : Quæ uniuntur intimè, eorum unum non potest esse sine alio; atqui natura humana et persona Verbi in Christo uniuntur intimè; ergo ubicumque est Verbum, ibi humana Christi natura esse debet. Distinguo maj.: Quæ intimè uniuntur localiter et adæquatè, eorum unum non potest existere alicubi, quin et ibidem aliud existat, concedo; quæ uniuntur personaliter, eâ scilicet unione quæ nihil habeat cum unione locali commune, nego. Itaque natura humana non unitur Verbo localiter et adæquatè, ita ut tantùm pateat, quantùm Deus diffunditur, et ipsi, si ita loqui fas est, commensuretur. Quippe in commensuratione et spatii ejusdem communione unio hypostatica nequaquàm consistit. Quemadmodùm igitur in hypothesi philosophorum qui animam humanam toto corpore diffusam ponunt, oculus, v. g., etsi exigua tantùm sit corporis pars, toti animæ conjungitur, ita persona Verbi immensa cum naturâ humanâ alicubi solùm existente uniri potest; aut saltem non demonstraveris Verbum ejusmodi naturam hocce modo sibi non posse hypostaticè conjungere. Adde Verbi divini immensitatem in eo esse positam quòd totum ubique et in singulis loci partibus sine divisione idem existat; proindeque, etsi ad unionis hypostaticæ rationem formalem id pertineret, nempe humanam Christi naturam aliquo esse in loco in quo Verbum totum esset præsens, non inde sequeretur hanc non posse hypostaticè toti Verbo uniri quin ejus immensitate donaretur. Quippè cùm quocumque in loco existat Christi humanitas, ibi totum Verbum substantiâ suâ necessariò præsens existat.

Dices 3° : Juxta fidem catholicam Christus homo est ubique; ergo, etc. Dist. ant. Christus homo est ubique ut Deus, concedo; Christus homo reduplicativè ut homo, id est, quantùm ad naturam humanam, nego. *Neque enim Deus*, inquit S. Ambrosius lib. 2 de Fide, cap. 8, n. 60, *de loco ad locum transit, qui ubique semper est. Ut homo, est qui vadit, ipse qui venit. Denique et alibi dicit :* SURGITE, EAMUS. *In eo ergo vadit et venit, quod est commune nobiscum.* Et S. Fulgentius, lib. 2 ad Trasimundum, cap. 17 : *Unus idemque secundùm humanam substantiam absens cœlo cùm esset in terrâ, et derelinquens terram cùm ascendisset in cœlum; secundùm divinam verò immensamque substantiam nec cœlum dimittens cùm de cœlo descendit, nec terram deserens cùm ascendit in cœlum.* Similia habent Ruffinus in Symbolum, S. Augustinus tractatu 78 in Joan.; S. Gregorius Magnus, Homilià 29; Vigilius, lib. 1 contra Eutychem, etc.

Dissertatio vij.

DE CAUSIS INCARNATIONIS.

Planum est nullam esse propriè causam materialem, ut aiunt, et formalem Incarnationis. Sensu tamen minùs proprio dici potest duas naturas quæ in Christi personâ uniuntur materiæ locum tenere, earumque unionem hypostaticam esse instar formæ. Atque istæ sunt causæ intrinsecæ quæ Incarnationis mysterium constituunt, de quibus dissertationibus IV et VI, jam satis superque dictum est. Superest igitur ut hic de causis efficiente, meritoriâ et finali Incarnationis disseramus.

CAPUT PRIMUM.

De causâ efficiente Incarnationis.

Conclusio. De fide est causam efficientem Incarnationis esse totam Trinitatem. Probatur quia de fide est omnia opera quæ Deus extra se producit esse communia toti Trinitati; atque pariter de fide est Incarnationem esse opus quod Deus extra se produxit. Joan. 3, v. 16 : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Galat. 4, v. 4 : *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere.* Hinc concilium Toletanum XI, in professione fidei : *Incarnationem Filii Dei*, inquit, *tota Trinitas operata esse credenda est, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis.* In re manifestâ et ab omnibus concessâ plura afferre testimonia superfluum foret.

Itaque maximè distinguenda est Incarnatio, seu unio hypostatica naturæ assumptæ cum Verbo divino, ab actione quâ ejusmodi humanitas producta et Verbo unita est. Actio productiva naturæ assumptæ, ejusque unitiva cum Verbo, ab omnipotenti voluntate Dei tribus personis communi profecta est; unio verò hypostatica solum Verbum formaliter respicit, quippe ad quod solum humanitas Christi in personæ unitatem conjungitur. Speciales igitur, quas in eo mysterio Filius divinus habet partes, non ad eum attinent instar principii efficientis, sed instar terminantis et ultimò complentis naturam humanam.

Cæterò advertendum, tùm in Scripturis Matth. 1, v. 20, Luc. 1, v. 35, tùm in traditione, opus Incarnationis speciali quâdam *appropriatione* Spiritui sancto attribui; quia nempe, cùm Spiritus sanctus à Patre et Filio per voluntatem seu per amorem procedat, idcircò specialiter ipsi adscribi solent opera misericordiæ et bonitatis, seu amoris Dei erga homines, inter quæ mysterium Incarnationis principem locum procul dubio obtinet.

CAPUT II.

De causâ meritoriâ Incarnationis.

Observandum est 1°, duplicis generis meritum à theologis distingui : aliud de condigno, aliud de congruo. Meritum de condigno illud definitur cui ex justitiâ debetur merces. Ad ipsum constituendum quatuor conditiones requiruntur : nempe, libertas et sanctitas in agente, dignitas præmio proportionata in opere, et promissio in remunerante. Homo justus operibus ex gratiâ elicitis hocce modo meretur vitam æternam. Quæ quidem uberiùs explicantur à theologis ubi de merito disserunt. Vide Bellarm. lib. 5 de Justific. Meritum de congruo illud est cui solum ex aliquâ decentiâ et benignitate præmium tribuitur. Fundatur illud in aliquâ relatione seu convenientiâ operis cum fine acquirendo. V. g., peccator qui auxilio divino ad gratiam conversionis perfectæ postulandam sibi concesso utitur, ejusmodi gratiam meretur de congruo; quædam enim in eo convenientia esse concipitur, ut Deus opus quod gratiâ suâ incœpit, eâdem gratiâ misericorditer compleat.

Meritum de congruo duplex est : aliud strictè sumptum, quod tunc adest cùm opus non modò aliquam habet cum fine convenientiam, sed etiam ex se, vel ex mente operantis ad illum rationem dicit, ut in exemplo proximè allato peccatoris conversionem suam deprecantis; aliud latè sumptum, quod totum in aliquâ convenientiâ positum est, ita ut opus nec de se nec ex operantis mente specialiter ad finem referatur.

Observandum 2°, Incarnationem spectari posse, vel in se, quatenùs videlicet est unio personalis naturæ humanæ cum Verbo, vel quantùm ad varias circumstantias temporis, originis, et ad diversa mysterii consectaria.

Jam verò quæstio movetur de Christo ipso, de veteribus Patriarchis, ac de beatâ Virgine, an scilicet aliquo modo Incarnationem meruerint, aut saltem aliquas ejus circumstantias vel appendices.

Conclusio I. Christus nullo modo meruit Incarnationem. Probatur 1°, quia juxta Scripturas Incarnatio fuit opus summæ misericordiæ et bonitatis divinæ, quod proinde humanitas Christi non meruit. Joan. 3, v. 16 : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Luc. 1, v. 78 : *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto.* Probatur 2° ex S. Augustino Enchiridii cap. 36 : « Hic (in Incarnatione), inquit, granditer et evidenter gratia Dei commendatur. Quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in unitatem personæ unici Filii Dei singulariter esset assumpta? Quæ bona voluntas? cujus boni propositi studium? Quæ bona opera præcesserunt quibus mereretur Christus homo, ut una fieret persona cum Deo? » Probatur 3°, quia vel ante vel post Incarnationem peractam Christus homo meruisset Incarnationem. 1° Non ante, siquidem natura humana Christi priùs tempore non extitit quàm uniretur Verbo, ut fides catholica docet. Vide dicta in præced. Dissert. cap. 3, art. 2. Præterea, etsi poni posset humanitatem Christi ante unionem suî cum Verbo extitisse, vel saltem priùs naturâ, quàm uniretur Verbo, potuisse aliquem ex gratiâ elicere actum quo sese ad suî assumptionem disposuisset, certè nemo non videt nullius puri hominis merita posse cum tantâ Divinitatis communicatione quanta per Incarnationem Verbi divini facta est, ullam habere proportionem. 2° Nec post Incarnationem peractam potuit Christus homo Incarnationem mereri. Idcircò enim tantùm Christus post Incarnationem dono ejusmodi promerendo par concipiretur, quia, peractâ Incarnatione, merita ejus, utpote Dei hominis, sunt meriti infiniti; atqui id non sufficit ut Christus Incarnatione peractâ eam mereri potuerit. Liquet enim, principium hujusce infiniti valoris meritorum Christi esse Incarnationem ipsam. Atqui, ut loquuntur scholæ, principium meriti non cadit sub meritum; aliàs res eadem esset simul prior et posterior merito, utpote ejus principium simul et effectus, proindeque esset simul prior et posterior seipsâ, quod repugnat; ergo, etc.

Conclusio II. Quædam, non omnia, Incarnationis

suæ consectaria Christus de condigno promeruit. Probatur. Meruit quædam ; namque beata immortalitas, nominis sui exaltatio, Ecclesiæ institutio, diffusio, sanctitas et perennitas, sacramentorum efficacia, gratiæ hominibus collatæ, etc., sunt totidem Incarnationis Verbi divini appendices; atqui illa Christus de condigno promuerit ; ergo, etc.

Non meruit omnia; nam inter varia Incarnationis consectaria, aliqua sunt hujusce mysterii necessariæ proprietates, ut, v. g., Christi impeccantia, necnon essentiæ divinæ intuitiva visio menti ipsius à primo ortu concessa. Horumce consectariorum necessariorum planum est, quod ad præsens institutum attinet, eamdem esse debere rationem ac ipsiusmet hypostaticæ unionis.

Conclusio III. Veteres Patriarchæ et Prophetæ de condigno Incarnationem non meruerunt, imò nec hujus mysterii circumstantias ; quas tamen de congruo meruisse dicendi sunt. Probatur 1° eos Incarnationem non meruisse de condigno. Nam sacræ Scripturæ, ut dictum est, soli benignitati et misericordiæ Dei, non merito hominum, Incarnationis opus adscribunt. Præterea principium meriti non cadit sub meritum; atqui Verbi Incarnatio fuit principium meriti totius generis humani ; ergo, etc. Denique meritum de condigno postulat ut dignitas operis præmio respondeat, tum ut intercesserit pactum et promissio ; atqui, cùm Incarnatio sit pretii summi, nullum opus bonum à Patriarchis aut Prophetis elicitum potuit esse dignitatis et ordinis ipsi correspondentis ; pariter aliquod pactum aut promissionem divinam eâ de re extitisse, temerè et stolidè fingeretur ; ergo. Probatur secunda pars, nempe eos non meruisse de condigno circumstantias Incarnationis, v. g., ut ex stirpe suâ et hoc potiùs quàm illo tempore Messias nasceretur ; nam ad meritum de condigno requiritur pactum et promissio operi meritorio anterior ; atqui nullum ejusmodi pacti aut promissionis ex parte Dei vestigium existit ; ergo.

Probatur tertia pars, nempe veteres Patriarchas et Prophetas quasdam ejusmodi circumstantias temporis et originis de congruo meruisse. Nam 1°, Abraham, Gen. 22, v. 18, obedientiâ suâ meruit sibi promitti futurum ut Christus secundùm carnem ab eo ortum duceret. *Benedicentur*, inquit Deus sanctum hunc Patriarcham alloquens, *in semine tuo omnes gentes, quia obedivisti voci meæ.* Psal. 131, v. 11, simile promissum fit Davidi. 2° Dicuntur Danielis 9, v. 23, accelerata Messiæ tempora propter illius Prophetæ desideria et preces ; et Lucæ 2, v. 26, sanctus senex Simeon perhibetur *responsum accepisse à Spiritu sancto non visurum se mortem nisi priùs videret Christum Domini.* 3° S. Thomas auctoritate suâ simul et momentorum suorum pondere idem confirmat : *Ex congruo, Incarnationem petendo et desiderando. Congruum enim erat ut Deus exaudiret eos qui ei obediebant.*

Conclusio IV. Beata Virgo nec Incarnationem, nec ejus circumstantias, nec maternitatem divinam de condigno meruit ; licet tamen de condigno meruerit eum gratiæ statum, quo posito in Dei matrem præ cæteris assumpta est. Imò ne quidem propriè et strictè loquendo de congruo maternitatem divinam meruit, sed tantùm latiùs loquendo ac minùs propriè.

Probatur prima pars, Virginem scilicet neque Incarnationem neque ejus circumstantias esse meritam de condigno, probatur, inquam, iisdem argumentis quibus Patriarchas illud idem non meruisse de condigno ostensum est ; par enim, quod ad hanc rem attinet, utrinque est ratio. Probatur secunda pars, nempe eam non meruisse de condigno ut mater Dei fieret. Duo enim ad id promerendum necessaria, ipsi defuerunt, nempe dignitas operis et promissio Dei. Defuit quidem operis dignitas ; nam, etsi Beatæ Virginis opera propter eximiam ejus sanctitatem fuerint excellentiâ singulari prædita, ejusdem tamen ordinis cum eminentissimâ matris Dei dignitate nequaquàm dici possunt. Defuit etiam promissio ; nam Deiparæ titulum sub quâvis conditione Beatæ Virgini à Deo fuisse promissum, nullo in loco legitur ; nec sanè, ut in Evangelio narratur, Angelo sibi tantum nuntiante mysterium, turbata fuisset, si ejusmodi promissionem accepisset.

Probatur tertia pars, quòd videlicet eum meruerit gratiæ eminentem statum, quo posito in Dei matrem electa est. 1° Ita docent sancti Patres. S. Basil. in homiliâ de Natali Domini ; S. Epiph. Hæresi 78 ; S. Ambrosius, lib. de Virginitate ; S. Hieronymus, Epist. 22 ; S. August. serm. 11 de Natali Christi, S. Bernardus, serm. 4 de Assumptione. 2° Id ipsum Ecclesia declarat, dùm ait in publicis precibus Beatam Virginem *dignum Filii Dei habitaculum effici meruisse.* 3° Dùm operabatur Beata Virgo, aderat in agente sanctitas, in ejus operibus dignitas augmento gratiæ conveniens et proportionata : aderat etiam libertas, et ex parte Dei promissio ; omnes igitur ad meritum de condigno requisitæ conditiones hîc deprehenduntur, proindeque, etc.

Probatur quarta pars, scilicet strictè et propriè loquendo Beatam Virginem de congruo non meruisse ut Deipara efficeretur. Enimverò, nec ex naturâ suâ, ut patet, nec ex mente Beatæ Virginis quæ ad tantam dignitatem utpote summè humilis non aspirabat, quæque, ut jam notavimus, ad præsentiam Angeli mysterium illud sibi annuntiantis turbata fuit, opera ejus ad maternitatem divinam ut ad finem iis obtinendum referebantur ; atqui tamen ad meritum de congruo propriè et strictè sumptum, necesse est ut opus ex naturâ suâ aut ex intentione agentis ad finem obtinendum referatur ; ergo, etc.

Probatur ultima pars, nimirùm Beatam Virginem latiùs ac minùs propriè loquendo meruisse in Dei matrem præ cæteris assumi, 1° ex Angeli verbis, Luc. 1, v. 28, 30 et 31 : *Ave, gratiâ plena ; Dominus tecum benedicta tu in mulieribus... Invenisti enim gratiam apud Deum ; ecce concipies in utero*, etc. ; 2° ex SS. Patribus laudatis supra, qui dùm aiunt Beatam Virginem eum meruisse statum quo posito in Dei matrem electa est, planè etiam significant eam præ cæteris dignam fuisse quæ ad tantum honoris cumulum evheretur. 3° Con-

gruum sanè fuit ut Virgo præcellenti sanctitate omnes longè superans, tantâ dignitate præ cæteris insigneretur.

CAPUT III.

De causâ finali Incarnationis.

Causa finalis seu finis alicujus rei id ipsum est ad quod illa res refertur. Finis ultimus Incarnationis est gloria Dei, cujus attributa, ut alibi dictum est, hoc mysterio mirum in modum exprimuntur. Finis *cui* sunt creaturæ intelligentes, præsertim verò homines quibus summa bona attulit Incarnatio. De fine proximo tùm operis tùm operantis duntaxat controversia esse potest. Quæritur autem 1° an ad liberandum hominem lapsum Incarnatio decreta et peracta fuerit; 2° an sola hominis lapsi liberatio primus et præcipuus fuerit ejusmodi Sacramenti finis, ita ut antecedenter ad Adami peccatum Incarnatio nec decreta nec peragenda fuerit; seu, quod eòdem recidit, utrùm vi illius decreti quo præsens rerum dispositio constituta est, Christus Dominus venisset, etiamsi non peccâsset Adamus. Circa primum erraverunt 1° Pelagiani, qui, cùm negarent peccatum originis, contendebant, quod consequens est, ad illud delendum Christum non venisse; imò non alium illi videntur agnovisse Incarnationis finem, quàm ut Christus exemplo suo, doctrinâ, miraculis homines erudiret, eosque ad salutem æternam consequendam redderet promptiores. 2° Abælardus, qui, referente S. Bernardo, *Epist.* 190, cap. 5, censuit *nec diabolum unquàm jus aliquod in homine habuisse... nec Filium Dei, ut hominem liberaret, carnem assumpsisse.* 3° Sociniani, qui peccatum originale cum Pelagianis negant, Christumque pro nobis verè Deo satisfecisse inficiantur, quorum errores Dissertatione sequenti latiùs prosequemur et refellemus.

Circa secundum, quod libertati scholæ totum reinquitur, observandum est 1° quæstionem illam dirimendam proponi ex Scripturis solis et ex traditione; hîc enim agitur de consilio Dei liberrimo quod nonnisi divinâ revelatione innotescere potest.

Observ. 2°, omnes fateri non solam hominum redemptionem fuisse Incarnationis finem; venit enim Christus ut esset dux, legislator et magister hominum, ut religionis caput existeret, ut rerum universitati præcipuum suum decus et ornamentum afferret, ut omnium creaturarum, ipsorumque Angelorum Dominus constitueretur. Decretane fuit propter ejusmodi causas Incarnatio quantùm ad substantiam, etiam antecedenter ad decretum de permittendo et reparando Adæ peccato? En quæstio. Dico quantùm ad substantiam; namque

Observ. 3° omnes theologos fateri Incarnationem spectatam quantùm ad modum quo peracta est, nempe quantùm ad corpus passibile et mortale quod Christus assumpsit, nonnisi consequenter ad generis humani à peccato liberandi consilium esse decretam. Quæstio proinde est de Incarnatione factâ in carne impassibili et immortali, aut saltem spectatâ in se et quantùm ad ea quibus necessariò constituitur, abstrahendo à statu passibili et mortali in quo Christus venit.

Observandum denique duas esse de hâc controversiâ theologorum opiniones. Multi aiunt Deum ante omnia statuisse Incarnationem Verbi faciendam eo meliori modo quo rerum universitati expediret, ac præsertim generis humani bono; ac proinde vi præsentis decreti Christum, etsi Adamus non peccâsset, fuisse venturum in carne impassibili tanquàm doctorem et rectorem hominum, religionis caput, etc.; posità verò Adami culpâ eum ad eluenda peccata carnem passibilem sumpsisse. Ita Scotus, in 3, dist. 3, q. 3, Frassenius, de Incarn. disput. 1, et alii Scotistæ, Alensis, 3 parte, q. 2, membro 13, Albertus Magnus in 3, dist. 7, Catharinus in opusc. de eximiâ Prædestinatione Christi, Suarez, de Incarn. disp. 5, sect. 5, Jacobus Naclantus in caput 1 Epist. ad Eph. Salasar ad versiculum 22 capitis 8 Proverbiorum, Isambertus, etc.

Multi etiam ex adverso sentiunt redemptionem generis humani eo sensu esse præcipuum et totalem Incarnationis finem, ut nonnisi præviso Adami peccato, ejusque reparandi suscepto consilio, Deus illud mysterium etiam quoad substantiam peragendum decreverit. Ita S. Thomas, cum plerisque Thomistis. Ita etiam Turnelius, quæstione 6, Witassius, quæstione 4, etc.

Conclusio I. De fide est Verbum ad redimendos homines reverà incarnatum fuisse.

Probatur 1° ex Scripturis. Isaiæ 61, v. 1 : *Dominus misit me ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam.* Matth. 9, v. 13 : *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Matth. 18, v 11, Luc. 19, v. 10 : *Venit Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat.* Joan. 3, v. 17 : *Non venit Filius hominis in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Epist. ad Galat. 4, v. 4 et 5 : *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret.* Tim. 1, v. 15 : *Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quòd Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Joan. 3, v. 8 : *In hoc apparuit Filius Dei ut dissolvat opera diaboli.* Probatur 2° ex Symbolo Nicæno : *Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cœlis, et incarnatus est*, etc.

Innumera alia in probationem afferri possent sive ex Scripturis, sive ex traditionis instrumentis deprompta, quorum plurima dissertatione sequenti capite 2°, ubi de veritate satisfactionis Christi, afferentur.

Conclusio II. Probabilius est decretam non fuisse Incarnationem nisi consequenter ad peccati prævisionem ejusque reparandi consilium, ac proinde Christum vi præsentis decreti venturum non fuisse, si Adamus non peccâsset.

Probatur 1° Scripturis, in quibus quatuor observare est. 1° Enim multis in locis sacræ paginæ affirmant Filium Dei fuisse missum, fuisse Incarnatum, venisse in mundum ut vocaret peccatores, ut salvum faceret quod perierat, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut peccatores salvos faceret, et opera Diaboli dissolveret. Hæc contingentur in textibus inter probandam

priorem conclusionem adductis. Non autem in ejusmodi testimoniis solùm dicitur Christum in carne passibili venisse ad redemptionem generis humani, et peccatorum salutem, sed simpliciter dicitur eum ad id venisse. 2° Etiamsi quædam Scripturæ loca adversarii proferant in suæ sententiæ defensionem, nullum tamen adducunt, in quo quidquam aliud quàm redemptio hominum, aut aliquid ad eam pertinens pro fine Incarnationis disertè assignetur. 3° Incarnationis opus immensæ Dei erga homines charitati et misericordiæ sæpè auctores sacri adscribunt. Joan. 3, v. 16 : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Primæ Joan. 4, v. 9 : *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* Ubi rursùs nulla carnis passibilis et mortalis mentio. 4° Quæ in gratiam adversæ sententiæ testimonia laudantur, hæc non difficulter cum sensu quem ex tot locis exprimere nobis videmur, poterunt conciliari, si duo attendantur : primum, non potuisse Christum venire ad homines redimendos et salvandos, quin ejusmodi fini alii plures annecterentur, seu ex eo consequerentur. Salvator enim et redemptor hominum, eis viam salutis verbo et exemplis ostendere, media vitæ æternæ capessendæ mereri et tribuere, ac religionem sanctam instituere debuit, proindeque ex eo quòd hæc et alia ejusmodi in Scripturis Christo adscribantur, perperàm colligeretur ad illa eum esse venturum etiamsi homines à peccato liberandi non fuissent. Alterum est, quemcumque ob finem decreta fuerit Incarnatio, attamen ex hoc mysterio multa fuisse necessariò nexa, quæ inter fines præcipuos et primarios propter quos hoc mysterium decretum est, præposterè recenserentur. Enimverò, in hypothesi quam tenemus, de Incarnatione ad solam generis humani redemptionem principaliter et primariò decretâ, quis non videt Christum ut hominem ob excellentiam suæ personæ, 1° debuisse constitui Angelorum caput omniumque creaturarum Dominum, cujus omnia essent, ipse autem esset Dei, seu ad quem omnia referrentur? juxta illud primæ Cor. 3, v. 22 : *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Quam tamen gloriam, nominis exaltationem et potestatem Christus homo, Philip. 2, v. 8, 9, 10, 11, *factus obediens..... usque ad mortem crucis*, sibi etiam promeruit. Quis non videt 2°, eumdem pariter ut hominem, spectandum esse ut *primogenitum omnis creaturæ, in quo constant universa*, et qui *est ante omnes*, Coloss. 1, v. 15? Qui enim habet naturam creatam, et simul est Filius Dei unigenitus, is ratione naturæ quam sibi hypostatico nexu conjunxit, omnia Dei opera adeò antecellit, ut etiam sub hoc respectu sit omnis creaturæ primogenitus et ante omnes creaturas. Nec vox *primogeniti* urgenda, siquidem in Scripturis non rarò accipitur ad excellentiam rei ad quam transfertur prædicandam. 3° Tandem, positâ sententiâ quam ut probabiliorem defendimus, in Christum hominem quadraret etiam illud Proverb. 8, v. 22 : *Dominus possedit me*, seu, ut 70 Seniores legunt, *creavit in initio viarum suarum ante-quàm quidquam faceret.* Ad id enim satis esset Deum hanc rerum dispositionem decernendo et condendo, maximè ad Christum respexisse, quem videbat illâ dispositione consequenter ad Adæ culpam et condignam sibi exhibendam satisfactionem, esse inclusum. Atqui positâ nostrâ sententiâ, Deus ad Christum hoc modo respexisset; ergo. Non me latet præcipua horumce testimoniorum, nempe versiculum 15 cap. 1 Epist. ad Coloss., necnon v. 22 cap. 8 Proverb., aliaque nonnulla loca similia quæ afferri potuissent, à multis intelligi de Christo ut Deo, seu de Verbo æterno, juxta quam interpretationem ii textus ad propositam quæstionem nihil attinerent. Verùm, cùm adversarii hos ad Christum ut hominem esse referendos contendant, atque ut id inprimis de versu 22 cap. 8 Proverb. comprobent, multas SS. Patrum auctoritates proferant, satiùs duximus annotare ejusmodi testimoniis, etiam de Christo ut homine acceptis, nostram opinionem non necessariò labefactari.

Probatur 2° ex sanctis Patribus. Laudantur eâ de re ex Græcis S. Irenæus lib. 5, cap. 4, Origenes, homil. 24 in Numeros; S. Athanasius, orat. 2, aliàs 1, contra Arianos; S. Greg. Naz. orat. 36; S. Basil. homiliâ adversùs Calumniatores S. Trinitatis, aliàs 29; S. Chrys. hom. 31 in Matth. n. 3; S. Cyrillus Alex. lib. 5 de Trinit.; ex Latinis verò Tertull. lib. de Carne Christi, cap. 14; S. Ambr. de Incarn. cap. 6; S. Augustinus multis in locis, præsertim sermone 174, aliàs 8, de Verbis Apostoli, serm. 175, aliàs 9, Enchiridii c. 108, et l. 1 de peccatorum Meritis et Remiss. cap. 26, 27 et 28; S. Leo Sermone 3 de Pentecoste; S. Fulgentius, de Incarnat. cap. 7; S. Greg. Magnus, in lib. 4 Regum cap. 1, et cæteri, quorum testimonia collecta habentur à Petavio lib. 2 de Incarnat. cap. 17, n. 8, 9, etc., et apud Thomass. lib. 2, cap. 5, necnon apud Turnel. Witass., etc. Unum aut alterum eorum hìc exscribere satis erit. S. Irenæus loco citato : *Si non haberet caro salvari*, inquit, *nequaquàm Verbum Dei caro factum fuisset;* adverte à S. doctore non dici, *caro passibilis*, sed *caro* simpliciter. S. Athanasius : *Illi* (Deo Verbo) *facto homini*, inquit, *antecedit hominum necessitas, sine quâ carnem minimè induisset.* S. Chrysostomus hæc Christi verba : *Non veni vocare justos, sed peccatores*, liberiùs ita explanat : *Tantùm abest, ut peccatores abominationi habeam, ut etiam propter illos tantùm advenerim.* S. Ambrosius : *Quæ erat causa Incarnationis, nisi ut caro quæ peccaverat, per se redimeretur?* S. Augustinus sermone 174 : *Si homo non periisset, Filius hominis non venisset.* Et sermone sequenti : *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere.* Clara hæc videntur, nec elucidatione indigent.

Probant tertio conclusionem nonnulli ex ratione; quia, inquiunt, decretum seu voluntas divina mittendi Filii fuit efficax, siquidem 1° effectum suum habuit; 2° illa voluntas fuit prædestinatio Christi; prædestinatio autem decretum sit efficax necesse est; atqui, pergunt illi, nulla citra Adæ peccatum fuit in Deo voluntas efficax mittendi Filii sui, seu Incarnationis Verbi;

nam illud decretum efficax vel ad carnem passibilem vel ad carnem impassibilem, vel ad carnem generatim abstrahendo à passibili aut impassibili spectâsset. Nullum horum dici potest. Nam 1°, non ad carnem passibilem, cùm fateantur adversarii nonnisi propter peccatum reparandum carnem passibilem à Christo fuisse assumptam. 2° Non ad carnem impassibilem, nam decretum efficax effectum suum infallibiliter consequitur, Christus autem non venit in carne impassibili. 3° Non ad carnem generatim, siquidem efficax voluntas ad aliquid speciale determinata est quod reipsà ejus vi est extiturum. Unde differt à voluntate antecedenti quæ à circumstantiis objectivè præscindit.

Hoc argumento non utimur, 1° quia inde sequeretur adversariorum sententiam in se contradictionem aliquam et veram repugnantiam involvere, adeò ut in eo instanti rationis seu ordinis qui prævisionem peccati Adæ præcessisse concipitur, Deus non potuisset ita statuere : Volo ut Filius divinus incarnetur eo meliori modo quo generi humano expedire poterit; vel : Volo ut hoc modo et eâ de causâ veniat si Adamus non peccet, istâ verò ratione si in peccatum primus homo incidat; atqui tamen ejusmodi decretum in hoc instanti virtuali repugnâsse nemo theologus dixerit. 2° Nonne vi præsentis decreti, secundùm Scripturas, multa, si Adamus non peccâsset, reipsà evenissent quæ, eo in peccatum lapso, non contigêre? V. g., nonn eâ in hypothesi immunis fuisset protoparens à miseriis hujus vitæ, à concupiscentiâ, à morte? nonne ejus posteri in justitiâ originali concepti fuissent? Decretum de Christo in carne impassibili venturo si Adamus non peccâsset, ejusdem fuit naturæ et conditionis ac decretum vi cujus hæc omnia in eâdem hypothesi extitissent. Ex Scripturis itaque et traditione hic argumentari liceat; rationi verò infirmæ sibi relictæ, ubi agitur de consiliis Dei liberrimis, nequidem permittatur conjectationibus indulgere. Cæterùm non pro certo, sed tantùm ut probabilius in conclusione posuimus Incarnationem citra Adæ peccatum non fuisse decretam; 1° quia, dùm in Scripturis assignatur redemptio ut motivum et finis Incarnationis peractæ, non idcircò disertè et conceptis verbis excluditur motivum aliud propter quod citra peccatum Adæ id mysterium quantùm ad substantiam peragi potuisset. 2° Quia, etsi laudati versiculi 22 cap. 8 Proverb., et 15 cap. 1 Epistolæ ad Colossenses, etc., possint intelligi de Christo ut Deo; imò, etiamsi de Christo ut homine accepti cum nostrâ sententiâ adhuc conciliari possint, ut vidimus, attamen duo dissimulanda non sunt : primum, multos è Patribus hæc loca, præsertim versiculum 22 cap. 8 Proverb. de Christo ut homine esse interpretatos; alterum, positâ ejusmodi interpretatione, eosdem textus de Incarnatione ante res omnes, ipsamque Adæ peccati permissionem, decretâ faciliùs et magis propriè explicari. 3° Quia non absona omninò est responsio quam adversarii ad laudata Patrum testimonia afferunt, hos nempe sanctos doctores locutos esse de Incarnatione prout peracta est, nihilque quod ad statum controversiæ in scholis ab ætate S. Thomæ et Scoti agitatæ pertineat, ab iis fuisse definitum.

Atque hæc de propositâ quæstione sufficiant. Plura apud auctores laudatos utrinque disputata legere est. Tanti nobis non videtur momenti illa controversia, ut in eâ expendendâ diutiùs immoremur.

Dissertatio viij.

E SATISFACTIONE CHRISTI.

In memoriam revocanda sunt quæ de satisfactionis notione, capite 5 Dissertationis V, jam observavimus, nempe 1° satisfactionem, prout à nobis accipitur, esse redditionem voluntariam honoris et reverentiæ ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam; 2° ubi redditio ejusmodi est ad æqualitatem, seu æquivalens debito, tunc satisfactionem esse condignam; 3° si præterea fiat ex propriis et ex aliàs indebitis, hanc esse perfectam et ad strictos apices juris. Jam verò tria hic in controversiam versantur : necessitas nimirùm, veritas et perfectio satisfactionis Christi, de quibus triplici capite disseremus.

CAPUT PRIMUM.

De necessitate satisfactionis Christi.

Quæstio non est 1° utrùm satisfactio Christi ad redimendum genus humanum ita necessaria fuerit, ut citra eam Deus, etiam de potentiâ absolutâ, homines liberare et salvare nequiverit. Hanc quæstionem jam solvimus supra, Dissert. V, cap. 4, ubi ostensum est Deum absolutè potuisse sine Incarnatione, ac proindè sine satisfactionibus Christi, peccatum dimittere. Non quæritur etiam utrùm in hypothesi quòd peccati puniendi, illiusque citra condignam satisfactionem non remittendi constans in Deo sit voluntas, simpliciter necesse fuerit ad homines redimendos Christum eorum loco satisfacere. Cùm enim pura creatura quibuslibet gratiæ donis ornata compensandæ ad æqualitatem injuriæ Deo per peccatum illatæ non modò in præsenti statu, sed etiam absolutè impar sit, ut supra loco mox citato docuimus, cùm insuper capite 3 hujus Dissertationis ostensuri simus Christum pro hominibus non solùm condignè, sed et juxta strictos juris apices satisfecisse; dicendum, quod consequens est, satisfactionem alicujus personæ divinæ, nempe Christi, in illâ hypothesi satisfactionis condignæ Deo exhibendæ, esse simpliciter necessariam. Præsens igitur controversia eò revolvitur, an reipsà hujusmodi hypothesis existat, seu an Deus hancce rerum dispositionem instituendo, peccatum punire, illudque citra condignam satisfactionem non condonare decreverit, adeò ut, propter illud decretum ab æterno positum, hominibus redimendis necessariæ fuerint satisfactiones Christi. Negant Sociniani tale decretum fuisse à Deo constitutum, rati sine ullâ satisfactione condignâ seu æquivalenti Deum velle peccata remittere quorum peccatorem pœnitet, ac proinde opus non fuisse ut Christus pro nobis faceret. Ita Socinus, lib. 1 de Ser-

vatore Christo, cap. 1, Smalzius contra Frantzium, Catechesis Racoviensis, Crellius, l. de Satisfactione Christi contra Grotium, Wolkelius, l. 5 de verâ Religione, cap. 22, etc. Contrà, omnes theologi statuunt in præsenti statu Christi satisfactiones hominibus salvandis fuisse necessarias, quia Deus peccata impunita et sine satisfactione sufficienti non dimittit, et aliundè, ut Dissert. V dictum est, satisfactioni sufficienti pro peccatis generis humani persolvendæ purus homo, saltem juxta præsentem rerum constitutionem, idoneus esse non potest.

Conclusio. Cùm Deus statuerit peccatum sine condignâ satisfactione non remittere, idcircò salvandis hominibus necessariæ fuerunt Christi satisfactiones. Probatur 1° argumento ex pluribus ad se invicem collatis Scripturæ sacræ locis justitiæ Dei severitatem et Christi satisfactiones spectantibus deducto. Etenim, si Deus non tantùm ut osor peccati et peccatoris, sed etiam ut severus secundùm certas justitiæ leges criminum ultor et vindex in Scripturis exhibeatur, et præterea in iisdem Christus significetur ad satisfaciendum pro peccatis nostris mortem oppetiisse, profectò fatendum erit Christi satisfactiones hominibus salvandis fuisse necessarias, quia Deus peccata sine condignâ satisfactione non remittere decrevit. Atqui 1° Deus ut osor peccati et peccatoris in sacris Litteris exhibetur. Levit. 26, v. 27 : *Sin autem nec..... audieritis me,.... ego incedam adversùs vos in furore contrario..... et abominabitur vos anima mea.* Psalm. 5, vers. 6 : *Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium. Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus.* Proverb. 3, v. 32 : *Abominatio Domini est omnis illusor.* Ibid. cap. 15, v. 9 : *Abominatio est Domino via impii.* Sapientiæ 14, v. 9 : *Similiter odio sunt Deo impius et impietas ejus.* Habacuc 1, v. 13 : *Mundi sunt oculi tui ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris.* Ex his et aliis benè multis Scripturarum testimoniis quæ afferri possent, satis superque liquet in iis Deum osorem criminum prædicari. 2° Juxta easdem est severus peccatorum ultor et vindex. Exodi 20, v. 5 : *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me.* Ibid. 34, v. 7 : *Nullus apud te per se innocens est;* hebraicè, *sontem impunè non dimittes.* Num. 14, v. 18 : *Nullum innoxium derelinquens.* Quæ sententia eumdem habens sensum cum præcedente, iisdem etiam vocibus in hebræo exprimitur. Deuter. 7, v. 10 : *Reddens odientibus se statim, ita ut disperdat eos, et ultra non differat, protinùs eis restituens quod merentur.* Psal. 17, v. 27 : *Cum electo electus eris, et cum perverso perverteris.* Psal. 93, v. 1 : *Deus ultionum Dominus.* Jeremiæ 51, v. 56 : *Fortis ultor Dominus reddens retribuet.* Nahum 1, v. 2 : *Deus æmulator et ulciscens Dominus; ulciscens Dominus et habens furorem;..... et mundans non faciet innocentem;* id est, ut supra, *sontem impunè non dimittet.* Rom. 1, v. 18 : *Revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in injustitiâ detinent.* 3° Deus ex sacris Litteris peccata punit juxta certas et fixas justitiæ regulas. Gen. 18, v. 25, Abraham sic Deum alloquitur : *Absit..... à te ut..... occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius; non est hoc tuum, qui judicas omnem terram; nequaquàm facies judicium hoc;* seu, ut in hebræis legitur : *Numquid judex universæ terræ non exerceret jus?* Rom. 3, v. 5 : *Si autem*, inquit Apostolus, *iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus? Numquid iniquus est Deus qui infert iram?..... Absit, alioquin quomodò Deus judicabit hunc mundum?* 2 Thessal. 1, v. 6 : *Justum est apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant.* 4° Quàm severus ultor criminum sit Deus, seu quàm severè ea puniat, patet ex pœnis ab ipso propter peccata secundùm Scripturas inflictis. Nempe ejusmodi pœnæ sunt mors tùm animæ tùm corporis, maledictio Dei et supplicia æterna.

Mors quidem animæ et maledictio Dei : Ezech. 18, v. 20 : *Anima quæ peccaverit ipsa morietur.* Deuter. 27, v. 26 : *Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus;* quæ sententia, etsi de solis Israelitis distinctè proferatur, ad omnes tamen legis à Deo profectæ ac proinde legis naturalis violatores perinde attinet; unde ab Apostolo, Gal. 3, v. 10, omnibus etiam gentilibus qui peccaverunt, accommodatur. Genes. cap. 6, in pœnam criminum generis humani diluvium generale decernitur. Capite autem 2, v. 17, hæc Adamo Deus verba facit : *In quâcumque enim die comederis de eo* (ligno scientiæ boni et mali), *morte morieris;* quibus non tantùm animæ mortem, sed etiam (quidquid contra obtendant Sociniani) corporis interitum significari manifestum est ex Sapient. cap. 2, v. 23 : *Deus creavit hominem inexterminabilem....; invidiâ enim diaboli mors introivit in orbem terrarum;* et ex Apostolo Rom. 5, v. 12 : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Ubi observa ab hâc interitûs corporei pœnâ, propter Adæ peccatum, ipsi, licet non contumaci, et omnibus ejus posteris ex Apostolo inflictâ, nullum Adami Filium, quidquid agat, eximi. Tandem supplicia æterna; Matth. 25, v. 41 : *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum qui paratus est Diabolo et Angelis ejus.* 2 Petri 2, v. 4 : *Deus Angelis peccantibus non pepercit; sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari.*

5° In sacris paginis Christus significatur ad satisfaciendum pro peccatis nostris mortem oppetiisse. Id ex professo demonstrabimus capite sequenti. Interim hæc loca proferam; Isaiæ 53, v. 5 : *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus. Posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrùm*, etc. Rom. 5, v. 10 : *Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus.* 1 Tim. 1, 5 : *Qui* (Christus) *dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Hæc magis explicabuntur, et innumera alia adjicientur capite sequenti.

Frustra reponit Crellius, de Deo, cap. 5, cum aliis

Socinianis, 1° Deum, Jerem. 18, v. 10, Ezech. 18, v. 21, et cap. 33, v. 11, culpæ et pœnæ condonationem peccatori resipiscenti esse pollicitum; 2° nullas in sacris litteris pœnarum comminationes absolutas peccatoribus intentari quamdiù in vivis sunt, sed tantùm conditionatas, si nempe contumaciter in peccatis suis perseverent; ut patet exemplis comminationum Isaiæ ad Ezechiam et Jonæ ad Ninivitas. Namque ad primum, fatemur condonationem peccatori resipiscenti, et ad Deum sese convertenti esse promissam, quanquàm tamen ipsi sæpiùs maneat pœna aliqua temporalis luenda, ut ex Davidis exemplo manifestum est. Sed de eo hìc necesse non est disputari. Quæstio autem est an ille peccator quem suorum delictorum verè et sincerè pœnitet, donum conversionis et veniam à Deo citra Christi satisfactiones obtineat; an verò nonnisi intuitu meritorum et satisfactionum Christi utrumque ipsi impertiatur. Prius Sociniani contendunt, rati se in eo ductum rationis sequi. Nos contra, rationum momenta quibus illi innituntur, caduca et nulla esse dicimus, ut inferiùs patebit; ex Scripturis verò manifestè ostendimus satisfactionibus ac morte Christi nos Deo reconciliatos fuisse, et à pœnis æternis quæ peccatis nostris debitæ erant, liberatos. Enim verò Christus mortuus est *pro nobis*, Rom. 5, v. 6, *ut nos reconciliaret*, ibid. v. 10; *ut nos justificaret*, ibidem; *ut nos redimeret*, Tit. 2, v. 14. Vide aliorum testimoniorum silvam cap. sequenti producendorum. Ad secundum, eadem est etiam responsio. Esto enim juxta præsentem rerum ordinem, nonnisi conditionatæ comminationes peccatori, quamdiù in terris degit, in Scripturis proponantur, inquirendum superest quâ de causâ ejusmodi minæ solùm conditionatæ sint. Volunt Sociniani id ex eo oriri quòd Deus nullam de peccato commisso satisfactionem exigat. Ex adverso Scripturæ tradunt innumeris in locis Deum, ad justitiam suam et misericordiam simul summâ ratione manifestandas, voluisse ut nulla peccatori spes conversionis et salutis affulgeret nisi in Christo, *qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*, 1 Tim. 2, v. 15; qui *semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo*, 1 Petri 3, v. 18; *quem Deus proposuit propitiationem... in sanguine ipsius... propter remissionem præcedentium delictorum*, Rom. 5, v. 25; qui ideò dicitur *Agnus occisus ab origine mundi*, Apocal. 13, v. 8. Idcircò igitur minæ horrendæ, quibus in peccatores Deus intonat, nonnisi conditionatè juxta Scripturas accipiendæ sunt, quia Christus, *in quo* (Eph. 1, v. 7) *habemus redemptionem per sanguinem ejus*, pro nobis satisfecit, illudque sanguinem suum offerendo *pro suâ reverentiâ* obtinuit, ut peccator, si gratiis ad resipiscendum sibi in hâc vitâ concessis benè uteretur, delictorum suorum condonationem et salutem consequeretur. Probatur 2° ex cap. 3 Epistolæ ad Galatas v. 13 et 14, ubi Apostolus significat homines à solo Christo redimi potuisse de maledicto legis, ut *benedictionem Abrahæ*, et *pollicitationem Spiritûs* per fidem reciperent. *Christus nos redemit*, inquit, *de maledicto legis, factus pro nobis maledictum; quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno; ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu, ut pollicitationem Spiritûs accipiamus per fidem.*

Probatur 3° ex capitibus 9 et 10 Epist. ad Hebræos. Nam ibi Apostolus docet sacrificia veteris legis et expiationes nonnisi umbras et imagines fuisse sacrificii et satisfactionis quæ Christus in arâ crucis obtulit; iis autem veteribus victimis significatum esse, sine sanguinis effusione Deum nolle peccata auferre et eorum relaxare pœnas; cùm verò impossibile esset sanguine taurorum et hircorum peccata deleri, ideò necesse fuisse ut Christus sese pro hominibus Deo reconciliandis morti objiceret. *Omnia penè sanguine secundùm legem mundantur*, inquit capit. 9, v. 22 et seqq., *et sine sanguinis effusione non fit remissio. Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium his mundari; ipsa autem cœlestia melioribus hostiis quàm istis... Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Et cap. 10, v. 4 et seqq.: *Impossibile enim est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. Ideò ingrediens mundum dicit: Hostiam, et oblationem noluisti; corpus autem aptàsti mihi; holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me: Ut faciam, Deus, voluntatem tuam*, etc.

CAPUT II.

De veritate satisfactionis Christi; an verè et propriè pro nobis satisfecerit.

Totius controversiæ quæ de satisfactione Christi cum Socinianis habetur, præcipuum istud est ac veluti unicum caput. Negant ii Christum pro nobis verè et propriè satisfecisse. Ne autem vocabulorum ambiguitatibus, quas in id argumenti, dialecticis suis captionibus induxerunt, quæstio implicata maneat,

Observandum 1°, agi de satisfactione propriè dictâ, quâ, pretii æquivalentis solutione, sponsor debitorem liberet, et contractum ab eo debitum extinguat; non verò de illâ satisfactione metaphoricâ et impropriè dictâ, quæ in adimplendis quibusdam conditionibus à superiore impositis, aut in impetrandâ gratuitâ debiti relaxatione solummodò consistit. Observandum 2°, posse aliquem duobus modis dici alterius servatorem: nempe aut consilio tantùm, adhortationibus et exemplo, qui modus valdè improprius est; vel insuper merito, opere et efficaciâ. Observandum 3°, duplici etiam ratione intelligi posse Christum Dei et hominum esse mediatorem, 1° quòd Dei mandatorum et benevolentiæ apud homines interpres fuerit, et advocatum agens apud Patrem pro nobis intercesserit, et etiamnùm intercedat; quo sensu omnis propheta, et verbi Dei administer potest appellari mediator; 2° quòd passionis et mortis suæ pretium in redemptionem et satisfactionem offerens homines Deo reconciliaverit. Observandum 4°, cùm Christus dicitur mortuus pro nobis, vel intelligi eum loco nostro verè subrogari voluisse, ut videlicet sacerdos simul et victima se ad iniquitates nostras expiandas cruentæ morti offerret; vel significari duntaxat ipsum alterius cujusdam utilitatis nostræ causâ, puta ut fortitudinis et patientiæ

exempla nobis daret, doctrinamque nobis salutarem confirmaret, mortem oppetiisse.

Ultrò concedunt Sociniani Christum pro nobis impropriè satisfecisse, id est, veniam delictorum nostrorum gratis obtinuisse, et voluntatem Dei circa ea quæ saluti nostræ prodesse poterant, fideliter esse executum. At propriè dictam satisfactionem ab eo ut à vade et sponsore nostro fuisse impensam, seu illum pro delicto quod peccando contraximus extinguendo, passionis et mortis suæ pretium in solutum contulisse inficiantur. Concedunt pariter Christum posse servatorem nostrum impropriè dici, eo sensu quòd salutis seu vitæ æternæ promissiones nobis aperuerit, eam consequentium felicissimum statum nos docuerit, iter ad illam conducens ostenderit, ad hanc viam tenendam adhortationibus, exemplisque suis homines impulerit et allexerit, atque demùm omnem suam doctrinam morte suâ consignaverit ac potissimùm confirmaverit. Sed eum prorsùs nolunt esse merito, opere et efficaciâ servatorem hominum, seu à pœnis quibus eramus obnoxii eum nos redemisse, nobisque justificationem et media salutis promeruisse. Nomen etiam mediatoris Christo attribuunt, sed eo tantùm sensu quòd apud Deum sit pro nobis intercessor, et apud homines divinæ voluntatis interpres, non verò quòd iram Dei placaverit, et inimicitias Deum inter et homines per peccatum inductas oblatione suî extinxerit. Demùm fatentur Christum pro nobis esse mortuum, id est, pro aliquo bono et commodo nostro, ut scilicet saluberrimam doctrinam quam prædicaverat, confirmaret, exempla patientiæ nobis daret, homines à terrenis avocaret. Non verò agnoscunt eum esse mortuum loco nostro, seu sese ad expianda peccata nostra in victimam piacularem Deo Patri obtulisse. Uno verbo, nihil Sociniani de Christo servatore, redemptore, mediatore, et pro nobis satisfaciente et moriente statuunt, quod eodem sensu multis aliis sanctis hominibus, puta Prophetis, Apostolis et Martyribus perfectè non congruat.

At verò contra omnium Christianorum indubitata est fides, Christum verè et propriè pro nobis satisfecisse, ac proinde 1° hunc vadem et sponsorem nostrum esse voluisse, ut satisfactionum suarum pretio et valore illud debitum expungeret, quod peccando contraxeramus, cuique extinguendo nobis relicti impares fuissemus; 2° eumdem esse servatorem et liberatorem nostrum non exemplo tantùm, consilio, aut præconio, sed redemptione, merito et efficaciâ; 3° ipsum ut Dei et hominum mediatorem sanguinis sui oblatione Numen iratum placâsse, ipsique hominem reconciliâsse; 4° eum passum et mortuum esse non solùm alicujus boni et commodi nobis conciliandi causâ, sed etiam loco nostro, adeò ut vices sacerdotis simul et victimæ sustinens, ad nos à morte æternâ eximendos et salvandos, sese neci cruentæ objecerit.

Conclusio. Christus verè et propriè, sensu explicato, pro nobis satisfecit. Probatur 1° ex Scripturis. Ille pro nobis verè et propriè satisfecit, qui 1° debitum quod homines peccando contraxerant, vas eorum et sponsor factus, passione et morte suâ solvit; 2° qui dato sanguinis sui pretio homines redemit et servavit, ac media salutis ipsis promeruit et acquisivit; 3° qui Dei et hominum eo sensu mediator est, quòd seipsum offerendo iram divinam placaverit, eosque Deo reconciliaverit; 4° qui sacerdos simul et victima se in expiationem criminum nostrorum morti libenter obtulit; atqui hæc præstitit Christus juxta Scripturas; ergo, etc. Major evidentissima est ex dictis; hæc enim præstare non potuit Christus quin Deo honorem redderet illatæ ipsi per peccatum injuriæ compensandæ idoneum. Minor propositio quatuor habet partes, quæ, etsi ita inter se connexæ sint, ut, unâ concessâ, aliæ non possint non concedi, sigillatim tamen tractandæ et comprobandæ sunt, ut veritas sub singulis suis respectibus inspecta ampliùs affulgeat. Itaque

1° *Christus juxta Scripturas vas et sponsor hominum factus, debitum quod peccando contraxerant, passione et morte suâ extinxit.* — Multa sunt testimonia quibus id adstruitur. Primum est Isaiæ cap. 53: *Verè*, inquit, v. 4 et seqq., *languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit; et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum à Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus.... Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrùm. Oblatus est quia ipse voluit.... Abscissus est de terrâ viventium; propter scelus populi mei percussi eum.... Eo quòd iniquitatem non fecerit, nec dolus fuerit in ore ejus, et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur... In scientiâ suâ justificabit ipse servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit. Ideò dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam.... et ipse peccata multorum tulit.*

Ex hoc insigni vaticinio, quod ad Christum attinere liquidò constat, ut alibi contra Judæos ostendimus, ipsique fatentur Sociniani, in hunc modum argui potest: Ille, ut vas et sponsor noster, debita seu pœnas quibus ob peccata eramus obnoxii solvit, qui cùm sit ab omni peccato immunis, iniquitates nostras in se à Deo conjectas, spontè expiandas suscepit, quique idcircò vulneratus est, attritus est, percussus et contritus à Deo, atque neci traditus, sicque nobis pacem, sanitatem, et sanctificationem conciliavit. Atqui 1° ex illâ Isaiæ Prophetiâ Christus fuit ab omni peccato immunis: *Eò quòd iniquitatem non fecerit*, inquit Propheta v. 9, *neque dolus fuerit in ore ejus.* 2° Iniquitates nostras in eum Deus conjecit; v. 6: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrùm.* Hebraicè, *conjecit in illum iniquitates omnium nostrùm.* 3° Eas expiandas spontè suscepit; v. 7: *Oblatus est quia ipse voluit.* 4° Propter iniquitates nostras in eo sic positas et à se libenter susceptas vulneratus est, attritus est, percussus à Deo et morti traditus; v. 5: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*; v. 8: *Abscissus est de terrâ viventium; propter scelus populi mei percussi eum*; v. 10.

Dominus voluit conterere eum in infirmitate; v. 11 : *Tradidit in mortem animam suam.... et ipse peccata multorum tulit.* 5° Vulneribus, doloribus, sui oblatione et morte nobis pacem, sanitatem, justificationem conciliavit; v. 5 : *Attritus est propter scelera nostra; disciplina* (hebraicè, castigatio seu pœna), *pacis nostræ* (id est, *reconciliationis nostræ* cum Deo, aut *immunitatis nostræ* à pœnis, ut ex subjectâ materiâ apparet, et sensus est, *castigatio seu pœna quâ liberamur et Deo reconciliamur*), *super eum, et livore ejus sanati sumus* (hebraicè, *livor ejus sanitas nobis fuit*); v. 10 : *Si posuerit pro peccato animam suam* (hebraicè, *si posuerit seipsum sacrificium pro delicto*), *videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur;* v. 11 : *In scientiâ suâ justificabit ipse servus meus multos;* v. 12 : *Dispertiam ei plurimos; et fortium dividet spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam.... et ipse peccata multorum tulit;* ergo, etc.

Potest et aliud argumentum efficax ex eo erui quòd Christus in textu allato dicatur languores et peccata nostra tulisse, dolores et iniquitates nostras portâsse. V. 4 : *Verè languores nostros ipse portavit* (græcè, *ipse peccata nostra fert et pro nobis affligitur*); *et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum à Deo,* etc.; v. 11 : *In scientiâ suâ justificabit ipse servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit;* v. 12 : *Tradidit in mortem animam suam...; ipse peccata multorum tulit.* Enimverò ille pœnas à nobis ob peccata nostra debitas passionibus et cruentâ suâ morte solvit, qui languores nostros et dolores iniquitatesque et peccata humiliationibus suis, vulneribus et morte juxta Scripturas tulit, portavit; is etenim secundùm Scripturæ usum dicitur peccata ferre qui pro iis pœnas dat, vide Levit. 5, v. 1, cap. 17, v. 16, cap. 19, v. 8, cap. 20, v. 17, 19, 20, et cap. 24, v. 15; Num. 9, v. 13, et cap. 14, v. 34; Ezech. 14, v. 10, cap. 18, v. 19 et 20, cap. 23, v. 49, et cap. 44, v. 12, etc. Atqui ex laudato Isaiæ textu Christus languores nostros et dolores, iniquitates et peccata tulit, portavit; ergo, etc.

Aiunt Sociniani versiculum 4 : *Verè languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit*, referendum esse ad miracula quibus Christus morbos plurimorum sanavit, interprete ipso S. Matthæo cap. 8, v. 16 et 17, qui illum Isaiæ locum sic reddit : *Ipse infirmitates nostras accepit, et ægrotationes nostras portavit;* præterea vocem hebræam נשא *nasa*, quam vulgatus interpres hoc versu 4 et versu 12 reddit verbo *tulit*, significare etiam idem quod *abstulit, condonavit;* vocem autem סבל *Sabal*, quam versibus 4 et 11 vertimus *portavit*, etiam ubi cum *peccato* conjungitur, non necessariò significare *pœnas peccati ferre, sustinere*, sed posse accipi de afflictionibus quâcumque occasione toleratis; quod Socinus, lib. 2 *de Satisfactione*, cap. 4, probare conatur hoc Jeremiæ loco Thren. 5, v. 7 : *Patres nostri peccaverunt et non sunt; et nos iniquitates eorum portavimus.* Hic, inquit, hebraicè legitur *Sabal*, nec tamen ulla potest intelligi pœnæ imputatio facta filiis. Addit porrò idem Socinus, ibidem, cap. 5, hebræa, ubi legimus v. 6 Isaiæ : *Posuit Dominus in eo*, vel *conjecit in illum iniquitates omnium nostrûm*, posse ita verti : *Deus occurrit per ipsum iniquitati omnium nostrûm.* Hæc præcipua sunt quæ de textu allato Isaiæ observant Sociniani, ex quibus colligere sibi videntur hunc explicari posse de doloribus et morte à Christo eâ tantùm de causâ toleratis, ut doctrinam suam confirmaret, justificationis et salutis viam peccatoribus ostenderet, etc.

Sed 1°, quæ præcedunt et sequuntur versiculum 4 capitis laudati, manifestum faciunt ibi agi de doloribus et pœnis ipsi Christo impositis, siquidem v. 3 appellatur *novissimus virorum, vir dolorum;* v. 5, dicitur *vulneratus propter iniquitates nostras, attritus propter scelera nostra.* Quid quòd ipso versu 4 exhibetur ut *percussus à Deo et humiliatus.* Hinc ex subjectâ materiâ, præsertim quia reliquo in capite exhibetur ut onustus peccatis nostris et propter illa in victimam oblatus, meritò hoc in versu 4 languores nostros cum 70 Viris intelligimus *peccata* seu peccatorum nostrorum pœnas. Nec repugnat S. Matthæus, dùm ejusmodi versiculum miraculis quibus morbos Christus abstulit, accommodat. Cùm enim morbi sint peccati appendices et inter ejus pœnas recenseri debeant, planum est Christum, iis verbis quibus immediatè et directè ab Isaiâ prædicitur pœnas quas pro peccato debebamus soluturus, iisdem etiam præsignificari nos à corporis infirmitatibus liberaturum; quod etsi maximè post corporum resurrectionem perfectè complendum sit, jam tamen olim miraculis quæ patravit, adimpleri cœptum est.

2° Omnibus hebraicè peritis exploratum et indubitatum est, verbum *Sabal*, quod in Vulgatâ nostrâ, v. 4 et 11, vertitur, *portavit*, nihil aliud unquàm significare quàm *bajulare, sustinere, onustum esse.* Certum est pariter verbum *Sabal*, v. 11, cap. 53 Isaiæ, quod exponimus, nomini *peccati* esse adjunctum. Legitur enim ibi vox עון *avon*, quæ nihil aliud est quàm *peccatum, iniquitas.* Certum est denique, illud idem verbum, ubi *peccato* adjungitur, idem esse Hebræis ac *ferre peccatorum pœnas.* Neque obstat locus Jeremiæ à Socino allatus; cùm enim constet ex cap. 20 Exod. v. 5, et ex multis aliis locis, ipsique fateantur Sociniani, Deum ob patrum delicta filiis eorum prævaricationes imitantibus pœnas imponere, atque ex versu 16 laudati capitis Jeremiæ manifestum sit eos de quibus objecto versu 7 sermo fit, patrum suorum crimina esse imitatos, sequitur tam ejusmodi locum de pœnæ imputatione quàm alium quemlibet intelligendum esse; ergo.

3° Quod ad verbum *nasa* attinet, etsi junctum *peccato* sæpè significet *pœnas peccati ferre*, ut videre est locis supra laudatis, attamen fatendum eo etiam non rarò significari *peccata auferre, condonare* (1). Quapropter, nonnisi ex adjunctis, nempe ex antecedentibus et consequentibus, et ex subjectâ materiâ cognosci

(1) Vide Gen. 50, v. 17; Exod. 10, v. 17; cap. 23, v. 21; cap. 32, v. 32; cap. 34, v. 7; Num. 14, v. 18; Jos. 24, v. 19; Reg. 15, v. 25; Job. 7, v. 21; Psal 32, v. 5; Psal. 85, v. 3; Mich. 7, v. 18, etc.

potest utrâ accipiatur significatione. Qui verò attenderit Christum toto illo capite Isaiæ de quo agimus, exhiberi ut vulneratum et attritum ob iniquitates nostras, ut onustum peccatis nostris, ut offerentem sese pro peccato in victimam, is facilè perspiciet verbum *nasa* priori significatione hîc accipi, id est, eo designari pœnas peccatorum nostrorum à Christo toleratas fuisse. Præterea ipso versu 4, quo de languoribus nostris agens Isaias, vocem *nasa* adhibet, in eodem ipso commate dolores nostros à Christo *portatos* ipse exprimit verbo *Sabal*, quod, ut diximus, nihil unquàm aliud quàm *bajulare* aut *esse onustum* sonat. Pariter, vocabulum *nasa* usurpatur quidem v. 12, ubi legimus : *Peccata multorum ipse tulit;* at versu 11, quo habemus : *Iniquitates multorum ipse portabit*, hebraicè est *Sabal*, etc.

4° Falsissimum est hebræa v. 6 posse reddi : *Deus occurrit per illum iniquitati omnium nostrûm.* Nam in hebræis habetur vox הפגיע *hiphgiiah* in conjugatione *hiphil*, quæ fatentibus omnibus non unicam, sed duplicem actionem significat, et proinde verbum illud propriè idem est ac *fecit occurrere*, metaphoricè verò idem ac *fecit deprecari*, aut etiam *deprecatus est*, quia deprecator suas preces quasi interponit. Jam verò hic averti nequit *deprecatus est*, siquidem Deus dici non potest deprecatus pro Christo. Neque etiam legi potest *fecit deprecari*, tum quia obstat ב *bo* quod sequitur et significat *in illum*, quid enim sonaret, *fecit deprecari in illum?* tum quia proximè antecedentia et consequentia ad perpessiones dolorum pro peccatis, non ad deprecationem attinent; ergo litteralis et genuinus hebræi hîc sensus est, *fecit occcurrere*, id est, *impegit, conjecit in illum iniquitates omnium nostrûm.*

Objicit Socinus loco citato, Levit. 16, v. 21 et 22, peccata dici imposita hirco expiatorio qui ea in vastam solitudinem deferret; atqui, inquit, hic hircus pœnas pro peccatis populi profectò non pertulit, præsertim cùm non interimeretur, licet, teste Apostolo Hebr. 9, v. 22, *sine sanguinis effusione non fieret remissio.* Nego minorem. Cùm enim pœnæ generali quâdam acceptione sumptæ in bestias etiam cadant, Genes. 8, v. 21, et cap. 9, v. 5, Exodi 21, v. 28, Levit. 20, v. 15, cùm præterea is fuerit sacrificiorum in expiationem institutorum finis et scopus, ut loco nocentium hominum, victimæ sufficerentur et interimerentur, quis non videt hircum expiatorium ideircò dictum fuisse peccata populi pertulisse, quòd pœnis à populo ob peccata debitis quasi onneraretur, et ejus vice in sacrificium offerretur? Tradunt Rabbini ejusmodi hircum è celsiori loco præcipitem ejectum fuisse, atque ita neci datum. Quidquid sit, manifestum est hunc in vastam solitudinem abigi non potuisse, quin morti certæ exponeretur. Cæterùm sacrificium illud, ut et alia veteris legis, teste Apostolo in Epistolâ ad Hebræos, ut inferiùs exponemus, totidem figuræ erant sanctæ et perfectæ illius oblationis, quâ Christus vas et sponsor noster victimam ad delicta nostra luenda sese sponte in arâ crucis obtulit.

Secundum testimonium legitur Matthæi 26, v. 28 : *Hic est sanguis meus novi Testamenti qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Unde sic in formâ : Ille pœnas pro peccatis debitas solvit, cujus sanguis pro multis effusus est in remissionem peccatorum; atqui ex loco allato sanguis Christi pro multis effusus est in remissionem peccatorum; ergo, etc.

Tertium testimonium desumitur ex cap. 5 Epist. 2 ad Corinth. v. 21 : *Eum* (Christum), *qui non noverat peccatum, pro nobis* (Deus) *peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso;* ex quo hoc argumentum cruitur : Ille debitum à nobis peccando contractum, vas et sponsor noster factus persolvit, quem Deus *pro nobis peccatum*, id est, juxta Scripturæ usum, victimam pro peccato *fecit*, ut justificationem consequeremur, seu *efficeremur justitia Dei in ipso.* Atqui Christum, *qui non noverat peccatum*, Deus ex allato textu *pro nobis peccatum fecit*, etc.; ergo.

Aiunt Sociniani Christum eò loci dici *factum esse pro nobis peccatum*, quòd sub peccatoris specie nostri causâ venerit, et ut peccatorhabitus sit.—Sed 1° ejusmodi metaphora longissimè petita, quâ Sociniani volunt Christum ob carnis peccatricis similitudinem ab Apostolo appellari *peccatum*, neque in Scripturis, neque apud auctorem quemlibet unquàm usurpata legitur. Contra verò figura est obvia et naturalis et in Scripturis usitata, Lêvit. 5, v. 6 et 7, etc., ut hostia pro peccato, seu peccatis alienis onusta, et iis expiandis destinata, *peccatum* nuncupetur; ergo. 2° Si Christus, eò quòd ut peccator habitus sit, diceretur loco allato factus peccatum, profectò, non à Deo, sed à Judæis factus peccatum dictus fuisset; atqui tamen, juxta Apostolum, non Judæi et impii homines, sed Deus ipse Christum, *qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit;* ergo, etc.

Quartum testimonium ex Epistolâ ad Galatas, 3, v. 13 : *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum; quia scriptum est : Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Hic Christus manifestè significatur à maledicto legis, id est, à pœnis contra legis transgressores decretis nos liberâsse, non sine satisfactione pro nobis exhibitâ, sed *factus pro nobis maledictum*, id est, pœnas sustinens debito nostro compensando pares. Præposterè igitur Sociniani hunc locum duntaxat explicant de cruce ad exemplum nobis præbendum et utilem doctrinam consignandam à Christo toleratâ. Non enim Apostolus hancce crucis utilitatem aut aliam ejusmodi solùm commemorat, sed agit de redemptione à maledicto in quod homines incurrerant, quam redemptionem Christus sese in cruce litando, operatus est, *factus pro nobis*, seu loco nostro *maledictum.* Et verò numquid martyres, qui in exemplum et utilitatem nostram crucibus affixi sunt, ideò prædicari possent nos redemisse de maledicto legis, facti pro nobis maledictum? quis Christianus patienter ferret ejusmodi præconiis hos efferri? ergo.

Quintum testimonium. Hebr. 7, v. 22, Apostolus ait *melioris testamenti sponsorem factum esse Jesum;* Christus igitur est sponsor noster; atqui, si una pars solvendo impar est, sponsor pro illâ solvit; ergo. Con-

sent Sociniani Christum idcircò tantum sponsorem nostrum dici, quòd novam legem instituerit tanquàm Dei interpres et legatus; at evidens est eodem sensu Christum laudato capite 7 ab Apostolo prædicari novi Testamenti sponsorem, quo ejusdem Epistolæ capite 9, v. 10, dicitur *novi Testamenti mediator*; atqui isto in loco novi Testamenti mediator dicitur, *ut morte intercedente in redemptionem earum prævarications, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis*; ergo, etc.

Sextum testimonium. 1 Petri 2, v. 24 : *Qui* (Christus) *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus; cujus livore sanati estis.* Ubi quæ Isaias cap. 53 supra laudato præsignaverat, hæc jam adimpleta S. Petrus rursùs iisdem ferè verbis exprimit, et pressiùs exponit; unde plura superiùs à nobis dicta de illo Isaiæ textu hùc facilè transferri possunt. Præterea verò sit istud argumentum : Ille tanquàm vas et sponsor noster debitum quod peccatis nostris contraximus, moriendo in cruce exsolvit, *qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus, et cujus livore sanati sumus.* Atqui Christus peccata nostra, etc.; ergo, etc. Minor propositio ipso sancti Petri testimonio continetur. Major autem facilis est probatu. 1° Enim quid illud sonat nos *livore* Christi in cruce mortui *esse sanatos*, nisi nos efficaciâ et virtute passionum et mortis ejus justificatos fuisse et à pœnis quæ iniquitatibus debentur liberatos? 2° Hæc verba : *Christus peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum ut peccatis mortui justitiæ vivamus*, possuntne alio sensu explicari quàm de doloribus quos Christus *in corpore suo* passus est, et de morte quam subiit ut justitiæ divinæ pro nobis satisfaceret? 3° Vel præclarum illud sancti Petri testimonium, vi et efficaciâ mortis Christi nos à peccatis sanatos, et à pœnis propter illa debitis solutos esse demonstrat, vel id unum eo exprimitur, ut Socinianis placet, Christum scilicet, cùm mortuus est, à Deo postulâsse ut gratis peccata condonaret, atque hominibus viam ostendisse quâ peccata sua delere possent; atqui meram gratuitæ condonationis impetrationem, aut doctrinæ salutiferæ confirmationem, vel patientiæ exempla, sanctus Petrus allatis verbis non designat. Quis enim sapienter dixerit intercessorem qui moriens veniam pro aliquo gratis et citra meritum mortis suæ impetrat, in corpore suo morte suâ perferre illius hominis delicta et livore suo illum sanare? quis meram viæ salutis ostensionem verbis ejusmodi solùm designari putaverit? Certè S. Stephanus, Act. 7, v. 59, pro suis persecutoribus quorum tunc S. Paulus unus erat, rogavit, iisque morte suâ exemplum fortitudinis dedit et viam salutis ostendit. Num idcircò is sanctus martyr à quoquam sapiente dicetur in corpore suo peccata Pauli martyrio pertulisse, ut Paulus peccatis mortuus justitiæ viveret? numquid livoribus Stephani Paulus sanatus prædicabitur? 4° Loco vocis *pertulit*, in græco habetur ἀνήνεγκεν, quod à composito ἀναφέρειν *sursùm ferre* oritur, et significat *sursùm tulit*. Ex quo colligere est ibi sanctum Petrum ad ritum oblationis victimarum quæ in arâ offerebantur respexisse; ut nempe disertè exprimeret Christum peccatis nostris onustum instar victimæ ad ea expianda in cruce oblatum et exaltatum fuisse. 5° Falsum est quod ut hujusce testimonii vim elevent, fingunt Sociniani, nempe ἀνήνεγκεν, reddi posse per *abstulit*. Inprimis enim repugnat adverbium ἄνω, quod *supra*, *sursùm* constanter significat, nunquàm præpositione à redditur. Deinde repugnat usus; quippe ἀναφέρειν pro *auferre* nemo græcus scriptor usurpavit. In novo Testamento illa vox idem est ac *sursùm ferre*, Luc. 17, 24, v. 51, vel idem ac *sursùm ducere*, Matth. 17, v. 1, Marc. 9, v. 2, adhibetur etiam de victimis, Hebr. 7, v. 27, et Jacobi 11, v. 22, quia scilicet victimæ in locum superiorem, nempe in altare afferebantur. Hinc ad Christum ipsum in cruce exaltatum, Hebr. 7, v. 27, et ad nos ipsos quatenùs laudis seu spiritualia sacrificia sumus, Hebr. 13, v. 15, et 1 Petr. 11, v. 24, applicatur et transfertur. Socinus lib. 2, cap. 6, contendit vocem hanc pro *auferre* usurpari Hebr. 9, v. 28, ubi Christus dicitur mortuus *ad multorum exhaurienda peccata*, Græcè ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας. Sed ibi expressa sententia significationem verbi ἀναφέρειν ab etymologiâ et ab usu adeò alienam nullo pacto exigit. Opponit Apostolus secundum Christi adventum priori, in eoque discrimen utriusque constituit, quòd Christus in secundo venturus sit χωρὶς ἁμαρτίας, *sine peccato*, seu peccatis non gravatus, dùm in primo venerat *ad multorum* ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας. Hoc posterius si vertas cum Socinianis *ad multorum auferenda peccata*, jam nulla erit oppositio seu antithesis; ergo græca de verbo ad verbum vertenda sunt, *ad multorum peccata sursùm ferenda super crucem*, ut apud S. Petrum, vel simpliciter *ad multorum peccata perferenda*, seu *ad pœnas peccatorum tolerandas*; siquidem ἀναφέρειν aliquando *perpeti* et *tolerare* apud profanos significat. Cæterùm, cùm Christus sese onustum peccatis nostris super crucem litando, ea reverà exhauserit, vituperanda non est versio Vulgata, quòd in eâ legatur, *ad multorum exhaurienda peccata*. 6° Cùm in textu allato S. Petrus de summâ Christi patientiâ quam in exemplum fidelibus proponit, solummodò disserat, patientia autem in ferendo et sustinendo, non in auferendo sita sit; sequitur vocem græcam de quâ disputamus, etsi absolutè posset sumi pro *auferre*, hâc tamen in laudato versiculo significatione non esse accipiendam. 7° Sed demus ibi legi posse Christum peccata nostra abstulisse seu delevisse in corpore suo super lignum, et livore suo nos sanâsse, numquid idcircò omni efficaciâ ad probandam nostram thesim destituetur ille locus? certè quidem qui in corpore seu per corpus suum et livoribus suis, moriendo in cruce aufert seu delet peccata aliena, is censendus est iis onustus fuisse, et pro iis pœnas exsolvisse; ergo, etc.

2° *Christus dato sanguinis sui pretio homines redemit et servavit, iisque salutis media promeruit et acquisivit.* — Christum dici sæpissimè in Scripturis sacris salvatorem hominum Sociniani non diffitentur; cum verò

hoc sensu servatorem et redemptorem esse, quòd seipsum offerendo et sanguinis sui persoluto pretio, nos à morte æternâ, cui propter peccata obnoxii eramus, redemerit et liberaverit, hæc testimonia evincunt. Matth. 20, v. 28 : *Filius hominis... venit dare animam suam redemptionem* (græcè λύτρον *pretium redemptionis*) *pro multis*. Idem legitur Marc. 10, v. 45. Joan. 6, v. 52 : *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ*. Act. 20, v. 28 : *Quam* (Ecclesiam) *acquisivit* (Christus) *sanguine suo*. Rom. 3, v. 24 : *Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem* (græcè διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως) *quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ejus ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentatione Dei, ad ostensionem justitiæ suæ*. 1 Cor. 6, v. 20 : *Empti estis pretio magno*. Galat. 2, v. 20 : *Dilexit me et tradidit semetipsum pro me*. Ephes. 1, v. 7 : *In quo habemus redemptionem* (græcè τὴν ἀπολυτρώσιν) *per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundùm divitias gratiæ ejus*. 1 ad Tim. 2, v. 6 : *Qui dedit redemptionem* (græcè ἀντίλυτρον *pretium redemptionis*) *semetipsum pro omnibus*. Ad Tit. 2, v. 13 et 14 : *Expectantes... adventum gloriæ... Salvatoris nostri Jesu Christi qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret* (græcè λυτρώσηται) *ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem*. Hebr. 9, v. 15 : *Novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem* (græcè ἀπολυτρώσιν) *earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis*. 1 Petri 1, v. 18 : *Non corruptibilibus auro aut argento redempti estis* (græcè ἐλυτρώθητε) *de vanâ vestrâ conversatione paternæ traditionis; sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati*.

Ex his testimoniis sic arguitur : Vel ejusmodi testimonia evincunt Christum esse salvatorem et redemptorem hominum, eo sensu quòd passione et morte suâ pœnas quibus eramus obnoxii persolverit, sicque justitiæ Dei satisfecerit, vel cum Socinianis tenendum est vocibus, *pretii, redemptionis*, etc., in his textibus nullam compensationem designari ; atqui voces *pretii dati, redemptionis*, etc., in ejusmodi textibus aliquam compensationem manifestè designant ; nempe significant Christum animam suam, vitam suam, seipsum, sanguinem suum obtulisse in compensationem pœnæ quam aliàs Deus peccatori inflicturus fuisset. Etenim, si hæ voces *pretium, redemptio, redimere*, etc., his in locis propriè accipiantur, fatentur ipsi Sociniani hunc esse ejusmodi testimoniorum sensum ; atqui propriè sumendæ sunt. 1° Quia voces græcæ quibus illæ respondent, et quas exhibuimus, vix propriè et metaphoricè accipi possunt. 2° Quia nulla in his textibus metaphora innuitur, imò tot modis sensus proprius in iis inculcatur, ut metaphoricas significationes hîc fingere nefas sit. Nam in iis dicitur Christum dedisse seipsum, animam seu vitam suam, carnem suam, sanguinem suum, pro nobis, in redemptionem nostri, in redemptionem nostrorum peccatorum, sicque eum nos acquisivisse, nos emisse, nos redemisse pretio magno, non corruptibilibus auro et argento, sed pretioso sanguine suo. Quis non videt omnes ejusmodi sententias esse totidem loquendi modos sensui proprio redemptionis inculcando, et metaphorico excludendo natos, proindeque, etc. 3° Quia subjecta materia sensum proprium redemptionis hîc exigit. Redemptio enim propriè definiri potest, impendium à redimente exhibitum, quo accepto liberator redemptum ab incommodo aliàs ipsi infligendo eximit. Cùm ergo Deus nobis propter peccatum esset iratus, ac pœnas de peccato commisso repetere in præsenti rerum ordine statuerit, ut probavimus capite 1 hujus dissertationis ; cùmque præterea humiliationibus, passioni et morti Christi, utpote Hominis-Dei, ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam et pœnas peccatis debitas expungendas, maximam inesse vim indubitatum sit, nonne proclive est, imò necesse, ut ibi toties et tot diversis modis legimus nos sanguine Christi esse redemptos, id intelligamus propriè, id est, de oblato pro nobis et impenso actionum ac præsertim mortis Christi valore cujus intuitu Deus nos à morte æternâ liberaverit, quam aliàs propter peccata nostra inflicturus nobis fuisset? 4° Quia hæc est Scripturæ explicandæ regula generalis ab ipsis Socinianis admissa, non recedendum à sensu proprio verborum, nisi ubi fides, aut mores, aut ratio evidens id postulant. Atqui 1° fides non postulat in locis adductis redemptionem sumi metaphoricè ; nulla sunt enim Scripturæ loca in quibus Deus vel minimùm innuatur citra omnem compensationem et satisfactionem sibi exhibitam velle condonare peccatum. Contra verò multa sunt quibus ut severissimus ultor et vindex criminum exhibetur. Vide quæ de eâ re diximus supra. 2° Morum regulæ pariter illud non exigunt ; imò id mysterii ad peccati fugam maximè confert. Si enim Deus adeò severus sit criminum vindex, ut citra satisfactiones Christi noluerit hominum peccata condonare, quis iram tanti judicis non reformidabit? quis sapiens à salutis viâ, quam nobis Christus ostendit, tenendâ refugere poterit? 3° Non ratio evidens ; hîc enim non agitur de rebus obviis quas ratione scrutari liceat, sed de mysterio altissimo, de viis Dei, teste Apostolo *investigabilibus*, de æternis ejus consiliis, de operibus ad supernaturalem ejus providentiam attinentibus, proindeque hîc habent locum quæcumque dissertatione 1 hujus tractatûs cap. 2, art. 3, contra methodum Socinianam demonstravimus. Præterea objectiones quas adversùs Christi satisfactionem Sociniani ex ratione depromunt, inferiùs afferemus, atque eas ab omni demonstrationum specie alienas esse ostendemus.

3° *Christus Dei et hominum eo sensu juxta Scripturas mediator est, quòd seipsum offerendo et sanguinis sui effusione iram divinam placaverit, eosque Deo reconciliaverit*. 1 Tim. 2, v. 5 et 6 : *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*. Hebr. 9, v. 15 : *Et ideò novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum quæ erant sub priori Testamento, re-*

sionem acciviant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis.

Hebr. 12, v. 24, fideles dicuntur *accessisse ad..... Testamenti novi mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem quàm Abel.* Ubi alludens Apostolus ad sanguinem victimarum, quo Exod. 24, v. 8, aspersus est populus, significat, ut harumce victimarum sanguine maculæ legales tollebantur, ita peccata nostra Christi sanguine fuisse expiata et extincta.

His in testimoniis Christus nos inter et Deum significatur fuisse mediator, quatenùs seipsum offerendo, morte suâ, sanguine suo nos redemit et peccata nostra extinxit et expiavit. Jam alia addenda sunt, in quibus, etsi Christus conceptis verbis *mediator* non appelletur, adhuc tamen clariùs dicitur nos morte suâ *Deo* reconciliàsse, iram Dei placâsse, et inimicitias peccato Deum inter et homines inductas extinxisse. Rom. 3, v. 24 : *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem* (græcè ἱλαστήριον, id est, pretium Numinis placandi causâ oblatum) *per fidem in sanguine ipsius; ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum.* Ibid. cap. 5, v. 10 : *Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus.* Ephes. 2, v. 13 : *Nunc autem in Christo Jesu, vos qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne suâ... ut... reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso... quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem.* Coloss. 1, v. 19 : *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive in cœlis sunt. Et vos cùm essetis aliquando alienati et inimici sensu in operibus malis; nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem.* 1 Joan. 2, v. 2 : *Et ipse est propitiatio* (græcè ἱλασμός, id est, *victima ad placandum Deum*, Num. 5, v. 8, et toto cap. 16 Levitici) *pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.*

Itaque cùm essemus à Deo abalienati ipsique inimici, Coloss. 1, v. 21, cùmque Deus propter peccata nostra, Rom. 1, v. 18, Ephes. 2, v. 3, Galat. 3, v. 19, et aliis in locis suprà laudatis, nobis esset infensus et iratus, Christus ab eo constitutus est illum inter et nos mediator, qui pœnas à nobis debitas in se susciperet, atque oblatione sanguinis sui inimicitias extingueret, nosque ipsi reconciliaret. Unde factum, sicut alibi jam notatum est, ut Deus condonando nobis delicta nostra, justitiam suam simul et misericordiam summâ ratione expresserit : misericordiam quidem, Filium suum unigenitum mediatorem nostrum et redemptorem constituendo; justitiam verò, ab eo repetendo satisfactionem cui impendendæ eramus impares; ergo, etc.

4° *Christus sacerdos simul et victima se in hostiam piacularem pro nobis, seu loco nostro, nec cruentæ objecit.* — Duo in idem ferè recidentia sigillatim hic probanda veniunt. Primum est, Christum eo sensu in Scripturis dici mortuum pro nobis quòd ad satisfaciendum Deo, loco nostro mortem oppetierit. Alterum est, eumdem pro nobis moriendo, sacerdotis simul et victimæ egisse vices, seseque in hostiam piacularem pro peccatis obtulisse. Quo rursùm conficitur eum loco nostro esse passum et mortuum.

Prius autem testimonia ista demonstrant. Matth. 26, v. 28 : *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Rom. 5, v. 25 : *Quem* (Christum) *proposuit Deus propitiationem... in sanguine ipsius... propter remissionem præcedentium delictorum.* Ibid. 5, versu 6 : *Vix pro justo quis moritur...; commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est.* Ibid. 8, v. 32 : *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* 1 Cor. 1, v. 13 : *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* 2 Cor. 5, v. 14 : *Unus pro omnibus mortuus est.* Gal. 3, v. 13 : *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*, moriendo nempe in arâ crucis. Eph. 1, v. 7, : *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus.* Coloss. 3, v. 13 : *Et vos, cùm mortui essetis in delictis... convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod adversùm nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* 1 Tim. 2, v. 15 : *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Hebr. 2, v. 9 : *Ut gratiâ Dei pro omnibus gustaret mortem.* Ibid. 9, v. 15 : *Et ideò novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis.* 1 Petri 3, v. 18 : *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo.* 1 Joan. 2, v. 2, dicitur *propitiatio pro peccatis... totius mundi*; et Apocal. 13, v. 8 : *Agnus qui occisus est ab origine mundi.*

His in testimoniis Christus dicitur 1° justus mortuus pro injustis, mortuus pro nobis qui eramus peccatores, et in remissionem peccatorum pro nobis à Patre neci traditus; dicitur 2° unus pro nobis mortuus, adeò ut alter pro nobis mortuus dici non possit; 3° dicitur factus cruce suâ pro nobis maledictum; 4° dicitur seipsum pro nobis redemptionem dedisse; 5° dicitur decretum mortis nobis contrarium delevisse, illudque de medio tulisse et cruci affixisse; 6° denique dicitur morte suâ intercessisse in redemptionem prævaricationum quæ erant sub priori Testamento, fuisse propitiatio pro peccatis totius mundi, atque idcircò nuncupatur Agnus occisus ab origine mundi. Atqui hæc evincunt Christum esse mortuum loco nostro, seu ut pœnas ab hominibus propter peccata sua debitas morte suâ lueret, et justitiæ divinæ satisfaceret. Enimvero 1°, in his locutionibus, Christus pro nobis qui eramus peccatores mortuus est, justus pro injustis, Pater ipsi non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, præpositio, *pro*, in græco fonte ὑπὲρ, substitutionem apertè significat. Fatendum quidem

voces ejusmodi aliquando ad causam finalem aut motivam exprimendam transferri, tuncque idem sonare ac *propter* (1); sed id solùm contingit ubi subjecta materia, aut quæ adjunguntur, omnes substitutionis ideam excludunt; ut, v. g., cùm Christus allato versiculo 18 capitis 3 Epist. primæ S. Petri dicitur *mortuus pro peccatis nostris*. Per se verò hæc vocabula juxta usum receptissimum, cùm de personis agitur, substitutioni plerumque exprimendæ nata sunt. Jam porrò materia subjecta et alia quæ adjiciuntur, non modò è locis de quibus quæstio est, substitutionem non excludunt; sed potiùs hanc in iis intelligi necessariò postulant. Et quidem subjecta materia; nam non tantùm agitur de personis in quibus subrogationi locus esse possit; sed agitur de peccatoribus pœnæ obnoxiis, Deo in eos irato reconciliandis, pro quibus Christus neci eorum criminibus expiandis sufficienti dicitur à Patre traditus; quis non videt his Christum exprimi subrogatum peccatorum loco, ut pœnas, quas aliàs tulissent, ferret ipse, ac injuriam per eos Deo illatam, *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, compensaret? Adjuncta autem idem etiam indicant; nam cùm S. Paulus ait *Patrem proprio Filio suo non pepercisse, sed pro nobis omnibus illum tradidisse;* nonne apertè ostendit Patrem divinum cum Christo Filio suo idcircò severè egisse, quòd peccatis nostris esset onustus, et propter eamdem causam eum morti pro nobis seu loco nostro, ut liberaremur, tradidisse, ergo. 2° Christus unus non esset mortuus pro nobis, si has voces *pro nobis*, interpretaremur tantùm *ad utilitatem nostram*, nempe ad præbendum nobis exemplum, ad confirmandam salutarem suam doctrinam, etc. Namque hoc sensu pro nobis Paulus crucifixus est, omnesque Apostoli et martyres mortui sunt. 3° Qui ita mortuus est pro nobis ut cruce suâ factus sit pro nobis maledictum, ut in remissionem peccatorum sanguinem suum fuderit, ut decretum mortis in nos latum abstulerit et cruci affixerit, ut seipsum redemptionem pro nobis dederit, numquid mortuus est solùm ad præbendum exemplum et doctrinam peccatoribus salubrem confirmandam? Nonne potiùs dicendus est, loco nostro, ut nostra delicta lueret et expiaret, nobisque veniam obtineret, mortem subiisse? ergo. 4° Christus morte suâ nobis quidem exemplum præbuit, ac doctrinam suam confirmavit, sed si eâ tantùm ratione mors ejus hominibus profuisset, nullo pacto potuisset morti ejus adscribi remissio *præcedentium delictorum quæ erant sub veteri Testamento*, nec propterea dici posset *propitiatio pro peccatis totius mundi*, neque *Agnus ab origine mundi occisus;* ergo non mortuus est tantùm pro nobis eo sensu quòd miranda virtutis exempla nobis dederit, et doctrinam suam confirmaverit; sed reverà, ut justitiæ divinæ loco nostro satisfaceret, necem cruentam tulit. Jam verò quod ad alterum attinet, nempe Christum spontè pro nobis mortem sustinuisse, sacerdotem et victimam moriendo egisse, Deoque in hostiam piacularem sese obtulisse; atque ex his rursùm confici eum, ut injuriam Deo per peccatum illatam compensaret, loco nostro esse mortuum; illud multis etiam Scripturæ locis manifestè adstruitur. 1° Spontè pro nobis mortem sustinuit. Isaiæ 53, v. 7 : *Oblatus est quia ipse voluit;* et versu 10 : *Si posuerit pro peccato animam suam.* Joan. 10, v. 15 et 18 : *Animam meam pono pro ovibus meis... Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso, et potestatem habeo ponendi eam.* Hebr. 9, v. 14 et alibi, dicitur *semetipsum obtulisse;* et cap. 10, v. 5, 6 et 7 : *Ingrediens* (Christus) *mundum dicit : Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptâsti mihi; holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi : Ecce venio... ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* 2° Sacerdotis et victimæ vices moriendo egit. Ephes. 5, v. 2 : *Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* Hebr. 5, v. 1, 5, 7, 9, 10 : *Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis... Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret... qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere à morte cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro suâ reverentiâ... et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi, causâ salutis æternæ, appellatus à Deo pontifex juxta ordinem Melchisedech.* Hîc Christo morienti munia sacerdotis et victimæ attribuuntur. Ibid. 7, v. 26 et 27 : *Talis enim decebat ut nobis esset pontifex... qui non habet necessitatem quotidiè, quemadmodùm sacerdotes, priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi. Hoc enim semel fecit seipsum offerendo.* Observa oblationem suî quam semel tantùm Christus perfecit, non posse accipi nisi de ejus oblatione in arâ crucis. Nam oblatio incruenta quâ sese Christus in cœlis litat, ad quam Sociniani hæc verba referre vellent, jugis est et perpetua ipsismet fatentibus. Ibid. 9, v. 24, 25, 26, 28 : *Non in manufacta sancta Jesus introivit, exemplaria verorum; sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis; neque ut sæpè offerat semetipsum, quemadmodùm pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno; alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi; nunc autem semel in consummatione seculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit... Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Hîc iterùm oblatio suî quâ Christus peccata nostra extinxit, semel tantùm facta prædicatur, et in ejus passione et morte constitisse significatur. Ibid. cap. 10, postquàm observavit S. Paulus vetera sacrificia fuisse eadem indesinenter oblata, quia erant *umbra futurorum bonorum*, nec poterat *accedentes perfectos facere*, seu mundare; quippe cùm *impossibile sit sanguine taurorum et hircorum auferri peccata*, continenter subjicit, v. 5 : *Ideò* (Christus) *ingrediens mundum dicit : Hostiam et oblationem noluisti; corpus autem aptâsti mihi; holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi : Ecce venio... ut faciam, Deus, voluntatem*

(1) Rom. 4, v. 15; Galat. 1, v. 4; Coloss. 1, v. 24; 1 Joan. 3, v. 16, etc.

tuam. Quæ interpretans Apostolus : *In quâ voluntate*, inquit v. 10, *sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel. Et omnis quidem sacerdos præsto est quotidiè ministrans, et easdem sæpè offerens hostias, quæ nunquàm possunt auferre peccata. Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dexterâ Dei... unâ enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos;* et v. 19, sic concludit : *Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi... accedamus cum vero corde in plenitudine fidei*, etc. Non poterat clariùs exprimi Christum sese obtulisse in victimam ut nos à peccatis liberaret, hancque oblationem ejus semel tantùm ab ipso peractam, in mactatione corporis ipsius, seu in sanguinis ejus effusione fuisse constitutam ; ergo, etc.

Unum duntaxat reponunt Sociniani, hæc videlicet testimonia, in quibus Christus sacerdos et pontifex dicitur, esse intelligenda tantùm de eo prout in cœlis existit. Quod probare conantur 1°, quia Hebr. 2, v. 17, 18, et cap. 4, v. 15, Christus dicitur tentatus, passus, etc., *ut misericors fieret et fidelis pontifex.* Ergo, inquiunt, factus non est pontifex nisi post passionem et mortem ; 2° quia Hebr. 8, v. 4, sic Apostolus loquitur : *Si ergo esset super terram* (Christus), *nec esset sacerdos.* Ergo, inquiunt, antequàm in cœlum ascenderet, sacerdos non fuit ; 3° quia allato vers. 26, cap. 7 Epist. ad Hebr. ita habetur : *Talis decebat, ut nobis esset pontifex..... excelsior cœlis factus ;* 4° quia Christus *sempiternum habet sacerdotium*, et sese in cœlis jugiter reverà Deo offert, *semper vivens ad interpellandum pro nobis*, Hebr. 7, v. 24 et 25. Verùm ista levissima sunt. Et ut à postremo incipiam, æternum quidem est sacerdotium Christi, ipse in cœlis sese indesinenter Patri offert, semperque vivit ad interpellandum pro nobis ; sed inde non sequitur eum pontificem non fuisse dùm in terris degeret. Contra ex locis allatis manifestissimè liquet eum unâ suî oblatione quæ in arâ crucis consummata est ; pro nobis satisfecisse, et pretium nobis redimendis et salvandis sufficiens contulisse, adeò ut jugi intercessione Christi in cœlis, sacrificium crucis non compleatur et perficiatur, sed tantùm fructus ejus applicetur.

Locis autem primo loco objectis non determinat Apostolus quandonam Christus pontifex esse cœperit, sed tantùm ejus dotes, passiones et tentationes memorat, ut nostram erga ipsum fiduciam excitet.

Non absimili ratione explicandum testimonium, quod tertio loco à Socinianis allatum fuit. Cùm enim Apostolus ait : *Talis decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens*, etc., *excelsior cœlis factus ;* docet quidem excelsiorem cœlis factum fuisse Christum pontificem, sed non ait eum tunc solùm cœpisse esse pontificem cùm excelsior cœlis factus est. Imò contra, versu sequenti perspicuè significat ipsum in terris fuisse sacerdotem, dùm scilicet expressè tradit ad delicta populi expianda satis fuisse ut *semel* offerret *seipsum.* Quo de sacrificio in arâ crucis oblato duntaxat intelligi posse jam observavimus.

Denique versiculus 4 capitis 8 Epist. ad Hebræos, nihil ad rem attinet. Ibi Apostolus significat sacerdotium Christi non esse simile Levitico quo figurabatur, sed eo longè esse excellentius, adeò ut 1° non in oblatione munerum secundùm legem repositum fuerit, sed in oblatione suîipsius, adeò ut 2° post oblationem suî in arâ crucis, *non in manufacta sancta Jesus introierit*, quemadmodùm sacerdotes Levitici generis qui mactatâ in atrio victimâ, sacrarium ingrediebantur pro populo intercessuri ; sed *in ipsum cœlum* quod sancta adumbrabant se receperit, *ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Verba sunt ipsius Apostoli in mysterii capite 9 Epist. ejusdem ad Hebr. v. 24 exponentis ; qui et ibidem, v. 25 et 26, aliud sacerdotii Christi à Levitico discrimen explicat, quo, ut jam observavimus, res planè conficitur : *Neque*, inquit, (necesse est) *ut sæpè offerat semetipsum, quemadmodùm pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno ; alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi ; nunc autem semel in consummatione seculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit..... Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* En igitur S. Pauli doctrina : Christus, non secundùm ordinem leviticum, sed secundùm ordinem Melchisedech in æternum sacerdos, cujus sacrificium et sacerdotium, sacrificiis et sacerdotio levitico adumbrata sunt, non opus habuit ut sese in victimam pro nobis sæpè offerret ; peccatis expiandis et placando numini suffecit unica tantæ hostiæ oblatio. Postquàm verò in arâ crucis velut in atrio sese mactavit Christus, non in manufacta sancta, sed in cœlum introire debuit, ut Deo sè sisteret, et vultui ejus pro nobis appareret. Proindeque ut dicitur loco objecto, *si esset super terram, non esset sacerdos ;* id est, nisi ascendisset in cœlum, non posset ipsi sacerdotium attribui ; non quòd in terris degens sacerdos non fuerit, sed quia, cùm non esset ex sacerdotibus *qui offerebant secundùm legem munera*, sed ad alterum ordinem longè præcellentiorem, seu potiùs unicum et supremum attineret, non decuisset eum in manufacta sancta pro nobis intercessurum introire ; sed in ipsum cœlum, post cruentam suî immolationem, redivivus ingredi debuit, ut munia pontificis exercere pergeret. Illud igitur firmum manet et inconcussum quod demonstravimus, nempe Christum sacerdotis et victimæ vices morti se objiciendo sustinuisse.

3° Christus moriendo se in hostiam piacularem obtulit. Id manifestum est ex locis modò allatis, in quibus Christus dicitur oblatio et hostia pro peccatis ; nam hostia piacularis ea est quæ pro peccatis expiandis offertur. Idem probant multa testimonia in quibus Christus cum piacularibus veteris Testamenti victimis confertur, in eoque ab iis differre significatur, quòd unâ suî oblatione et sanguinis sui virtute peccata deleverit et aboleverit ; vetera autem sacrificia haberent tantùm vim adumbrandi sacrificii veri à Christo offerendi, per se verò ad peccata auferenda nullam haberent efficaciam. *Umbram habens lex futurorum bonorum*, inquit Apostolus, Hebr. 10, v. 1... *per singulos annos eisdem ipsis hostiis quas offerunt indesinenter ; nunquàm*

potest accedentes perfectos facere... Impossibile est enim sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. Ideò ingrediens (Christus) *mundum dicit : Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptàsti mihi ; holocautomata pro peccato non tibi placuerunt ; tunc dixi : Ecce venio... ut faciam Deus voluntatem tuam..... in quâ voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel... Unâ enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Vide etiam cap. 9 ejusdem Epistolæ, v. 12, 14, 15, 22, 23. Præterea hùc recurrit jam allatus Isaiæ 53 versiculus 10 : *Si posuerit* (Christus) *pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Jam notavimus Hebræa ad litteram habere : *Si posuerit peccatum*, id est, *victimam pro peccato animam suam.* Denique Christus, Joan. 1, v. 29, dicitur *Agnus Dei... qui tollit peccatum mundi ;* 1 Petri 1, v. 18 *: Agnus immaculatus*, cujus *pretioso sanguine sumus redempti ;* Apocalyps. 5, v. 12 : *Agnus occisus ab origine mundi.* Ex quibus manifestum est, non idcircò tantùm nomine Agni Christum sæpè in Scripturis designari, quòd patientiâ, innocentiâ et humilitate maximè claruerit, sed etiam quia agni sub veteri lege in victimas piaculares pro peccato offerri sæpè soliti, sacrificii ab ipso in cruce offerendi totidem erant figuræ et imagines ; ergo.

4° Ex eo quòd Christus, sacerdos simul et victima, seipsum pro peccatis nostris in hostiam piacularem obtulerit, rursùm planè conficitur ipsum loco nostro esse mortuum ut Deo satisfaceret. Enimverò per se evidentissimum est, victimam Deo ita gratam, ut ejus oblatione et sanguine peccata nostra deleta et extincta fuerint, victimam, quâ Deo nobis antea irato reconciliati sumus, pœnis quæ à nobis propter crimina nostra repeti potuissent, supplevisse, atque injuriam quam supremo Numini peccando intuleramus, voluntariis suis humiliationibus et obedientiæ actibus compensâsse. Deinde victimæ quæ propter peccata expianda, et ad iram numinis placandam olim offerebantur, apud omnes gentes, præsertim verò juxta legem Mosaicam, spectabantur ut loco hominum reorum mactatæ. Hinc Levit. 17, v. 11 : *Anima carnis in sanguine est,* ait Deus, *et ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, et sanguis pro animæ piaculo sit.* Hinc antequàm sanguis victimæ pro peccatis oblatæ funderetur, nocentes super eam manus imponebant ; tum peccata sua supra caput ejus confitebantur, eamque diris deprecationibus prosequebantur et defigebant. Vide Levit. cap. 4, v. 4 et 15, cap. 16, v. 21, cap. 17, v. 11. Hinc denique victimæ piaculares dicuntur in Scripturis portâsse pœnam peccatis debitam, Levit. cap. 11, v. 22, imò et peccata, ibid. cap. 5, v. 6, 7, 15, etc., ergo ; etc.

Hactenùs ex Scripturis demonstravimus Christum pro nobis verè et propriè satisfecisse. Probatur 2° idipsum ex sanctis Patribus. Laudantur in hanc rem à Grotio ad calcem libri quem inscripsit : *Defensionem fidei catholicæ de veritate satisfactionis Christi adversùs Socinum*, multa sanctorum Patrum testimonia, nempè S. Irenæi, Tertulliani, Origenis, S. Cypriani, Lactantii, Eusebii Cæsariensis, Antonii eremitæ, Macharii Hierosolymitani, S. Athanasii, S. Hilarii, S. Optati Milev., Victoris Antioch., S. Cyrilli Hierosolym., S. Basilii, S. Gregorii utriusque, S. Ambrosii, S. Epiphanii, Andreæ Cæsariensis, Prudentii, S. Chrysostomi, S. Hieronymi, S. Augustini, S. Cyrilli Alexandrini, Theodoreti, S. Procli Constantinopolitani, S. Leonis, S. Gregorii Magni et aliorum plurimorum, quibus S. Justinum martyrem in Dialogo cum Triphone Judæo, et alios adhuc adjicere facilè potuisset, quorum testimonia exscribere nihil necesse habemus. Quippe hanc testium nubem sibi adversari Crellius in præfatione Responsionis suæ ad Grotium cæterique Sociniani non diffitentur. Sed eorum auctoritatem quibusdam tricis, atque aliquot ipsorum notando nævos conantur elevare ; ab iisque ad Christum et Apostolos provocare non dubitant. Verùm, præterquàm quòd veritas satisfactionis Christi disertis ejus et Apostolorum testimoniis adstruitur ; 1° nonne evidentissimè liquet doctrinam tanti momenti quam ab omni Ecclesiâ semper et ubique creditam fuisse tot testimonia evincunt ; quamque ad usque Socini tempora nemo etiam hæreticus impugnaverat, nonnisi à Christo ipso et ab Apostolis oriri et derivari potuisse ? 2° Cùm à tot omnium ætatum scriptoribus et doctoribus Ecclesiæ ad Christum et Apostolos Sociniani appellant, necessariò ponunt omnes Christianos vel ipso Ecclesiæ initio, in re tantâ et adeò gravi, à fide quam Christus et Apostoli tradiderant illicò defecisse, et in eâ defectione usque ad Socinum omnes constanter et unanimiter perseverâsse. Atqui, ne ejusmodi nota omnium ætatum Christianis inuratur, ratio et pietas perinde vetant ; ergo. 3° Universi Ecclesiæ doctores summo consensu dogma satisfactionis Christi singulis seculis non aliâ de causâ tradiderunt, nisi quia illud in verbo Dei judicârunt esse contentum. Quis autem interpretationem verborum Christi et Apostolorum à tot sanctis et doctis Patribus nobis transmissam, nuperis et contortis Socinianorum explicationibus facilè non anteposuerit ?

At, inquit Crellius, loco citato, Origenes censuit Christum, ut nos à captivitate diaboli liberaret, ipsi persolvisse pretium sanguinis sui ; quod etiam Ambrosius et Augustinus, duo Ecclesiæ latinæ lumina docuerunt, ut advertit Socinus ; atqui ab hâc doctrinâ nemo Christianus hodiè non abhorret ; ergo, etc. — Dist. Censuit Origenes Christum dæmoni persolvisse pretium sanguinis sui, id est, se permisisse à dæmone necari, seu sese tradidisse nocentium manibus, qui dæmone instigante eum occiderunt, concedo ; dæmoni persolvisse seu obtulisse pretium sanguinis sui, ipsique litâsse, nego. Etsi in pluribus erraverit Origenes, is tamen non fuit qui Christum diabolo litâsse, et sanguinis sui pretium obtulisse doceret, atque ab ejus doctrinâ hanc absurdam impietatem penitùs esse alienam patet tum ex iis quæ de falsorum deorum cultu adversùs gentiles passim tradit, tum etiam ex locis in quibus de Christo redemptore disserit. Vide Homiliam ejus tertiam in Levitic., Homiliam 4 in Numeros, et in Matth. cap. 16 tract. 2. Cùm igitur in Epistolam

ad Roman. docet à dæmone cujus cramus servi *poscitum esse pretium nostrum sanguinem Christi*, illudque à Christo fuisse persolutum, intelligendus est secundùm analogiam fidei eo sensu quòd à dæmone, id est, ab impiis dæmonis impulsu agentibus se Christus occidi permiserit, ut nos à captivitate liberaret. Tradunt etiam SS. Ambrosius et Augustinus eamdem doctrinam de nece Christo à Judæis dæmone impellente illatâ; quæ doctrina Scripturis planè consentit. Cæterùm ambo fidem satisfactionis Christi multis in locis disertissimè exprimunt, nusquàm vero duriora Origenis verba eâ de re adhibent. Addit Crellius tam licere Socinianis auctoritatem veterum de veritate satisfactionis Christi posthabere quàm Patribus Nicænis Filii consubstantialitatem definire licuit, etsi trium priorum seculorum doctores huic dogmati penitùs adversarentur. Sed fallitur Crellius dùm pro certo ponit Patres Ante-Nicænos æternitati et consubstantialitati Verbi divini repugnare; qui contra sacro huic dogmati manifestissimè suffragantur. De quo argumento consule eruditum Bullum, in Defensione fidei Nicænæ.

Probatur 3° rationibus theologicis. Prima est, Christum juxta Socinianos, etsi cæteris creaturis longè præstet, esse tamen puram creaturam, merum hominem, qui eatenùs tantùm morte suâ nos redemit et salvavit, quatenùs doctrinam salutarem, quam prædicârat, morte suâ confirmavit, nobisque eximiarum virtutum moriendo exempla præbuit. Atqui, si res ita se haberet, certè Prophetæ, Apostoli, martyres, qui pro fide tuendâ mortem oppetierunt, dicendi essent verè et propriè, id est, eodem sensu, licet non ita præcellenter, pro nobis redimendis, justificandis et salvandis, mortui. Quare igitur neque in veteri, neque in novo Testamento, neque apud ullos veteres, redemptio, justificatio, et salus nostra unquàm ejusmodi sanctorum morti attribuitur? Quare Apostolus expressè docet *unum pro omnibus mortuum* esse Christum, et neque Paulum, neque alium quemlibet pro fidelibus *crucifixum* esse? ergo.

Secunda est, Christum omnibus vitæ suæ mortalis actionibus mira virtutum exempla præbuisse eumdemque tum innumeris à se editis prodigiis, tum maximè resurrectione suâ, tum etiam Apostolorum suorum miraculis et felicì eorum prædicationis exitu doctrinam quam tradidit ampliùs confirmâsse fidemque ac spem nostram magis quàm morte suâ consolidâsse. Quæ quidem ejus mors si ad satisfaciendum pro nobis, et auxilia salutis nobis promerenda, impensa non fuisset, per se profectò ad salutem nostram non ita conduxisset, ut ipsi soli nostra salus in Scripturis perpetuò adscriberetur. Atqui tamen Scripturæ sacræ nos sanguine et morte Christi redemptos, mundatos et salvatos esse perpetuò inculcant; ergo, etc.

Frustra reponunt Sociniani (1): « Qui mortem subit et acerbissimam et maximè infamem, ejus doctrinæ causâ, quam nisi verissima esset, falsissimam esse planè sciret, nec ullam vacillantis animi aut sententiæ dat significationem, ubi maxima foret occasio, vel necessitas potiùs, is morte suâ doctrinam illam validè adstruit, eamque verissimam esse ostendit. At Christus illud præstitit; unde, » etc. Nam 1° ibi nihil dicitur de Christo quod proportione quâdam servatâ in Socinianorum sententiâ de pluribus Prophetis, Apostolis et martyribus, in odium fidei quam prædicabant interemptis, jure dici non debeat. Proindeque prior à nobis allata ratio theologica hâc responsione non infirmatur. 2° Libenter concedimus Christum, dùm inter homines conversatus est, ita se sapientem præbuisse, atque tantâ constantiâ et fortitudine passionem et mortem sustinuisse, ut inde non parùm roboris ad ejus confirmandam doctrinam accedat. Sed tamen ejusmodi argumento solitariè sumpto majorem ad veritates fidei christianæ persuadendas virtutem et efficaciam attribuere quàm miraculis Christi et Apostolorum, quàm præsertim ejus resurrectioni toties in testimonium Evangelii ab Apostolis allatæ; præterea, de ejusmodi ad probandum virtute quæ morti Christi inesse ponitur, velle Scripturas sanguini ejus in solidum, redemptionem, justificationem et salutem nostram adscribentes explicari; hæc sanè absonum planè paradoxum continent, quod Socini, Crellii et aliorum ejusmodi hominum subtilitas et captiones nemini prudenti et cordato unquàm in animum inducere poterunt.

Tertia ratio est, Socinianos, ut explicent quomodò morti Christi in Scripturis redemptio et salus nostra tanquàm effectus ejus annectatur, aliam afferre rationem quam specialiorem appellant, quæque ab eis inde derivatur quòd Christus, postquàm morte ut maleficus affectus est, tertiâ die resurrexit; « ut, inquiunt, exemplo esset omnibus eum imitantibus, fore ut similiter ex mortuis excitentur, et licet infame aliquod fortè et dirum mortis genus subeant, non tamen in morte relinquantur, et sic veram illam peccati pœnam à Deo decretam subeant, sed ab illâ liberati in cœlestia gaudia transferantur. » Atqui juxta hanc interpretationem, non morte Christi, quidquid Scripturæ tradant, sed ejus resurrectione dicendi essemus redempti, à peccatis nostris liberati et salvati. Non enim ex eo quòd mortuus sit Christus, sed ex eo quòd vitæ redditus fuerit, juxta hanc expositionem spes futuræ resurrectionis, nos ad pœnitentiam et Christi imitationem excitans, accenderetur et nutriretur. Mors Christi ad id conferret tantùm ut conditio, sine cujus interventu, resurrectio ejusdem contingere non potuisset. Frustra observant Sociniani mortem Christi fuisse opus arduum et difficile à Christo susceptum; non insolitum verò esse ut effectus operi ejusmodi arduo adscribatur, qui tamen ex eo nonnisi mediante aliquo alio ortum duxit. Nam neque ullum exemplum idoneum ejusmodi usûs, quod ad rem præsentem accommodari queat, proferre possunt; neque in exemplis quæ adducunt, effectus ita attribuitur causæ mediatæ ut nunquàm ad immediatam referatur. Hîc verò nos doloribus, sanguine et morte Christi esse redemptos, mundatos à peccatis, liberatos et salvatos, per-

(1) Crell. de Causis mortis Christi, t. 1 Op. fol. 617.

petuò Scripturæ inculcant, ne memoratâ quidem semel Christi resurrectione tanquàm ejusmodi effectuum causâ; ergo, etc.

Quarta ratio petitur ex eo quòd Christus pontifex fuerit seu sacerdos: *Omnis* autem *pontifex ex hominibus assumptus*, inquit Apostolus Hebr. 5, v. 1, *pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Ea igitur primum sacerdotis munium, ut sacrificium pro peccatis offerat. Juxta fidem catholicam, quam S. Paulus in eâdem Epistolâ sæpè exprimit, Christus hoc munere functus est, cùm seipsum in victimam pro hominibus nocentibus in arâ crucis obtulit. Atqui Christi sacerdotium Sociniani mutilant, dùm in eo duntaxat illud constituunt, quòd Christus intercedat pro nobis, et divinæ voluntatis internuntius sit, quæ ad Prophetam et ad sacerdotem impropriè dictum pertinent; ergo, etc.

Solvuntur objectiones. — Objiciunt 1° : Dogma satisfactionis Christi, prout à nobis explicatur in Scripturis sacris, non habetur expressum; neque enim voces satisfactionis, subrogationis et substitutionis in iis vel semel reperiuntur adhibitæ; ergo. — Nego antecedens, quippe innumeris sacrorum Codicum testimoniis illud dogma modò stabilitum est. Ad probationem, de vocibus hîc non agitur, sed de re ipsâ ejusmodi vocibus significatâ. Ecclesia sanè, tum ut doctrinam Scripturarum aliquo vocabulo commodiùs exprimeret, tum ut genuinum earum sensum contra contortas Novatorum interpretationes apertiùs declararet, potuit *satisfactionis* nomine, atque etiam vocibus *substitutionis et subrogationis*, citra omnem reprehensionem uti, modò res ipsa ejusmodi vocabulis designata, in sacris litteris contineretur. Ergo de hâc ipsâ re seu de ipso dogmate tota controversia esse debet. Atqui ejusmodi dogma seu mysterium non tantùm in Scripturâ exprimi, sed etiam sæpissimè inculcari ex allatis testimoniis et ex Socinianorum interpretationum refutatione, satis superque demonstratum est. Nec sanè à sensu eâ de re à nobis exposito, qui omnium Christianorum semper fuit, unquàm recessisset Socinus, nisi impiæ suæ methodo insistens hunc fidei nostræ articulum priùs ad superbæ rationis placita curiosiùs et temerè expendisset, illumque repugnare, nec proinde potuisse revelari apud se statuisset. Quo quidem eò audaciæ impulsus est, ut se ejusmodi dogmati negaverit assensurum, etiamsi disertis et conceptis verbis illud in Scripturâ declararetur. *Ego quidem*, inquit, parte 3 de Servat., cap. 2, *nec si ubique clarissimis verbis testatum reperirem, sic tamen rem se habere mihi compertum esset.*

Obj. 2° : Repugnat dogma satisfactionis Christi ex parte Dei. Nam Deus ex Scripturis gratis delicta condonat. Quod colligitur ex Matth 18, ubi in parabolâ debitoris hæc leguntur, v. 7 : *Dominus servi illius dimisit eum, et debitum dimisit ei;* et v. 32 : *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quia rogâsti me.* Colligitur insuper ex 2 Cor. 5, v. 19, ubi Deus dicitur *in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta illorum;* ex Colos. 2, v. 13, ubi exhibetur Deus *donans nobis omnia delicta;* et maximè ex Rom. 3, v. 24, ubi homines ab Apostolo dicuntur *justificati gratis per gratiam ipsius* (Dei scilicet). Atqui, si Christus verè et propriè pro nobis satisfecisset, Deus dici non posset delicta gratis condonare, nosque gratis justificare; ergo, etc. — Nego antecedens. Ad probat. nego min.; in hypothesi enim veræ satisfactionis à Christo pro nobis exhibitæ, multiplici titulo Deus dicendus est gratis nos justificare et gratis condonare peccatum. 1° Quia citra omne hominum meritum, quod nullum esse poterat, eis delicta condonavit, atque ipsos justificavit. 2° Quia ex gratuitâ benignitate summâque charitate et misericordiâ concessit hominibus medium quo pro eorum peccatis satisfieret, cùm nempe Filium suum unigenitum misit, seu incarnari voluit. *Sic Deus dilexit mundum*, inquit Christus ipse, Joan. 3, v. 16, *ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* 2° Quia, etsi Christus condignæ pro peccato satisfactioni exhibendæ par fuerit, attamen non tenebatur Deus ex justitiâ concedere, ut ipse loco hominis peccatoris substitueretur. Potuisset Deus exigere, ut ipsemet peccator pœnas debitas luerct. Agitur hîc de debito per offensam contracto, adeòque de debito personali. Ex merâ igitur misericordiâ Deus in compensationem injuriæ sibi per peccatum illatæ, et in solutum pœnarum à peccatoribus justitiæ divinæ debitarum, dignatus est Christi innocentis satisfactiones acceptare. Atque hinc Apostolus locis objectis, dùm peccata à Deo condonari, nosque ab ipso gratis justificari tradit, simul inculcare satagit hæc nobis concedi propter redemptionem quam Christus operatus est, seu intuitu oblationis et sacrificii sui ipsius, quod in cruce peregit. *Justificati gratis*, inquit Rom. 3, v. 24 et 25, *per gratiam ipsius* (Dei), *per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum.* 2 Cor. 5, v. 18, 19, 21 : *Nos* (Deus) *reconciliavit sibi per Christum... quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum... eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum* (id est, *victimam pro peccato*) *fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Coloss. 2, v. 13 et 14 : *Et vos, cùm mortui essetis in delictis...* (Deus) *convivificavit cum illo* (Christo), *donans nobis omnia delicta; delens quod adversùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* Ergo hæc duo simul facillimè consistunt, nempe Christum pro nobis verè satisfecisse, et tamen delicta à Deo verè condonari nosque vero sensu gratis justificari.

Instabis 1° : Si quis debeat centum nummos, et alter pro eo ejusmodi debitum solvat, creditor censeri non potest remisisse debitum; ergo, si Christus tanquàm vas et sponsor noster debita nostra expunxerit, Deus dici non potest gratis condonare peccata. — Nego consequentiam. Disparitas est 1° quòd Deus ex merâ misericordiâ suâ statuerit Christum venturum ut pro peccatis nostris satisfaceret, quâ ex parte condonatio

peccatorum et justificatio nostra est gratuita in primâ suâ origine et radice. Unde Apostolus, Rom. 5, v. 8 : *Commendat autem*, ait, *charitatem suam Deus in nobis; quoniam, cùm adhuc peccatores essemus secundùm tempus, Christus pro nobis mortuus est.* Et S. Joan. 1 Epist. cap. 4, v. 10 : *Ipse* (Deus) *prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Nihil autem huic misericorditer à Deo statutæ dispositioni simile occurrit in allato exemplo creditoris, qui pecuniam sibi ab aliquo debitam, ab altero recipiens, debitorem liberat. 2° Quòd alia sit ratio debiti personalis, alia debiti realis. In debito reali, ubi nimirùm agitur de rebus, attenditur æqualitas solius rei ad rem, nihilque refert utrùm debitor ipse, an verò alter pro eo debitum solvat. At, ubi agitur de debito personali, id est, personam ipsam afficiente, non sufficit ejusmodi æqualitas, tenetur præterea debitor per seipsum satisfacere, nisi jure suo creditor cedat. Cùm ergo injuriæ illatæ compensandæ debitum sit personale, seu personam offendentem spectet et afficiat, planum est Deum potuisse ab ipsis peccatoribus pœnas repetere, quarum debitum peccatis suis contraxerant, proindeque gratuitæ ejus misericordiæ adscribendum quòd eas in Christum conjicere voluerit, atque oblatas sibi ab eo satisfactiones pro nobis suscipere. 3° In debito reali persolvendo, de quo in antecedente argumenti objecti sermo fit, ad meritum personale reddentis nullo pacto attenditur. Ad redditionem verò debiti personalis maximè confert meritum personæ quo extinguitur, proindeque cùm Deus nobis condonaverit delicta nostra citra omne meritum nostrum proprium, adhuc eâ ratione dici debuimus gratis justificati, etiamsi per Christi redemptionem justitiam adepti simus.

Inst. 2° : Si *Deus prior dilexit nos*, atque ideircò *misit Filium suum*, ut habet S. Joannes loco mox laudato, ergo antecedenter ad missionem Filii, ac proinde antecedenter ad Christi mortem, peccata nostra nobis condonare voluit. Sed non potuit antecedenter ad mortem Christi velle nobis condonare peccata nostra, quin ea voluerit condonare citra satisfactiones à Christo moriente exhibitas; siquidem voluntas peccata propter Christi satisfactiones condonandi, necessariò ejus mortis determinationem supponeret; ergo, etc. — Dist. maj. : Ergo antecedenter ad Christi mortem peccata nobis condonare voluit, citra satisfactionem à nobis exhibitam, quippe cui impendendæ eramus impares, concedo; citra omnem veram et propriam satisfactionem à Christo pro nobis exhibendam, nego. Distingui similiter potest minor propositio, vel potiùs simpliciter negari. Itaque decretum quo Deus voluit *Filium suum unigenitum propitiationem pro peccatis nostris* mittere, ex summâ ejus erga nos charitate quâ *prior dilexit nos* ortum duxit. Nec sanè Deus illud potuit constituere, quin simul ex mero suo beneplacito nos, citra satisfactionem condignam à nobismetipsis exhibendam, utpote cui non eramus pares, veliet à peccatis liberare. Hæc fatemur tum ex Scripturis tum ex ratione esse evidentissima. At verò numquid ex his sequitur Deum, cùm illa decrevit, necessariò voluisse citra satisfactiones à Christo exhibendas nobis peccata condonare? minimè. Contendimus, et ex verbo Dei manifestè adstruimus, hoc fuisse Dei consilium, ut in negotio salutis nostræ peragendo, attributa sua, præsertim misericordiam et beneficentiam, simulque justitiam et sanctitatem mirum in modum exprimeret. Enimverò beneficentiæ et misericordiæ infinitæ characterem, præclarè viis suis impressisse concipitur, cùm *redemptionem facere plebis suæ*, ut Scriptura, Luc. 1, 68, loquitur, ex mero suo beneplacito instituit, dando scilicet hominibus peccatoribus Filium suum unigenitum qui in natu à à se assumptâ eorum sponsor, mediator, redemptor esset, et pro iis sacerdos et victima constitueretur. Suam verò justitiam et sanctitatem, seu odium peccati et amorem ordinis Deus pariter summâ ratione expressit et prodidit, cùm voluit ut unigenitus ille Filius suus pœnas à nobis debitas ut sponsor noster in naturâ assumptâ lueret, ut sanguinis sui effusione pretium liberationis nostræ solveret, ut ad compensandam injuriam Divinitati per peccatum illatam, sése humiliaret obediens factus usque ad mortem crucis, atque in victimam sese pro peccatoribus offerret; uno verbo ut peccata nostra perferret in corpore suo super lignum, sicque nos *justitiæ* redderet, *et livore suo nos sanaret*, Epist. 1 Petr. 2, v. 24. In mysterio igitur satisfactionum Christi frustra Sociniani *oppressi à gloriâ majestatis* quam curiosiùs *scrutantur*, repugnantias et contradictiones quærunt. Ab homine christiano, *rationabile obsequium fidei* præstante ibi nihil aliud deprehenditur quàm eventus mirabilis insigni Davidis oraculo Psal. 84, v. 11, eximiè respondens : *Misericordia et veritas obviaverunt sibi; justitia et pax oscultatæ sunt.*

Inst. 3° : Si ex Scripturis et ex ratione evidentissimum sit Deum nonnisi præ infinitâ erga nos misericordiâ et charitate decrevisse Filium suum pro peccatis nostris mittere *propitiationem*, sequitur eum non exegisse ut Christus peccatorum nostrorum pœnas ferret, ac loco nostro satisfaceret. Enimverò si ex infinitæ et charitatis motivo Christum misit, ergo antecedenter ad passionem et mortem ejus peccatoribus iratus et inimicus non erat, seu, donec Christus se neci pro nobis objiceret, non expectavit ut nobis iratus et inimicus esse desineret. Quomodò enim inimicitia et ira Dei in peccatores, cum tantâ erga eosdem charitate et benevolentiâ potuisset consistere? Atqui, si Christus antecedenter ad Christi passionem et mortem nobis iratus et inimicus esse desierat, consequens est Christum sanguine suo nos eo sensu non reconciliàsse, neque iras eâ ratione extinxisse ut verè pro nobis satisfecerit; ergo, etc. — Nego antecedens. Nodum in scirpo quærunt Sociniani. Quoquo modo Deus condonet delicta, id ejus bonitati et misericordiæ adscribendum est, quin etiam ubi ad justitiam et sanctitatem suam exprimendum, satisfactionem exigit, ipse dat media satisfaciendi. Itaque suam quidem Deus misericordiam expressisset, si nobis peccatoribus citra condignam satisfactionem pro nobis exhibitam delicta con-

donâsset. At verò eam quoque mirum in modum expressit, ubi, sicut fides docet, Filii sui meritis et satisfactionibus, nos injuriæ ipsi per peccatum illatæ aliàs compensandæ impares, salvos fieri et à peccatis liberari ex mero suo beneplacito instituit. Hos inter duos condonandi modos duplex tamen occurrit annotandum discrimen, quo posterior longè priorem antecellit et superat. Unum est, Deum dando Filium suum qui pro nobis satisfaceret, non solùm suam erga homines charitatem et misericordiam, sed etiam odium quo infinitè sanctus peccatum prosequitur, necnon justitiæ suæ severitatem præcellentissimâ ratione prodidisse. Alterum est, hâc eâdem Filii sui traditione, ipsum multò sublimiùs suam bonitatem et misericordiam expressisse, quàm nudâ et citra omnem satisfactionem condonatione eamdem prodere potuisset; ergo. Neque in his ulla repugnantiæ occurrit species. Etenim Deus, utpote circa hominum genus reparandum liber, nonne potuit in ejusmodi reparatione decernendâ conditiones æquas attributis suis declarandis idoneas quas voluerit apponere? Numquid alteri causæ quàm infinitæ ejus bonitati et misericordiæ illud attribui potest, quòd per Filium suum nos salvare decreverit, quòdque illum pro nobis in sponsorem et victimam miserit? Non quidem ex misericordiâ, sed ex justitiâ, Deus sibi satisfieri exegit; verùm nonnisi ex infinitâ misericordiâ Filium suum misit, qui satisfactiones quas pro nobis impendi justitia postulabat, exhiberet, sicque nobis gratiam et salutem afferret.

Ad probationem, distinguo sequel. majoris : Ergo antecedenter ad mortem Christi Deus non erat peccatoribus iratus et inimicus sub omni respectu, et ita ut omnia ipsis in gratiam redeundi media denegare vellet, concedo; non erat iis iratus et inimicus ut peccatoribus, et ita ut citra omnem satisfactionem iis vellet condonare et media salutis tribuere, nego. Peccatores spectari possunt, 1° ut peccatores; 2° ut homines à Deo creati, conversionis et gratiæ recipiendæ capaces. Peccatoribus Deus sub omni respectu nunquàm irascitur aut inimicus est, sed tantùm ut peccatoribus. Inimicitia enim Dei in ejus voluntatis aversione posita est. Idcircò autem à peccatore avertitur voluntas divina, quia hæc necessariò sancta est, seu ordinem immutabilem diligit, à quo peccator deviat et amovetur. Cùm ergo peccator ut homo, ut opus manuum Dei, ut gratiæ recipiendæ capax, non sit ab ordine devius, sed tantùm ut peccator, sequitur Deum ipsi esse inimicum duntaxat ut peccatori, non verò ut enti à se creato et conversionis capaci; pariter ira Dei, quæ cùm in nullâ commotione consistat, nihil aliud quàm puniendi consilium seu voluntas esse potest, ira Dei, inquam, non spectat peccatorem, nisi ut peccatorem, quia sub eo tantùm respectu peccator pœnam meretur. Si autem peccatoribus solùm ut peccatoribus iratus et inimicus sit Deus, planum est ipsum, ejusmodi irâ et inimicitiâ nondùm depositâ, posse iisdem sub alio respectu consideratis, nempe ut à se conditis et gratiæ recuperandæ capacibus, ex merâ misericordiâ et bonitate benevelle. Quod quidem ne ab ipsis negandum est Socinianis. Ii enim fatentur obstinatos et sine pœnitentiâ defunctos peccatores à Deo severè puniri in alterâ vitâ, hos verò puniri tantùm ut peccatores evidentissimum est, nam sub aliis respectibus nullam merentur pœnam; quid, quòd Deus iis ut hominibus conservat esse et facultates naturales. Imò ipsos à pœnis aliquando liberandos statuunt Sociniani? Ut certum igitur et ab ipsis Socinianis admittendum statui debet, Deum, dùm peccatoribus ut peccatoribus iratus est, ipsis ut creaturis suis posse præ misericordiâ benè velle.

Jam verò, hoc posito principio, nihil planè obstat quominùs Deus antecedenter ad Christi mortem constitutam dicatur hominibus ut peccatoribus inimicus fuisse, seu ab iis aversus, iisdemque iratus, id est, eorum puniendi peccata voluntatem gessisse; et simul tamen ipsis ut hominibus à se conditis et boni recipiendi capacibus voluisse præ infinitâ misericordiâ redemptorem et sponsorem parare qui pro iis satisfaceret, quique eatenùs inimicitias ejus extingueret et iram divinam placaret, quatenùs 1° in se ferret pœnas ab hominibus ob eorum peccata debitas; 2° honorem obedientiâ suâ aliisque actibus eximiis Deo offerret injuriæ per peccatum ipsi illatæ compensandæ parem; 3° hominibus mereretur media quorum usu merita sua et satisfactiones ipsis applicarentur, adeò ut justificationem ii consequi possent, benevolentiam divinam recuperarent, et hæreditatem Dei filiis constitutam possiderent, quæ quidem omnia Christus Dominus executus est.

Instabis ultimò : Statim atque Deus statuit redemptorem et sponsorem hominibus concedere, hoc ipso pœnas ob peccata debitas ab ipsis non vult repetere, nec proinde ipsis jam iratus est; ergo, etc. — Dist. ant., non vult ab ipsis repetere pœnas, sed à sponsore eas repetere statuit, concedo; nec ab ipsis, nec à sponsore, nego. Tamdiu Deus ob peccata iratus concipitur, quamdiù pœnas propter peccata debitas vult infligere, quas seu à peccatore, seu ab alio vice et nomine peccatoris, exigit tolerari. Atqui Deus, dùm ex infinitâ misericordiâ statuit dare hominibus sponsorem et redemptorem qui pro iis satisfaceret, voluit simul ab illo redemptore et sponsore pœnas peccatorum nostrorum ferri, ut innumeris Scripturæ sacræ locis et totâ traditione demonstravimus; ergo, etc.

Objicies 3° : Repugnat ex parte hominum, pro ipsis Christum verè et propriè satisfecisse. Nam ad id necesse fuisset 1°, ab ipso innumerabiles sufferri mortes. Tot enim ad satisfaciendum pro hominibus mortes debuisset Christus oppetere, quot fuêre et erunt homines propter peccata sua morti obnoxii; atqui innumerabiles ejusmodi fuêre et erunt homines; ergo, etc. 2° Necesse etiam fuisset pœnam æternam ab ipso tolerari; siquidem pati debuisset pœnam peccatis nostris debitam; atqui peccatis hominum debetur pœna æterna, ergo, etc. — Nego ant. Ad primam probationem, distinguo : Necesse fuisset à Christo innumerabiles mortes sufferri, nisi ejus unica innumeris compensandis suffecisset, concedo; si unica ejus mors innumeris compensandis suffecerit, imò præponderaverit, nego

Mors Christi fuit personæ infinitæ sese in victimam Deo, loco nostro, offerentis ad injuriam ipsi per peccata nostra illatam compensandum et pœnas à nobis debitas persolvendum. Cùm ergo in satisfactione et pœnarum voluntariâ solutione maximè habeatur ratio dignitatis personæ quæ satisfactionem exhibet, manifestum est necesse non fuisse Christum se multis objicere necibus, sed satis fuisse ipsum semel in victimam piacularem *offerri ad multorum exhaurienda peccata*, ut ait Apostolus, et *ad consummandum in sempiternum sanctificatos*, Hebr. 9, 28, 10, 14.

Ad secundam probationem, nego ant., et distinguo majorem syllogismi ad illud confirmandum adducti : Christus pati debuisset pœnam à nobis debitam vel alteram ipsi compensandæ parem, concedo; eamdem ipsam, nego. Satisfactio est rei æquivalentis redditio, non verò omninò ejusdem. Cùm ergo satisfactio à personâ infinitâ, qualis est Christus, exhibita, infiniti sit valoris, planum est mortem ipsius compensandæ pœnæ æternæ peccatis debitæ non modò suffecisse, sed et præponderâsse. Et verò quis non videt iis pœnis quas Deus à Christo Filio suo dilecto ut sponsore nostro repetit, justitiam ejus vindicativam, id est, quantas propter peccata nostra pœnas infligere possit longè significantiùs declarari, quàm idem divinum attributum æternò peccatoribus obstinatis et impœnitentibus illato supplicio manifestatur et exprimitur? atqui in genere satisfactionis illud procul dubio æquivalet, imò præponderat pœnæ æternæ, quod justitiam Dei vindicativam magis exprimit et declarat; ergo, etc.

Denique idcircò tantùm pœna æterna dicitur peccato mortali debita, quia cùm infinitum sit in genere offensæ, proindeque pœnâ infinitâ plectendum, peccator verò utpote ens finitum supplicio activitatis infinitæ subjici nequeat, superest ut pœna quæ ipsi infligitur, ratione durationis suæ sit infinita. Duratio igitur ejusmodi pœnarum infinita officere non potest quominùs Christi satisfactionibus, quæ valoris et pretii infiniti fuerunt, compensari potuerint. Adde quòd, etsi verum sit, ut deinde ostendetur, Christum æquivalenter, imò et superabundanter pro nobis satisfecisse, non tamen, ut jam observavimus, aliud quidquam eâ de re ad fidem catholicam pertinet, nisi satisfactionem pro nobis ab ipso exhibitam, eam fuisse quæ congruenter à Deo acceptaretur pro hominum peccatis, ita ut opera puri hominis quâlibet gratiâ ornati non fuissent satisfactioni ejusdem generis impendendæ idonea. Hoc unum ita discrtè exprimitur in verbo Dei seu scripto seu tradito, ut in eo omnes theologi catholici consentiant. Hoc unum sufficit, ut Deus, dùm ex summâ misericordiâ peccata condonavit, dicatur simul quàm maximè potuit, justitiam suam, sanctitatem et odium quod habet peccati expressisse. Quapropter, cùm de stabiliendo dogmate catholico hîc solùm agatur, frustra congererent Sociniani argumenta quibus intactâ ejusmodi satisfactionum Christi sufficientiâ, solùm concluderetur iis quasdam defuisse conditionibus ad perfectam undequàque satisfactionem requisitis.

Instabis : Si Christus pro nobis verè et propriè satisfecit, non opus est ut ipsi pro peccatis nostris satisfaciamus; atqui tamen tenemur satisfacere pro peccatis nostris; ergo, etc. — Dist. maj.: Et insuper voluerit non agentibus et cooperantibus valorem satisfactionum suarum applicari, concedo; si voluerit nonnisi agentibus et cooperantibus valorem illum applicari, subdistinguo : Non opus erit ut pro peccatis nostris satisfaciamus independenter à satisfactionibus Christi et ut eas compleamus, concedo; dependenter à satisfactionibus Christi et ut eas nobis applicemus, nego. Itaque eadem fides catholica quâ docemus Christum pro peccatis hominum verè et propriè satisfecisse, nos etiam docet ad percipiendum satisfactionum ejus fructum necessarios esse pios actus atque opera bona, fidem nimirùm, spem, charitatem, pœnitentiam, sacramentorum usum, etc. Nempe noluit Deus nos otiosos et sine actibus bonis salutem consequi posse. Neque ipsi perfectioni satisfactionum Christi id adversatur, siquidem 1° omnis efficacia sacramentorum, omnis benè operandi virtus nobis concessa, omnis satisfactionum nostrarum valor et meritum, ex satisfactionibus et meritis Christi Domini derivatur. 2° His opus habemus, non quidem ut quidquam perfectionis et complementi satisfactioni Christi adjiciamus, sed ut eam nobis applicemus, adeò ut quidquid in nostris satisfactionibus boni esse potest, in Christi satisfactione fundetur, eâque compleatur et perficiatur, seu potiùs ex eâ omnem suam vim habeat et desumat. Sed de hoc argumento theologi ex professo, ubi de necessitate bonorum operum, de sacramentis, et de Pœnitentiâ.

Obj. 4° : Repugnat dogma satisfactionis ex parte Christi; nam iniquum est innocentem et justum loco peccatoris et rei pœnas dare ; atqui Christus summè justus et innocens pro nobis peccatoribus pœnas dedisset, si verè et propriè satisfecisset loco nostro; ergo, etc. — Nego ant.; ad probationem, distinguo : Injustum est innocentem pro nocente pœnas dare, si legitimè, id est, secundùm auctoritatis legitimæ præscripta, et lubens constitutus non sit ejus sponsor, concedo; si legitimè et lubens constitutus est nocentis sponsor, nego. Christus lubens et volens, atque ipsius met Dei auctoritate ac proinde legitimè constitutus fuit juxta Scripturas, vas et sponsor noster, cui loco nostro satisfactionem exhiberet, cui impendendæ eramus impares. *Posuit*, inquit Isaias cap. 53, v. 6, *Dominus in eo iniquitatem omnium nostrùm; oblatus est, quia ipse voluit.* Porrò tantùm abest ut injustum sit sponsorem legitimè constitutum, loco debitoris solvendo imparis satisfacere, ut potiùs id ipsum omnia jura præscribant; ergo, etc. Et verò fateri coguntur ipsi Sociniani præceptum cruentæ mortis oppetendæ Christo fuisse à Deo impositum, tum ut nobis exemplo esset et doctrinam salubrem quam prædicârat, firmaret, tum maximè, inquiunt, ut interveniente hâc conditione Christus potestatem illam supremam à quâ, ut putant, remissio peccatorum nostrorum pendet, adipisci debuerit. Atqui, si ad utilitatem nostram, et ut possemus peccatorum remissionem consequi, Deus

ejusmodi conditionem, nempe patiendi et moriendi præceptum, Christo innocenti et justissimo potuerit præscribere, quidni pariter nostri causâ, et ut nobis parcendo justitiam suam, ut par erat, exprimeret, quidni, inquam, potuit Christum sponsorem nostrum constituere, qui lubens et volens pro nobis satisfaceret, sicque sibi gloriam immensam, nobisque reconciliationem et salutem compararet? Ubi observa causas mortis Christi, quas Sociniani asserunt à nobis non negari, nisi quòd gloriam et potestatem quam morte suâ consecutus est, alio modo secundùm Scripturas, explicemus. Hanc verò ejusdem mortis assignamus alteram causam, nempe necessitatem Dei justitiæ pro nobis satisfaciendi, ejusque iram placandi, sicque justitiam et sanctitatem divinam ostendendi et prodendi. Opus porrò quod Deus ex adversariis ob unam aliquam causam injungere potuit, quidni et propter alteram quoque causam potuisset injungere?

Instabis 1° : Injustum est innocentem in causâ capitali, seu quæ in crimine consistit, fieri sponsorem nocentis, et ejus loco pœnas dare. Quòcirca illud omni jure divino et humano prohibitum est. — Dist. ant.: Injustum est innocentem in causâ capitali fieri sponsorem nocentis et ejus loco pœnas dare, ubi tria, ut vulgò fit, non concurrunt, nempe si vel ipse non consentiat, vel ei desit potestas, vel detrimentum reipublicæ aut ipsius sponsoris sequatur, concedo; ubi tria concurrunt, nempe ubi innocens pro reo sponsor esse consentit, ipsi sese ejus loco substituendi fit potestas, magnumque tum ipsius, tum etiam reipublicæ sequitur commodum, nego. Fatemur itaque, non tantùm jure divino et humano, sed etiam jure naturali esse vetitum triplici in casu, ne nocens, ubi agitur de causâ quæ in crimine consistit, fiat innocentis sponsor et pro eo pœnas det : nimirùm 1° si ejusmodi subrogationi suî in locum sontis ipse non consentiat; 2° si sese alterius vice hoc modo substituendi facultatem ab auctoritate legitimâ non habeat, puta à Deo vitæ et necis supremo arbitro, vel etiam à republicâ, quæ licet ejusmodi subrogationes lege divinâ non prohiberentur, posset tamen eas, ubi sibi noxiæ forent, proscribere et vetare; 3° si sequantur incommoda, quæ summa profectò forent ubicumque ejusmodi substitutiones solerent usurpari. Earum quippe usu bonis civibus destitueretur respublica, dùm noxii et improbi servarentur; deinde istorum in criminibus patrandis augeretur audacia et furor, consuetudine ejusmodi majorem pœnæ scelerum vitandæ spem animis instillante.

Fatendum præterea, ubi de pœnâ capitis agitur, nullum fortè, citra miraculum, in præsenti rerum dispositione occurrere posse casum, in quo innocentis loco rei substitutio licitè fieri possit; sæpissimè enim deerit consensus, semper potestas, et sequerentur gravissima sponsoris et reipublicæ incommoda. Quapropter jure divino et humano subrogationes ejusmodi meritò prohibitæ sunt. Quid quòd etiam ubi pœna criminis esset minor capitis supplicio, rari ob similes rationes reperiri possunt in isto rerum ordine casus, in quibus substitutio de quâ agimus per se esset justa, seu jure naturali non vetaretur? Quidquid verò sit, illud pro certo et manifesto tenendum est, ubi quoquo modo, id est, seu naturaliter, seu miraculosè concurrerent istæ conditiones, liber nimirùm sponsoris consensus, potestas ipsi legitimè facta, necnon ejus et reipublicæ summa utilitas, tunc innocentis in sontis locum substitutionem, non modò futuram de se et jure naturali licitam, sed insuper laudandam et jure divino et humano permittendam. Rem explico exemplo : Ponamus quemdam civem, cujus opera reipublicæ sit utilissima et necessaria, in grave quoddam crimen exilio plectendum incidisse. Facinus verò tale sit, ut nisi hâc pœnâ secundùm leges puniretur, valdè metuendum esset ne pravum illud exemplum alios in perniciem traheret. Ponamus etiam civem alterum, patriæ non ita utilem, sed criminis expertem, et publicæ utilitatis studio accensum, necessitati simul et satisfactioni reipublicæ consulendi causâ, sese ad pœnam exilii loco alterius luendam offerre, atque ejusmodi ipsius obsequium à reipublicæ moderatoribus acceptari. Liquet in hâc hypothesi substitutionem innocentis loco rei fore licitam. Quid ita? quia liberè et spontè generosus ille civis se alterius loco substitui consentiret, ac proinde ipsi utpote volenti non fieret injuria; quia per se illicitum non est ut quis gravi de causâ velit à patriâ suâ exul vivere, quocirca, ad id se offerendo, potestatem sibi factam non excederet; quia hæc substitutio fieret ad summam reipublicæ conciliandam utilitatem, atque adeò auctoritate publicâ mereretur approbari; quia denique illud sponsoris obsequium possent reipublicæ moderatores variis donis et muneribus compensare, seu finito ejus exilio, seu etiam adhuc eo durante, unde nihil detrimenti ex suâ magnanimitate reverà pateretur, sed potiùs inde commodum reportaret.

Ut igitur minimè injustum fuerit, Christum innocentem pro hominibus criminosis sponsorem constitui erga Deum, et pro iis pœnas dare, satis est quòd lubens pro nobis necem ab impiis passus sit, quòd hocce modo se litandi et in victimam offerendi potestatem habuerit, quòdque summa universo orbi, ac præsertim hominibus, necnon sibi bona morte suâ attulerit. Atqui 1° Christus, ut loco nostro satisfaceret, sponsor noster fieri et ab impiis se necari lubentissimè consensit. Quod Isaias 53, v. 7, disertè significat his verbis : *Oblatus est quia ipse voluit;* ibid. v. 10 : *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Et Christus ipse, Joan. 10, v. 15 et 18. *Animam meam*, ait, *pono pro ovibus meis.... Nemo tollit eam à me; sed ego pono eam à me ipso, et potestatem habeo ponendi eam; et potestatem habeo iterùm sumendi eam; hoc mandatum accepi à Patre meo.* 2° Moriendi loco nostro, et sese pro nobis in victimam offerendi potestatem habuit Christus ut homo. Enimverò, cùm Deus ex mox laudato vers. 6 cap. 53 Isaiæ, *posuerit in eo iniquitatem omnium nostrùm*, cùm ex versu 8 ejusdem capitis *propter scelus populi sui percusserit eum*, et ex versu 10 propter eamdem causam *voluerit*

conterere eum; cùm pariter juxta Apostolum Rom. 8, v. 32, *Filio suo unigenito non pepercerit, sed pro nobis omnibus* (neci cruentæ) *tradiderit illum*; numquid dubium ullum esse potest, quin Christus, ut homo, sese pro nobis morti quam passus est objiciendi facultatem habuerit? Imò non solùm facultatem, sed et mandatum sic moriendi à Patre accepit. *Potestatem habeo*, inquit ipse loco Joan. mox allato, *ponendi eam* (animam meam pro ovibus meis)... *Hoc mandatum accepi à Patre meo*; et Apostolus, Philipp. 2, v. 8 : *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* 3° Ex morte quam Christus ut homo pro nobis sustinuit, præcellentissima bona, nempe attributorum Dei perfectissima expressio, tum liberatio hominum et salus secuta sunt, ut jam non semel observavimus. Quod verò ipse inde passus est detrimentum, momentaneum fuit, et summâ ac sempiternâ utilitate et glorià compensatum et resarcitum. Siquidem die post obitum suum tertià è sepulcro gloriosè egressus, *omnem potestatem* Matth. 28, v. 18, *in cœlo et in terrâ* obtinuit; Luc. 24, v. 26 : *Intravit in gloriam suam*; Philipp. 2, v. 9 : A Deo *exaltatus* est, et *nomen* consecutus *quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in glorià est Dei Patris*; ergo, etc.

Sed, ut objectionis Socinianæ magis adhuc appareat levitas, expendamus quid in dogmate catholico Sociniani tanquàm injustum et Deo indignum reprehendant. Numquid contendunt præceptum passionis dolores sustinendi et mortem cruentam et probrosam subeundi Christo innocenti et sanctissimo non potuisse à Deo imponi? minimè; mandatum illud Christo datum fuisse ipsimet agnoscunt. Numquid volunt id munneris in ordine ad liberationem et salutem peccatorum Christo nequivisse injungi? Contra laborant maximè, ut, negatâ Christi satisfactione, exponant quo sensu in Scripturis significari potuerit nos morte Christi à peccatis fuisse liberatos et ad salutem perductos. Quid ergo in dogmate Christi satisfactionum ipsis displicet? Unum duntaxat, quod tamen sæpissimè et disertissimè in verbo Dei exprimitur, nempe ad compensandam, quoad fieri poterat, injuriam Deo per peccatum illatam, et pœnas pro peccatis debitas persolvendas, Christum factum fuisse sponsorem nostrum, et eâ de causâ morti crucis libenter se objecisse. Verùm, si Deus sine injustitiâ potuit Christi innocentis mortem ut conditionem liberationi peccatorum in præsenti ordine utilem vel necessàriam exigere, quæ injustitia esse potest, si præterea, eamdem Christi mortem, ad compensandam injuriam sibi per peccatum illatam, et pœnas à peccatoribus debitas extinguendas, ordinari et referri voluerit, sicque attributa sua præcellentissimè expresserit, nullâ Christo innocenti factâ injuriâ, tum propter consensum ab eo libenter adhibitum, tum propter immensam gloriam quâ ejus opprobria et dolores compensata sunt?

Instabis 2° : Deus est summè bonus et misericors; ergo instituere non potuit ut Christus justus et innocens nocentibus substitueretur, et eorum loco acerbissima tormenta et mortem ipsam toleraret. — Dist. ant. : Deus est summè bonus et misericors, et simul summè sanctus et justus, concedo; est summè bonus et misericors tantùm, nego. Deum esse bonum et misericordem auctoritas Scripturarum et ratio manifesta perinde quidem docent; at non minùs certò ex Scripturis et ratione adstruitur Deum esse quoque summè sanctum et justum, id est, ab eo ordinem immutabilem necessariò diligi, ac proinde necessariò ac summè peccatum odio haberi; unde sequitur ipsi inesse justitiam vindicativam, seu potestatem peccatoribus infligendi pœnas eorum peccatis proportionatas : cujus quidem potestatis exercendæ constantem in præsenti ordine esse Deo voluntatem ex Scripturis insuper demonstratur, ut ex dictis capite 1 hujusce dissertationis liquet. Jam verò, si Deus non modò bonus sit et misericors, sed etiam sanctus et justus, ergo, ut ad bonitatem et misericordiam suam exprimendam decrevit hominibus parcere, ita ad justitiæ suæ et sanctitatis suique in peccatum odii manifestationem potuit velle delicta eorum lui à Christo, nec citra exhibitas ab ipso satisfactiones illos liberare et salvare. Etenim mox ostendimus in ejusmodi conditione à Deo apposità, seu in satisfactionibus Christi exigendis nihil per se iniqui deprehendi. Deus verò hoc modo et sub illâ conditione nobis parcens, non idcircò minùs splendidè, quàm si nobis sine eâ condonaret, bonitatem et misericordiam suam in salutis nostræ negotio declarat; imò indè fit ut bonitas et misericordia divina multò magis emicent et refulgeant, quod jam sæpiùs observatum et explicatum est. Quòd autem morte, loco peccatorum, à Christo eorum sponsore toleratâ præcellentissimè exprimantur sanctitas et justitia divina, per se manifestum est, et jam non semel annotare curavimus; ergo, etc.

Instabis 3° : Nulla potuit esse causa ejusmodi substitutionis Christi loco peccatorum ut pro iis satisfaceret; ergo injusta fuit illa substitutio. — Nego ant. Nam 1° ex Scripturis colligimus, Deum statuisse peccatum non dimittere impunitum, ac proinde necesse fuit peccata hominum puniri vel in ipsis hominibus, vel saltem in sponsore peccatis eorum onusto. 2° Deus, exigendo à Christo ut pro nobis satisfaceret et pœnas peccatorum subiret, attributa sua, præsertim suam sanctitatem et justitiam, ac simul bonitatem et misericordiam suam summâ ratione expressit, quod jam sæpiùs animadvertere et exponere curavimus; ergo. 3° Sunt etiam procul dubio aliæ hujusce mysterii causæ, quas in hâc vitâ ut par est investigare non possumus. Etsi porrò nullas cognosceremus, nihilosecius tamen illud certâ fide tenendum esset, cùm in Scripturis clarè expressum habeatur; Deus, qui nihil operatur sine causâ, non tenetur tamen mysteriorum, quæ efficit, nobis rationes et causas in hâc vitâ aperire. 4° Quibusdam videtur absolutè repugnare à Deo peccatum citra satisfactionem condignam sibi exhibitam remitti; quia Deus, inquiunt, non potest cedere

jure suo, nec proinde peccatum relinquere impunitum, quin semetipsum neget. Ii necessitatis satisfactionum Christi facilè causam redduat. Verùm, etsi tortè ejusmodi opinio planè evidentibus argumentis non refellatur, attamen reverà videtur falsa, et idcircò eam non adhibemus. Vide quæ eâ de re dicta sunt dissert. 4, cap. 4. Verùm operæ pretium est annotare objectionem propositam ipsismet solvendam esse Socinianis. Nam ab iis inquiro utrùm mors Christi iis fuerit finibus, propter quos volunt eam à Deo fuisse præceptam, planè necessaria? Quæro utrùm ejus doctrina, quam tot prophetiæ et miracula confirmant, quæque aliis multis potuisset ostentis comprobari, ipsius morte necessariò fuerit consignanda? An ad supremam illam potestatem, à quâ volunt Sociniani pendere remissionem peccatorum nostrorum, Deus absolutè non potuisset Christum evehere, quin passionis et necis sustinendæ præceptum ab ipso impleri exigeret? Num is unicus fuerit saluti hominum providendi modus, ut conditiones tam acerbæ Christo justissimo et sanctissimo imponerentur? Nullas igitur Sociniani cruentæ Christi necis asserunt necessarias causas. Nos verò eas non respuentes, quæ ab ipsis adducuntur, etsi paulò aliter aliquas exponamus, aliam præterea assignamus præcipuam et maximi momenti, quam nihil supplere potuisset, nempe necessitatem compensandæ injuriæ Deo per peccatum illatæ, atque etiam justitiæ et sanctitatis divinæ in ipsâ peccati condonatione mirum in modum exprimendæ et declarandæ.

Obj. 5° : Cum divinitate Christi et Spiritûs sancti stare nequit satisfactionum Christi dogma : Nam *si Christus, et unà cum illo Spiritus sanctus, est unus cum Patre Deus, qui fit quòd Pater solus placetur, Filius eum placet; Patri soli satisfiat, Filius satisfaciat; Patri soli victima offeratur, Filius offerat? An Filius et Spiritus sanctus, licet unus cum Patre Deus, non fuerunt æquè ac Pater peccatis nostris offensi ac nobis irati? Non æquè voluerunt exemplum aliquod severitatis statui et satisfactionem sibi præstari? Aut Pater solus, cùm iratus esset, erat placandus, non item Filius et Spiritus sanctus? illi soli satisfactio erat præstanda, non etiam duabus reliquis ejusdem Deitatis personis?* — Respondeo, non solùm Deum Patrem, sed etiam Filium et Spiritum sanctum peccatis nostris offensos fuisse, et nobis iratos. Trium enim divinarum personarum una est voluntas, in quam peccator rebellat, atque majestas una, quam audet contemnere. Ira etiam ad voluntatem tribus personis communem pertinet. Ergo, inquiunt Sociniani, non soli Patri, sed etiam Deo Filio et Spiritui sancto passione et morte Christi hominis satisfieri necesse fuit. Id fatemur ex dogmate catholico consequi, et ex sacris litteris colligimus toti Trinitati fuisse satisfactum ; neque in eo ulla pugna ; si qua enim ibi contradictio esse posset, maximè quia Christus, qui Filius Dei ponitur, simul Filio Dei ac proinde sibi ipsi diceretur satisfecisse; atqui hæc inter se non pugnant ; cùm enim Christus non solùm sit Deus Filius, sed etiam homo, cùmque ut homo tantùm, passionis dolores et mortem sustinuerit et actus satisfactorios elicuerit, planum est eum potuisse sibi ipsi ut Deo satisfactionem exhibere. Hæc capite sequenti explicabuntur uberiùs, ubi gravem controversiam quæ eâ de re inter theologos agitatur, expendemus, an scilicet Christi satisfactio, quâ parte sibi ut Deo satisfecit, fuerit ad alterum. Illa verò quæstio, quam fatemur esse difficiliorem, spectat perfectionem satisfactionis Christi, non ad dogmatis catholici substantiam attinet. Conditiones perfectæ et undequàque accuratæ satisfactionis, quas superiùs enumeravimus, Christi satisfactioni competere contra Socinianos non statuimus. Hic solùm attingimus quæ sunt fidei catholicæ, illudque duntaxat propugnamus, Christum loco nostro verè et propriè satisfecisse, adeòque eo fine orâsse, sese humiliâsse, opprobriis saturari voluisse, mortem oppetiisse, se in victimam obtulisse, ut injuriam Deo per peccatum illatam, quoad fieri poterat, compensaret, pœnas à nobis debitas in se ferret, sicque nos redimeret et salvaret.

CAPUT III.

An undequàque perfecta fuerit Christi satisfactio?

Calvinistæ eo sensu volunt Christi satisfactionem fuisse perfectam, quòd singulis hominibus jam necesse non sit piis operibus propter propria delicta Deo satisfacere. Quapropter à catholicis pœnitentiæ et privatarum satisfactionum necessitatem propugnantibus contendunt præstantiæ ac perfectioni satisfactionis Christi multùm detrahi. Verùm errant ; privatas satisfactiones esse necessarias non idcircò docet Ecclesia catholica, quòd quidquam perfectioni satisfactionis Christi deesse arbitretur, sed tantùm ut infinitus ejusmodi satisfactionis valor nobis applicetur. Sensit Calvinus ad id sufficere fidem ; at verò non fides sola, sed etiam spes, charitas, pœnitentia, et alia opera in Scripturis præcipiuntur. Verùm de illo Calvinistarum errore hic non agimus, qui refellitur ubi de necessitate bonorum operum et de sacramento Pœnitentiæ disserunt theologi. Jam porrò monuimus quæstionem præsentem de Christi satisfactione undequàque perfectâ et ad strictos juris apices accuratâ, ad fidem non pertinere. Omnes quidem theologi ut dogma fidei profitentur, Christum verè et propriè pro nobis satisfecisse, et satisfactiones ejus saltem eas fuisse, quæ præstantiâ suâ puri hominis quâlibet gratiâ ornati opera longè superarent, et congruenter à Deo pro hominum peccatis acceptarentur. Verùm de cætero circa condignitatem et perfectionem ejusmodi satisfactionum in varias sententias abeunt, quas deinde singulas suo loco exponere curabimus. Plerique tamen omnes ad perfectam satisfactionem requisitas conditiones in Christi satisfactione observatas fuisse existimant.

Conclusio. Satisfactio Christi fuit ex se condigna et perfecta. Probatur. Ea satisfactio ex se condigna et perfecta dicenda est, quæ omnes ad perfectam et condignam satisfactionem conditiones requisitas habuit ; id est, quæ 1° fuit voluntaria et ad compensan-

dam injuriam per peccatum illatam; 2° quæ fuit æquivalens, imò et superabundans; 3° quæ ex propriis et aliàs indebitis; 4° quæ, quantum satis est, ad alterum; 5° tandem, quæ ad strictos justitiæ apices. Atqui sic se habuit satisfactio à Christo loco nostro exhibita. Fuit enim voluntaria : *Oblatus est, quia ipse voluit*, inquit Isaias, cap. 53, v. 7; quæ conditio ab omnibus theologis Christi satisfactionibus adscribitur, et dissertatione sequenti cap. 2, ubi de Libertate Christi commodiùs disseremus, patebit ad fidem pertinere. Fuit etiam ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam, et iratum numen placandum, ut ex multis Scripturarum testimoniis capite præcedenti allatis facilè colligitur. Cùm porrò hanc fuisse æquivalentem aliisque præditam enumeratis dotibus satisfactioni perfectæ necessariis, non sine aliquâ discussione probari possit, ideircò de iis sigillatim, totidem articulis dicendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

Ostenditur Christi satisfactionem fuisse æquivalentem et superabundantem.

Varias de satisfactionis Christi condignitate seu æquivalentiâ opiniones theologorum refert cardinalis de Lugo, dissert. 6 de Incarnat., sect. 1, his verbis : *Negaverunt nonnulli satisfactionem Christi esse de se æqualem, quos refert Vasquez, dissert. 5, cap. 1, quorum aliqui dicunt fieri æqualem ex Dei acceptatione; alii non judicant nec hâc ratione accipere condignitatem, sed Deum eam acceptare ac si esset condigna. Utrique tamen concedunt habuisse Christi opera longè majorem congruitatem ad acceptationem, quàm opera puri hominis, et ad hoc fuisse necessariam Christi satisfactionem, ut scilicet congruenter acceptarentur à Deo pro nostris peccatis. Communis et vera sententia affirmat opera Christi Domini habuisse ex se sufficientem valorem et condignitatem ad satisfaciendum pro peccatis. Hæc est communis inter theologos.* Hactenùs cardinalis de Lugo.

Observandum autem diligenter in actionibus Christi triplicem distinguendum esse valorem, nimirùm essentialem seu objectivum, accidentalem et substantialem, qui et personalis dici potest. Valor objectivus seu essentialis, desumitur ex objecto et fine actionis. Ideircò nuncupatur essentialis, quòd ex iis repetatur sine quibus actio etiam hominis puri esse non potest. Valor accidentalis ex statu gratiæ sanctificantis, quâ Christus instructus est, et ex intentione ejus operum æstimatur. Dicitur accidentalis, quia sine iis ex quibus desumitur, posset esse actio hominis puri. Valor substantialis seu personalis petitur ex dignitate personæ satisfacientis, et duplex est, alter radicalis seu fundamentalis, alter derivatus. Valor radicalis seu fundamentalis actionum Christi oritur ab ejus personâ quatenùs à seipso in pretium et victimam pro nobis et loco nostro oblatâ. Reperitur ille valor in omnibus actibus sacrificii à Christo peractis. Valor derivatus ille est qui petitur à dignitate personæ solùm ut à circumstantiâ dignitatem actioni conferente. Sic se habebat valor actuum humiliationis, demissionis, amoris divini, etc., quos Christus exercuit.

Certum est et ab omnibus admittitur valorem tum objectivum seu essentialem, tum accidentalem, actionum Christi esse finitum. Intensio enim ejusmodi actionum utpote ab humanâ Christi naturâ elicitarum necessariò fuit finita. Gratia sanctificans quâ illa humanitas ornatur, quantacumque sit, attamen est etiam finita. Objectum verò et finis in eorum dignitatem nonnisi finitè influebant quemadmodùm et in puri hominis operibus. Agitur ergo tantùm de valore qui ex dignitate personæ Christi fluxit, seu radicali, seu derivato : utrùm scilicet compensandæ injuriæ per peccatum Deo illatæ æquivalens fuerit et superabundans?

CONCLUSIO. Satisfactio Christi non tantùm fuit æquivalens, sed etiam superabundans?

Utraque conclusionis pars planè videtur certis argumentis nixa. Probatur prior, 1° ex Scripturis. S. Paulus Hebr. cap. 7, v. 27, cap. 9, v. 14, 25 et 28, et cap. 10, v. 10, 12 et 14, sacrificii à Christo in cruce oblati excellentiam præ sacrificiis veteribus inde demonstrat, quòd satis fuerit ad *exhaurienda peccata et emundandam conscientiam nostram*, Christum semel offerri; dùm contra necesse fuerat frequentissimè iterari sacrificia antiquæ legis quibus *impossibile erat... auferri peccata*. Atqui nisi per sacrificium crucis Deo ad æqualitatem Christus satisfecisset, illud S. Pauli ratiocinium non satis fuisset firmum. Etenim si unica sacrificii Christi oblatio condignæ seu æquivalenti satisfactioni non suffecisset, quare illud sacrificium non debuisset multoties iterari, ut et sacrificia vetera? Ergo iterationis ejusmodi sacrificii inutilitas, quam adstruit Apostolus, certum est ejus condignitatis argumentum; proindeque, etc. Idem S. Paulus, Rom. 5, v. 15 : *Non sicut delictum*, inquit, *ita et donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei et donum in gratiâ unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.* Et v. 17 : *Si unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abundantiam gratiæ et donationis et justitiæ accipientes in vitâ regnabunt per unum Jesum Christum.* In duplici illo textu maximè ad has attendendum voces, *multò magis*, quibus Apostolus se *à fortiori* arguere significat. *Gratia* igitur *et donum* propter merita et satisfactiones Christi *abundare* debuerunt ex Apostolo in eos qui per peccatum *mortui* erant, seu iis *abundantia gratiæ et donationis et justitiæ* per Christum dari debuit; ergo saltem æquivalens fuit Christi satisfactio.

Idem Apostolus 1 Cor. 6, v. 20 : *Empti estis*, inquit, *pretio magno*. Ibidem, v. 23 : *Pretio empti estis*. Et S. Petrus, Epistolæ suæ 1 cap. 1, v. 16 : *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis..., sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati*; et Epist. 2, cap. 2, v. 1 : *Erunt magistri mendaces qui.... eum, qui emit eos, Dominum negant.* Quibus in locis 1° dicimur pretio empti, quæ metaphora æqualitatem designat. 2° Pretii illius, quo sumus empti, magnitudo et valor extolluntur; atqui tamen magnitudo

et valor pretii non condigni extolli non merentur; ergo, etc.

Probatur 2° ex Clemente VI, qui in Constitutione quæ incipit, *Unigenitus*, datâ anno 1320, ut Jubilæus anno duntaxat centesimo antea celebratus ad quinquagesimum reduceretur, ait Christum *in arâ crucis.... non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione generis humani sufficisset, sed* (eum) *copiosè velut quoddam profluvium.... effudisse*. Et inferiùs satisfactiones et merita Christi *infinita* esse nos docet. Hæc verò tradit ut thesaurum Ecclesiæ ex meritis Christi conflatum non posse exhauriri ostendat.

Probatur 3° ex SS. Patribus. S. Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi 13, n. 2: *Neque mirum*, ait, *tibi videatur totum orbem*, (cruce Christi) *redemptum esse. Non enim nudus homo sed unigenitus Dei Filius erat, qui eâ causâ moriebatur.... Si primus hominum de terrâ fictus universalem mortem attulit, qui illum finxit è terrâ, nonne cùm ipse sit vita, vitam æternam afferet? Si Phinees zelo accensus, interempto fœdæ actionis auctore, iram Dei placavit, Jesus non alium interficiens, sed semetipsum in pretium tradens, numquid iram adversùs homines non dissolvet?* Et n. 33: *Dei*, inquit, *sapientiam conspicare: suam servavit et sententiæ firmitatem, et bonitati efficaciam. Assumpsit Christus peccata in corpore* (suo) *super lignum, ut nos per mortem ejus peccatis mortui justitiæ viveremus. Non minimi pretii erat qui pro nobis moriebatur; non erat ovis sensibilis, non erat nudus homo, non erat solummodò Angelus; sed Deus inhumanatus. Non tanta erat peccantium iniquitas, quanta ejus, qui nostrî gratiâ moriebatur, justitia. Non tantùm peccavimus, quantùm ille excelluit qui pro nobis animam posuit.* S. Chrysostomus, hom. 10 in Epistolam ad Rom. n. 2: *Quemadmodùm*, inquit, *si quis hominem obolos sibi decem debentem in carcerem tradat, neque ipsum solùm, sed etiam uxorem, filios et famulos propter ipsum; alius verò accedens, non decem tantùm obolos numeret, sed etiam decies mille talenta auri...; qui decem obolos commodaverat, eorum ultra reminisci non poterit: sic et in nobis contigit. Longè plura quàm debeamus solvit Christus, et tantò plura quantò immensum pelagus ad stillam aquæ collatum majus est.* S. Anselmus lib. de Conceptu virginali et Peccato origin. cap. 22: *Deus*, inquit, *non exigit ab ullo peccatore plus quàm debet. Sed quoniam nullus potest reddere quantùm debet, solus Christus reddit pro omnibus qui salvantur plus quàm debent.* Ex his testimoniis quibus alia addi possent, perspicuum est juxta sanctos doctores non tantùm ad æqualitatem et æquivalenter, sed etiam ad cumulum et superabundanter, Christum pro nobis satisfecisse; ergo, etc.

Probatur 4° eadem prima conclusionis pars ratione theologicâ. Valor satisfactionum Christi infinitus est. Nam valor satisfactionis, ut aliquando probatum est et ex jure naturali et civili evidentissimum fit, ex dignitate personæ satisfacientis sumi debet, adeò ut quò major sit dignitas personæ quæ ad satisfaciendum sese liberè humiliat et pœnæ subjicit, eò majus sit pretium seu valor satisfactionis quam exhibet. Cùm ergo Christus sese, ad Deo satisfaciendum, ut homo humilians ac demittens, et pœnæ subjiciens, sit persona dignitatis et majestatis infinitæ, ipse scilicet Filius Dei, *qui cùm in formâ Dei esset*, inquit Apostolus... (ut nos redimeret) *formam servi accepit;* sequitur actibus satisfactoriis quos humanitate suâ elicuit, quatenùs ab eo procedunt, valorem inesse infinitum. Jam verò valor satisfactionis Christi infinitus esse non potest, quin æquivalens et condignus fuerit. Etenim, si spectetur in ordine ad pœnam quæ peccato debetur, evidens est hanc pœnam, licet duratione infinitam, tamen satisfactionibus infiniti valoris ad æqualitatem expungi et persolvi; quod jam à nobis cap. præced. observatum est. Si autem spectetur in ordine ad injuriam compensandam, de quâ potissimùm agitur, nulla pariter difficultas. Nam, ut Dissert. 5, cap. 5, explicavimus, tres sunt de gravitate injuriæ Deo per peccatum illatæ theologorum opiniones: ab aliis dicitur finita etiam in genere offensæ nec ad ordinem pertinens satisfactiones cujusvis puræ creaturæ absolutè superantem; ab aliis statuitur finita quidem intrinsecè, sed tamen cujuslibet creaturæ possibilis satisfactiones excedens; ab aliis ponitur infinita intrinsecè et simpliciter. Porrò, etiamsi gravitas peccati lethalis censeretur infinita intrinsecè et simpliciter, nihilominùs illi ad æqualitatem compensandæ pares essent satisfactiones Christi; namque propter summam ejus personæ dignitatem, perinde saltem dicendæ sunt infinitæ, ac gravitas peccati propter supremam numinis offensi majestatem infinita in genere offensæ dici potest; ergo, etc.

Probatur altera pars conclusionis, nempe satisfactionem Christi fuisse superabundantem, 1° ex modò adductis Scripturæ locis, præsertim ex vers. 15 et 17 cap. 5 Epist. ad Rom., ubi Apostolus docet debuisse per Christum *abundare* gratiam et dona Dei in homines peccato detentos. Quibus testimoniis et illud addendum est ejusdem Apostoli ibid. v. 20: *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.* Namque in ejusmodi testimoniis tanquàm indubitatum ponit S. Paulus id ex naturâ rei, seu ex meritorum et satisfactionum Christi indole, consequi, ut gratiæ et dona sibi ejusmodi satisfactionum fructum applicantibus collata majora sint quàm delictum, et *superabundent*. Atque id falsum esset, nisi satisfactiones Christi superabundantes fuerint; si enim fuissent solùm condignæ, non superabundantes, potuissent Deo exhiberi, et ab ipso accipi, quin donum magis quàm delictum abundâsset, proindeque nullus supra observato Apostoli in hanc rem ratiocinio locus relinqueretur.

Probatur insuper ex laudatis testimoniis Clementis VI et SS. Cyrilli Hieros., Chrysost. et Anselmi, qui clarè et perspicuè tradunt, ut modò advertimus, superabundantes fuisse Christi satisfactiones. Quibus addendi S. Leo sermone 12 *de Passione* et sermone 1 *de Ascensione*, S. Agapetus I, S. P., in Epistolâ de duabus Naturis ad Antimum, S. Bernardus, sermone 22 in Cantica, Petrus Cluniacensis in opusculo quod *Nucleus* inscribitur, etc.

Probatur denique ratione theologicâ. Vel gravitas peccati mortalis in genere offensæ est tantùm intrinsecè finita et ordinis quem satisfactiones puri hominis possint absolutè exæquare, ut placet Scotistis; vel, etsi non infinita intrinsecè, pertinet tamen ad ordinem satisfactiones puri hominis absolutè excedentem, ut Suarez et alii sentiunt; vel est infinita simpliciter et intrinsecè, ut docent Thomistæ. Atqui, quidquid eâ de re statuatur, planum est superabundantes fuisse Christi satisfactiones. Nam 1°, seu gravitas peccati lethalis ponatur finita atque hominis puri satisfactionum ordinem non excedens, seu dicatur ejusmodi ordinem excedere, planum est superabundantes fuisse Christi satisfactiones; quippe cùm valor earum simpliciter infinitus sit, utpote ex dignitate derivatus personæ infinitæ sese ad satisfaciendum humiliantis et in pretium ac victimam offerentis. 2° Si gravitas peccati mortalis sit infinita simpliciter in genere offensæ, adhuc superabundantes concipiuntur satisfactiones Christi; nam ex uno tantùm capite infinita esse potest offensa mortalis in genere moris, nempe propter dignitatem infinitam Dei offensi supra personam offendentem. Atqui non uno tantùm, sed duplici de titulo valor satisfactionum Christi est infinitus: 1° quia ejus actus satisfactorii sunt humiliationes, subjectiones, opprobria, dolores personæ infinitæ, hæc omnia ad satisfaciendum liberè sustinentis et impendentis; 2° quia ejusmodi actibus sese redemptionem et pretium pro nobis exhibuit et in victimam loco nostro obtulit et substituit. Satisfecit enim pro nobis Christus, sese cò usque humiliando et deprimendo, ut semetipsum, ipsam suam personam, prout naturam humanam sustentat, victimam loco nostro constituerit, et ad nos redimendos in pretium dederit; ergo, etc. Et verò quidquid de gravitate peccatorum mortalium in genere offensæ definiatur, illud saltem fatendum est gravitatem uniuscujusque peccati non posse esse undequàque infinitam etiam in genere moris; aliàs enim omnia peccata mortalia essent æqualia. Constat præterea gravitatem maximi peccati lethalis ab hominibus admissi, vel etiam omnium ab iis commissorum aut committendorum, non esse quoque undequàque et in omni ordine infinitam. Etenim manifestissimum est ex eo semper minui ejusmodi gravitatem, quòd peccans nonnisi valdè imperfectè majestatem quam offendit cognoscat. Porrò, quis non videt satisfactiones quas Christus seipsum humiliando, deprimendo, litando, in redemptionem et pretium dando exhibuit, superioris esse ordinis majorisque æstimationis in ratione valoris ac meriti, quàm possit esse in genere offensæ gravitas illa peccati lethalis, quæ, quantumvis simpliciter et intrinsecè, nonnisi tamen in aliquo genere infinita dici potest?

Denique una sanguinis Christi gutta exhibendæ pro nobis satisfactioni infinitæ suffecisset juxta Clementem VI in constitutione supra laudatâ; quod et aliàs facilè evincitur, siquidem in satisfactionem pro peccatis nostris Christus ejusmodi sanguinis guttam effundendo, sese ad compensandam injuriam per ejusmodi peccata Deo illatam humiliàsset, et rem quæ infinitum pretium ex unione ad Verbum consequebatur, obtulisset. Ergo, cùm totum Christus sanguinem effuderit, cùm insuper deprecationes *ad Deum cum clamore valido* obtulerit, immensos labores sustinuerit, doloribus et opprobriis saturari voluerit, ac tandem usque ad mortem crucis subeundam se humiliaverit, nonne evidens est ab ipso superabundanter satisfactum fuisse?

Solvuntur objectiones. — Obj. 1°: Qui pro injuriâ infinitâ satisfecit per actiones finitas, is non satisfecit æquivalenter, multò minùs superabundanter; atqui injuria quæ peccato lethali Deo infertur, infinita est, actiones verò quibus Christus satisfecit erant finitæ; actiones enim illæ erant finitæ quæ producebantur ab humanitate Christi: atqui actiones quibus Christus satisfecit, nempe humiliationes, oblationes, etc., producebantur ab ejus humanitate; nec enim nisi impiè et absurdè naturæ divinæ adscriberentur; ergo, etc. — Dist. maj.: Qui pro injuriâ infinitâ satisfecit per actiones finitas tùm physicè tum moraliter, is non satisfecit, etc., concedo; per actiones finitas physicè tantùm, moraliter verò infinitas, seu infiniti valoris, nego. Itaque actio satisfactoria spectari potest vel physicè, vel moraliter. Spectatur physicè cùm consideratur ejus entitas; spectatur verò moraliter cùm ejus dignitas in ratione operis satisfactorii attenditur. Actionibus physicè finitis Christus satisfecit, siquidem actiones illæ à naturâ finitâ, nempe à naturâ humanâ quam assumpsit, eliciebantur, hujusque erant naturæ modificationes. Verùm eædem ejusmodi actiones moraliter erant infinitæ, in ratione operis satisfactorii; ex infinitâ enim dignitate personæ Christi eas per humanitatem suam producentis, valorem infinitum consequebantur, ut sæpiùs dictum est. Neque mirum videri debet actionibus Christi finitis physicè valorem moraliter et in genere satisfactionis infinitum competere; id enim necessariò ex isto sequitur principio, secundùm personæ satisfacientis dignitatem crescere valorem actûs in satisfactionem exhibiti; quod quidem principium evidentissimum est, et in humanis etiam locum habet. Etiamsi enim satisfactio exhibita à plebeio iisdem consisteret actionibus physicis, quibus ea quam impenderet princeps, constitueretur; nemo tamen non videt istam longè majoris valoris et dignitatis extituram priore. Licet igitur actiones quibus Christus Dominus pro nobis satisfecit, physicè et quantùm ad suam entitatem finitæ fuerint, attamen, cùm essent actiones Theandricæ seu Dei-Hominis, ex divinâ ejus personâ sese per humanitatem humiliantis et immolantis, dignitatem et valorem infinitum habuerunt. Proindeque, posito etiam quòd malitia peccati in genere offensæ simpliciter et intrinsecè esset infinita, quod hîc non expendimus, attamen Christus pro peccatis nostris non tantùm ad æqualitatem, sed etiam ad cumulum et superabundanter satisfecisset.

Instabis 1°: Valor actionum à naturâ finitâ elicitarum non potest esse nisi finitus; atqui actiones quibus Christus satisfecit, à naturâ finitâ, nempe ab ejus

humanitate elicitæ sunt; ergo. — Dist. maj. · Valor actionum à naturâ finitâ elicitarum non potest esse nisi finitus, si persona finita sit, concedo; si persona sit infinitæ dignitatis, subdistinguo: Valor objectivus et accidentalis, concedo; valor substantialis, seu radicalis, seu derivatus, nego. Jam observavimus actiones naturæ finitæ, ac proinde actiones ab ipsâmet humanitate Christi elicitas nonnisi finito valore essentiali et accidentali insigniri posse; seu, quod idem est, quem sive ab objecto et fine, sive à gratiâ habituali et ab intentione valorem consequuntur, hunc necessariò esse limitatum. Idem statuendum est etiam de valore substantiali seu ex personæ dignitate derivato, ubi persona finita est. At verò, si persona satisfaciens sit dignitatis infinitæ, certè valor actionum quas naturâ finitâ sibi hypostaticè unitâ ad satisfaciendum eliciet, valor, inquam; ejusmodi actionum substantialis seu personalis, id est, ex dignitate personæ satisfacientis diffluens et manans, summus et infinitus dicatur necesse est. Actiones, ut fert vulgare axioma, sunt suppositorum. Cùm igitur natura humana Christi actus obedientiæ, humiliationis, sacrificii, etc., exercebat, ipsi Christo, ipsi Verbi divini personæ humanitatem terminanti et sustentanti, hæ actiones ut supposito per hanc naturam operanti verè tribuendæ sunt. Quis autem in actionibus personæ divinæ ad satisfaciendum opprobriis ac doloribus se submittentis, et semetipsam in victimam offerentis, non agnoverit virtutem satisfaciendi infinitam? Jam porrò Christus nec actionibus suis satisfactoriis physicè sumptis, nec iisdem ratione valoris seu essentialis aut objectivi, seu accidentalis consideratis pro nobis satisfecit, sed tantùm valore earumdem substantiali et personali, ex dignitate scilicet suæ personæ orto, ut multoties explicatum est; ergo.

Instabis 2°: Valor satisfactionis non potest ex eo desumi quod in actiones satisfactorias non influit; atqui persona divina Christi non influit, etc.; ergo. — Dist. minorem: Divina Christi persona non influit in actiones ejus satisfactorias, ut principium *quo*, seu ut natura aut facultas quâ eliciantur, concedo; ut principium *quod*, id est, ut persona agens per humanitatem, nego. Principium *quo* est natura aut facultas quâ persona agit; principium *quod* est ipsum suppositum seu persona per facultatem agens, seu cujus juris est natura aut facultas quâ actio elicitur. V. g., Petrus est principium *quod* suæ volitionis, mens et voluntas sunt ejusdem actûs principium *quo*. Manifestum est divinam Christi personam nec esse, nec esse posse principium *quo* actionum quibus Christus satisfecit; sed earum est principium *quod*; quia persona divina Christi habet personaliter sibi unitam naturam humanam quâ actus satisfactorii producti sunt: adeò ut, cùm actiones sint suppositorum, actus satisfactorii verè dicendi sint actus divinæ Christi personæ ut naturam quam assumpsit terminantis et sustentantis.

Instabis 3°: Persona divina seipsam subjicere non potest; ergo fictitius est ille valor quem ex infinitate personæ Christi sese humiliantis, submittentis, et offerentis, derivari volumus. — Dist. ant.: Divina persona secundùm se, et in propriâ naturâ seipsam subjicere non potest, concedo; in naturâ assumptâ, seu prout terminans naturam humanam, nego. Enimverò hæc Apostoli verba Philip. 2, v. 6 et seqq.: *Qui cùm in formâ Dei esset..., humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem*, et alia ejusmodi benè multa quæ in Scripturis sæpè occurrunt, humiliationes et obedientiam ad ipsum Christi suppositum referunt; quod suppositum ipsa est Verbi divini persona naturam humanam terminans. Atque id ipsum est in quo mirum in modum summa emicat Dei sapientia, ut, quod Filius divinus in suâ propriâ naturâ ad nos liberandos et Deum placandum exequi non poterat, illud noverit in naturâ assumptâ sine supremæ suæ majestatis immutatione et detrimento, perficere et exequi.

Obj. 2°: Ubi effectus procedit à duplici causâ, alterâ finitâ, alterâ infinitâ, effectus finitus est, ut patet in actionibus creaturarum ad quas Deus concurrit; ergo, etsi satisfactiones Christi à personâ Verbi quæ infinita est accipiant dignitatem, cùm tamen à naturâ humanâ Christi quæ finita est producantur, sequitur earum valorem esse finitum. — Dist. ant.: Ubi duæ causæ quarum una est finita, altera infinita, influunt physicè in eumdem effectum, tunc effectus est finitus, concedo; si causa infinita influat moraliter in valorem actionis, et catenùs influat quatenùs est suppositum naturæ actum elicientis, nego. Itaque in eo deficit paritas, quòd ubi agitur de effectibus physicis simul à Deo et creaturâ productis, necesse est ut effectus sequatur conditionem causæ finitæ quæ in eum totum physicè influit. Ratio est quia causa finita non potest producere nisi effectum finitum. At verò, ubi persona infinita influit moraliter in valorem operis satisfactorii eliciti à naturâ finitâ quam sibi assumpsit, nihil vetat quo minùs ut suppositum summè dignum per hanc naturam agens, valorem influat infinitum, licet ille actus quatenùs producitur physicè et quantùm ad entitatem finitus sit. Imò, hæc duo in satisfactoriis Christi operibus reverà concurrere, seu hæc opera esse simul ratione entitatis finita et valoris infiniti, ex dictis manifestum est.

Obj. 3°: Illa satisfactio non fuit æquivalens quam Deus liberè acceptavit; atqui Christi satisfactionem Deus liberè acceptavit; siquidem liberè consensit ut pœna à peccatoribus solvendo imparibus debita in Christum transferretur; ergo, etc. — Distinguo maj.: Quam Deus liberè acceptavit seu potuit non acceptare positâ etiam substitutione Christi in locum nostrum, concedo; antecedenter ad ejusmodi substitutionem, nego. Eo igitur sensu satisfactio Christi acceptatione indiguit, quòd opus fuerit Deum liberè consentire ut Christus in locum nostrum ad satisfactionem exhibendam substitueretur. Nobis Deus potuisset pœnam quam debebamus infligere, nec nisi ex summâ misericordiâ voluit Christum sponsorem nostrum constitui, qui pro nobis solveret. At, posito decreto Christum loco nostro subrogandi, Deus non potuit exhibitas sibi à Christo satisfactiones posthabere, sed eas utpote æquivalentes

et superabundantes ab illo acceptari omninò necesse fuit; ergo, etc.

Obj. 4° : Satisfactiones Christi superabundantes fuisse duplici potissimùm ratione probavimus, quarum una est Christum ipsam suam personam, ut terminantem naturam quam assumpsit, ad satisfaciendum pro nobis Deo obtulisse; atqui hæc ratio nulla est. Eà enim supponitur oblationem personæ infinitæ esse valoris infiniti; quod tamen admitti nequit; aliàs Beata Virgo, imò nos ipsi possemus pro genere humano satisfacere, Christum Dominum offerendo; ergo, etc. — Nego min.; ad probationem, distinguo : Ratione à nobis allatà supponitur oblationem personæ infinitæ ab hâc ipsâ personâ spontè peractam, esse valoris infiniti, concedo; secùs, nego. Nuda personæ Christi oblatio, qualis à Beatâ Virgine peragi potuit et à nobis ipsis inter orandum fieri potest, nullam personæ Christi depressionem, humiliationem et mactationem secum infert atque importat, nullum etiam in Christi personam dominium speciale includit; quapropter nonnisi objectivè et extrinsecè infinita dici potest, intrinsecè verò et reipsà poni debet finita. At verò, cùm Christus suam ipsam personam ut terminantem suam humanitatem Deo pro nobis in victimam obtulit, atque idcircò pœnis, opprobriis ac morti spontè subjecit, ille actus 1° summam personæ illius infinitæ ut naturam humanam terminantis depressionem secum importabat; 2° exercebatur vi dominii quod Christo Domino ut homini in seipsum competebat. Ergo in oblatione suî ipsius in victimam à Christo peractâ, quidquid ad valorem in genere satisfactionis summam et infinitum necessarium est, occurrit; illud contra deest in oblationibus illis Christi Domini quas unusquisque inter orandum exercere potest.

Obj. 5° : Idem argumentum quo valor satisfactionum Christi probatur infinitus, probaret etiam singulos actus ejus satisfactorios fuisse infiniti valoris; atqui posterius falsum est. Nam si unusquisque actus satisfactorius quem Christus elicuit valore donatur infinito, ergo 1° omnes actus ejus satisfactorii sunt æqualis valoris, siquidem non datur infinitum majus infinito; sed absurdum foret æqualem valorem omnibus satisfactoriis actibus Christi attribuere : quis, v. c., tantam ad satisfaciendum vim adscribet alicui orationi Christi, quàm actibus amoris, sacrificii et subjectionis, quibus sese passionis doloribus et ipsi etiam neci objecit? quis totam actuum satisfactoriorum à Christo elicitorum collectionem non majori ad satisfaciendum virtute præditam existimabit, quàm unum tantùm hujusce collectionis actum? Ergo 2° inutilis fuisset mors Christi: quippe quam non subiisset nisi post jam à se elicitos infiniti valoris satisfactorios actus. — Nego min. Ad primam probationem, respondent multi valorem substantialem seu ex dignitate personæ satisfacientis petitum, unum eumdemque inesse omnibus actibus Christi satisfactoriis, atque eos omnes hâc ratione esse planè æquales. Negant verò id esse absurdum, nam, inquiunt, valor ex eodem infinito fonte scaturiens, nempe ex dignitate personæ infinitæ, infinitus sit, et semper æquè intensus necesse est. Argumenta autem quibus hæc satisfactoriorum actuum Christi impugnatur æqualitas, solùm ubi de valore ejusmodi actuum essentiali aut accidentali agitur, locum habere posse statuunt, atque ea ad valorem eorumdem actuum personalem vetant referri. Nobis tamen videtur eos actus satisfactorios Christi quibus major involvebatur ejus personæ depressio, majorem ex hujusce personæ dignitate consequi debuisse valorem. Comparatione aliquâ liceat rem explicare : fingamus animo duo corpora cylindrica, inter se secundùm crassitiem diversa, infinitè verò secundùm longitudinem protensa; evidens est duo illa corpora, etsi longitudine paria et perinde infinita, ita differre tamen à se invicem, ut infinitas longitudinis, in crassiori corpore, quantitati materiæ majori applicetur. V. g., si diametri crassitiei ejusmodi corporum sint ut unum et duo, infinitas longitudinis, ut ex geometris liquet, in crassiori afficiet quadruplicem materiæ molem; ex quo sequitur corpus illud crassius, etsi non longius altero, esse tamen ad illud ut quatuor ad unum, et æquivalere quatuor corporibus quæ minori corpori crassitie paria forent, et infinitè secundùm longitudinem protensa. Simili quâdam ratione majorem valorem adscribimus actibus satisfactoriis quibus sese Christus coram Deo magis nostrî causâ humiliavit. Nempe, etsi res ejusmodi subjicere calculis nefas sit, attamen optimè concipitur valorem personalem et infinitum actûs alicujus satisfactorii, fuisse ad valorem similem alterius actûs, ut depressio et humiliatio Christi illo actu comprehensa, ad humiliationem altero actu inclusam se habebat. His verò præmissis sic in formâ, distinguo : Ergo omnes actus satisfactorii à Christo eliciti sunt æqualis valoris, quâ parte sunt ejus voluntariæ humiliationes, abstrahendo ab ejusmodi humiliationum gradu, concedo; quâ parte involvunt ejusdem voluntarias humiliationes majores vel minores, nego. Actibus quibus Christus ad compensandam injuriam Deo per peccata illatam, sese coram eo spontè humiliavit, ejusmodi, inquam, actibus secundùm omnes illorum gradus applicatur valor ille infinitus qui ex infinitate ipsius personæ sese voluntariè propter Deum deprimentis oritur. Quapropter, etsi omnes illæ actiones valorem infinitum ex ejusmodi infinitate personæ satisfacientis consequantur, et sub eo respectu pares sint, attamen, habità ratione depressionis et humiliationis voluntariæ majoris vel minoris quam includunt, una earum potest pluribus aliis æquivalere, proindeque, etc.

Ad secundam probationem, nego sequelam. Non necessaria quidem fuit de se mors Christi, ut condigna satisfactio pro nobis ab ipso exhiberetur, cùm una sanguinis ejus gutta, ut vidimus, nobis redimendis sufficere potuisset. Sed omninò necessaria fuit illa mors 1°, juxta decreta Dei, qui multis sapientissimis de causis genus humanum nonnisi meritis mortis Christi salvare statuerat. *Si posuerit pro peccato animam suam*, inquit Isaias, 53, v. 10, *videbit semen longævum*. Hinc præceptum pro nobis moriendi Christo impositum, Isaiæ 53, v. 5 et 6, Joan. 10, v. 18, Philip. 2, v. 8. 2° Ne-

cessaria fuit juxta intentionem Christi, qui, tum ut voluntati Patris sese perfectiùs subjiceret, tum ut nobis majora daret amoris signa, nosque à vitio efficaciùs retraheret, et ad virtutem fortiùs alliceret, suâ morte voluit perfici et consummari negotium nostræ salutis, adeò ut eam solam per se obtulerit intentione satisfaciendi, cæteros verò actus suos per se independenter à morte suâ ad hunc finem dirigere noluerit. Quæ quidem ex Scripturis constant, redemptionem nostram, liberationem et salutem virtuti mortis Christi perpetuò alligantibus.

Obj. 6° : Valor actionum Christi non est increatus, aliàs ab æterno existeret; sed quod non est increatum, creatum sit, ac proinde finitum, necesse est, ergo. — Dist. min.: Quod non est increatum, creatum sit, etc., si sit ens physicum et entitate quâdam physicâ præditum, concedo ; si sit tantùm aliquid morale in relatione quâdam actionis ad dignitatem personæ agentis solùm consistens, nego. Valor satisfactionum Christi nec creatus est nec increatus, quia solum ens physicum creari potest. Consistit verò ille valor in aliquo morali, id est, in relatione quâdam actionis satisfactoriæ ad personæ satisfacientis dignitatem, quâ relatione datur fundamentum morali seu prudenti æstimationi actionis. Neque ejusmodi valor in genere moris à nobis hìc fingitur ut Christi satisfactionum infinitati explicandæ usui nobis sit. Nam honestas et meritum actionum moralium, valor satisfactionum quas aliquando homines personis à se læsis seu proprio motu, seu juxta leges humanas impendunt, gravitas pariter vel levitas offensæ, hæc sunt totidem entia, si ita loqui fas est, moralia, in relationibus quibusdam posita justæ æstimationi fundamentum præbentibus.

Obj. 7° : Si valor actionum Christi fuit infinitus, potentia Dei in ordine ad hunc valorem fuit exhausta; sed hoc absonum videtur; ergo, etc. — Nego maj. 1° Quia saltem numericè et extensivè posset divina virtus ulteriùs progredi, si nempe mysterium ejusmodi denuò produceretur. 2° Quia aliud est Dei potentiam esse exhaustam, aliud est nullum esse ulteriorem terminum possibilem qui attingi possit. Prius importaret privationem aliquam et defectum virtutis, quia supponeret dari terminum ulteriorem possibilem, quo potentia divina non posset pertingere. Posterius ejusmodi privationem non arguit, cùm termini ulterioris possibilitatem neget. Ergo ex proposito argumento non sequitur potentiam Dei dici posse exhaustam, quemadmodùm exhausta dici nequit scientia divina, eo quòd omne intelligibile comprehendat, nec ulterior in eâ dari possit progressus.

ARTICULUS II.

Utrùm satisfactio Christi fuerit ex propriis et ex aliàs indebitis.

Vasquesius, dissert. 8, cap. 4 et 5, post Joannem Medinam et alios quosdam theologos, censet Christum neque *ex propriis* neque *ex aliàs indebitis* satisfecisse. Atque defectu hujusce conditionis arbitratur ejus satisfactionem, licet condignam et superabundantem, non fuisse tamen perfectam ex rigore justitiæ. Ratio quam affert hæc est, Christum per bona opera humanitatis suæ satisfecisse, hæc verò opera magis fuisse sub dominio Dei quàm Christi secundùm humanitatem considerati.

Suarez, dissert. 4, sect. 6, negat quoque Christum satisfecisse *ex propriis*. Sed à mox expositâ sententiâ in hoc recedit, quòd nihilominùs existimet Christi satisfactionem ex rigore justitiæ fuisse perfectam. Ipse audiendus est ex discrimine inter satisfactionem et restitutionem agnoscendo suam sententiam confirmans : « Restitutio, inquit, versatur in rebus datis et acceptis, quia per eam reparatur damnum illatum alteri in bonis suis. Satisfactio autem versatur in actionibus, quia per eam intenditur injuriæ recompensatio. Hinc fit ut in restitutione multùm pendeat æqualitas ex dominio quod restituens vel in alium transferre potest ; ad satisfactionis verò æqualitatem, hoc non est per se necessarium, sed sufficit illud dominium quod est intrinsecum operi libero. Satisfactio enim non fit nisi per opus liberum cujus operans est dominus, quia ratio satisfactionis non consistit in translatione dominii alicujus rei, sed in hoc solùm ut tantùm reverentiæ et honoris impendatur, quantùm injuriæ illatum fuit. Et ideò quòd Deus habuerit dominium actionum Christi non repugnat cum justitiâ perfectâ illius satisfactionis. » Ita Suarez de conditione *ex propriis* statuit. Conditionem verò *ex aliàs indebitis* eo sensu satisfactioni Christi adscribit, quòd titulo justitiæ Christus actus satisfactorios Deo impendere aliàs non teneretur, licet titulo gratitudinis, dependentiæ, etc., omnia sua ad Deum deberet referre. Ad perfectam porrò et ex rigore justitiæ accuratam satisfactionem sufficere contendit titulo justitiæ aliàs non deberi eum valorem qui ad satisfaciendum exhibetur. Cardinalis de Lugo, de Incarn. Dissert. 4, sect. 3, n. 24 et 29, impugnatâ post Vasquesium Suaresii sententiâ, supponit Deum, tametsi omnes satisfactorios humanitatis Christi actus titulo dominii, religionis, obedientiæ, etc., potuit exposcere seu præcipere et exigere à Christo, reipsà tamen eos sibi his titulis vindicare noluisse. Unde colligit actibus satisfactoriis à Christo liberè exhibitis effectum ut Deus honorem perciperet, in quem 1°, antequàm à Christo sibi offeretur, nullum habebat dominium, quemque 2° Christus ipsi reverà nullo titulo debebat. Sic explicat de Lugo Christi satisfactionem fuisse *ex propriis* et *ex aliàs indebitis*. Gonetus, de Incarn. Dissert. 4, a. 4, § 4, conditiones *ex propriis* et *ex aliàs indebitis* Christi satisfactioni cum plerisque Thomistis adjudicat. Explicandæ verò conditionis *ex propriis* triplicem modum probabilem existimat. Primus est, in satisfactione non attendi translationem dominii, sed solùm honoris actu libero exhibiti condignitatem seu æqualitatem, proindeque illam satisfactionem esse ex propriis et ad rigorem justitiæ, quæ et injuriam illatam compensat, et fit actu libero. Alter est, dominium Dei in actus satisfactorios esse dominium commune et ejusdem generis ac illud quod in cætera omnia ipsi extrinseca

exercet. Christo autem per humanitatem agenti competit domininm speciale in actus satisfactorios, illud nempe dominium quod competit personæ in actus quos liberè elicit. Porrò, ut dominium generale et commune Dei in actus satisfactorios non impedit dominium speciale quod in eosdem habet Christus, ita non potest officere ne Christus, quatenùs satisfecit actibus in quos habet dominium illud speciale, dicatur satisfecisse ex propriis. Tertius modus explicandi conditionem *ex propriis* Goneto probabilis visus, iste est, valorem satisfactionum Christi oriri ex dignitate personæ Christi quæ est independens. Quod attinet ad conditionem *ex aliàs indebitis*, existimat Gonetus, § 5, hanc competere satisfactioni Christi, quia, etsi titulo gratitudinis, dependentiæ, religionis, etc., Christus hos actus Deo deberet, attamen non ii erant illi tituli, qui materiam ejusmodi actuum multiplicari postularent, nec proinde qui pluralitatem debitorum inducerent; quidquid igitur diversi ejusmodi tituli exigebant, illud à Christo iisdem actibus quibus satisfecit, potuisse exhiberi et præstari.

Turnelius, Witasius, etc., opinantur Christi satisfactiones fuisse *ex propriis*, quia, etsi earum entitas et valor objectivus et accidentalis essent sub dominio totius SS. Trinitatis, attamen valor earum personalis, qui ad compensandam injuriam per peccatum illatam impensus est, totus à divinæ Christi personæ dignitate oriebatur, ac idèo erat solius Christi satisfacientis. Quid sentiamus aperiet sequens

Conclusio. Etsi ipse valor personalis satisfactionum Christi potuerit exigi à Deo, et hoc ipso quo extitit, sub dominio totius SS. Trinitatis per se fuerit constitutus, et ad Deum saltem ut ad finem ultimum à Christo debuerit referri, attamen Christus Dominus, quantùm ad rigorem justitiæ requiritur, *ex propriis* et *ex aliàs indebitis* satisfecisse dicendus est.

Probatur prima pars, nempe valorem etiam personalem, seu radicalem seu derivatum actionum Christi, hoc ipso quo extitit, sub dominio totius Trinitatis constitutum fuisse. Nam 1° ille valor, quamvis in aliquo morali totus consistat, Deo tamen extrinsecus est, alioqui non potuisset ipsi in satisfactionem offerri. Sed quidquid est Deo extrinsecum sub ejus dominio sit necesse est; ergo. Nec reponas valorem ejusmodi ex Verbi ipsius personæ naturam humanam terminantis dignitate esse ortum. Nam quocumque modo et sub quocumque respectu ille valor à Deo Verbo profluat, nihilominùs dominio divino subjicitur, hoc ipso quo Deo extrinsecus est. 2° Nonne Deus potuisset exigere ut Christus ejusmodi valorem ad hunc vel illum finem referret, huic vel illi homini applicaret? nonne ipsi ita statuenti Christus homo debuisset parere? Potuit igitur Deus, secundùm sapientiæ suæ leges, de illius valoris usu pro arbitrio statuere; ergo, etc. 3° Impossibile fuit ut Christus naturâ impeccabilis valorem personalem suarum satisfactionum ad Deum non referret; sed in eum valorem Deus profectò dominium habet, quem ad eum referri necesse est; ergo, etc. 4° Quidquid est sub dominio voluntatis creatæ Christi, illud dominio Dei seu totius SS. Trinitatis subjici necesse est; atqui valor personalis satisfactionum Christi est sub dominio speciali voluntatis creatæ Christi; siquidem actus satisfactorios solâ suâ voluntate creatâ elicuit, et eorum valorem eâdem solâ voluntate obtulit; ergo, etc.

Probatur secunda pars, nimirùm valorem etiam personalem satisfactionum Christi debuisse ad Deum ut ad finem ultimum referri. Enimverò, quidquid est Deo extrinsecum, quidquid dominio voluntatis creatæ subjacet, necessariò ad Deum ut ad finem ultimum debet referri; atqui, ex modò dictis, valor etiam personalis satisfactionum Christi Deo extrinsecus est, neque enim ejus est attributum aut proprietas, aut modus; dominio quoque voluntatis creatæ Christi, seu dominio personæ Christi per voluntatem humanam operantis subjicitur, ut pariter dictum est; ergo, etc. Præterea vel ad Deum ut ultimum finem à Christo referri debuit ille valor, vel ad alium finem, vel ad nullum; atqui absurdè et impiè diceretur ejusmodi valorem à Christo per humanitatem operante potuisse referri ad ultimum finem à Deo diversum, vel etiam ad nullum finem; ergo, etc.

Probatur ex Scripturis tertia et quarta pars simul, Christum videlicet, quantùm ad rigorem justitiæ requiritur, *ex propriis et aliàs indebitis* satisfecisse. Enimverò, satisfactio Christi in Scripturis nominibus emptionis, redemptionis, solutionis, pretii, etc., designatur, ut videre est 1 Cor. 6 et 7, 1 Petri 1, etc., quæ vocabula æqualitatem rigorosæ justitiæ exprimendi vim habent. Ergo satisfactio Christi, quantùm ad rigorem justitiæ requiritur, *ex propriis et aliàs indebitis* fuisse dici debet.

Probatur præterea tertia pars seorsim, ex ratione theologicâ. Ut Christus de suo seu *ex propriis* quantùm ad rigorem justitiæ requiritur, satisfecerit, sufficit 1° valorem satisfactionum ejus à propriâ ejus personâ provenisse; 2° ipsum habuisse in eumdem valorem aliquod speciale dominium, illud scilicet quod actui libero in suî valorem est intrinsecum. Atqui hæc duo Christi satisfactionibus conveniunt; ergo, etc. Major evincitur, quia vel illa duo ut Christi satisfactio juxta rigorem justitiæ sit *ex propriis*, sufficiunt; vel insuper requireretur Deo nullum competere in valorem personalem satisfactionum Christi dominium, nisi quod ex earum liberâ oblatione percipit; atqui, ut satisfactio Christi juxta rigorem justitiæ sit *ex propriis*, istud postremum minimè necessarium est. Etenim in satisfactione non agitur de transferendo alicujus rei dominio, sed tantùm de redditione honoris. Modò igitur honos et ejus valor à personâ satisfaciente solùm proveniat, non ex donis illius cui satisfactio impenditur; modò præterea is honos exhibeatur liberè, et offensæ illatæ æquivaleat; parùm interest, utrùm is honos nequeat existere quin etiam præter ejus oblationem sibi factam, in illum habeat quemdam dominium persona cui satisfit. Certè quidem catenùs tantùm honos in compensationem injuriæ cuilibet exhibitus, vim satisfaciendi habere concipitur,

quatenùs ex dignitate personæ se deprimentis consequitur valorem, et voluntariè seu liberè ab eâ offertur, non verò quatenùs hujusce honoris dominium in eum cui satisfit transfertur; nec quisquam ad ejusmodi translationem dominii honoris cogitaverit, cùm purus homo coram altero homine se demittit ut ipsi satisfaciat. Honor actu libero personam honorandam respiciente redditur, non translatione dominii; proindeque quòd valor personalis satisfactionum Christi non possit esse quin hoc ipso, etiam citra ejus oblationem, sub dominio Dei ut et cætera omnia ipsi extrinseca constituatur, illud ad satifactionem ejus se habet per accidens, nec impedire potest quominùs ipsa sit *ex propriis* quantùm ad rigorem justitiæ necesse est; ergo, etc.

Minor porrò facilis est probatu. Valorem enim satisfactionum Christi à solâ ejus personâ totum provenisse patet, quia satisfecit Christus valore satisfactoriorum actuum suorum personali; atqui is valor totus oritur à dignitate solius personæ Christi, ut dictum est. Natura quidem humana et facultates quibus eos actus Christus elicuit, dona etiam gratiæ quibus illa humanitas instruitur, denique entitas ipsa actuum satisfactoriorum, sunt à totâ SS. Trinitate; quapropter valor tum essentialis tum accidentalis ejusmodi actuum, tanquàm munus à SS. Trinitate derivatum, etiam spectandus est. At alia est ratio valoris personalis. Is à dignitate personæ Filii Dei sese per humanam naturam ad satisfaciendum humiliantis et deprimentis totus reperitur, nullâ ad id formaliter interveniente SS. Trinitatis operatione; ergo valor satisfactionum Christi ab ipso solo totus profectus est. Jam porrò Christum in ejusmodi valorem habuisse speciale aliquod dominium, nempe illud quod intrinsecum est actui libero, seu, quod idem est, illum valorem ab ipso liberè fuisse in satisfactionem impensum, testantur sacræ litteræ in quibus libertas Christi disertè exprimitur. *Oblatus est*, inquit Isaias, 53, v. 7, *quia ipse voluit. Ego*, ait ipse Christus, Joan. 10, v. 18, *pono eam* (animam meam pro ovibus meis) *à me ipso, et potestatem habeo ponendi eam.* Verùm Dissertatione sequenti ex professo libertatem Christi Domini adstruemus et exponemus; ergo, etc.

Probatur quoque seorsim ex ratione theologicâ quarta conclusionis pars, nempe Christum, quantùm rigori justitiæ necesse est, satisfecisse *ex aliàs indebitis*. Nam duplex tantùm causa posset officere quominùs *ex aliàs indebitis* Christus satisfecisset. Prior est, si valor ejus satisfactionum titulo justitiæ, aut saltem titulo gratitudinis, id est, propter dona accepta Deo fuisset debitus, et ejusmodi extinguendo debito totus consumeretur; altera est, si alii tituli, puta religionis, finis ultimi, etc., eumdem valorem ad Deum referri exigentes, actuum seu officiorum multiplicitatem de se etiam postularent; seu si Christus valorem actuum suorum in satisfactionem offerendo, simul aliis ejusmodi titulis non satisfecisset. Atqui propter neutram ejus modi causam Christi satisfactio dici potest non esse *ex aliàs indebitis*. Primò enim nec titulo justitiæ, nec titulo gratitudinis, uno verbo, non propter dona sibi collata Christus debuit Deo valorem satisfactionum suarum; valor enim ille infinitus est; quæcumque verò Christus à Deo accepit, nempe tum humana Christi natura, tum gratiæ quibus hæc natura ornatur, tum ipsa unio hujus naturæ ad Verbum, non sunt dona in se infinita; humana quippe Christi natura finita est, et quæcumque dona Christo concessa, utpote in ejus humanitate recepta, finita sunt; ergo, etc. Secundò, Christus satisfactiones suas ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam exhibendo, simul ea necessariò explevit quæ religio et obedientia, tum ratio finis ultimi, quæ Deo inest ab eo postulabant. Includunt enim in se actus satisfactorii à Christo eliciti, et eorum valoris oblatio perfectissimam excellentiæ et dominii Dei testificationem et agnitionem; ergo, etc.

Obj. 1° : Valor satisfactionum Christi oritur à personæ ejus dignitate, imò ejus personam ut partem pretii includit; atqui valor ortus à dignitate personæ Christi, et ejus personam ut pretii partem includens, non est sub dominio Dei seu totius Trinitatis, cùm persona Christi sit ipse unigenitus Dei Filius necessariò existens et à nullo pendens; ergo, etc. Dist. secundam partem maj. : Ejus personam ut partem pretii includit, id est, valorem humiliationum voluntariarum et oblationis illius personæ ut terminantis naturam humanam, concedo; includit ejus personam in se sumptam et ratione sui ipsius, nego. Valor actuum quibus Christus satisfecit, potuit Deo exhiberi seu persolvi; sed divina Christi persona in se sumpta non potuisset hocce modo exhiberi Deo et persolvi; ergo divina Christi persona in se sumpta non est pars pretii quod pro nobis oblatum est. Quo sensu ergo dicitur persona Christi fuisse pars satisfactionum ejus? eo scilicet quòd actus satisfactorii, quos humanâ suâ naturâ elicuit, nempe actus humiliationis, depressionis et oblationis sui ipsius, ex personæ illius dignitate summum consecuti sint valorem, quo, etsi entitate finiti, infinitæ tamen exhibendæ satisfactioni pares fuerunt. Cùm ergo ille valor ex dignitate personæ Christi derivatus, divinæ ejus personæ in se sumptæ extrinsecus sit, liquet illum esse sub dominio Dei, ut supra probatum est.

Obj. adversùs tertiam partem : 1° Actus satisfactorios Christus naturâ suâ humanâ summis gratiæ donis instructâ elicuit; ergo, cùm natura humana Christi et ejus dona à totâ SS. Trinitate provenerint, cùmque ejusmodi actibus SS. Trinitas concurrerit, evidens est actus illos fuisse dona SS. Trinitatis; proindeque Christum *ex propriis* non satisfecisse. 2° Saltem Christi satisfactionum valor ex unione hypostaticâ proveniebat; atqui unionem hypostaticam tota operata est Trinitas, ut alibi docuimus. 3° Vel valor satisfactionum Christi dicetur oriri à personâ Christi ut divinâ, vel à personâ Christi ut naturam humanam terminante, id est, vel à Christo ut Deo, vel à Christo ut homine. Si prius, ergo saltem non sibi ut Deo, nec proinde ipsi etiam Trinitati Christus satisfecit *ex pro-*

priis; si à Christo ut homine, ergo valor ejus satisfactionum non erit infinitus, utpote ortus à Christo sub eâ ratione spectato sub quâ infinitus non est, ergo, etc. Ad primum, dist. conseq.: Actus satisfactorii, quoad entitatem, fuerunt dona SS. Trinitatis, concedo; spectati quantùm ad valorem, subdist.: Quantùm ad valorem essentialem et accidentalem, petitum nempe ex objecto, fine, gratiâ et intentione, concedo; quantùm ad valorem personalem petitum ex personæ dignitate, nego. Solutio patet ex sæpiùs inculcatis. Ad secundum, dist. maj.: Valor satisfactionum Christi, ex unione hypostaticâ tanquàm à conditione prærequisitâ, proveniebat, concedo; tanquàm à vero et proximo fonte, nego. Christus satisfecit valore illo qui in actus à naturâ ejus humanâ elicitos idcircò diffluebat, quòd propter unionem hypostaticam illi actus essent verè et propriè personæ Filii Dei per humanitatem operantis. Atqui ejusmodi actuum valor supponit quidem hypostaticam naturæ humanæ cum Verbo divino unionem, sed ex illâ unione verè non manat, sed tantùm ex dignitate personæ Verbi per humanitatem operantis; ergo, etc. Ad tertium, distinguo etiam maj.: Valor satisfactionum Christi vel oritur à personâ Christi ut divinâ, vel à personâ ejusdem ut terminante naturam humanam, si illud, *ut terminante naturam humanam*, significet tantùm conditionem requisitam ut Verbum in actus satisfactorios valorem personalem influat, concedo; si significet non tantùm ejusmodi conditionem, sed etiam principium formale hujusce valoris, nego. Origo seu fons et principium formale valoris actuum satisfactoriorum Christi, est ipsa ejus persona divina, nempe Verbum divinum; non confert autem Verbum illum valorem, nisi supposità aliquâ conditione, nempe nisi positâ cum ipso hypostaticâ humanitatis hos actus elicientis unione. Atque eo sensu meritò dicitur catenùs influere in ejusmodi valorem, quatenùs terminat et sibi physicè conjungit naturam humanam. Verùm neque illa humanitas, neque dona quæcumque quibus ornatur, neque ipsa ejus unio cum Verbo, sed solum ipsum Verbum cui hæc natura unitur, est principium formale et verus fons valoris actuum quibus Christus pro nobis satisfecit.

ARTICULUS III.

De quartâ conditione satisfactionis Christi, nempe eam satisfactionem fuisse ad alterum.

Quidam, ut explicarent satisfactionem Christi fuisse *ad alterum*, docuerunt ipsum sibi ut Deo non satisfecisse, nec proinde toti SS. Trinitati, sed tantùm Patri divino, qui est persona ab ipso distincta. Vasquesio visum est Christi satisfactionibus hanc etiam conditionem abjudicandam esse, nempe eas non fuisse *ad alterum*, nec proinde ex justitiâ propriè; licet tamen, inquit, fuerint ex rigore dignitatis et meriti æquales, et in hoc servatus sit rigor justitiæ generalis ad quam non requiritur conditio illa *ad alterum*. Plerique sentiunt Christum toti satisfecisse SS. Trinitati, et satisfactionem ejus quâ parte sibi ut Deo satisfecit, quantùm satis est, ad alterum fuisse.

Conclusio. Christus toti SS. Trinitati satisfecisse dicendus est; et quidem quantùm satis est ad alterum, etiam quâ parte sibi ut Deo satisfecit.

Probatur prima pars 1° ex Scripturis juxta quas Christus *nos Deo reconciliâsse* dicitur, ac proinde toti Trinitati quæ Deus est. 1 ad Timoth. 2, v. 5: *Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* Ubi nomen *Deus*, utpote non restrictum, accipiendum est pro Deo trino in personis, seu pro SS. Trinitate; ergo Christus mediator est inter SS. Trinitatem et homines, proindeque, etc. 2° Ex S. Augustino qui, lib. 13 de Trinit. cap. 11, n. 15, satis significat Christum non tantùm Patri, sed et sibi ac proinde toti Trinitati satisfecisse, dùm ita loquitur: *Quid est, reconciliari per mortem Filii ejus? Itane verò, cùm irasceretur nobis Deus Pater, vidit mortem Filii sui pro nobis et placatus est nobis? Numquid ergo Filius ejus usque adeò nobis. jam placatus erat, ut pro nobis etiam dignaretur mori; Pater verò usque adeò adhuc irascebatur, ut nisi Filius pro nobis moreretur, non placaretur?* Et infra: *Omnia ergo simul et Pater et Filius et amborum Spiritus et pariter et concorditer operantur.* Clariùs S. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 2, n. 23: *Reconciliati sumus*, inquit, *per solum Filium secundùm carnem, sed non soli Filio secundùm divinitatem. Trinitas enim nos sibi reconciliavit per hoc quòd solum Verbum carnem ipsa Trinitas fecit.*

3° Ratione theologicâ evidenti. Iis SS. Trinitatis personis perinde ac Patri Christus satisfecisse dicendus est, quibus eadem est ac Patri majestas per peccatum læsa, quæ eâdem voluntate ac Pater peccatoribus iratæ erant, quæ eâdem misericordiâ eodemque actu cum Patre propter satisfactiones Christi peccata condonârunt; enimverò, si majestas Patris et Spiritûs sancti per peccatum læsa, eadem est ac majestas Filii, non potuit Christus injuriam majestati Patris ac Spiritûs sancti per peccatum illatam satisfactionibus suis compensare et resarcire, quin et suæ majestati simul satisfaceret. Atqui Filio et Spiritui sancto eadem est ac Patri majestas per peccatum læsa; eâdem voluntate quâ Pater in peccatores irati erant; uno eodemque actu, unâ eâdemque misericordiâ cum Patre delicta hominibus condonârunt; ergo, etc.

Probatur secunda pars, nempe Christum quâ parte sibi ut Deo satisfecit, quantùm necesse est, satisfecisse ad alterum. Nam ea satisfactio est sufficienter ad alterum, quæ est à personâ propter distinctionem naturarum, voluntatum et operationum, virtualiter et æquivalenter distinctâ, et dominium distinctum habente. Enimverò, ubi persona satisfaciens propter naturæ, voluntatis et operationis diversitatem distinguitur virtualiter et æquivalenter à personâ cui satisfit, habetque bona propria et diversum dominium, tunc planè concipitur ejusmodi personam, quatenùs habet talem naturam, tale dominium, talia bona, posse secum, quatenùs habet aliam naturam et aliud dominium, legitimos inire contractus mutuam oblationem inducentes; et offerre sibi ipsi bona quæ ex se proveniunt sub uno respectu, ut à se ipsâ sub alio respectu seu

aliâ voluntate accipiantur et grata habeantur. Cujus quidem rei exemplum aliquod imperfectum etiam in humanis haberi potest. Nam ponamus à magistratu supremo ex ærario publico fuisse extractam pecuniæ summam in communes usus, à singulis postmodùm uniuscujusque facultatum habitâ ratione, ærario restituendam; nonne ejusmodi magistratus, ubi solvit postea partem quam ut privatus debet, tunc sibi ut personæ publicæ satisfacere intelligitur, quia duplex nomen sustinet? Ergo multò magis persona æquivalenter duplex, propter realem naturarum, voluntatum et actionum distinctionem, dicenda est sibi posse impendere satisfactionem quæ sit sufficienter ad alterum.

Atqui in Christo 1° persona est propter realem naturarum, voluntatum et actionum distinctionem æquivalenter duplex; etenim juxta fidem catholicam, Dissert. 4, cap. 3 et 4, contra Eutychianos et monothelitas assertam, natura divina et natura humana, sine ullâ confusione, in Christo conjunctæ sunt. Utrique ejusmodi naturæ sua est voluntas, sua et operatio, ita ut una ejus persona quæ est persona Verbi, per divinitatem operetur quæ divinitatis sunt, et per humanitatem quæ sunt humanitatis. 2° Duplex etiam est proinde in Christo dominium : aliud nempe sibi cum Patre et Spiritu sancto commune, quod divinâ suâ voluntate exercet ; aliud quod sibi ut humanâ voluntate operanti competit. 3° Denique satisfecit Christus actibus humanâ suâ voluntate elicitis, et valore ex suâ personâ ut terminante naturam humanam, et per eam agente derivato ; ergo, etc.

Totum illud ratiocinium confirmatur Oratione secretâ quæ feriâ 3 Paschatis jamdudùm legitur in Ecclesiâ Parisiensi : *Deus..., propitiare supplicationibus nostris, ut interpellans pro nobis Pontifex summus, nos per id quo nostri est similis reconciliet; et per id quo tibi* (Deo Patri) *est æqualis, absolvat Jesus Christus Filius tuus Dominus noster.*

Dices 1° : Si Christus sibi ut alteri satisfecisset, deberet admitti in Christo alter et alter; atqui in eo consistebat Nestorii hæresis, quòd in Christo alterum et alterum admitteret; ergo, etc. — Dist. maj. : Deberet in Christo admitti alter et alter virtualiter, seu æquivalenter, concedo; realiter, nego. In eo erravit Nestorius, quòd diceret in Christo duplicem esse realiter personam; ut verò satisfactio Christi, ut explicatum est, dicatur fuisse quantùm satis est ad alterum, admittenda est duntaxat in eo persona unica, nempe persona Verbi Dei, quæ propter naturarum, voluntatum et operationum Christi distinctionem, duplici æquivaleat.

Dices 2° : Multæ Christo ut homini injuriæ factæ sunt, v. g., cùm à Judæis rejectus est et cruci affixus ; atqui Christus non potuit sibi satisfacere ut homini ; ergo, etc. — Concedo totum argumentum. Christus sibi ut homini non satisfecit, sed ut homo, injurias sibi ut homini factas, quatenùs ejus humanitatem spectabant, gratis condonavit. In quantum verò ejusmodi injuriæ erant offensæ Dei, Christus pro iis toti Trinitati, ac proinde etiam sibi ut Deo condignè satisfecit.

Dices 3° : Valor satisfactionum Christi ortus est à Christo ut Deo, non à Christo ut homine ; atqui Christus ut homo non potuit sibi ut Deo satisfacere per eum valorem qui à se ut Deo tantùm oriebatur; ergo, etc. — Dist maj. : Valor satisfactionum Christi ortus est à Christo ut Deo, id est, ut à personâ divinâ terminante naturam humanam et per eam agente ; non ortus est à Christo ut homine, id est, ab humanitate Christi, concedo ; ortus est à Christo ut Deo, id est, ab ejus personâ ut terminante naturam divinam ; non ortus est à Christo ut homine. id est, à personâ Christi ut terminante naturam humanam, seu à Christo ut tali homine, nego. Valor satisfactionum Christi oritur à divinâ ejus personâ quatenùs terminat naturam humanam quâ actus satisfactorios elicuit, ac proinde ortus est à Christo ut hoc homine, seu ut est talis persona habens humanitatem. Nempe personalitas divina Verbi, prout concipitur terminans naturam assumptam, cum eâ constituere concipitur personam Christi, ut agentis per naturam humanam, adeòque pro nobis satisfactoriós actus producentis, tum eis valorem conferentis, quem ad compensandum Dei honorem peccato læsum obtulit. Cùm igitur infinitus valor satisfactionum Christi dicitur ortus ab ipso ut Deo, non ab ipso ut homine, sensus est non esse ortum ab ejus humanitate, sed à divinâ ejus personalitate humanam terminante naturam. Proindeque, etc.

ARTICULUS IV.

Utrùm satisfactio Christi fuerit ad strictos juris apices?

Qui aliquas ex hactenùs enumeratis conditionibus, Christi satisfactioni defuisse opinantur, ii consequenter negant ejus satisfactionem fuisse ad strictos juris apices. Contra verò qui illas conditiones satisfactioni Christi adscribunt, hanc etiam fuisse secundùm justitiæ summum rigorem contendunt. Justitia autem de quâ hìc agitur, est præsertim justitia commutativa, in quâ æqualitas rei ad rem maximè attenditur, vel etiam vindicativa , in quâ pœnæ gravitas offensæ gravitati respondet.

Conclusio. Satisfactio Christi fuit ad strictos justitiæ apices. Probatur 1° ex Scripturis, tum quia in iis, ut jam observatum est, nominibus emptionis, redemptionis, solutionis, pretii, satisfactiones Christi designantur ; quæ nomina ad æqualitatem justitiæ commutativæ propriam significandam nata sunt; tum quia Rom. 3, v. 25, Apostolus ait Christum à Deo *propositum* fuisse *propitiationem per fidem in sanguine ejus ad ostensionem justitiæ suæ.* Probatur 2° ex SS. Patribus. Hìc recurrunt testimonia SS. Patrum superiùs, Dissert. V, cap. 5, adducta ad evincendum in hypothesi condignæ et accuratæ satisfactionis necessariam fuisse Incarnationem. Dùm enim aiunt SS. doctores ideò necesse fuisse à Christo nos redimi, quia à puro homine pretium sufficiens offerri non potuisset, planè supponunt Christum accuratè et secundùm justitiam satisfecisse. Unum igitur aut alterum locum hìc addere sufficiet. S. Augustinus, lib. 13 de Trinit. cap.

13, n. 17 : *Placuit Deo*, inquit, *ut propter eruendum hominem de diaboli potestate, non potentiâ diabolus, sed justitiâ vinceretur.* Et lib. 3 de libero Arbitrio, cap. 10, n. 31, ait Christum *nihil ei* (dæmoni) *extorsisse violento dominatu, sed superâsse eum lege justitiæ.* S. Leo, serm. 12 de Passione, cap. 2 : *Ad dominationem*, ait, *diaboli destruendam, magis usus est* (Christus) *justitiâ rationis, quàm potestate virtutis.* Probatur 3° ratione theologicâ. Nam Christus satisfecit juxta leges justitiæ vindicativæ et juxta leges justitiæ commutativæ. 1° Secundùm leges justitiæ vindicativæ, siquidem exsolvit pœnam valoris infiniti propter personæ suæ dignitatem ; atqui pœnam peccato debitam pœna valoris infiniti abundè compensabat ; non debetur enim peccato, nec potest infligi peccatori supplicium quod satisfactionibus infiniti valoris compensari et exæquari, imò superari nequeat ; ergo, etc. 2° Satisfecit Christus secundùm leges justitiæ commutativæ ; in eo enim positæ sunt illæ leges quòd ex propriis et ex aliàs indebitis reddatur æquivalens ; atqui Christus satisfaciens pro nobis, honorem honori Deo per peccatum ablato non solùm æquivalentem, sed etiam superabundantem, ex propriis et ex aliàs indebitis reddidit, ut dictum est ; ergo, etc.

Dices 1° : Nulla potest esse justitia hominis ad Deum, cùm nulla possit esse æqualitas ; ergo, etc. — Dist. : Nulla potest esse justitia hominis puri ad Deum, concedo ; Hominis-Dei, nego. Idcircò nulla est justitia strictè dicta hominis ad Deum, 1° quia nihil potest offerre homo purus quod ex Deo non proveniat, et ipsi titulo rei acceptæ non debeatur ; 2° quia, ubi agitur de offensâ Deo illatâ, homo purus honorem ejusmodi offensæ compensandæ parem exhibere nequit. Sed ex dictis patet neutram illam rationem in Christo Homine-Deo locum habere ; ergo, etc.

Instabis : Saltem non est justitia propriè dicta inter filium et patrem ; atqui Christus est Filius Dei ; ergo. — Disting. majorem : Si Filius non habeat bona sibi propria, concedo ; si habeat, nego. Filius-familiàs est sub potestate patris, et idcircò quantùm ad bona quæ ejus patris sunt, eum inter et patrem nulla potest esse propriè dicta justitia. At si habeat bona propria, ut sunt bona castrensia aut quasi castrensia, nihil impedit quominùs ratione ejusmodi bonorum contrahat cum patre et veros justitiæ propriè dictæ actus erga eum exerceat. Porrò, persona Christi ut terminans naturam humanam, habet dominium bonorum sibi propriorum, nempe valoris infiniti satisfactionum suarum ex personæ suæ dignitate provenientis, quem valorem ad compensandam injuriam per peccata nostra Deo illatam, nosque à pœnis quas debebamus liberandos impendit ; ergo, etc.

Dices 2° : Satisfactio quæ fit ad strictos juris apices non indiget liberâ acceptatione : atqui satisfactio Christi indiguit liberâ acceptatione. Ergo non fuit ad strictos juris apices. — Negant minorem nonnulli theologi, censentes id exegisse dignitatem victimæ loco nostro se offerentis, ut preces ejus non possent non exaudiri, atque eò referunt illud Apostoli Hebr. 5 v. 7 : *Exauditus est pro suâ reverentiâ.* Verùm is locus solùm significat orationes et satisfactiones Christi ex personæ ejus dignitate maximum consecutas esse valorem, atque Deum ad ejusmodi valorem respexisse, cùm secundùm vota Christi nobis delicta condonavit. Quapropter juxta ea quæ passim superiùs dicta sunt, distinguo majorem : Satisfactio, quæ est ad strictos juris apices, non indiget liberâ acceptatione, si agatur de restitutione rerum, concedo ; si agatur de restitutione honoris et de pœnis luendis, subdistinguo : In hypothesi quòd satisfactio ad strictos juris apices ab ipso reo exhibeatur, concedo ; si ab altero loco rei, nego. Honoris læsi restitutio et pœnæ ob peccatum debitæ ab ipso sonte exigi possunt ; in quantum igitur ut Christus loco nostro satisfaceret et pœnas à nobis debitas lueret, consentit Deus, modumque ejus satisfactionum constituit et determinavit, in tantum liberè ejus satisfactiones pro nobis acceptâsse dicendus est. Cæterùm, posito decreto quo Christus sponsor noster factus est, jam non potuerunt non acceptari à Deo quas ipse obtulit satisfactiones.

Dissertatio ix.

DE INCARNATIONIS PROPRIETATIBUS.

De nonnullis mysterii Incarnationis proprietatibus jam non uno in loco disseruimus, prout methodus nobis id postulare visa est. Hic inquiremus, 1° de merito Christi ; 2° de donis animæ et corporis ipsi concessis, et de defectibus ab ipso assumptis. In duo igitur capita hanc dissertationem partiemur. Alia verò quæ ad varios Christi titulos et officia attinent, et mysterium Incarnationis etiam consequuntur, opportuniùs deinde specialibus dissertationibus tractabuntur.

CAPUT PRIMUM.

De merito Christi.

In memoriam revocanda est notio meriti de condigno quam supra tradidimus : quæstio enim circa ejusmodi meritum tota versatur. Quæritur autem 1°, utrùm Christus verè et propriè meruerit ; 2° quo tempore ; 3° per quos actus ; 4° quibus personis ; 5° quid tandem meruerit.

Conclusio I. Christus verè et propriè meruit.

Probatur propositio, quæ fidei est, 1° ex Scripturis ; nempe iis omnibus locis in quibus Christus dicitur *nos redemisse sanguinis sui pretio, nos Deo reconciliàsse, exauditum esse pro suâ reverentiâ*, etc. ; easdem enim actiones, quibus pro nobis Christus satisfecit, meritorias etiam fuisse evidentissimum est. Probatur 2° ex traditione. Innumera afferri possent conciliorum, summorum pontificum et SS. Patrum testimonia. In re verò facili et ab omnibus Christianis admissâ satis sit annotare, à concilio Tridentino, sess. 6, cap. 7, totius antiquitatis doctrinam et fidem his verbis exhiberi : *Meritoria autem* (causa justificationis est) *dilectissimus unigenitus suus Dominus noster Jesus Christus ; qui cùm essemus inimici, propter nimiam charitatem quâ dilexit nos, suâ sanctissimâ passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, et pro nobis Deo Patri sa-*

tisfecit. Vide etiam cap. 14. Canone autem 10 : *Si quis dixerit homines sine Christi justitiâ, per quam nobis meruit, justificari, ... anathema sit.* Probatur 3° ratione theologicâ. Nam in Christo omnes conditiones ad meritum de condigno requisitæ concurrunt; nempe in opere libertas, ut deinde explicabimus et ostendemus, in agente dignitas summa et sanctitas, et ex parte Dei pactum et promissio : *Si posuerit pro peccato animam suam*, ait Isaias, 53, v. 10, *videbit semen longævum*, etc.; ergo.

Conclusio II. A primo conceptionis suæ instanti Christus mereri cœpit.

Probatur ex Apostolo Hebr. 10, v. 5 : *Ingrediens* (Christus) *mundum dicit : Hostiam et oblationem noluisti; corpus autem aptâsti mihi : holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi : Ecce venio, in capite libri scriptum est de me : Ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Ex hoc loco patet Christum, ubi primùm ingressus est mundum, id est, à primo sui secundùm humanitatem ortu, sese per actum perfectissimum charitatis in victimam pro redemptione generis humani obtulisse; atqui actu ejusmodi procul dubio meruit; ergo, etc.

Conclusio III. Christus omnibus et solis actionibus humanitati propriis et liberis meruit.

Probatur prima pars, nempe Christum meruisse solis actionibus suæ humanitatis, seu eum per actiones Divinitatis suæ non meruisse. Enimverò, Christus ut Deus, seu ut operans per Divinitatem suam, non habet superiorem à quo dona impetret et mercedem accipiat; atqui is mereri non potest qui non habet superiorem, à quo dona impetret et mercedem accipiat; cùm ratio meriti in ratione ad dona impetranda et mercedem assequendam tota consistat; ergo, etc. Probatur secunda pars, Christum scilicet omnibus actibus liberis ab humanitate suâ productis meruisse. Etenim in cunctis ejusmodi actibus ea omnia concurrebant quæ ad meritum de condigno constituendum necessaria sunt; nempe aderat in opere libertas, tantaque in agente dignitas et sanctitas ut ex eâ meritum summum in ejus actiones difflueret, et ipse à Deo *pro suâ reverentiâ* exauditus in Scripturis perhibeatur. Probatur tertia pars, videlicet Christum solis humanitatis suæ actibus liberis meruisse, seu eum non meruisse iis actibus necessariis amoris quos ut fruens visione intuitivâ producebat. Ratio est, ut observat sanctus Thomas, quòd ad meritum libertas requiratur.

Conclusio IV. Christus ea omnia sibi meruit dona, quæ ex unione hypostaticâ non necessariò nexa erant, quæque idcircò à primo ortu non est consecutus, ut gloriam corporis, nominis exaltationem, etc.

De hoc argumento jam diximus sup., Dissert. VII, cap. 2. Consule.

Conclusio V. Christus omnibus hominibus salutem æternam et media ad eam consequendam verè sufficientia promeruit.

Probatur ex iis omnibus Scripturæ locis in quibus Christus salvator, redemptor et mediator omnium et pro omnibus mortuus dicitur; quibus locis consonant innumera conciliorum et SS. Patrum, inprimis S. Augustini, testimonia. Verùm ad hunc locum accurata illius argumenti tractatio non pertinet. De quo theologi, ubi de voluntate Dei salvandi homines et in tractatu de Gratiâ commodiùs disserunt.

Conclusio VI. Christus saltem aliquem gratiæ gradum Angelis bonis meruit. Pro dæmonibus autem nec olim affixus, nec aliquando affigendus est cruci. Pariter neque pro hominibus damnatis ut damnatis, neque pro astris passus est.

Probatur prima pars, Christum nempe saltem aliquem gratiæ gradum Angelis bonis esse promeritum. Nam juxta Scripturas, Coloss. 2, v. 10, Christus est Angelorum *caput;* omninò autem necessarium videtur ad rationem capitis moralis ut influat in membra, iisque bona communicet; ergo si non primarias, saltem secundarias quasdam angelis bonis gratias Christus promeritus est. Probatur secunda pars, scilicet Christum pro dæmonibus passum et crucifixum non fuisse; quæ quidem pars est de fide adversùs antiquissimos quosdam hæreticos à Tertull. lib. de carne Christi, cap. 14, memoratos, tum adversùs Origenem cui errorem oppositum aliqui veteres affingunt, denique adversùs Didymum Alexandrinum, idem dogma in commentariis suis ad primam Epistolam S. Petri cap. 3 obtrudentem. Probatur, inquam, 1° ex iis Scripturæ locis in quibus Christus significatur propter solos homines redimendos venisse et mortuus esse. 2 Cor. 5, v. 14, dicuntur *mortui* in Adamo ii omnes pro quibus mortuus est Christus. *Si unus*, inquit Apostolus, *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* 1 Tim. 2, v. 6, Christus nuncupatur *unus mediator*, sed *Dei et hominum.* Ibid. cap. 4, v. 10, appellatur *salvator*, sed *omnium hominum, maximè fidelium;* Hebr. 2, v. 14, dicitur carni et sanguini *participâsse*, quòd ii pro quibus liberandis venerat, carni et sanguini *communicarent.* Quapropter, versu 16 : *Nusquàm enim*, ait S. Paulus, *Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit; unde debuit per omnia fratribus similari*, etc. 2° Eadem pars evincitur iis testimoniis et argumentis quæ fixam esse conditionem dæmonum, et sententiam in eos latam non revocandam ostendunt. Matth. 25, v. 41, 2 Petri 2, v. 4, Judæ 6, etc., de quibus consuli possunt theologi, ubi de pœnarum æternitate verba faciunt. 3° Eamdem conclusionis partem adstruit SS. Patrum auctoritas, qui errorem quem refellimus constanter rejecêre, atque ut indubitatum semper ponunt homines lapsos, non dæmones, à Christo fuisse erectos. Vide Tertull. de Carne Christi, cap. 14; S. Augustinum, in Expositione Epistolæ ad Galatas, et in Enchiridio, cap. 61; S. Gregor. Magnum, lib. 9 et 12, Moral., etc. Addo in Symbolo Christum *propter nos homines et propter nostram salutem descendisse de cœlis* perhiberi, nullam verò fieri dæmonum mentionem.

Probatur tertia pars conclusionis, quæ pariter ad fidem attinet adversùs plures Origenistas, nempe Christum nunquàm passurum nec in superis cruci affigendum pro dæmonibus. Quod evidenter demonstratur, 1° quia juxta S. Paulum, Rom. 6, v. 9, *Christus resur-*

gens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur; 2° quia fide constat nunquàm esse revocandam sententiam adversùs dæmones latam; 5° quia Ecclesia hoc dogma condemnavit, cùm Epistolam Justiniani ad Menam in quâ dicitur anathema iis qui Christum pro dæmonibus aliquando crucifigendum, eosque e homines damnatos pœnis tandem eripiendos tenuerint, seculo VI suscepit et amplexa est. Vide t. 6 Conc. Labb. p. 679. 4° Quia hanc doctrinam, Christum nempe pro dæmonibus aliquando cruci affigendum, ut impiam et sacrilegam detestati sunt SS. Patres : videlicet Theophilus Alexandrinus, in Epist. Paschali 2, ubi hunc etiam errorem affingit Origeni; S. Hieronymus, in Epistolà ad Avitum; Hincmarus, lib. de Prædestinatione; S. Bernardus, Serm. 44 in Cantic.

Probatur quarta pars, quæ etiam de fide est adversùs Origenistas; nempe Christum non esse mortuum pro hominibus damnatis ut damnatis, ac proinde ab eo, cùm ad inferos descendit, nullos impios aut infideles inde fuisse eductos. Enimverò 1° ubi sacræ Scripturæ descensum Christi ad inferos commemorant, de solorum justorum liberatione mentionem faciunt. Zachar. 9, v. 11 et 12 : *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Convertimini ad munitionem vincti spei.* Eccli. 24, v. 45: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspicient omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino.* Nec obstat locus 1 Petri 3, v. 19 et 20, in quo Christus dicitur *his qui in carcere erant spiritibus prædicâsse; qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë.* Nam hæc intelligenda sunt de iis qui, cùm increduli fuissent dùm fabricabatur arca, resipuêre tamen ubi diluvium cœpit, et antequàm aquis præfocarentur; quos proinde Christus ad inferos descendens liberare potuit. Vel potiùs illæ voces, *spiritibus qui in carcere erant*, accipiendæ sunt de hominibus qui in servitute peccatorum erant, quibus Christus per Apostolos prædicavit, quique aliquando increduli fuerant instar eorum qui in diebus Noe vivebant. 2° Eò referendum est istud celebre Oseæ nomine Christi loquentis vaticinium : *De manu mortis liberabo eos; de morte redimam eos; ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero, inferne.* Quem textum dilucidè et ad mentem cæterorum doctorum S. Greg. Magnus, lib Moral. 12, cap. 11, sic interpretatur : *Quod occidimus, agimus ut penitùs non sit; ex eo autem quod mordemus, partem abstrahimus, partemque relinquimus. Quia ergo* (Christus) *in electis suis funditùs mortem occidit, mors mortis extitit; quia verò ex inferno partem abstulit partemque reliquit, non occidit penitùs, sed momordit infernum.* 3° Pœnas inferni nullum finem esse habituras, atque ab eis nunquàm liberandos esse homines damnatos, fides catholica docet, et multis sacræ Scripturæ et traditionis testimoniis manifestè adstruitur, ubi de ejusmodi pœnarum æternitate theologi agunt; ergo, etc. 4° Philastrius Brixiensis, hæresi 74, S. Augustinus lib. de hæres. n.79, Gregor. Magnus, loco mox citato, et Homil. 22 in Evangel., Beda, in Epist. 1 S. Petri, eorum qui Christum ab inferis alios quàm fideles eduxisse putant, sententiam hæresibus accensere non dubitant. Sanctus verò Irenæus, lib. 4, cap. 39, S. Ambrosius, in Psal. 118, S. Epiphanius, Hæresi 69, S. Chrysostomus apud Nicetam ad Orationem S. Greg. Nazianzeni 42, S. Petrus Chrysologus, Serm. 123, etc., descensum Christi ad inferos solis justis profuisse disertissimè docent. 5° Denique constat ex libris de tenendâ veritate et de tribus epistolis, qui Ecclesiæ Lugdunensi adscribi solent, tum ex Tractatoriâ Prudentii Tricassini ad archiepiscopum Senonensem, et ex synodo Valentinâ, cap. 4; constat, inquam, ex his monumentis, simul cum libro Hincmari, archiep. Remensis de prædestinatione, collatis, hanc nono seculo fuisse totius Ecclesiæ Gallicanæ fidem, Christum pro hominibus damnatis ut damnatis mortuum non esse. Namque ex ejusmodi instrumentis patet capitula Carisiaca quæ Hincmarus adversùs Gotescalcum Prædestinatianismi à se convictum statuerat, Ecclesiæ Lugdunensi, Prudentio et Patribus Valentinis idcircò displicuisse, quia inprimis judicabantur favere dogmati Origenis de morte à Christo pro hominibus damnatis toleratâ. Laborabant verò ii præsules errore facti, variis orto ex causis, quarum expositio ad hunc locum non attinet. Perversa quâ de agitur doctrina capitulis Carisiacis non continetur, eamque abjicit et sibi perperàm attribui conqueritur Hincmarus, libro laudato.

Probatur etiam adversùs Origenem quinta pars conclusionis, nempe Christum non esse passum pro astris; tum quia supponit error ille Origenis astra esse animata, quod falsum est; tum quia juxta Scripturas Christus pro solis hominibus redimendis passus est; tum quia synodus V hunc errorem, Christum esse passum pro astris, condemnavit decreto quod laudat Nicephorus, lib. 17, cap. 28; tum denique quia idem error à Patribus rejectus est et notatus, nempe à Theophilo Alexandrino Epist. Paschali 1 et 2, à S. Hieronymo, Epistolà ad Pammachium et Epistolà ad Avitum, ab Orosio, in Commonitorio ad S. Augustinum, et à S. Augustino, in opere adversùs Priscillianistas et Origenistas.

CAPUT II.

De perfectionibus et donis animæ et corporis Christo adscribendis, necnon de assumptis ab eo defectibus.

Perfectionis nomine hìc intelligimus modum aliquem naturæ congruentem, quem ipsi melius est habere quàm non habere. Defectus autem non accipiendus est pro merâ perfectionis carentiâ aut negatione; quippe indubitatum est, et, ex dictis supra ubi de communicatione idiomatum in abstracto adversùs Lutheranos, liquidò constat humanam Christi naturam, quantiscumque donis ponatur exornata, necessariò tamen esse finitam et certis limitibus circumscribi. Defectus igitur, ut eò loci accipitur, est privatio perfectionis quæ posset in naturâ inesse, quæque eam ornaret, ipsique per se congrueret. Jam patet quam

ob causam de perfectionibus humanitatis Christi et de defectibus ejusdem naturæ quos assumere dignatus est, simul disserendum censuerimus. Scilicet perfectio et defectus ita opponuntur, ut ex unius explicatione alterius natura magis innotescat, atque unum Christo non possit vindicari quin ab ipso alterum hoc ipso excludatur.

In quinque articulos caput istud dividendum est. In I, exponentur perfectiones Christi ratione intellectûs, an scilicet in eo scientia fuerit omnis defectûs expers? etc. In II, perfectio humanitatis Christi quantùm ad voluntatem consideratæ expendetur. Hic de sanctitate, de impeccantiâ, etc., Christi Domini disseremus. In III, agemus de libertate Christi. In IV, quæ perfectiones aut defectus competant Christo ratione facultatis sentiendi et appetitûs sensitivi, investigabimus, ubi de passibilitate Christi et doloribus, necnon an in eo fuerint passiones et quomodò? In V articulo, quæ ad perfectiones et defectus corporis à Christo assumpti pertinent, tractabuntur.

ARTICULUS PRIMUS.

De perfectione Christi hominis ratione intellectûs, seu de scientiâ Christo concessâ.

Generalissima scientiæ divisio est, in scientiam increatam quâ unico actu simplicissimo Christus omnia ut Deus comprehendit, et in scientiam creatam, quæ ipsi ut homini ratione humanitatis seu intellectûs sui creati secundùm fidem adscribenda est.

De istâ posteriore impræsentiarum duntaxat agimus. Quæstio verò est de tempore vitæ mortalis Christi, an scilicet 1° Christus homo à primâ humanitatis suæ in utero Virginis formatione scientiam perfectam habuerit, et ab omni defectu immunem. 2° An ejusmodi scientia habuerit pro objecto Deum ipsum intuitivè visum, et ea omnia quæ Deus novit. 3° An multiplex in eo fuerit scientia. De quibus sigillatim agemus.

1° *An à primo ortu Christus habuerit scientiam creatam ab omni defectu immunem.* — Observandum 1°, defectus oppositos scientiæ esse ignorantiam, errorem, dubitationem, incertitudinem seu formidinem errandi. Ignorantia autem alia est privativa, alia negativa. Ignorantia privativa quæ sola propriè et simpliciter ignorantia appellatur, est ignoratio rerum quarum notitia conditioni, dignitati et officio personæ necessaria aut saltem congrua est. Ignorantia negativa, quæ propriè ignorantia non dicitur, sed potiùs nescientia, ut aiunt, est ignoratio rerum quarum notitia ad ejusmodi dignitatem, conditionem et munia personæ nihil attinet.

Controversia præsens intelligenda est de scientiâ excludente præsertim ignorantiam privativam. Nam de negativâ, an nempe Christus aliqua possibilia ad suam dignitatem et munus nihil contingentia nesciverit, dicemus articulo sequenti. Quæstio igitur est an scientia Christi ut hominis fuerit omnis erroris, incertitudinis, dubitationis et obscuritatis expers, et ad ea omnia sese à primo ejus ortu extenderit, quæ personæ ejus dignitas, mediatoris et redemptoris officium, necnon capitis, id est, omnimodæ gratiæ et sapientiæ fontis, munus, ac tandem partes judicis futuri seculi ab eo sciri postulabant.

Observandum 2°, multos circa ejusmodi quæstionem errâsse. Gnostici et Valentiniani, teste S. Irenæo, cap 16 et 17, Christum infantem aliis infantibus ignorantiâ similem putaverunt, ipsi rationis usum abjudicârunt, atque ejus cognitiones aliquando incertas et ignorantiâ mixtas fuisse contenderunt. Ex S. Athanasio, Orat. 4 contra Arianos et ex aliis multis colligitur ignorantiam ab Arianis fuisse Christo Domino affictam, sed eorum error ad hunc locum non spectat; non enim Christo ut homini, cui mentem detrahebant, sed ipsimet Verbo quod loco mentis in Christo fuisse opinati sunt, hujusmodi ignorantiam impegêre, ut ejus Divinitatem et Patri divino consubstantialitatem impugnarent.

Proclive fuit ut Nestorius, qui Christum hominem nonnisi morali nexu cum Deo Verbo conjungi statuebat, plurium ignorantiam et aliquem in rebus addiscendis profectum ipsi adscriberet. Et reverà is fuit unus ex ejus erroribus, teste S. Cyrillo Alex., lib. 3 adversùs ipsum. Eadem fuerat Theodori Mopsuesteni, Nestorianæ hæreseos præformatoris, sententia, quod ex concilio generali V, collat. 8, cap. 12, colligitur, et ex Leontio Bizantino, lib. 3 in Nestorium, disertè habetur. In illum quoque errorem Leporius, Nestorii discipulus, incidit, ut ex libello ejus retractationis perspicuum est. Ad eumdem etiam scopulum allisisse Felicem Urgelitanum scribit Agobardus, Lugdunensis episcopus, in libro quem adversùs ejus errores conscripsit.

Mirum verò quosdam Eutychianos ignorantiam Christo attribuisse. Quippe illud dogma minimè consentaneum est eorum hæresi juxta quam humana Christi natura ab ejus Divinitate absorpta est. Fuêre tamen ex Eutychianorum Severianorum sectâ nonnulli qui, duce Themistio quodam diacono, à quo Themistiani nuncupati sunt, Christum plura ignorâsse, ac præsertim extremum judicii diem, opinabantur. De quibus vide Eulogium apud Photium, Bibl. codice 230. Ii, ab ignorantiâ illâ quam Christo tribuebant, Agnoetarum nomen sortiti sunt. Agnoetas, propter eorum doctrinæ cum Eutychianismo repugnantiam, Eutychianos non fuisse, sed potiùs Nestorianis affines censet S. Gregorius Magnus, lib. 10, Ep. 39, aliàs lib. 8, Epist. 42. Eosdem Arianis Verbo ignorantiam adscribentibus accensendos putat Nicephorus, lib. 18, cap. 50. Sed reverà ex Eutychianis prodiêre, ac videntur ii Eutychianis annumerandi, qui duas Christi naturas in unam compingebant ex utrâque compositam.

Lutherus, Calvinus, et ex eorum asseclis complurimi senserunt ultimum judicii diem fuisse ignotum Christo. Grotius, in caput 13 S. Marci, Christum nonnisi post resurrectionem suam omni scientiâ donatum fuisse tradit, ut et *omni potestate in cœlo et in terrâ*, atque hanc scribit fuisse veterum doctorum mentem.

Dissimulandum non est non paucos è veteribus posse videri, ubi eorum scopus et verba non satis at-

tenduntur, certam ultimi judicii cognitionem Christo ut homini abjudicâsse; de quo postea dicemus. Leontius, lib. de Sectis, act. 10, de sanctis illis doctoribus ita judicat: *Sciendum*, inquit, *complures ex Patribus, ac propemodùm universos videri dicere quòd ignoret.*

Conclusio. In Christo fuit à primo ortu perfecta omnium scientia, adeò ut ei nec error, nec incertitudo aut dubitatio, nec ulla vera et positiva ignorantia, nec profectus sapientiæ et scientiæ attribui possit.

Probatur 1° ex Scripturis. Illam Christus homo scientiam à primo ortu habuit, quam ante mortem et resurrectionem suam et propter unionem hypostaticam consecutus est; siquidem hoc ipso quo ejus extitit humanitas, statim conjuncta fuit hypostaticè Verbo divino, ut alibi fide esse certum docuimus. Atqui, juxta Scripturas, ante mortem suam et resurrectionem, ac propter unionem hypostaticam, Christus homo perfectam omnium scientiam consecutus est, adeò ut nec error, nec incertitudo, etc., ei attribui potuerint. Isaiæ 11, v. 2, de Christo hæc prænuntiantur: *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectûs, spiritus scientiæ et pietatis.* Quibus magnificis verbis scientia eximia et perfecta profectò significatur. Quòd autem hæc etiam ad tempus mortalis vitæ Christi, et ad primum etiam ortum ipsius referenda sint, patet 1°, quia eò loci v. 1 agitur de Christi nativitate, et v. 3 et sequentibus, de ejus judicio, exaltatione et conversione Gentium, etc., adeò ut adducta ex v. 2 Prophetia, cùm absolutè pronuntietur, non possit ad unum tempus magis quàm ad aliud restringi. Patet 2° maximè quia ejusdem Isaiæ cap. 61, v. 1, apertè significatur Spiritum Domini requievisse super Christum hominem eò quòd humanitas ejus sit uncta à Domino, id est, juxta sacrarum litterarum loquendi morem, unita hypostaticè Verbo divino. *Spiritus Domini super me*, inquit Propheta nomine Christi loquens, *eò quòd unxerit Dominus me; ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde*, etc.; quam prophetiam ad seipsum Christus ipse transfert et applicat, Lucæ 4, v. 21; ergo, etc. Joan. 1, v. 14: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ et veritatis*, græcè in nominandi casu, πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας. Ubi observandum non constare quidem eruditis an ad *Verbum* seu Λόγος referri debeat latina vox *plenum*, et græca πλήρης an ad *unigenitum*, vel aliquod aliud. Ipsa vis ac sensus verborum exigit ut vel voci *unigeniti* conjungatur, quasi πλήρους seu pleni legeretur; vel voci *Verbum*, seu Λόγος, his nempe: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre*, intra parenthesim interclusis, adeò ut iis sublatis superesset: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis plenum gratiæ et veritatis.* Priorem, interpretationem, quam sequitur Arabs interpres suam quoque facit Petavius, lib. 2, c. 4, n. 4, ubi observat nihil obstare diversitatem casuum annotatam; quia non inusitatum est in Scripturis ut per enallagen rectus casus cum obliquis construatur, uti videre est in Vulgatâ, Eph. 3, v. 16, et in græco textu Apocal. 1, v. 4 et 5. Posterior verò communior est, et hâc ratione, quæ nobis videtur optima, præsertim fundatur, enallagen eò loci sine necessitate non fingendam ac eâ sublatâ sensum haberi obvium et apertum. Utralibet autem ejusmodi opinio eligatur, evidens est Christum, ut hominem seu Verbum caro factum, et ut habitans in nobis, dici plenum gratiæ et veritatis. Quod etiam ex eo maximè apparet, quòd ubi v. 15 actum est de Christo ut homine, addatur v. 16: *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Itaque, juxta S. Joannem, Christus homo habitavit cum hominibus et ante mortem suam visus est in terris plenus gratiæ et veritatis. Porrò, qui plenus est veritatis, profectò scientiam habet perfectam, nec ullius rei ignorantiâ laborat; ergo Christus homo etiam ante mortem et resurrectionem suam, dùm in terris cum hominibus conversatus est, perfectâ scientiâ polluit. Cùmque hæc plenitudo sapientiæ et veritatis ipsi attribuatur ut unigenito Patris, atque ab ortu fuerit Patris unigenitus, sequitur plenam et perfectam scientiam ipsi ab ortu fuisse concessam. Joan. 3, v. 34, de Christo sic loquitur Joannes Baptista: *Quem misit Deus, verba Dei loquitur; non enim ad mensuram dat Deus Spiritum.* Igitur ex S. Joanne Baptistâ Christus homo ob eximiam suam missionem non ad mensuram à Deo Spiritum accepit; atqui ad mensuram accepisset, nisi in eo esset plenitudo scientiæ; ergo, etc. Coloss. 2, v. 3: *In quo* (Christo) *sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ abscónditi.* Nullum dubium esse potest quin hæc plenam et perfectam scientiam Christo esse adscribendam demonstrent. Hæc eadem verò ad Christum etiam in terris conversantem, et à primo suo ortu pertinere, planè colligendum videtur ex eo quòd juxta alia Scripturæ loca jam allata, etiam in primo suo ortu plenus fuerit gratiâ et veritate, et Spiritum Domini, spiritum sapientiæ et intellectûs, spiritum scientiæ et pietatis habuerit in se requiescentem. Hebr. 10, v. 5: *Ingrediens* (Christus) *mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptâsti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio... ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Etsi ex hoc textu non confirmetur tota conclusio à nobis posita, saltem invictè revincitur stoliditas Gnosticorum et Valentinianorum, juxta quos Christus infans rationis usu instar aliorum infantium caruerat. Ingressus enim Christi in mundum est primus ortus ejus; si ergo ingrediens mundum hæc cogitaverit quæ ipsi attribuit Apostolus, sequitur tam insanam quàm impiam fuisse ejusmodi hæreticorum mentem.

Probatur 2° auctoritate synodi V generalis, quæ collat. 8, cap. 12, adversùs Theodorum Mopsuestenum ita definit: *Si quis defendit impium Theodorum Mopsuestenum, qui dixit.... Christum.... à deterioribus paulatim recedentem, et sic ex profectu operum meliorátum..., talis anathema sit.*

Probatur 3° ex retractatione quam à Leporio præsules Africani exegerunt, ubi sic legitur: *Nunc non solùm dicere non præsumo, verùm etiam priorem anathematizo prolatam in hâc parte sententiam; quia dici non*

licet, etiam secundùm hominem ignorâsse Dominum prophetarum.

Probatur 4° ex S. Gregorio Magno, qui lib. 10, Epist. 39, aliàs lib. 8, Epist. 42, hæreseos accusat Agnoetas, quòd ultimum judicii diem Christo fuisse cognitum negarent.

Probatur 5° ex aliis Patribus. Origenes, Comment. in Matth., ad illa Christi verba c. 13, v. 51 : *Intellexistis hæc omnia?* Sic habet : *Qui novit quæ sunt in cordibus hominum, Christus Jesus... non ignorans interrogat, sed quoniam semel assumpserat hominem, utitur omnibus quæ sunt hominis, quorum unum illud est interrogare. Nec mirandum, si id facit servator, cùm ipse etiam omnium Deus, moribus hominum sese accommodans, perinde ac si quis homo morem gerat filio suo percunctetur, velut in hoc : « Adam, ubi es? » Et : « Ubi est Abel frater « tuus? »* Ibi Origenes ponit nihil Christum latuisse, etiam intimas cordium cogitationes, ac simul eximiam tradit regulam quorumdam exponendorum Scripturæ locorum quæ vulgò opponuntur. S. Greg. Naz., orat. 20 : *Ut ætate*, inquit, *ita et sapientiâ proficiebat* (christus), *non quòd hæc in eo incrementum caperent; quid enim eo quod à principio perfectum erat, perfectius esse possit? sed quòd hæc paulatim detegerentur et elucescerent.* S. Joan. Chrysost., serm. in Lazarum, docet Christum, etsi postulaverit ubi Lazarus esset positus, non tamen id ignorâsse, sed humano more locutum esse; ubi supponit omnia ei fuisse cognita. S. doctoris hæc verba sunt : *Ignoravit, ais, Christus, ô Judæe, quia dixit : « Ubi posuistis eum? » Itaque ignoravit etiam in paradiso Pater, ubi absconditus esset Adam? Circuibat enim quasi eum in paradiso quærens, ac dicens : « Adam, ubi es? » quasi diceret : « Ubi absconditus es? »* S. Ambrosius, lib. 5 de Fide, cap. 18, n. 222 : *Multò magis arbitror*, ait, *quia Filius, qui cum hominibus conversatus est, et hominem egit, et carnem suscepit, nostrum assumpsit affectum, ut nostrâ ignoratione nescire se diceret, non quia ipse aliquid nescierit..... Nihil ergo fuit quod ignoraverit Dei Filius; nihil enim fuit quod ignoraverit Pater.* Vide etiam serm. in Psal. 21. S. Hieronymus, Epist. ad Damasum : *Nullus homo*, inquit, *excepto eo qui ob nostram salutem carnem est dignatus induere, plenam habuit scientiam et certissimam veritatem.* S. Augustinus, lib. 2 de peccat. Meritis et Remiss. cap. 29 : *Quam planè ignorantiam*, ait, *nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est ut habitaret in nobis, nec ullam ipsius animi infirmitatem, in Christo parvulo fuerim suspicatus, quam videmus in parvulis.* S. Cyrill. Alexandr., lib. 3 contra Nestorium, pronuntiat planè *stultum esse* quod is hæreticus objiciebat, incrementum quoddam sapientiæ Christo accessisse; *credimus enim*, inquit, *ex ipso ventre, atque utero virgineo ipsum Emmanuel, cùm Deus esset, hominem prodiisse plenum procul dubio sapientiâ et gratiâ, quæ illi naturaliter inerat. Quodnam igitur is incrementum susciperet, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ?* S. Fulgentius, Ruspensis episcopus ad Ferrandum respondens, scientiam Christi hominis ita effert, ut ipsum velit nihil eorum ignorâsse quæ Deo cognita sunt, et plenam Divinitatis notitiam habuisse, p. 253 et seqq. S. Maximus, in Dialogo cum Pyrrho, eum censet ad Nestorianam labem accedere, qui Dominum addiscendo profecisse dixerit. Eulogius, Alexandrinus patriarcha apud Photium, codice 230, n. 10 : *Quicumque*, inquit, *vel Divinitati ipsius* (Christi), *vel humanitati ignorantiam adscribet, nunquàm certissimæ temeritatis crimen effugiet.* Nota verò Eulogium illius operis ex quo hæc extracta sunt, conscribendi mandatum à romano pontifice Gregorio Magno, quem eâ de re Palæstini sciscitati fuerant, accepisse; eumdemque pontificem maximum, epist. 35, lib. 10, ejusmodi approbâsse librum, et utriusque Ecclesiæ Patrum traditioni consentaneum declarâsse. S. Joan. Damasc., lib. 3 de Orth. Fide, cap. 2 : *Si caro à primo statim ortu verè Deo unita est, imò potiùs in ipso extitit, et identitatem secundùm hypostasim cum eo habuit, qui fieri potuit ut non omnibus prorsùs sapientiæ gratiæque dotibus affluxerit?*

Alia multa adhuc afferri possent SS. doctorum testimonia, quorum plura apud Thomassinum, lib. 7, legere est. Quæ porrò fuerit mens eorum veterum qui hîc opponi possunt, mox exponemus. Interim manifestum est quàm malè à Grotio et ab aliis quibusdam definiatur plerosque veteres ignorantiam Christo attribuisse.

Probatur 6° unanimi omnium theologorum consensu, à quibus propositio de quâ agitur tanquàm dogma certum et inconcussum meritò statuitur. Probatur 7° ratione theologicâ. Illud attribuendum est Christo homini à primo ortu, ad quod naturam humanam elevari non repugnat, cujusque concessio à primo ortu, non modò finibus Incarnationis non erat oppositum, sed potiùs maximè consentaneum. Enimverò nemo non videt Hominis-Dei dignitati et filiationi naturali id fuisse debitum. Atqui 1° non repugnat naturam humanam à Deo elevari ad eam de quâ quæstio est scientiam; nec enim infinitus intellectus ejusmodi scientiæ recipiendæ necessarius est. 2° Finibus Incarnationis contraria non erat ejusmodi scientiæ à primo ortu concessio. Quippe nec libertas, nec passibilitas, nec mortalitas ejusmodi dono Christo homini adimuntur. 3° Finibus Incarnationis valdè consentaneum fuit hanc scientiam Christo homini à primo ortu concedi, tum ut quæ sibi mandata fuerant, accuratiùs exequeretur, tum ut summis illis sapientiæ indiciis summam sibi auctoritatem conciliaret, ac se purum hominem non esse, sed Hominem-Deum ostenderet, ergo, etc.

Solvuntur objectiones. Objicies 1° : Christus ignoravit ultimi judicii diem; ipse enim Matth. 24, v. 36, sic loquitur : *De die autem illâ et horâ nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater.* Et expressiùs adhuc Marci 13, v. 31 : *De die autem illo vel horâ nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater;* ergo, etc. Dist. ant. : Christus ultimi judicii diem ignoravit ut Dei legatus et internuntius, seu illum non ideò cognovit, quia erat Dei legatus, concedo; ignoravit ut Homo-Deus, ut judex futurus vivorum et mortuorum, nego.

Qui personam aliquam gerit et sustinet, secundùm quam non modò non cognoscit quod à se quæritur, sed etiam illius non manifestandi mandatum habet; is, etsi rem sub aliâ ratione noverit, potest tamen aliquando respondere à se eam nesciri; ubi nempe ipsâ quam sustinet personâ satis admonentur cauti auditores de vero responsionis sensu. Sic, v. g., sacerdos qui coram judice testimonium ferre de quodam crimine cogeretur, cujus auctorem ut confessor tantùm cognovisset, non ut testis, deberet respondere se penitùs esse illius rei inscium. Sic legatus alicujus principis de ejus negotiis censeretur ignorare, ut legatus, quidquid is princeps in mandatorum suorum libello noluit comprehendere, et ab ipso manifestari prohibuit. Cùm igitur Christus locis laudatis, prophetæ, internuntii et legati à Deo missi partes sustineret, ex eo quòd dixerit à se ignorari judicii diem, non sequitur quòd illum revera sub omni respectu, et etiam ut judex futurus nesciverit, sed tantùm consequens est, ipsi secundùm personam quam tunc gerebat, ejusmodi diem non fuisse cognitum, illiusque manifestandi facultatem non esse ipsi à Patre concessam. Nec metuendum fuit ne discipuli ejusmodi responsione Christi deciperentur; quippe eum esse *Filium Dei vivi*, adeòque omni scientiâ cumulatum aliàs cognoscebant, atque ab eo tunc geri personam legati et internuntii perspiciebant; quapropter dubium esse non potest quin ejusmodi verbis Christi quoddam mysterium latens significari intellexerint; non verò iis designari absolutâ et omnimodâ diei judicii ignoratione ipsum laborâsse.

Obj. 2° : Lucæ 2, v. ultimo, Jesus dicitur *profecisse sapientiâ et ætate et gratiâ apud Deum et homines.* Ubi observa eum ut ætate, ita dici sapientiâ profecisse, et quidem apud Deum, quibus verbis progressus veri sanè significantur; ergo, etc. Respondeo triplicem esse hujusce loci interpretationem nostræ conclusioni minimè adversam. Prima ad ipsum Verbum, seu ad Christum ut Deum, ejusmodi textum refert, adeò ut sensus sit, Verbum, quâ proportione humanitas ab eo assumpta crescebat, majores per eam sapientiæ suæ effectus produxisse, sicque suam paulatim sapientiam magis explicâsse et divinitatem suam ampliùs expressisse. Ita S. Ath. Orat. 3, aliàs 4, contra Arianos, n. 53, et S. Greg. Naz. Epist. 1 ad Cledonium, criminationes Appollinaris propulsans. Juxta alteram interpretationem, allatus S. Lucæ locus de Christo homine majora in dies sapientiæ suæ summæ indicia dante intelligendus est; adeò ut ejus sapientia reverà in se non creverit, sed tantùm sese manifestaverit per gradus secundùm diversa ætatis ejus incrementa, et prout divinorum consiliorum ratio et Incarnationis œconomia exigebant. *Dominus nihil fecit*, inquit S. Th. parte 3, q. 12, a. 3, ad 3, *quod non congrueret ejus ætati; et ideò audiendis doctrinæ sermonibus non accommodavit aurem suam, nisi illo tempore quo poterat etiam per viam experientiæ talem scientiæ gradum attigisse.* Hunc Evangelii locum sic explicant S. Greg. Naz., Orat. 20, superiùs laudatâ, S. Cyrillus Alex., lib. 3 contra Nestorium, S. Greg. Magnus, Hom. 2 in Ezechiel, S. Joan. Damasc. lib. 3 de Fide orthod. cap. 22, S. Bernardus, Homil. 2 de Laudibus B. Mariæ Virginis. Tertia interpretatio est, Christum reipsà profecisse secundùm scientiam quam acquisitam et experimentalem vocant, non quòd nova quædam et sibi ante ignota didicerit, sed quòd multa jam sibi per scientiam infusam cognita, rursùs novo modo, nempe experiendo, secundùm varia ætatis suæ incrementa didicerit. Hanc interpretationem tradit et eximiè explicat S. Thomas p. 3, q. 12, a. 2, atque eamdem videntur secuti sancti Ambrosius, Epiphanius, necnon Theodoretus adversùs Appollinaristas; de quibus Patribus postea. Omitto interpretationem metaphoricam S. Greg. Naz. Orat. 36, et S. Joan. Damasc. loco mox laudato, juxta quam Christus dicitur profecisse, quia hominum qui ejus membra sunt, in sapientiâ et virtute progressus, suum proprium profectum esse ducit.

Instabis : Nisi Christus reverà in sapientiâ profecisset, non potuisset dici sapientiâ proficere *apud Deum*; ergo, etc. — Nego ant. Cùm Christus dicitur profecisse sapientiâ et ætate *apud Deum*, sensus est eum modum, quo Christus proficiebat, fuisse cognitum Deo. Non minùs autem innotuit Deo profectus Christus in majori ostensione et explicatione sapientiæ suæ consistens, quàm innotescere potuisset profectus in acquirendis gradibus sapientiæ positus; ergo, etc.

Obj. 3° : Christus, Joan. 11, v. 17, ubi Lazarus esset positus inquirit, et c. 21, quasi dubitans ter interrogat Petrum : *Petre, amas me?* sed ejusmodi inquisitio et interrogatio sunt signa ignorationis; ergo. Præterea, Matth. 8, admiratus est centurionis fidem; admiratio autem ex ignoratione nascitur. Deinde Luc. 22 : *Apparuit illi* (Christo) *Angelus de cœlo confortans eum.* Atqui, si omnia novisset, non indiguisset confortari ab Angelo, seu sibi suggeri ab ipso nova patientiæ et consolationis motiva. Denique, Hebr. 4, v. 15, Christus nobis in omnibus similis significatur excepto peccato; ergo, etc. — Ad primum, nego consequentiam. Ejusmodi interrogationes, ut Origenes et S. Chrysost. mox laudati observant, humanæ sunt loquendi rationes, quas Christus usurpavit ut se hominem proderet, et more hominum loqueretur, non verò ullius rei ignorantiam indicant. Hinc interrogationi Domini sui respondens S. Petrus loco laudato : *Domine*, inquit, *tu omnia nôsti; tu scis quia amo te.* Ad secundum, eadem ferè est responsio. Dicitur admirari, non tantùm qui ad rei ante ignotæ conspectum attonitus est et quasi obstupefactus, sed etiam qui pretium ejus licet sibi antea cognitum, mirificè laudat, et ut eximium commendat. Atque hoc posteriori sensu Christus admiratus est centurionis fidem. *Mirando laudabat*, inquit S. August., lib. 1 contra advers. Leg. et Proph., cap. 7. Ad tertium, hæ voces, *confortans eum*, non significant ab Angelo motiva patientiæ et consolationis fuisse Christo suggesta, sed duntaxat ei Angelum ministràsse in eo agone quem pati voluit, tum ut suæ humanitatis certa argumenta præberet; ea

enim est nostræ naturæ appendix, ut mortem quodam instinctu refugiamus; tum ut nimios mortis timores vincendi nobis gratiam promereretur. Easdem sacri textûs voces S. Epiphanius, Hæresi 69, n. 60, vult accipi de laudibus ab Angelo Christo datis ob eximiam ejus fortitudinem. Ad ultimum, ubi Christus nobis dicitur similis fuisse *absque peccato*, id est, excepto peccato, non solùm peccatum propriè dictum, sed etiam ea quæ ita ex peccato consequuntur, ut ad illud ducant, excipi debent; cujusmodi sunt ignorantia et concupiscentia.

Obj. 4° : S. Irenæus, lib. 2, cap. 49, sic habet : *Si igitur scientiam diei illius* (judicii) *Filius non erubuit referre ad Patrem, et dixit quod verum est; neque nos erubescamus, quæ sunt in quæstionibus majora secundùm nos reservare Deo;* ergo, juxta S. doctorem, Christus non cognovit diem judicii. Ita Grotius, in c. 13 S. Marci, Operum suorum t. 2, part. 1, pag. 323, ubi addit testimonium jam supra laudatum Leontii aientis, *multos Patrum, imò ferè omnes videri dicere Christum ignorâsse.* — Respondeo non hanc videri esse S. Irenæi mentem quam ipsi Grotius affingit. Intelligi potest S. doctor eo dixisse sensu Christum diei judicii notitiam ad Patrem retulisse, non quòd ipse Christus hunc diem nesciverit, sed quòd à Patre ejusmodi cognitionem acceperit, ut et cætera omnia quæ habet non tantùm ut homo, sed etiam ut Deus. Hæc expositio, ut evangelicæ doctrinæ, ita et S. Irenæi de Verbi divini generatione menti planè consentanea. Præterea verò vix potest concipi quomodò S. doctor, qui Gnosticos impietatis accusat, quòd Christo Filio Dei ignorantiam adscriberent, suæ doctrinæ immemor loco objecto inscientiam dici judicii eidem Christo impegisset. Ad Leontium quod attinet, is à vero aberravit, ut ex testimoniis veterum inter probationes allatis perspicuum est. Sapientiùs longè ac veriùs Eulogius Alexandrinus apud Photium, cod. 230, quædam proponit principia exponendis ejusmodi veterum, ac præsertim S. Greg. Theologi placitis idonea. Ac deinde sic concludit n. 30 : *Quòd si qui ex Patribus ignorantiam in Salvatore ex parte humanitatis admiserunt, id tamen non ut dogma sanxerunt, sed Arianorum insaniam repressuri* (qui omnia quæ in Christo erant humana ad Unigeniti divinitatem transtulerunt, ut increatum Dei Verbum creaturam ostenderent), *rectiùs hæc de humanitate Christi dici posse existimârunt, quàm humana ab illis Arianis ad divinitatem trahi.*

Obj. 5° : Arianis Christi divinitatem ex eo quòd diem judicii ignoraverit impugnantibus, respondent SS. Patres ejusmodi ignorantiam Christo ut homini adscribendam, non Verbo. Ita S. Athanasius, Orat. 3, aliàs 4, *in Arianos*, n. 43 et seq., S. Greg. Naz., Orat. 36, S. Basil., Epist. 38, S. Hil., lib. 9 de Trinitate, S. Cyrill. Alex., lib. 22 Thesauri; ergo, etc. — Dist. ant. : Respondent hanc ignorantiam deputandam Christo ut homini, hoc est ejus, humanitati in se consideratæ secundùm ea quæ ex se habet, abstrahendo ab unione hypostaticâ, concedo; Christo ut homini, ità ut ejus humanitas ut conjuncta hypostaticè Verbo hanc notitiam à Deo non acceperit, subdistinguo : Id que non tradunt ut dogma, sed ut opinionem solvendæ Arianorum objectioni idoneam, concedo; tradunt ut dogma certum, nego. Itaque 1°, natura humana in Christo, ut Eulogius, loco mox citato, S. Greg. Magnus, lib. 10 Epist. 36, aliàs 8, Epist. 42, et S. Joan. Damascenus observant, potest duplici ratione spectari, nempe vel in se, secundùm ea quæ ex se habet, abstrahendo ab unione hypostaticâ, et à donis quæ propter hanc unionem consequitur, vel ut unita Verbo, et idcircò donis eximiis et præcellentissimis, ut decebat, ornata. Certum est naturam humanam Christi priori modo spectatam, seu à se ipsâ, non habere, quemadmodùm iidem Patres advertunt, plenam omnium rerum notitiam; à seipsâ enim natura humana ignorans est. Sub secundo igitur tantùm respectu, nempe ut Verbo unita, humanitas Christi cognitione omnium perfectâ pollet, ac primis diei judicii. Duplicem illum humanæ Christi naturæ respectum S. Gregorius Magnus, loco laudato sic uno verbo exprimit : *Quod* (Christus) *in ipsâ* (humanitate suâ) *novit non ex ipsâ novit.* Porrò Eulogius, ubi supra, n. 10, hoc ipso sensu vult à S. Gregorio Nazianz. esse dictum : *Scit quidem* (Christus) *ut Deus, nescit verò ut homo;* id est, scit quidem etiam secundùm humanitatem prout in Verbo subsistit, unamque cum eo personam constituit; nescit verò secundùm humanitatem *puram et simplicem*, seu *præcisè secundùm ea quæ ex se ipsâ habet* consideratam. Non aliam autem S. Gregorii Theologi loco objecto esse mentem confirmant verba quæ ex ejus Orat. 20, inter probandam conclusionem retulimus, in quibus Christum ut hominem potuisse sapientiâ proficere idcircò negat, quòd à *principio perfectus fuerit.* Eodem modo intelligendus est S. Cyrillus, lib. 22 Thesauri, tum quia duplicem hanc humanitatis Christi considerandæ rationem ab eo mutuatus est Eulogius, tum quia, lib. 3 contra Nestorium, conceptis verbis omnem profectum in sapientiâ Christo ut homini abjudicat, quòd in eo essent ab utero omnes thesauri sapientiæ. Verba S. doctoris à nobis superiùs relata sunt.

2° Ubi aliqua sententia in scriptis quorumdam veterum aliquando deprehenditur, diligenter observandum est utrùm ut dogma certum tradatur, an verò tantùm ut explicatio solvendis hæreticorum objectionibus utilis. Si prius, tunc ejusmodi sententia spectanda est ut propria doctrina illius doctoris apud quem legitur, ac magnum ex ejus testimonio deducitur veritatis illius doctrinæ argumentum. Si posterius, jam hoc unum ex hujusce sententiæ usu colligi potest, eam non improbabilem iis qui illâ sic usi sunt visam esse, atque tunc nondùm fuisse judicio Ecclesiæ proscriptam (1). Jam autem retulimus censuisse Eulogium, si

(1) Aiunt doct. Benedictini in notâ ad Orat. 2 S. Ath. contra Arianos, pag. 593, *sententiam* (quâ Christo ut homini quorumdam ignorantia affingitur et aliquis in scientiâ profectus) *in nemine videri olim damnatam fuisse nisi cum alio errore conjunctam.* Et revera, ex S. Ambrosio, lib. 5 de Fide, cap. 18, n. 221 et 222, perspicuè colligitur hanc suâ ætate fuisse quorumdam

qui ex Patribus ignorantiam aliquam Christo ratione humanitatis affixerunt, hos dogma non sanxisse, sed hanc expositionem adhibuisse ut Arianorum obstinationem frangerent, qui divinitatis Verbi impugnandæ causâ, ad illud transferebant quæcumque de Christo ut homine sunt dicta. Quàm meritò autem hæc ab Eulogio pronuntiata fuerint, juvat exemplo S. Athanasii comprobare. Hic, Orat. 3, aliàs 4, n. 37, ad argumentum quod adversùs Verbi divinitatem Ariani ex iis locis deducebant in quibus Christus sciscitatus esse legitur, respondet primùm ejusmodi interrogationes à Christo usurpatas fuisse ut humano more loqueretur, iisque nullam ignorantiam denotari, quod et quibusdam adductis Scripturæ locis planè demonstrat. Deinde verò subjungit : *Quòd si in eo quòd* (Christus) *interrogare dicitur, velint insistere, audiant nullam in Divinitate ignorantiam esse, sed proprium esse carnis ignorare.* Tum testimonia ab Arianis objecta de Christo ut homine intelligenda esse ostendit. Numero autem 55, postquàm Lucæ locum : *Proficiebat ætate et sapientiâ*, etc., exposuit de majori divinitatis Verbi explicatione et ostensione, ait : *Quòd si rixari velint* (Ariani) *in eo quòd* VERBUM CARO FACTUM *Jesus sit appellatus, ad eumque illud dictum,* PROFICIEBAT, *referant, audiant neque eâ re imminui paternam lucem, quæ Filius Dei est.* Quod probat quia inde tantùm sequeretur Verbum ut in carne assumptâ passum est, ita in carne seu in humanitate profecisse.

Obj. ultimò : S. Epiph. Hæres. 77, n. 26 et 30, p. 1020 et 1024, S. Ambrosius, de Incarnat. cap. 7, n. 72, Theodoretus, lib. 5 Hæreticarum fabularum, cap. 13, t. 4, p. 284, Appollinaristas qui mentem Christo detrahebant, ac mentis creatæ loco Verbum esse statuebant, refellunt, quia secundùm S. Lucam, cap. 2, Christus in sapientiâ profecit. Nam is profectus, inquiunt, in Verbum ipsum ratione naturæ divinæ cadere non potest ; ergo mens Christo fuit quæ sapientiâ crescere et progredi potuerit. Ubi patet agi de vero et reali in sapientiâ et notitiâ incremento ; ergo, etc. — Respondeo cum doctiss. Benedictinis in notâ ad locum objectum S. Ambrosii, hos SS. doctores non absurdè posse explicari de profectu in eo genere scientiæ quod theologi hic appellant scientiam acquisitam et experimentalem, quâ nempe Christus novo modo, experientiâ scilicet, quotidiano et ipso usu ea cognoscebat quæ jam ipsi per scientiam infusam erant nota. Fundamentum hujusce responsionis est 1°, quia qualiscumque in sapientiâ profectus, etiam ille experimentalis, refellendis Appollinaristis et dogmati catholico in eos stabiliendo sufficiebat. Solâ enim mente humanâ potuit Christus etiam in hoc sciendi modo proficere, et quodlibet incrementum à Verbi divinitate perinde excluditur. 2° Quia mirum videri non debet à sanctis doctoribus non esse disertè assignatam naturam illius scientiæ in quâ aiebant Christum esse progressum. Nempe nihil ad eorum scopum, ut dictum est, referebat, modum et speciem ejusmodi incrementi determinare ; satis ipsis erat Christum aliquatenùs et qualicumque ratione in sapientiâ profecisse. 3° S. Ambrosius, qui loco objecto Appollinaristas ex hoc profectu Christi pro virili impugnat, alibi tamen, nempe lib. 5 de Fide cap. 18, n. 222, clarè significat sibi non probari eorum sententiam qui Christum secundùm humanitatem aliqua ignorâsse profitebantur. Et Sermone in Psal. 21 (si tamen ipse auctor est hujus sermonis), docet sapientiam Christi ut hominis *desuper contextam*, hoc est, cœlitùs totam simul infusam fuisse, non verò instar humanæ sapientiæ *assutam*, hoc est, non paulatim addiscendo acquisitam. Hæc porrò cum iis quæ S. Ambrosius loco objecto tradit, satius videtur ope allatæ distinctionis conciliare, quàm cum Petavio, lib. 11, cap. 4, variationis accusare S. doctorem.

2° *De objecto scientiæ Christi.* — Quæritur 1°, an anima Christi à primo ortu Deum intuitivè cognoverit ; 2° an viderit omnia præsentia, præterita et in perpetuam æternitatem futura ; 3° an omnia etiam possibilia perspecta habuerit. Circa primum, omnes consentiunt theologi animam Christi visione Dei intuitivâ à primo ortu esse potitam, sed non comprehensivâ. Quomodò autem Christus non potuerit intellectu suo creato videre Deum comprehensivè, variis modis explicant, secundùm varias quas singuli de Dei incomprehensibilitate respectu cujuslibet intellectûs creati tenent sententias ; quarum expositio ad hunc locum non pertinet. Circa secundum, S. Thomas, Scotus et alii scholæ magistri, quos Petavius sequitur lib. 11 de Incarnat. cap. 3, unanimiter censent Christum ea omnia ab ortu cognovisse quæ Deus suâ visionis scientiâ attingit, id est, omnia præterita, præsentia, et in perpetuum futura. Circa tertium, variant opiniones. S. Fulgentius in Responsione ad Ferrandum diaconum, Hugo à S. Victore in l.b. *Utrùm anima Christi æqualem cum Divinitate scientiam habuerit*, Petrus Pictaviensis et alii affirmant Christi animam nihil latere eorum quæ Deus novit, ac proinde non tantùm ea quæ ad scientiam divinam visionis referuntur, sed etiam quæ ad scientiam simplicis intelligentiæ pertinent, nempe omnia possibilia, ab intellectu creato Christi clarè perspici. Discrimen tamen ponunt scientiam Dei inter et scientiam Christi ; nempe observant S. Fulgentius, Petrus Pictaviensis et alii, scientiam Dei esse ipsum Deum, ipsique esse necessariam et essentialem ; scientiam autem quâ Christi anima donata est, non esse ejusmodi animæ essentialem, sed ipsi fuisse à Deo concessam. Addunt non pauci animam Christi, etsi ea omnia quæ Deus perspicit, cognoscat extensivè, non tamen ea cognoscere tam intensivè, id est, cognitione quæ entitate suâ adæquet scientiæ divinæ perfectionem. Quæ ratio vix differt ab eâ quam S. Fulgentius adhibuit. Eamdem S. Fulgentii et aliorum opinionem novâ ratione explicat Thomassinus. Nempe, juxta eum, anima Christi novit quidem ea omnia quæ Deus seu scientiâ visionis, seu scientiâ simplicis intelligentiæ perspicit, sed tamen genere cognitionis inferiori et specificè diverso. Ut enim, inquit, modus cogne-

Catholicorum mentem, Christum aliqua ignorâsse ; quam sententiam etsi non approbet S. doctor, minimè tamen ut errorem jam damnatum rejicit.

scendi per sensus differt specificè à modo quo eadem objecta cognoscimus per intellectum, ita cognitio divina alterius generis et longè superioris est ab eâ quâ anima Christi eadem ac ipse objecta apprehendit.

Plerique theologi post S. Thomam, tertiâ parte, q. 10, a. 2, in corpore, S. Bonav. in 3, dist. 14, et Scotus in eamdem distinctionem qu. 2, censent omnium possibilium cognitionem non esse Christo concessam, neque ideò ipsum dici posse quidquam nescire, quia ejusmodi possibilium cognitio nec ad ejus conditionem et dignitatem, nec ad munia ejusdem et officia ullum respectum habent. Plenam igitur Christo scientiam adscribunt eorum omnium quæ Deus scientiâ visionis attingit, atque eo sensu intelligendi sunt cùm aiunt à Christo omnia cognosci, id est, omnia quæ verè entia sunt, nam possibilia nonnisi impropriè entia appellantur. Statuunt verò non omnia à Christo perspici quæ ad scientiam divinam simplicis intelligentiæ pertinent. Si Christus comprehenderet quæcumque potest Deus, comprehenderet *divinam virtutem*, inquit S. Thomas loco citato, *et per consequens divinam essentiam*. Cæterùm, plurium possibilium notitiam Christo esse impertitam omnes concedunt; nec sanè ullum dubium esse potest quin Christus ea quæ voluerit, possibilia statim cognoscat. Petavius, loco jam laudato, conjicit sanctum Fulgentium fortè explicari posse de cognitione eorum omnium quæ Deus scientiâ visionis perspicit, quippe cùm cætera non sint, nec fuerint, nec futura sint, cùmque ubi dicimus *omnia*, ea potissimùm intelligamus quæ simpliciter extra sunt, hoc est, entia quæ sunt actu, non verò entia secundùm quid et potentia tantùm, nempe possibilia; sequitur S. Fulgentium, ubi docuit Christo plenam fuisse *omnium* scientiam, fortè de solis existentibus aut præteritis vel futuris, non de merè possibilibus esse locutum. Quidquid sit,

Conclusio I. Anima Christi à primo ortu suo Deum vidit intuitivè, et quidem clariùs quâlibet aliâ creaturâ; sed non comprehensivè.

Probatur prima pars 1° ex iis Scripturæ locis quibus modò probavimus Christum à primo ortu plenâ rerum scientiâ fuisse ornatum. Nam ex ejusmodi testimoniis Christus ab ortu plenus fuit veritatis, et thesauros sapientiæ et scientiæ in se reconditos habuit; atqui dictus non fuisset plenus veritatis, et thesauris sapientiæ et scientiæ cumulatus, si visione Dei intuitivâ caruisset, ut colligere est ex eo quòd qui visione intuitivâ nondùm fruitur, dicatur ab Apostolo *cognoscere* tantùm *ex parte, videre per speculum in ænigmate, peregrinari à Domino, et per fidem ambulare, non per speciem*. Sic enim loquitur 1 Cor. 13, v. 9 et 10: *Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus; cùm autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est;* et v. 12: *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum;* et 2 Cor. 5, v. 6, et 7: *Dùm sumus in corpore, peregrinamur à Domino, per fidem enim ambulamus, et non per speciem;* ergo, etc. Eòdem referri possunt quædam alia Scripturæ loca. Joan. 8, v. 55: *Scio eum* (Deum), ait Christus, *et sermonem ejus servo*. Ubi agitur de Christo ut sermonem Dei observante, ac proinde de eo ut homine. Ibid. cap. 1, v. 18: *Deum nemo vidit unquàm. Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. Christus ut prædicans et Prophe-ta agens est Christus ut homo. Ergo cùm unigenitus seu Christus enarrans seu prædicans ibi dicatur in sinu Patris, videtur significari ipsum ut hominem per visionem claram et intuitivam esse in sinu Patris.

Probatur 2° ex SS. Patribus quorum testimonia supra etiam adduximus. Ii perfectam, omnium cognitionem adscribunt Christo, noluntque ullum in sapientiâ verum et realem profectum ipsi absolutè attribui, quia nempe, ut ait S. Gregorius Theologus, *à principio perfectus, perfectior esse non potuit*. Atqui plena scientia, atque impossibilitas in scientiâ proficiendi Christo ut homini attribui non potuissent, si ejus anima visione intuitivâ caruisset; ergo, etc. Non omittendum S. Augustini testimonium in quo expressè et nominatim de visione Dei intuitivâ disserens S. doctor, hanc Christo in terris degenti attribuere videtur. Libro igitur 83 Quæstionum, q. 65, in allegoricâ quâdam resurrectionis Lazari expositione, sudarium quo facies illius è monumento exeuntis tecta erat, figurâsse docet obscuram illam visionem quâ nunc *per speculum in ænigmate* Deum cognoscimus. Tum addit Christum præcipiendo illud sudarium auferri, significare voluisse *quòd post hanc vitam auferentur omnia velamenta, ut facie ad faciem videamus*. Deinde eâ occasione observans linteamina et sudarium quibus Christi corpus involutum est, ab ipso esse in monumento relicta, juxta eamdem allegoriam concludit eum inter et cæteros homines magnum intercessisse discrimen, et ipsum solum *in carne* nihil latuisse. « Quantùm autem, ait, intersit inter hominem, quem Dei sapientia gestabat, per quem liberati sumus, et cæteros homines, hinc intelligitur, quòd Lazarus nisi exiens non solvitur; id est, etiam renata anima, nisi resolutione corporis, libera ab omni peccato et ignorantiâ esse non potest, quamdiù per speculum et in ænigmate videt Dominum. Illius autem linteamina, et sudarium qui peccatum non fecit, et nihil ignoravit, in monumento inventa sunt. Ipse solus in carne, non tantùm in monumento non est oppressus, ut aliquod peccatum in eo inveniretur; sed nec linteis implicatus, ut cum aliquid lateret aut ab itinere retardaret. »

Observat Petavius, lib. 11, cap. 4, n. 5 et 6, alia quædam Patrum testimonia à Suarez, disp. 25, sect. 1, et ab aliis quibusdam hic laudari, quæ ad rem non pertinent.

Probatur 3° consensu unanimi theologorum qui omnes ut certum et indubitatum ponunt Christi animam à primo ortu fruitam esse visione Dei intuitivâ.

Probatur 4° ratione theologicâ, quam affert S. Thomas, p. 3, q. 9, a. 2, nempè cùm homines per Christi humanitatem ad beatitudinis finem perducantur, ut legitur Hebr. 2, oportuisse ut beata cognitio quæ in visione Dei consistit, excellentissimè Christo homini

ab ortu conveniret. Præterea omnis perfectio in animâ Christi possibilis, et finem Incarnationis, nempe satisfactionem ab ipso pro nobis exhibitam non impediens, censeri debet ab ortu Christo concessa; atqui visio intuitiva Dei in animâ Christi fuit ab ortu possibilis, ut manifestum est; non autem impedire potuit ne Christus pro nobis satisfaceret, si quidem cap. 3 ostendemus passiones voluntariè susceptas et ex liberâ tantùm voluntate per aliquod tempus perseverantes, posse ex Dei potentiâ absolutâ stare etiam cum illâ beatitudine quæ ex visione Dei intuitivâ diffluit; ergo.

Probatur secunda pars, nempe animam Christi clariùs videre Deum, quàm alia quælibet creatura; 1° ex Scripturis. Eph. 1, v. 20, Deus dicitur *constituisse Christum ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro.* Atqui *in cœlesti regno*, ut ait S. Thomas, hîc q. 10, a. 4, *tantò aliquis est superior, quantò perfectius cognoscit Deum;* ergo. Probatur 2°, quia humanitas Christi, utpote Verbo perfectissimè conjuncta, nempe in personæ unitatem, debuit proinde clariori ac perfectiori quàm cæteræ creaturæ visione Dei donari. Nec dicas naturam Angelorum esse perfectiorem naturâ humanâ, ac proinde Angelos, utpote perfectiori intellectu donatos, debere perfectiùs Christo Deum cognoscere. Nam hîc non agitur de cognitione naturali, siquidem visio intuitiva Dei menti cuilibet creatæ sibi relictæ impossibilis est; sed quæstio est de ordine gratiæ in quo Christus perfectissimus est et longè Angelos superat; ergo.

Probatur tertia pars, quia fide constat, ut alibi demonstrant theologi, Deum menti finitæ esse incomprehensibilem; atqui mens Christi quantiscumque donis ornetur, finita tamen est; ergo, etc. Hinc meritò in concilio Basileensi, sess. 22, inter alias plures damnata fuit ista propositio Augustini de Româ: *Anima Christi videt Deum tam clarè et intentè quàm Deus videt seipsum.*

Quæres an de fide sit Christum ab ortu ac tempore vitæ suæ mortalis, visione Dei intuitivâ secundùm animam esse potitum? Respondeo à quibusdam theologis pronuntiari illud esse de fide. Sed hæc opinio falsa est, siquidem dogma visionis intuitivæ, ut fatentur Suarez de Incarn. disp. 25, sect 1, Petavius, lib. 11, c. 4, n. 8, et alii, neque in Scripturis, neque apud SS. Patres clarè et dilucidè expressum legitur, sed tantùm ex generalioribus Patrum et Scripturarum dictis discurrendo infertur et colligitur. Censent tamen Suarez et Petavius, locis citatis, hanc doctrinam esse ita certam, ut adversa sententia sit erronea et hæresi proxima. Sed durior adhuc videtur hæc censura, nec satis firmo nixa fundamento. Satis sit ergo, propositioni quâ Christum visione intuitivâ ab ortu esse fruitum negaretur, notam falsitatis et temeritatis cum Turnelio et aliis pluribus inurere, quia hanc notam meretur omnis propositio quam ut certò falsam omnes theologi unanimiter respuunt.

Conclusio II. Anima Christi concessa est ab ortu cognitio omnium præsentium, præteritorum et per totam æternitatem futurorum, non verò omnium possibilium.

Probatur prima pars, 1° quia, ex supra dictis et comprobatis, Christus plenam omnium ad sua membra et dignitatem pertinentium cognitionem à primo ortu habuit; atqui status, dignitas et munera Christi hominis ad omnia præterita, præsentia et in perpetuam æternitatem futura relationem dicunt. Quippe Ephes. 1, v. 21, *constitutus est supra... omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro. Et omnia* (Deus) *subjecit sub pedibus ejus.* Tum cò loci, tum alibi significatur esse Angelorum atque hominum *caput*. Ad Christum omnia referri dicuntur 1 Cor. 3, v. 13. Christus autem ad Deum Coloss. 1, v. 20: *Reconciliata sunt omnia in ipsum... sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Fide constat eum satisfecisse pro omnium peccatis, propter ejus merita omnes conferri gratias, eumdem constitutum esse vivorum et mortuorum judicem, etc.; ergo, etc. 2° In Scripturis Christus dicitur simpliciter veritatis plenus, et thesauris sapientiæ et scientiæ cumulatus; pluresque è sanctis jam laudatis Patribus ipsi simpliciter attribuunt plenam omnium scientiam; atqui hæc intelligenda sunt saltem de iis omnibus quæ reverà existunt, aut extiterunt, aut extitura sunt in rerum naturâ; nam vox *omnia*, saltem universa entia actualia complectitur: omnesque thesauri scientiæ et sapientiæ saltem significant notitiam eorum omnium quæ conditâ rerum universitate continentur; ergo, etc.

Probatur secunda pars, nempe non omnia possibilia cognosci ab animâ Christi. Nam 1° si anima Christi quæ Deum videt intuitivè, ut probatum est, et præterea omnium præteritorum, præsentium et futurorum plenam habet notitiam, polleret quoque omnium possibilium notitiâ, jam ejus scientia tam latè pateret, quàm scientia Dei, nullusque in Deo esset respectus qui ipsam lateret; atqui id falsum, 1° quia impossibile est ab animâ Christi, quæ finita est, tot ejusmodi objecta infinita ita attingi, ut nihil eam lateat; 2° quia anima Christi non potest Deum comprehendere; atqui Deum comprehenderet qui eum sic videret, ut nihil lateret videntem; ipsa est definitio comprehensionis quam affert S. Augustinus. Vel, ut ratiocinatur divus Thomas hîc q. 10, art. 2, in corpore, si cognosceret anima Christi in Verbo quæcumque sunt in potentiâ divinâ, *hoc esset comprehendere omnia quæ potest Deus facere, quod esset comprehendere divinam virtutem et per consequens divinam essentiam.* Frustra autem finguntur gradus varii intensionis, aut divisa species perceptionis. Quæcumque sit intensio, entitas aut species alicujus perceptionis puræ, certè ea perceptio comprehensiva esset, si objectum, et quidquid est in objecto, et omnis virtus objecti per eam ita attingatur, ut nihil in iis prorsùs sit quod percipientem fugiat. Sed de eo alibi uberiùs theologi disputant ubi de incomprehensibilitate Dei et visione ejus beatis mentibus concessâ.

3° *De speciebus scientiæ Christi.* — Theologi solent dividere scientiam Christi in beatificam, infusam, et

acquisitam seu experimentalem. Beatifica ea est, quâ anima ejus videt Deum intuitivè, quâque simul in Deo tanquàm in medio, ut aiunt, seu in Verbo perspicit aliqua possibilia et creaturas existentes. Scientia infusa est ea quam Christus à Deo infusione accepit, ut cognosceret omnia quæ ad se et sua munia contingebant. Scientia infusa duplex est, alia infusa per se, nempe, quâ omnia mysteria et res supernaturales Christus clarè cognovit; alia infusa per accidens, quâ cognoscit ea quorum homo purus naturalem posset cognitionem acquirere. Scientia acquisita seu experimentalis est ea quâ Christus novo modo, nempe experiendo, cognoscit multa quæ jam antea per scientiam infusam cognoscebat. V. g., antequàm pateretur, dolorum naturam et vim cognoscebat; eamdem verò, patiendo, cognovit novâ ratione, nempe experientiâ; nova autem hæc ratio cognoscendi appellatur scientia experimentalis. Facilè perspicitur omnes has scientias in Christo admittendas, quia harum omnium habuit facultates quas ad actum reduci Christi perfectio postulavit.

ARTICULUS II.

De perfectione humanitatis Christi quantùm ad voluntatem consideratæ.

Multa hìc expendenda occurrunt : 1° quæ gratiæ Christo collatæ fuerint; 2° an donis Spiritûs sancti cumulatus fuerit; 3° quæ in eo fuerint virtutes; 4° quæ et quanta fuerit Christi secundùm humanitatem sanctitas; 5° in quo reponenda sit ejus libertas, et quomodò cum ejus impeccantiâ conciliari possit.

1° *De gratiis Christo homini concessis.* — Duplex generatim distinguitur gratia, alia gratum faciens, alia gratis data. Hæc non tam in commodum accipientis confertur, quàm ad utilitatem aliorum, ut donum miraculorum. Gratia gratum faciens vel eum cui tribuitur, formaliter sanctificat, vel saltem ad ejus sanctificationem conducit. Dividitur hìc in substantialem et accidentalem. Substantialis est ipsa unio hypostatica, quâ natura humana Christi Verbo divino in personæ unitatem conjungitur. Accidentalis est ea quæ ex hypostaticâ unione in Christi humanitatem derivatur, et habitualis est vel actualis. Humanitati Christi inesse gratiam substantialem, seu eam hypostaticè uniri Verbo divino, satis superque demonstratum liquet ex dictis Dissertatione quartâ, cap. 2, adversùs Nestorium. De gratiâ igitur accidentali, seu habituali, seu actuali, impræsentiarum superest ut disseramus.

Conclusio I. Christus habuit gratiam habitualem et actualem, sine iis tamen imperfectionibus quas in nobis gratia actualis supponit.

Probatur prima pars ex Scripturis. Joan. 1, v. 14 : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis... plenum gratiæ et veritatis.* Ibid. v. 16 : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Et cap. 3, v. 34 : *Non enim ad mensuram dat* (ei) *Deus Spiritum.* Ex quibus locis patet in Christo fuisse plenitudinem gratiæ; ergo, etc. Ratio theologica idem manifestè adstruit : nam Christo necessaria fuit gratia, tum ut ejus humanitas formâ justitiæ inhærentis instrueretur, tum ut ejus voluntas in ratione causæ supernaturalis constitueretur, et posset ea opera efficere naturam humanam sibi relictam longè superantia quæ Christus humanitate suâ produxit.

Probatur secunda pars, nempe gratiam in Christo fuisse sine iis imperfectionibus quas in nobis supponit. Nam gratia nobis datur tum ad depellendam è mentibus nostris ignorantiam, tum ad concupiscentiam quâ ad peccandum impellimur, vincendam; atqui propter hos fines gratia non fuit Christo collata, siquidem nec ignorantiâ, ut articulo præcedenti probatum est, nec concupiscentiâ, uti mox dicemus, laboravit; ergo, etc.

Conclusio II. Omnibus gratiis gratis datis potitus est Christus ut homo. Probatur, quia ejusmodi gratiæ ex Apostolo, 1 Cor. 12, sunt sermo sapientiæ, gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum. Sed ex evangelicâ historiâ constat Christum omnibus ejusmodi gratiis fuisse præcellenter præditum; ergo, etc.

Quæres 1°, an gratia Christi fuerit infinita? — Respondeo negativè. Nam quidquid in subjecto inhæsionis finito recipitur, illud necessariò finitum est; atqui gratiæ Christo collatæ, in ejus humanitate, quæ finita est, receptæ sunt; ergo, etc.

Quæres 2°, an Christus ut homo, et ut per humanitatem agens, produxerit physicè miracula, an verò moraliter tantùm. — Respondeo certum esse 1°, Christum ut hominem fuisse saltem causam moralem miraculorum quæ patravit. Nam causa moralis ea est quæ agentem movet et impellit ad effectum producendum; atqui eæ saltem fuerunt Christi hominis partes in patrandis miraculis, ut merito desideriorum suorum certò et infallibiliter moveret Deum ad miracula efficienda; ergo, etc. Certum est 2°, Christum ut hominem dicendum esse causam physicam miracu- in eorum systemate qui causas physicas secundas volunt esse duntaxat causas occasionales à Deo institutas ut secundùm aliquem ordinem constantem et uniformem operaretur. Nam causa occasionalis ea est ad cujus præsentiam semper et infallibiliter in iisdem circumstantiis vi legis à Deo constitutæ effectus producitur; atqui, ubi Christus ut homo volebat miraculum produci, constat illud semper fuisse à Deo productum; quippe semper *exaudiebatur* Christus *pro suâ reverentiâ;* ergo, etc. Certum est 3°, Christum in miraculosos effectus magis influxisse, quàm causæ occasionales in effectus suos influerent. Nam causa occasionalis nullam per se habet vim movendi et impellendi agentem ad effectum producendum : et idcircò tantùm ad ejus præsentiam effectus producitur, quia ad ejusmodi præsentiam Deus hunc producere decrevit; atqui non tantùm ad præsentiam actûs voluntatis humanæ Christi de quodam patrando miraculo, seu ubi aderat ejusmodi actus, hoc ipse Deus il-

lud operabatur; sed præterea in ejusmodi actu inerat, ut dictum est, saltem vis movendi Dei ad effectum miraculosum producendum; ergo in effectus miraculosos Christus magis influxit, quàm in suos effectus causâ merè occasionalis influeret.

Utrùm verò in systemate eorum qui vim aliquam propriam physicam, à Deo dependentem, causis physicis secundis assignant, quod systema theologi solent tenere; utrùm, inquam, in eâ opinione Christus ut homo dicendus sit causa physica miraculorum, quæstio est hinc et inde in scholis maximè agitata, quæ nobis videtur certò solvi non posse, quanquàm partem affirmantem ut probabiliorem habeamus. Et quidem certò solvi non potest; natura enim vis illius physicæ quæ causis secundis tribuitur, non satis perspicuè innotescit, ut possimus esse certi hanc circa miracula virtutem in humanitate Christi seu in ejus animâ per voluntatem operantem esse possibilem. Pars autem affirmans probabilior est. Nam si causæ secundæ quâdam vi physicâ sibi propriâ polleant, sanè probabilius similem potentiam circa miracula producenda potuisse à Deo animæ Christi concedi, ut et vulgò existimant hanc Angelis concedi posse, imò et in quibusdam occasionibus fortè concessam fuisse. Porrò, quis, admissâ hujusce virtutis in animâ Christi possibilitate, eamdem dotem negaverit fuisse ab ortu ipsi concessam? ergo, etc.

2° *An dona Spiritûs sancti Christo collata sint.* — Naturam donorum Spiritûs sancti, prout à virtutibus moralibus distinguuntur, explicat S. Thomas 1-2, q. 68, a. 1. Hîc satis sit annotare ejusmodi dona ad gratiam habitualem referri, iis perfici hominem seu animæ potentias in iis quæ per Spiritum sanctum operatur, ac tandem illa esse septem numero, nempe dona sapientiæ et intellectûs, consilii et fortitudinis, scientiæ, pietatis et timoris Domini.

Conclusio. In Christo fuêre dona Spiritûs sancti, sed iis imperfectionibus mixta non erant quibuscum in nobis deprehenduntur. Probatur prima pars ex Isaiæ c. 11, v. 2, ubi omnia recensentur Spiritûs sancti dona, et Christo concedenda pronuntiantur: *Requiescet*, inquit Propheta, *super eum* (florem egressum de radice Jesse) *Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectûs, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis; et replebit eum spiritus timoris Domini.* Is textus de solo Christo intelligi posse antecedentia et consequentia manifestum faciunt. Et reverà de Christo exponitur à S. Irenæo. lib. 3 contra Hæres., cap. 3, à Tertull., lib. advers. Judæos, cap. 9, à S. Hieronymo in Isaiam, et ab aliis. Probatur secunda pars, quia dona Spiritûs sancti in nobis admixta reperiuntur defectibus qui cum Christi perfectione stare non possent. Nempe, v. g., donum consilii in nobis sæpè supponit animum ancipitem et per aliquod tempus deliberantem; donum timoris cum salutis nostræ incertitudine conjunctus est, etc. Atqui hæ imperfectiones in Christo non possunt admitti; donum igitur consilii in eo nihil aliud est quàm rectum de agendis judicium, nullus ipsi alius timor Domini adscribendus quàm qui ex charitate et reverentiâ seu obsequio nascitur, etc.

3° *De virtutibus Christo attribuendis.* — Virtutes aliæ sunt infusæ, aliæ acquisitæ, aliæ theologicæ, aliæ morales.

Conclusio. Fuêre in Christo omnes virtutes, tum infusæ, tum acquisitæ, theologicæ et morales, cum ejus perfectione non pugnantes. Probatur, quia propter unionem hypostaticam necesse fuit ut Christi humanitas omnibus virtutum numeris esset absoluta et cumulata. Dictum est autem, in eo inesse virtutes cum ejus perfectione non pugnantes, 1° quia fides et spes ei non tribuendæ, utpote quæ cum visione intuitivâ quâ ab ortu fruitus est, consistere non possunt. Sola ergo ex virtutibus theologicis Christo convenit charitas. 2° Quia virtutes morales, quæ in nobis opponuntur motibus concupiscentiæ, et in iis reprimendis et coercendis occupantur, Christo etiam adscribi nequeunt, siquidem in eo nulli erant motus concupiscentiæ, nullus peccati fomes. Pœnitentia pariter, prout est dolor de peccatis propriis, in Christo summè sancto et omnis noxæ experti locum habere non potuit. 3° Quia non eo sensu Christus virtutes habuit acquisitas, quòd aliquas actuum repetitione comparaverit; sed tantùm quòd eas virtutes quas alii frequenti actuum repetitione acquirunt, ipse (ubi suæ perfectioni non repugnabant) ab ortu sibi à Deo infusas habuerit.

4° *Quæ et quanta fuerit Christi sanctitas?* — Ex dictis liquet Christi humanitatem fuisse summè sanctam, 1° ratione unionis hypostaticæ, quâ Verbo divino substantialiter conjungitur; 2° ratione gratiæ habitualis, et charitatis excellentissimæ, donorumque et virtutum perfectissimarum. Quæstio nunc est an Christus fuerit ita sanctus, ut nec peccaverit, nec peccare potuerit, et nequidem ipsi fuerit peccandi fomes; tum undenam repetenda sit illa ejus impeccantia; denique an ea semper operatus fuerit quæ erant optima et Deo magis placita.

Notandum autem eò desipuisse quosdam decimi sexti seculi hæreticos, de quibus Hosius lib. 1 de Hæresibus, ut Christo in cruce pendenti impatientiæ et desperationis motus attribuerent.

Conclusio I. Christus Dominus non peccavit, nec peccare potuit. Probatur 1° ex Scripturis. Joan. 8, v. 46: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* 2 Cor. 5, v. 21: *Eum* (Christum) *qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit* (Deus). Hebr. 4, v. 15: *Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* Ibid. c. 7, v. 26: *Talis decebat ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, et excelsior cœlis factus; qui non habet necessitatem quotidiè, quemadmodùm sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre*, etc. 1 Petri 1, v. 8: *Non corruptibilibus auro et argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi et incontaminati.* 1 Joan. 3, v. 5: *Ille apparuit ut peccata nostra tolleret, et peccatum in eo non est.* Clara sunt hæc testimonia, iisque omne peccatum à Christo ita excluditur, ut manifestum sit ab ipso quoque peccandi potentiam iisdem

removeri. Et verò numquid is peccavit, aut peccare potuit, qui non solùm sanctus et justus simpliciter et eximio modo in Scripturis dicitur, sed et ipsa justitia et sanctitas? Atqui Christus in Scripturis non tantùm sanctus et justus simpliciter et eximio modo, sed etiam ipsa justitia et sanctitas appellatur. Vide Psalm. 4, v. 4; Psal. 15, v. 5; Isaiæ 12, v. 6, cap. 45, v. 8, cap. 51, v. 5, cap. 53, v. 11, cap. 62, v. 1; Jerem. 23, v. 5 et 6, cap. 33, v. 15; Malach. 2, v. 2; Daniel. 9, v. 24; Zach. 9, v. 9; Marci 1, v. 24; Lucæ 1, v. 35; Act. 3, v. 14, cap. 7, v. 5, cap. 22, v. 14; Apocal. 3, v. 7; ergo, etc.

Probatur 2° ex concilio Later., sub Martino I, can. 5; ex S. Leone, in Epistolâ ad Flavian., approbatâ à concilio Chalcedonensi, necnon ex aliis pluribus sacris synodis, quæ ubi Christo attribuunt physicos et naturales quosdam defectus, monere curant, ob ipso assumptos non esse defectus morales seu culpabiles humanitatis.

Probatur 3° ex SS. Patribus. S. Hippolytus, episcopus et martyr, apud Theodoretum, Dialogo 1, postquàm docuit arcam, quæ ex lignis putredini non obnoxiis erat confecta, fuisse figuram Christi, qui à peccati *putredine* alienus erat, addit eumdem Christum *ex lignis putrefactioni non obnoxiis secundùm hominem, hoc est, ex Virgine et Spiritu sancto, intùs et foris tanquàm purissimo Verbi Dei auro circumtectum fuisse.* Origenes, lib. 2 de Principiis, cap. 6, n. 7, allatâ similitudine massæ ferri, quæ, si semper in igne esset posita, « et omnibus suis poris, omnibusque venis ignem reciperet, » non posset, dùm sic igne perpetuo pervaderetur, *frigus aliquando recipere; hoc ergo modo*, inquit, *etiam illa anima* (Christi), *quæ quasi ferrum in igne, sic semper in Verbo, semper in sapientiâ, semper in Deo posita est, omne quod agit, quod intelligit, quod sentit, Deus est; et ideò nec convertibilis aut mutabilis dici potest, quæ inconvertibilitatem ex Verbi Dei unitate indesinenter ignitâ possedit.* Vide et n. 6, ibid. Julianus Pomerius, de Vitâ contemplativâ, lib. 3, cap. 31, n. 2: *Sine peccato*, inquit, *conceptus* (Christus) *et natus, non solùm non peccavit, sed etiam peccare non potuit.*

Operosum non esset innumera alia sanctorum doctorum congereret estimonia, omnes enim hâc de re perfectè consentiunt. Vide S. Dionysium Alex., in Epistolâ ad Paulum Samosatenum; S. Athanas., lib. 1 de Incarn. contra Appollinaristas, et Orat. 2, aliàs 1, adv. Arianos; S. Greg. Naz., Orat. 36, n. 46, cujus verba laudantur act. 17 synodi VI generalis; S. Hil., lib. 10 de Trin; S. Ambr., lib. de Incarn. cap. 7; S. Hier., in Epistolâ ad Ctesiphontem; S. August., lib. de pecc. Mer. et Remiss. cap. 11, lib de Correp. et Grat. cap. 11, lib. de Prædest. sanctorum, cap. 15, et Enchirid., cap. 36 et 40; S. Cyrillus Alex., Dial. 6 de Trinitate, et alios plurimos.

Probatur 4° ratione theologicâ. 1° Indecens fuisset et planè Deo indignum et turpe, ut Deus Verbum naturâ à se assumptâ et sibi in personæ unitatem conjunctâ peccâsset, sicque, rebellando in se ipsum, sibi odiosus factus esset, et pœnas æternas meruisset. 2° Quam sibi Deus Verbum hypostaticè conjunxit naturam, hanc sui juris speciali modo ipse fecit, huic summâ ratione seipsum communicavit, eam omnibus donis et perfectionibus quæ in illâ inesse possunt ornat ac cumulat, ejus omnes regit volitiones et operationes utpote quas propter idiomatum communicationem sibi propriè vindicat; ergo non tantùm hâc naturâ non peccavit, sed nec peccare potuit.

Dices 1°: Ut Deus Verbum, etsi impassibilis in propriâ naturâ potuit tamen in naturâ assumptâ pati; quid repugnat eumdem, etsi naturâ suâ sanctum, in naturâ assumptâ peccâsse? Ita Durandus.—Nego conseq. Latum est discrimen inter defectus physicos qui necessariæ sunt naturæ assumptæ appendices, aut ad nostram redemptionem fuerunt requisiti, et defectus morales, nempe vitia et peccata, quæ hominum redemptioni nocuissent, Deo summè odiosa sunt, et severè ab eo puniuntur, quæque nullam à Verbi personâ potuissent dignitatem consequi.

Dices 2° Christus in cruce pendens, hæc verba protulit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Atqui hæc verba impatientiam et desperationem sonant; ergo, etc. —Nego min. Evidentissimum est his verbis Christum duntaxat exprimere, ac Patri piè exhibere dolorum suorum acerbitatem. Cùm enim ait se derelictum, sensus planè est, se omni divino auxilio quo passiones suæ leniri potuissent, fuisse destitutum. Quapropter tam insulsum quàm impium est ibi velle quædam desperationis vestigia reperire.

Conclusio II. Anima Christi ex hypostaticâ suî cum Verbo unione id habuit ut peccare non posset. Probatur 1°, quia juxta Scripturas eximia gratiæ dona quibus humanitas Christi cumulata est, ex hypostaticâ ejus unione cum Verbo divino ortum duxerunt. *Spiritus Domini super me*, inquit nomine Christi Isaias 61, v. 1, *eò quòd unxerit Dominus me.*

Probatur 2° ex SS. Patribus. Jam attulimus modò sancti Hippolyti, Origenis et Juliani Pomerii testimonia, quibus manifestum fit eos Christi impeccantiam ex ejus cum Verbo unione deduxisse. Consentit S. Dionysius Alex., in Epistolâ ad Paulum Samosatenum: *Nisi*, inquit, *fuisset Christus idem qui erat Deus Verbum, non poterat esse alienus à potestate peccandi.* Audis rationem propter quam Christo impossibile fuit peccatum, ex eo repeti à S. doctore, quòd idem erat seu eadem persona ac Deus Verbum; ergo, etc. S. Athanasius, lib. 1 de Incarn. adversùs Appollinarium, cùm contenderent Appollinaristæ, ut ipse refert n. 2, Christo non fuisse mentem, quia si habuisset mentem humanam, peccâsset, respondet, n. 14, eos in Manichæismum incidere, dùm volunt *peccatum esse ex naturâ*, seu naturæ humanæ esse essentiale, et ab ipsis inquirit, num Salvator timere debuerit, *ne et ipse peccati particeps esset, si, cùm Deus sit, perfectus homo fieret?* Deinde, num. sequenti, ait Deum Verbum sibi ipsi restaurâsse naturam humanam *incapacem diabolicæ perversionis et inventionis peccati.* Vide etiam alios Patres mox laudatos.

Probatur 3° ratione theologicâ in confirmationem primæ conclusionis jam allatâ. Ostendimus enim quòd

in ipsam Dei naturam peccatum refunderetur, si quod admitteretur à naturâ quam persona divina sibi in unitatem hypostaseos devinxisset. Quia nempe natura sic assumpta, propria fit personæ assumentis, et in physicum jus ejus transit; adeò ut omnes actus ab illâ naturâ eliciti, verè sint ejusmodi personæ; quæ proinde eos debet ut suos regere.

Ex his colliges impossibile prorsùs fuisse ullum à Christo peccatum admitti, nec ullam circa peccatum committendum agnosci posse in eo libertatem aut potentiam. Nam, etsi anima ab eo assumpta, de se, præscindendo ab unione hypostaticâ et à donis sibi collatis, peccato obnoxia fuisset, attamen tum sanctitate illâ substantiali quam ex unione hypostaticâ ad Verbum consecuta est, tum perfectione cognitionis, et ubertate charitatis quæ ex eâdem unione in eam dimanârunt, sta ad bonum determinata est, ut nullum ipsi liberum malè agendi et peccandi arbitrium relictum sit.

Conclusio. III. Non fuit in Christo peccati fomes. Probatur. Peccati fomes seu concupiscentia consistit in motibus indeliberatis, qui, nobis etiam invitis, perseverant, et quibus ad peccandum impellimur; atqui repugnat in animâ Christi fuisse ejusmodi motus. 1° quia eædem ferè rationes quibus evincitur Christum fuisse impeccabilem, ostendunt pariter maximè indecens et incongruum fuisse ut ejusmodi motibus sancta ejus anima obnoxia esset. Quis enim non videt nihil inordinati, nihil rationem antevertentis et ad peccatum inclinantis consistere posse cum eâ perfectione quam animæ Christi tribuendam esse probavimus? 2° Quia S. August. ita certum et fide indubitatum credidit nullam Christo homini attribuendam esse concupiscentiam, ut secùs sentienti anathema dicere non dubitaverit. *Quisquis*, inquit, Oper. imp. lib. 4, n. 47, *credit carnem Christi contra Spiritum concupisse, anathema sit.* 3° Quia is defectus non est Christo attribuendus, qui in Adamo innocente non fuit, quemque, ut Christus posset pro nobis satisfacere, ab ipso assumi non exigebant Incarnationis fines; atqui concupiscentia, seu motus de quibus loquimur, nulli fuêre in Adamo innocente, ut theologi probant ubi de naturâ innocenti disserunt. Præterea manifestum est ejusmodi motibus Christum non indiguisse ut finem Incarnationis consequeretur, nempè ut pro nobis satisfaceret et promereret; ergò, etc.

Dices : Christus à dæmone tentatus est, Matth. 4, v. 1; atqui tentationes sunt motus concupiscentiæ; ergo, etc. — Dist. : Christus tentatus est tentatione extrinsecâ, concedo; tentatione intrinsecâ, nego. Tentatio extrinseca consistit in suggestione et ostensione seu propositione objecti vetiti; tentatio verò interna, in motibus ad ejusmodi objectum prosequendum impellentibus. Christus, ut nos erudiret, ac modum vincendi tentationes etiam internas exemplo suo nos doceret, permisit quidem à dæmone sibi suggeri et proponi quædam illicita perpetranda; at ejusmodi tentatio nec rationem prævertit, nec in motibus in voluntate excitatis et ad peccatum impellentibus posita fuit. Nam 1°, in hujusce tentationis historiâ, Matth. 4, nihil aliud continetur, quàm propositio mera objecti vetiti et rationum ad illud prosequendum impellentium; Christus ejusmodi propositione quovis modo commotus et allectus non exhibetur. 2° Dotes et tituli quæ in Scripturis attribuuntur Christo Domino, planum faciunt ejusmodi loca in quibus tentatus dicitur, esse de suggestionibus exterioribus intelligenda. Vide S. Greg. Magnum, Hom. 16, in Evang. habitâ in Bas. S. Joan. Later. Dom. 1 quadrag., ubi hæc dilucidè et accuratè exponit.

Dices 2° : Oratio quam Christus in horto effudit, Matth. 26, v. 39 : *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste*, eum tunc fuisse commotum et tentatione turbatum satis ostendit; quapropter ad se reversus petitionem hanc suam correxit, et sese Patris voluntati subjecit, addens : *Verumtamen, non sicut ego volo, sed sicut tu.* Ita Calvinus. — Nego ant. Hæc verba : *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste*, vel, ut refert alter Evangelista, *Pater, si vis, transfer calicem hunc à me*, 1° nihil inordinati exprimunt; siquidem solum significant desiderium calicis dolorum non bibendi, si id Deo beneplacitum fuisset; ergo stultè ex eo arguitur Christum fuisse tentâtum aut peccato obnoxium. 2° Ejusmodi desiderium erat animæ sentientis, et ad affectum ejus naturalem pertinebat, qui affectus naturalis dolores et mortem refugiens nihil mali et inordinati continet. 3° Ejusmodi motus affectûs naturalis in Christo non fuêre indeliberati, ut aliquando dicemus, art. 3, nec rationis advertentiam prævenerunt, sed sapientibus de causis eos in se excitari voluit Christus tum ad nostram institutionem, tum ut majora patiendo charitatem suam erga nos magis declararet, seseque verum esse hominem clariùs nos doceret. Hinc meritò S. Justinus, in Dialog. cum Tryphone, ait Christum hâc suâ oratione et desiderio naturali implevisse Davidis oraculum, Psal. 21, v. 2 : *Clamabo per diem, et non exaudies; et nocte, et non ad insipientiam mihi.* Licet enim Christus non exauditus fuerit, cùm ejusmodi conditionalem emisit orationem, hæc tamen ipsi non est imputata ad insipientiam, quia nempe nonnisi ex summâ sapientiâ et perfectâ ratione profecta est.

Conclusio IV. Christus ea semper egit quæ perfectissima et Patri magis placita erant. Probatur, quia Christus hoc ipsum verbis conceptis attestatur, Joan. 8, v. 29, his verbis : *Quæ placita sunt ei* (Patri) *facio semper.* Christus igitur non modò nunquàm peccavit, sed etiam inter varia bona quæ operari potuerit, semper illud elegit quod habitâ sui statûs et omnium circumstantiarum ratione erat optimum, et non præceptis tantùm, sed et consiliis divinis maximè consentaneum.

Impeccantiam tamen Christi inter et ejus ad optimum et perfectissimum determinationem, maximum discrimen intercedebat. Nam ipsi nulla erat indifferentia, nulla libertas ad peccatum, nempe ejus voluntas necessariò determinata erat ad bonum in communi. At verò, si ex bonis singularibus sèmper optimum eligebat, hæc ejus determinatio seu electio erat libera,

et catenùs ex unione hypostaticâ concipi debet ortum duxisse, quatenùs propter ejusmodi unionem concipitur humanitati Christi debuisse concedi auxilia seu dona quibus certò et infallibiliter, etsi liberè, ad perfectissimum eligendum, semper determinaretur.

ARTICULUS III.

De libertate Christi.

Libertas est indifferentia activa ad agendum vel non agendum, seu ea est vis quâ voluntas unum potest eligere præ alio. Libertas duplex, alia contrarietatis, quæ bonum et malum respicit, et definitur potestas benè agendi vel peccandi; alia contradictionis, quæ circa bonum duntaxat operandum versatur, et describi potest facultas hoc vel illud bonum operandi, præceptique hoc vel illo modo, ex hujus vel illius virtutis motivo, in his vel illis circumstantiis adimplendi.

Observandum autem duplicis generis præcepta ad Christum ut hominem, dùm mortalem vitam egit, attinuisse. Nempe 1°, ea quæ legis naturalis sunt, seu negativa, ut falsum non esse proferendum; seu positiva, ut Deum esse colendum; 2° ea quæ ipsi lege divinâ positivâ fuêre imposita, ut mandatum mortis cruentæ pro hominibus subeundæ.

In utroque ejusmodi præceptorum genere, rei præceptæ substantia ab ejus circumstantiis secerni debet. Substantia præcepti illud ipsum est quod sub præceptum cadit, seu quod imperatur, adeò ut eo non impleto violetur præceptum. Nomine circumstantiarum præcepti comprehenduntur quæcumque rei imperatæ exsecutionem comitantur, et vario sese modo sine præcepti violatione habere possunt. Cujusmodi sunt intensio major vel minor actûs quo præceptum perficitur, relatio actûs ejusdem ad hunc vel illum finem proximum bonum, motivum hujus vel illius virtutis, circumstantiæ temporis, etc. Poni enim potest singula illa non esse determinata et specialim assignata per præceptum; v. g., præceptum necis pro redimendis hominibus oppetendæ Christo potuit imponi, quin ipsi ea omnia præscriberentur specialim quæ ad mortis genus, horam, motivum et finem contingebant.

Quæstio est an circa præcepta legis naturalis, seu in se, seu quantùm ad circumstantias spectata Christus liber fuerit? an præsertim circa mortem pro nobis tolerandam? tum quâ ratione libertas ipsi adscribenda cum ejus impeccabilitate stare possit? Quidam theologi, libertatis Christi cum ejus impeccantiâ conciliandæ difficultate superati, eum immunem tantùm à coactione fuisse docuerunt, non à necessitate simplici, sicque, servato libertatis Christi nomine, hanc tamen reverà à medio sustulerunt. Refert hanc sententiam S. Thomas in 3, dist. 18, a. 2, ad 5, in secundâ illius solutione. Suarez, disp. 37, sect. 2, testis est nonnullos suâ ætate eamdem doctrinam propugnâsse, quam tamen ipse omninò falsam et improbabilem pronuntiat. Hujusce sententiæ defensores cogebantur dicere libertatem à necessitate ad meritum necessariò et per se non esse requisitam, seu aliquem dari posse statum in quo ad merendum hæc immunitas non esset necessaria. Id enim manifestè sequitur ex eo quòd Christo, quem mêruisse fide constat, solam attribuerent à coactione libertatem.

In aliud extremum abiit Suarez loco mox citato, sect. 2 et 3; non tantùm enim statuit Christum circa multa, ipsamque mortem subeundam, fuisse verè liberum, seu immunem à necessitate; sed præterea contendit ipsi fuisse ejusmodi libertatem etiam circa præcepta legis naturalis, quantùm ad substantiam spectata, proindeque attribuit Christo libertatem aliquam contrarietatis et *aliquo modo potentiam physicam non faciendi* quod præceptum erat, *vel etiam aliud faciendi;* eumdem nihilominùs ait, *simpliciter loquendo non potuisse peccare nec habuisse potentiam peccandi*, quia, etsi liberè et citra necessitatem à peccato abstinuerit, attamen gratiæ congruæ quibus ejus voluntas humana semper ad bonum dirigebatur, ipsi naturaliter, seu vi unionis hypostaticæ erant debitæ, et propterea juxta prædefinitiones divinas huic destinatæ et concessæ. Quapropter vero sensu et simpliciter pronuntiandum censet peccatum fuisse impossibile Christo, quamvis ejus voluntas humana ad illud vitandum nec coacta, nec necessitata fuerit.

Vera et communis theologorum doctrina est Christum circa multa fuisse verè liberum, seu immunem à quâcumque verâ necessitate; ita tamen ut nulla peccandi potentia, nulla contrarietatis libertas ipsi possit tribui. Quod egregiè et breviter S. Thomas, p. 3, q. 18, a. 4, ad 3, exprimit his verbis : *Voluntas Christi, licet sit determinata ad bonum, non tamen ad hoc vel illud bonum.*

Quotquot autem ita statuunt, tenentur sentire quod consequens est, nempe Christo nullam fuisse libertatem circa substantiam præceptorum legis naturalis, sed tantùm circa eorum circumstantias; quod quidem ita explicant plurimi ut velint Christum fuisse liberum circa ipsam actuum substantiam quibus Christus legis naturalis præcepta implevit. Namque præcepta legis naturalis, inquiunt, vel sunt negativa, vel affirmativa. Ad negativa observanda nullus requiritur actus positivus, sed sufficit mera actûs vetiti carentia. Proindeque, ubi Christus ea implevit actu positivo, non officit ejus impeccabilitas quominùs ejusmodi actus fuerit liber. Præcepta autem affirmativa obligant quidem ad actus positivos, sed non pro singulis instantibus, nec cum omnibus circumstantiis, id est, cum tali intensione, ex hoc vel illo motivo, etc. Quocirca, in ejusmodi actibus eliciendis voluntas Christi, etsi impeccabilis, aliquâ tamen ratione mansit indifferens; nempe, vel in eo instanti quo actum præceptum eliciebat, eum poterat non elicere, vel non tali aut tali modo, vel non ex tali motivo; quo tamen motivo immutato mutatur substantia actûs. Unde sequitur, etsi Christus non potuerit præcepta legis naturalis quantùm ad substantiam infringere, ab eo tamen nullos ad illa observanda productos fuisse actus speciales, à quibus eo instanti quo eos producebat abstinere non potuisset. Hæc de libertate Christi circa legem naturalem im-

plendam plures theologi, quæ plerorumque aliorum doctrinæ planè consentanea sunt.

Quod porrò ad mortem quam pro nobis Christus pati debuit, attinet, iidem non ita consentiunt. Nonnulli opinati sunt nullum de morte pro hominibus subeundâ Christo fuisse à Deo verum et propriè dictum mandatum impositum, sed duntaxat mandatum latiori sensu acceptum pro superioris directione qui sub peccato quidem obligare possit, non tamen hocce modo obliget. Petavius, Victoria, Lorca. Alii quidam mandatum mortis tolerandæ Christo datum agnoscunt, sed illud aiunt nonnisi sub conditione acceptationis Christi constitutum, atque ejus vim, donec acceptaretur, decernunt fuisse suspensam. Alii existimant ad Christi libertatem satis esse, sublato moriendi præcepto, Christum potuisse non elicere actum quo illud mandatum exsecutus est; rati necessitatem quæ est in sensu composito præcepti libertati non nocere. Gonet. Alii, quos secutus est Vasquez in tertiam partem, dissert. 74, sentiunt Christum fuisse liberum circa circumstantias præcepti sibi impositi de morte pro hominibus ferendâ, non verò circa ipsammet hujusce præcepti substantiam. Nempe, de Christi libertate circa positivum moriendi præceptum, ii perinde ratiocinantur ac de præceptis legis naturalis diximus eosdem et alios plures theologos ratiocinari. Alii denique volunt Christum potuisse à Patre suo dispensationem de ejusmodi præcepto postulare, atque eâ ratione facilè intelligi, 1° verum et propriè dictum fuisse illud præceptum; 2° Christum, sine ullo impeccantiæ suæ detrimento, verè et propriè fuisse in eo adimplendo liberum.

Conclusio I. Christus in multis ac præsertim in subeundâ morte fuit liber, seu immunis non tantùm à coactione, sed etiam à simplici necessitate.

Probatur 1° ex Scripturis. Isaiæ 7, v. 14 : *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum.* Ubi electio tribuitur Christo; atqui electio est actus facultatis liberæ; ergo, etc. Atque ita hunc locum interpretantur SS. Basilius et Hieronymus ad hunc locum, S. Augustinus, lib. 8 *de Genesi ad litteram*, cap. 14, S. Thomas hic q. 18, a. 4, in argum. *Sed contra;* ejusdem Isaiæ 53, v. 7 : *Oblatus est quia ipse voluit.* Quæ de voluntate Christi humanâ accipi debere apertum est ex contextûs serie. His verò Christum liberâ voluntate se obtulisse significari patet, quia ejusmodi loquendi modus ille ipse est quo actiones vel passiones liberæ in sacris litteris designari assolent. Joan. 10, v. 17 et 18 : *Ego pono animam meam... Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso, et potestatem habeo ponendi eam... hoc mandatum accepi à Patre meo.* Hic iterùm agitur de Christo ut homine, ipsique disertè adscribitur facultas à seipso ponendi animam suam, id est, plena de nece tolerandâ libertas. Adde omnia Evangelii loca in quibus electio Christo attribuitur, Luc. 6, v. 13, Joan. 6, v. 71, c. 13, v. 18, c. 15, v. 19. Jam autem observavimus electionem esse actum libertatis. Ubi adverte cum S. Thomâ, hic q. 18, a. 4, ad primum, his non adversari S. Joan. Damascenum, cùm lib. 3 de Fide orth. cap. 14, electionem Christo abjudicat; siquidem electionem ibi sumit is S. doctor prout ejus nomine importatur dubitatio, uti accidit in naturâ ignorante; non verò loquitur de electione acceptâ tantùm pro assumptione unius relicto altero.

Probatur 2° ex sanctis Patribus, quorum hæc est constans doctrina, Christum potuisse non pati quæ passus est, atque in ejus arbitrio fuisse non mori si voluisset. Vide Origen., Tract. 35 in Joan. et lib. 2 Periarchon, cap. 6; S. Basilium, l. de Spiritu sancto, cap. 8; S. Hier. ad illud Isaiæ 53, v. 7 : *Oblatus est quia ipse voluit;* S. Chrysost., Hom. 59 in Joan., tum Hom. 57 in Epist. ad Rom., ad istud S. Pauli capite 15, v. 3 : *Etenim Christus non sibi placuit, sed, sicut scriptum est, improperia improperantium tibi ceciderunt super me;* tum etiam Homil. 28 in Epist. ad Hebr., ad versiculum 3 capitis 12; S. Aug., lib 4 de Trinit. cap. 13, et Tract. 119 in Joannem; Theodoret. ad vers. 3 capitis 12 Epist. ad Hebr.; Theoph. tum ad eumdem locum, tum ad v. 3 cap. 15 Epist. ad Rom.; S. Greg. Magnum, lib. 24 Moral., cap. 2; S. Joannem Damasc., lib. 3 de Fide, cap. 13, 14 et 15; S. Ansel. lib. *Cur Deus homo;* S. Th. p. 3, q. 18, a. 1 et 4, necnon ad caput 10 S. Joan. ad 15 Epistolæ ad Rom. et ad 12 Epist. ad Hebræos.

Probatur 3° duplici ratione theologicâ. Prior plura continet; scilicet juxta Scripturas 1° imposita fuêre Christo præcepta, Joan. 10, v. 18; 2° ipse ejusmodi præceptis morem gessit, seu *obediens* fuit, Philip. 2, v. 8; 3° suâ obedientiâ meruit et pro nobis satisfecit. Atqui præceptum, obedientia et meritum in eo nullum possunt locum habere, in quo nulla libertas; nemo enim præcipit alteri actum à quo ille abstinere non potest, nemo ejusmodi actui necessario meritum obedientiæ attribuit, nemo denique præmio dignum putat opus quodcumque, nisi ex liberâ voluntate profectum. Hinc SS. Patres, ubi de nostrâ libertate disputant, hanc potissimùm inde colligunt quòd præcepti, obedientiæ, præmii et meriti simus capaces, de quo vide Feuardentium in notis ad caput 71 libri 4 S. Irenæi contra Hæreses. Et verò, nonne ab Innoc. X, plaudente universâ Ecclesiâ, ut hæretica damnata est tertia Jansenii propositio : *Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione*? Scio responderi posse ibi agi de statu naturæ lapsæ. Sed quis non videat, eam libertatem quæ in statu naturæ lapsæ ad merendum aut demerendum requiritur, à fortiori necessariam esse ad merendum in statu naturæ integræ, aut in alio quolibet perfectiori? Ergo cùm Christus obedientiâ suâ meruerit, necesse est ut in eâ exhibendâ, non tantùm à coactione, sed etiam à necessitate fuerit liber.

Secunda ratio ex eo petitur quòd concilia et SS. Patres generatim proprietates omnes naturæ humanæ et propriam ejus operationem Christo homini adscribant; atqui una è proprietatibus naturæ humanæ est

liberum arbitrium, atque inter operationes ejusdem naturæ, maximè ipsi convenit operatio libera ; ergo, etc.

Conclusio II. Nec circa substantiam præcepti naturalis, nec circa substantiam præcepti divini à quo dispensationem petere non poterat, Christo libertas tribuenda ; fuit verò liber circa ejusmodi præceptorum circumstantias, ac proinde circa ipsam actuum positivorum quibus ejusmodi præcepta implebat substantiam. Atque hoc modo concipitur ipsi fuisse ejusmodi præceptorum observatione libertatem ad merendum sufficientem, quæ cum ejus impeccantiâ perfectè consonat.

Quinque sunt conclusionis partes.

Probatur prima pars, nempe Christum liberum non fuisse circa substantiam præcepti naturalis, neque circa substantiam præcepti divini à quo dispensationem postulare non potuisset. Nam libertas circa substantiam ejusmodi præceptorum, idem fuisset, ex dictis, ac libertas ea violandi et infringendi ; atqui non fuit Christo libertas violandi et infringendi præcepta, siquidem, ut articulo præcedenti demonstravimus, peccare non potuit ; ergo, etc.

Probatur secunda pars, Christum scilicet fuisse liberum circa ejusmodi præceptorum circumstantias ; nam circumstantiæ præceptorum sunt, ut diximus, intensio actuum quibus observantur, motivum hujus vel illius virtutis propter quod illi actus eliciuntur, tempus, seu instans temporis, quo iidem actus præceptis conformes producuntur. Præterea verò, illud circumstantiis præceptorum negativorum accensendum est, quòd actu aliquo positivo impleantur ; namque, ut jam advertimus, varias referendo theologorum opiniones, ad observationem præcepti negativi, per se non requiritur ullus actus positivus, sed sufficit actûs prohibiti carentia. Cùm ergo actuum quibus præcepta affirmativa adimplentur, nec intensio sit præscripta, nec instans temporis præcisè fixum et determinatum, nec plerumque motivum hujus vel illius virtutis constitutum, cùmque nulla lex præceptum negativum actu positivo impleri jubeat, planum est impeccantiam Christi non officere quominùs statuatur liber circa ejusmodi intensionem et tempus, et plerùmque motivum actuum quibus præcepta affirmativa implebat, necnon circa actus positivos quibus negativa præcepta observavit, ac proinde circa circumstantias præceptorum tum legis naturalis, tum etiam legis divinæ positivæ à quâ dispensationem petere non poterat.

Probatur tertia pars, ex eo videlicet quòd Christus hoc modo circa præceptorum legis naturalis circumstantias fuerit liber, sequi eum etiam circa actuum positivorum, quibus illam legem implevit, substantiam liberum fuisse. Nam 1°, quod attinet ad actus positivos quibus præcepta negativa observavit, nulla est difficultas, quippe cùm ejusmodi actus planè potuerit omittere non violatis illis præceptis, quæ, ut dictum est, nullos actus positivos exigunt, sed meram actuum vetitorum carentiam. 2° Quantùm ad alia præcepta, patet eum qui circa actus suos hoc vel illo tempori instanti, et plerùmque ex hoc vel illo virtutis motivo producendos liber est, dicendum quoque circa ejusmodi actuum substantiam liberum. Nam actûs virtuosi substantia seu essentia mutatur et in aliam speciem transit, secundùm diversitatem variarum virtutum ex quarum motivis elicitur ; proindeque si, ubi ad præceptum implendum suffecisset operari ex talis virtutis motivo, Christus non tantùm ex hujus motivo virtutis, sed etiam ex alio virtutis adhuc nobilioris et præstantioris egisset, quis dubitat ejusmodi actum fuisse alterius naturæ et speciei ab eo qui ex motivo virtutis tantùm inferioris productus fuisset, adeòque Christum si ita operando fuerit liber, fuisse liberum circa substantiam actûs sui? Pariter statim atque Christus circa actum, v. g., charitatis hoc vel illo instanti temporis producendum, liber concipitur, cùm nullum dubium esse possit quin, utpote perfectissima semper operans, constanter antecesserit in ejusmodi actibus eliciendis tempus quo nullæ ampliùs moræ in præcepto implendo locum habere potuissent, imò, cùm longè frequentiores actus ejusmodi elicuerit quàm præcepti observationi necesse erat, nemo non videt consequens esse illos omnes actus Christi fuisse ex integro liberos ; ergo, etc.

Probatur quarta pars, nimirùm libertatem Christi circa actus quibus legis naturalis præcepta implevit, ope distinctionis et explicationis mox adhibitæ cum ejus impeccantiâ conciliari. Nam ut Christus, etsi impeccabilis, concipiatur actibus liberis implevisse legem, sufficit, 1° actus positivos, quibus præcepta negativa implevit, non fuisse imperatos, ac proinde ejus libero arbitrio, sine ullâ ipsius impeccantiæ læsione permissos et relictos, 2° actus qui ad præcepta affirmativa adimplenda requiruntur, ab eo semper productos fuisse et perfectiùs, et citiùs, et frequentiùs, et ex motivo, ubi fieri poterat, præcellentiori, quàm ad præceptum non infringendum necesse erat. Atqui, positâ distinctione quæ secundâ et tertiâ conclusionis nostrâ parte continetur et explicatur, 1° actus positivi quibus Christus præcepta negativa implevit non erant imperati ; 2° actus qui ad præcepta affirmativa observanda requiruntur, ab eo semper producti sunt et perfectiùs, et citiùs, et frequentiùs, et ex motivo, ubi id fieri poterat, nobiliori et præcellentiori quàm vitandæ præcepti violationi necesse fuisset ; ergo, etc.

Probatur quinta pars, nempe libertatem quam Christo adscribimus, ipsis satis fuisse ad merendum. Etenim, si quid impediret quominùs libertas Christi sic explicata, ipsi ad merendum satis fuisset, maximè quia ad merendum observando præceptum, necesse fuisset ut illud transgredi et infringere potuisset ; atqui constat ad merendum observatione præcepti necesse non fuisse ut Christus illud infringere posset ; nam 1° potentia violandi præcepti, seu peccandi, non est perfectio liberi arbitrii, sed defectus, ut notat S. August., Enchirid. c. 4, de Civit. Dei, l. 22, c. 3, de Præd. SS. c. 15 ; proindeque ejusmodi potentia minimè necessaria est ad meritum, quod inter proprietates liberi arbitrii perfectivas nemo non annumeraverit. 2° Ex ac-

tibus quibus Christus legem naturalem implevit, alii planè omitti potuissent præcepto non violato, ii scilicet quibus præcepta negativa observabat; alii, etsi non potuissent omnes omitti citra peccatum, tunc tamen sine peccato omissi fuissent cùm eliciebantur; quippe cùm non tantùm potuissent, quotiescumque producti sunt, adhuc aliquantùm differri, sed etiam minùs frequenter fieri; omnes autem erant boni et perfecti, et ex præstantiori motivo quàm ad legem implendam plerùmque necessum fuisset, producti. Atqui manifestum est omnes ejusmodi actus Christi, etsi violandi præcepti seu peccandi potentia et libertas ipsi non fuerit, satis tamen fuisse liberos ad meritum; ergo, etc.

Conclusio III. Christus accepit à Patre verum moriendi præceptum nec eo sensu conditionatum, quòd vis ejus à liberâ Christi acceptione penderet. Christus tamen circa hujusmodi præcepti substantiam liber fuisse dicendus est, quia hujus implendi dispensationem à Deo petere ipsi erat licitum.

Probatur prima pars, Christum scilicet à Patre verum moriendi præceptum accepisse. Joan. 18, v. 17 et 18: *Ego pono animam meam ut iterùm sumam eam. Nemo tollit eam à me: sed ego pono eam à me ipso, et potestatem habeo ponendi eam; et potestatem habeo iterùm sumendi eam; hoc mandatum accepi à Patre meo.* Ibid. cap. 14, v. 21: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Rom. 5, v. 19: *Sicut per inobedientiam unius hominis* (Adami scilicet) *peccatores constituti sunt multi; ita et per unius* (nempe Jesu Christi) *obeditionem, justi constituentur multi.* Hæc obedientia Christi ad ejus mortem spectat quâ nos redemit juxta Scripturas. Propriè dicta autem fuit obedientia, sicut inobedientia Adæ vera fuit inobedientia; proinde eâ supponitur verùm et propriè dictum mandatum. Philipp. 2, v. 8: *Humiliavit* (Christus) *semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Probatur secunda pars, illud videlicet præceptum non eo sensu conditionatum fuisse, quòd ejus vis à liberâ Christi Domini acceptatione penderet. Enimverò mandatum eo sensu conditionatum, nullum omninò esset. Qui enim vult ut alter quidquam faciat, si ipse consenserit, dici potest proponere vel consulere rem faciendam, non verò imperare. Præceptum propriè dictum obligationem consentiendi subdito imponit; ergo vis ejusmodi præcepti consensum subditi antecedit, proindeque, etc.

Probatur tertia pars, nimirùm circa hujusmodi præcepti substantiam Christum fuisse liberum, seu facultatem non subeundæ mortis Christo factam fuisse. Id perspicuè significatur tum Isaiæ 53, v. 7, ubi de Christo dicitur: *Oblatus est, quia ipse voluit;* tum Joan. 10, v. 18, ubi Christus ipse de seipso: *Nemo tollit eam* (animam meam) *à me; sed ego pono eam à meipso, et potestatem habeo ponendi eam;* tum à sanctis Patribus qui locis conclusione I laudatis disertè asserunt penès Christum fuisse ut mortem non subiret.

Probatur quarta pars, nempe eatenùs Christum fuisse liberum circa mortem tolerandam, quatenùs fas ipsi fuit petere et obtinere hujusce mandati dispensationem; ut enim hoc modo explicetur libertas Christi, sufficit 1°, ipsum reverà potuisse hanc dispensationem petere et obtinere; 2° hâc facultate Christo concessâ non destrui rationem veri et propriè dicti mandati Christo impositi; 3° hâc viâ libertatem et impeccantiam Christi conciliari.

Atqui 1° Christo facultas fuit ut peteret et obtineret præcepti de morte subeundâ dispensationem. Nam sic loquitur Matth. 26, v. 53: *An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modò plusquàm duodecim legiones Angelorum?* Quibus verbis denotatur Christum potuisse preces ad Patrem dirigere, sicque impetrare ut sibi liceret non mori; ergo potuit petere et obtinere dispensationem. 2° Facultas petendæ et obtinendæ ejusmodi dispensationis Christo concessa, non impedit quominùs verum moriendi mandatum ipsi impositum fuerit; nam illud mandatum est propriè dictum quo tenetur subditus, nisi postulet et impetret dispensationem; et tantùm abest ut facultas petendæ dispensationis veri præcepti rationem destruat, ut potiùs nullus possit esse dispensationi postulandæ locus, ubi præceptum aut mandatum nullum est. 3° Hâc viâ Christi libertas cum ejus impeccabilitate conciliatur; siquidem ille concipitur fuisse simul et impeccabilis, et circa mortem oppetendam liber, licet à Deo præceptum mortis oppetendæ accepisset, qui licitè potuit à Deo petere illius mandati dispensationem, nec illam postulavit; atqui in hypothesi de quâ agimus, Christus licitè potuisset ejusmodi præcepti dispensationem à Deo petere et obtinere, ne illam postulavit; ergo, etc.

Dices 1°: Mandatum à quo Christus potuisset dispensationem petere et obtinere, merè fuisset conditionatum, et ab ejus acceptatione pendens; atqui, probando secundam præsentis conclusionis partem, diximus mandatum hocce modo conditionatum et à liberâ mandatarii acceptatione pendens non esse verum et propriè dictum; ergo, etc. — Nego maj. Disparitas est quòd ubi Christus dicitur accepisse mandatum moriendi à suâ acceptatione pendens, tunc nulla concipitur vis inesse mandato antequàm acceptetur, nec ulla obligatio per illud imposita. At verò, ubi datur mandatum cum facultate dispensationem petendi, rem præceptam exsequi tenetur subditus, donec dispensationem obtinuerit; vimque suam ejusmodi mandatum antecedenter ad acceptationem exerit, nempe ad faciendam rem præceptam primariò obligat, vel saltem ad dispensationem petendam et obtinendam; ergo, etc.

Dices 2°: Christus perfectâ illâ scientiâ quam illi tribuendam esse docuimus, noverat suam mortem esse prædictam à Prophetis; ergo non potuit petere dispensationem à morte subeundâ; non potuit enim velle efficere ut Prophetarum oraculis exitus non responderet; ergo, etc. — Dist. ant.: Noverat suam mortem esse prædictam à Prophetis consequenter ad liberam suam moriendi voluntatem quam futuram esse viderant, concedo; antecedenter, nego. Ut scientia Dei non fa-

cit, sed supponit res futuras, ita et vaticinia Prophetarum. Christus igitur noverat ejusmodi vaticinia non posse suæ libertati nocere, quippe quæ liberum ejus exercitium futurum supponebant.

Instabis : Etsi Prophetarum oracula de se nullam potuerint inferre necessitatem actionibus Christi ; attamen perfecta ejusmodi oraculorum notitia quâ Christus præditus fuit, ejus libertati necessariò nocuit ; quia non potuit illud velle Christus quod Prophetarum oraculis adversari noverat, nisi posset velle eorum oracula esse falsa ; non potuit autem velle oracula prophetarum falsa fieri, quin peccaret ; proindeque cùm impeccabilis fuerit, non potuit velle non mori, siquidem ejus mors prædicta fuerat à Prophetis. Ergo dispensationem præcepti sibi impositi de morte subeundâ petere et obtinere non potuit. Respondeo 1° illo argumento non nostrum duntaxat impeti systema, sed etiam aliud quodlibet, eo excepto juxta quod Christus circa mortem subeundam fuisset tantùm liber à coactione, non à necessitate ; quam opinionem minimè defendi posse probatum est. 2° Dist. : Non potuit Christus vi suppositionis consequentis illud velle quod Prophetarum oraculis, ad suam mortem attinentibus, erat oppositum, concedo ; vi et suppositionis antecedentis, nego. Cùm oracula Prophetarum ad mortem Christi attinentia, hanc suî oblationem futuram esse liberam supponerent, ut dictum est, siquidem Prophetiæ objectum suum supponunt, non faciunt ; evidens est omnem impotentiam ortam sive ex ejusmodi oraculis, sive ex eorum notitiâ et perfectâ cognitione, non fluxisse nisi ex suppositione mortem Christi liberè et spontè ab ipso volitam consequente. Atqui impotentia quæ ex suppositione determinationem voluntatis liberam consequente oritur libertatem non tollit ; ergo, etc. Fatemur itaque cognitionem quam habuit Christus rerum de se prædictarum, ipsi fuisse motivum neci cruentæ sese tradendi ac dispensationis præcepti sibi impositi non postulandæ. Hinc capite 26 Matth. mox laudato, postquàm sibi factam esse facultatem petendi à Patre auxilii et mortis vitandæ significavit, continenter addit, v. 54 : *Quomodò ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?* Verùm negamus ejusmodi motivum fuisse necessitans, quia illo ipso motivo Christum liberè sese in arâ crucis pro nobis oblaturum esse supponebatur.

ARTICULUS IV.

De perfectionibus et defectibus à Christo assumptis ratione facultatis sentientis et appetitûs sensitivi.

Quæstio est 1°, an Christus obnoxius fuerit dolori sensibili ; 2° an ex voluntate tantùm, non verò ex necessitate naturæ quam assumpsit, doloribus subjectus fuerit ; id est, an naturâ suâ Christus fuerit à dolore immunis ; adeò ut miraculo opus fuerit ad naturalem suspendendam impassibilitatem, et locum dandum passioni et morti quam propter nostram salutem tulit ; 3° quodnam fuerit discrimen inter modum quo Christus doloribus subjectus fuit, et rationem quâ iisdem subjacemus ; 4° an in Christo fuerint motus appetitûs sensitivi, seu passiones, et quomodò.

Circa primum, observandum est 1°, dolores quibus natura humana subjacet alios esse totius naturæ communes, ut sunt sitis, fames, delatigatio, et omnes sensationes ingratæ quæ læsionem corporis consequuntur ; alios esse speciales, qui ex singularibus causis, seu certâ quâdam causarum secundarum dispositione nascuntur, ut ii quos experimur in morbis. Agitur hîc de doloribus prioris generis, seu totius naturæ communibus, non verò de aliis quos à Christo removendos esse omnes fatentur. Observandum 2°, plures è veteribus hæreticis Christum verè esse passum negâsse, qui Phantasiastæ dicti sunt, eò quòd verum et solidum corpus Christo detraherent. Ita Basilides, Cerdon, Marcion, etc., de quibus vide Tertul., lib. de Carne Christi, et lib. de Præscrip. cap. 51. In eumdem errorem, sed aliâ de causâ, necesse fuit, ut S. Athan. notat, prolabi Appollinaristas, qui mente et animâ Christum spoliârunt. Videntur etiam humanas affectiones et dolores Christo abjudicâsse, ipsique duntaxat apparentes tribuisse ii Eutychis discipuli qui, duce Juliano Halicarnassensi, Incorrupticolæ dicti sunt, eò quòd Christi corpus, utpote unius cum Verbo naturæ, incorruptibile seu impassibile dicerent ; de quibus Liberatus, Breviarii cap. 19.

Circa secundum, mota est olim controversia inter Philippum abbatem Bonæ Spei, ex Ordine Præmonstratensi et Joannem Præpositum ; cujus quidem controversiæ Hunaldus ab utroque arbiter selectus est. Philippus igitur in Epistolis de sententiâ S. Hilarii contendebat Christum tum propter naturæ suæ humanæ unionem ad Verbum, tum propter suam à peccato immunitatem et ex Virgine nativitatem, nullo pacto fuisse doloribus et infirmitatibus naturaliter subjectum ; sed tantùm ex miraculo quod, ut nos redimeret, operari voluit. Eadem est doctrina Hugonis à S. Victore, lib. 2 de Sacramentis, et tribuitur etiam S. Clementi Alex., lib. 6 Stromatum, S. Hilario, lib. 10 de S. Trin., Leoni Magno, in Domin. 1 quadrag., quibusdam Catholicis apud Leontium, lib. 2 contra Eutychianos, S. August., Tract. 31, 49 et 60 in Joan. Ex adverso Joannes Præpositus, cui Hunaldus suffragatus est, docebat naturam à Christo assumptam, utpote nostræ *per omnia similem absque peccato*, nativâ suâ conditione doloribus cæterisque infirmitatibus subjacuisse, quam sententiam videntur tenere S. August., lib. 2 de Peccat merit. cap. 29, Boetius de duabus Naturis, Leontius, lib. 2, S. Bernardus, Serm. 1 de Epiph.

Circa tertium, una est omnium Catholicorum sententia dolores Christi diversos fuisse à nostris, causâ, necessitate et effectu, id est, non à peccato ortos esse, non rationis advertentiam et voluntatis consensum antevertisse, non invito Christo perseverâsse, nec ipsum perturbâsse, et cæco impetu commovisse.

Circa quartum, notanda est ista propositio, inter viginti tres quas Innocentius XII anno 1699 proscri-

psit : *Inferior Christi pars in cruce non communicavit superiori suas* INVOLUNTARIAS *perturbationes.*

CONCLUSIO I. Christus dolori et communibus naturæ humanæ infirmitatibus obnoxius fuit.

Propositio est de fide. Probatur ex Scripturis. Isaias 1, v. 6, prophetico Spiritu de Christo sic loquitur : *A plantâ pedis usque ad verticem non est in eo sanitas ;* cap. 53, v. 2 et 3 : *Vidimus eum.... virum dolorum et scientem infirmitatem.* Et v. 4 : *Verè languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit ; et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum à Deo et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Psal. 21, v. 18, David de eodem hæc pronuntiat : *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.* Matth. 4, v. 2, Christus dicitur *esuriisse.* Luc. 19, v. 41 : *Flevit super Jerusalem.* Joan. 4, v. 6 : *Fatigatus ex itinere, sedebat supra fontem.* Ejusd. 11, v. 33 et 35 : *Infremuit spiritu... et lacrymatus est.* Ejusd. 19, v. 28 : *Sitivit.* Matth. 26, v. 37 : *Cœpit contristari et mœstus esse.* Marci 14, v. 33 et 34 : *Cœpit pavere et tædere, et ait illis* (discipulis) : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Tandem ex quatuor Evangelistis constat acerbissimos cruciatus Christum esse passum, sive cùm flagellis cæsus est, sive cùm affixus cruci. Quos quidem dolores prævidens et considerans, tantum in se permisit inde timorem nasci, ut sudore sanguinis perfusus fuerit, Luc. 22, v. 44 ; ergo, etc.

CONCLUSIO II. Christus ex naturali carnis suæ conditione, non ex voluntate tantùm, dolores expertus est. Seu, ut Christus pateretur, necesse quidem fuit, quemadmodùm dicemus, ut ipse dolore affici consentiret ; sed posito hoc consensu, naturaliter passus est ac citra miraculum.

Probatur 1° ex Scripturis, juxta quas Christus assumpsit naturam nostræ similem. Hebr. 2, 17 : *Debuit* (Christus) *per omnia fratribus similari, ut misericors fieret et fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.* Jam de eo dictum fuerat v. 14 : *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem.* Et cap. 4, v. 15 : *Non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris ; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* Probatur 2° ratione theologicâ : Christus assumpsit carnem et naturam, operi nostræ redemptionis producendo et consummando accommodatam ; ergo assumpsit naturam dolori et infirmitatibus communibus subjectam ; quæ scilicet, ubi ipse consentiret, dolores nostræ redemptioni perficiendæ necessarios, citra miraculum posset pati.

CONCLUSIO III. Dolores et infirmitates quibus Christus subjacuit, nec ex peccato oriebantur, nec, ipso invito, in eo excitabantur aut perseverabant ; nec demùm eum conturbabant aut cæco impetu commovebant.

Probatur prima pars, quia Christus fuit sanctissimus et ab omni maculâ peccati, naturâ suâ immunis, ut alibi probatum est. Proindeque nostri duntaxat causâ assumpsit dolores et infirmitates humanas, non verò ut peccati alicujus sibi proprii pœnas daret. Probatur secunda pars 1° ex Scripturis, juxta quas Christus voluntariè passus et mortuus est .Isaiæ 53, v. 7 : *Oblatus est, quia ipse voluit.* Et Joan. 10, v. 17 : *Nemo tollit eam* (animam meam) *à me ; sed ego pono eam à meipso, et potestatem habeo... iterùm sumendi eam.* Porro eadem esse debuit ratio aliorum dolorum et infirmitatum, ac dolorum ipsius mortis. Nam ut mors per peccatum introivit in mundum, ita et alii dolores ; quemadmodùm igitur Christus mortuus est *quia voluit*, ita et passus est quia voluit ; proindeque, etc. 2° Ex SS. Patribus. *Esurivit Jesus*, inquit S. Augustinus, Tract. 49 in Joan., n. 18, *verum est, sed quia voluit ; dormivit Jesus, verum est, sed quia voluit ; contristatus est Jesus, verum est, sed quia voluit.... In illius potestate erat, sic vel sic affici, vel non affici.* 3° Ex duplici ratione theologicâ. Prior hujusmodi est : Dolores et infirmitates in præsenti rerum ordine oriuntur ex peccato ; atqui Christus fuit à peccato immunis ; ergo dolores pati invitus non debuit, sed tantùm voluntariè et liberè, adeò ut non sine ejus nutu excitarentur, et ad ejus arbitrium perseverarent. Altera : Christo homini ea attribui debet perfectio quæ in ejus humanitate recipi potuit, quæque cum Incarnationis finibus, nempe redemptione nostrâ, non pugnat ; atqui dolores Christi non prævertisse ejus voluntatis nutum, nec eo invito perseverâsse perfectio est in ejus humanitate possibilis ut patet ; idem verò Incarnationis finibus officere non potuisse perinde manifestum est ; ergo, etc. Probatur tertia pars, nempe dolores Christi eum non perturbâsse, nec cæco impetu commovisse. Nam dolores qui rationis advertentiam et voluntatis nutum non antevertunt, quique nonnisi pro arbitrio patientis perseverant, non possunt eum turbare, et cæco impetu commovere ; atqui tales fuêre dolores Christi ex probatis ; ergo, etc. Hinc, ut modò dicemus, nulli fuêre in Christo affectus etiam sensibiles, nisi deliberati, et placidi, quos ad nutum suum ille regeret atque moderaretur.

CONCLUSIO IV. In Christo fuêre passiones ordinatæ, demptis imperfectionibus quæ eas in nobis comitantur, et exceptâ desperatione. Probatur. Nam passiones sunt motus appetitûs sentientis, id est, voluntatis humanæ prout versatur circa bonum sensibile appetendum, vel malum sensibile fugiendum, ut amor et odium, desiderium et fuga, gaudium et tristitia, quæ ad appetitum concupiscibilem referri solent ; tum spes et desperatio, audacia et timor, quæ ad appetitum irascibilem. Atqui ejusmodi motus ordinati Christo adscribendi sunt. Siquidem 1°, nonnulli eorum Christo conceptis verbis attribuuntur in Scripturis, ut ira, tristitia et timor, Matth. 26, v. 37 et 38 ; Marc. 14, v. 33 et 34 ; Luc. 22, 44. 2° Ii motus sunt actus et perfectiones animæ connaturales, prout ipsa bonum sensibile spectat, et præterea nec unioni hypostaticæ, nec perfectissimæ sanctitati repugnant ; ergo. 3° Iidem motus seu affectus sensibiles finibus Incarnationis necessarii fuêre, aut saltem utiles, tum ut Christus humano modo in terris conversari videretur, tum ut ejusmodi

affectus in se aliquando ipse excitans, et sese majoribus doloribus et angustiis nostrî causâ traderet (vide Luc. 22, v. 43 et 44), et suum amorem vehementiùs exprimeret, et doctrinam suam ampliùs inculcaret, et variarum virtutum exempla nobis daret; ergo, etc.

Dictum est: *Exceptâ desperatione*, quia desperatio peccatum ac deordinationem formaliter includit; quapropter, cùm nullo pacto ordinata esse possit, in Christum cadere non potest. Dictum est præterea: *Demptis imperfectionibus quæ illas affectiones in nobis comitantur.* Passiones enim quas experimur triplici imperfectione laborant: 1° earum motus in nobis sine nobis excitantur, atque etiam nobis invitis quandoque perseverant; 2° nos sæpè conturbant et commovent; 3° aliquando ad peccandum inclinant; atqui hæc tria à Christo removenda. Tertium quidem, quippe cùm in eo non fuerit peccati fomes seu concupiscentia, ut articulo præcedenti diximus. Primum quoque, nam 1° ad rationis nutum imperatas et rectas fuisse in Christo omnes appetitûs sensitivi affectiones Scriptura clarè innuit, cùm Joan. 11, v. 13, Christus dicitur *turbâsse semetipsum.* Hæc enim verba perspicuè significant motum seu affectum sensibilem de quo ibi sermo est, fuisse voluntarium et à ratione imperatum. 2° Idem SS. Patres unanimiter docent. *Ergo tristis fuit Christus*, ait S. Augustinus in Psal. 93, *prorsùs tristis fuit, sed voluntate suscipiens tristitiam, quomodò voluntate suscipiens carnem.* Et 49 in Joan., n. 18: *Turbaris tu nolens, turbatus est Christus quia voluit... contristatus est Christus... quia voluit... In illius potestate erat, sic vel sic affici, vel non affici.* Et Tract. 60: *Quando turbatur* (Christus) *qui non turbaretur nisi volens, eum consolatur qui turbatur et nolens.* Et S. Joan. Damasc., lib. 3, cap. 20, t. 1, p. 245: *Neque enim coactum quid in eo* (Christo) *conspicitur, sed omnia voluntaria. Volens enim fame, volens sîti, volens metu, volens morte affectus est.* 3° Innocentius XII, inter varias propositiones excerptas ex libro cui titulus, *Placita Sanctorum;* hanc numero 23 proscripsit: *Inferior Christi pars in cruce non communicavit superiori suas* INVOLUNTARIAS *perturbationes.* 4° Denique nullos in Christo motus, nullas in ejus appetitu sensibili affectiones excitatas fuisse aut perseverâsse, nisi ad ejus nutum, perfectio est in humanâ Christi in terris degentis naturâ planè possibilis, nec finibus Incarnationis nociva; ergo, etc.

Jam verò quod attinet ad secundum, nempe passiones in Christo ita ordinatas et placidas fuisse ut eum non turbarent, hoc inde patet quòd, ut diximus, ad rationis nutum has Christus semper moderaretur; ergo, etc.

SOLVUNTUR OBJECTIONES. — Obj. adversùs primam conclusionem. Supra ex Scripturis et ex traditione nobis visi sumus colligere Christum à primo ortu visione Dei intuitivâ, ac proinde summâ beatitudine esse fruitum; atqui impossibile est eum doloribus acerbissimis subjacere qui visione intuitivâ Dei et supremâ beatitudine fruitur; ergo, etc. — Dist. min.: Impossibile est eum doloribus acerbissimis subjacere qui intuitivâ Dei visione et supremâ beatitudine completâ et adæquatâ fruitur, concedo; qui inadæquatâ animam tantùm prout circa insensibilia et spiritualia versatur afficiente, subdistinguo: Si dolores illi seu sensationes ingratæ sint necessariæ, concedo; si liberæ sint, seu non sine voluntatis nutu excitentur, et non nisi pro ejusdem nutu perseverent, nego. In animâ Christi, ut in cæteris animabus humanis, duplex distinguenda est pars, seu respectus, inferior nempe et superior. Nomine partis superioris intelligitur ipsa anima prout versatur circa res spirituales seu eas intelligendo, seu eas amando, seu ex earum intellectione et amore gaudium percipiendo. Pars inferior animæ est eadem anima prout versatur circa res sensibiles, seu prout habet facultatem sentiendi et appetitum sensitivum. Jam verò contendimus 1° animam Christi potuisse esse beatam secundùm partem superiorem, id est, intellectu puro apprehendere Deum intuitivè, amore præcellenti ipsi adhærere et ex hâc possessione Dei, maximum spirituale gaudium percipere, quin idcircò ea esset beata secundùm partem inferiorem, id est, quin haberet sensationes gratas, et ejus appetitus sensitivus modo jucundo afficeretur. Imò vero non dubitamus quin eadem Christi anima secundùm partem superiorem beata, potuerit simul sensationes ingratas experiri et voluntariè turbari et tristis esse; modò tamen ponatur ejusmodi sensationes ingratas seu dolores ab eâ non fuisse, renitente voluntate, toleratos, seu, quod in idem recidit, eos nonnisi secundùm voluntatis nutum cœpisse et perseverâsse. Enimverò, licet anima sit simplex, potest tamen simul diversimodè affici, ut experientiâ constat; quid quòd non rarò evenit ut simul et jucundo et ingrato modo efficiatur. Quæ cùm ita sint, quid, quæso, repugnat quamdam animam tantâ capacitate quantam à creatore suo recipere potest, donatam, dùm secundùm aliquas suî facultates felicitate potitur, secundùm alias doloribus voluntariè et propter summam aliquam et eximiam causam susceptis subjacere? Quonam argumento demonstrarent adversarii dolores illos sensibiles consentiente voluntate excitatos et perseverantes, non posse cum felicitate spirituali consistere? Nonne potiùs manifestum et indubitatum videtur neminem iis verè infelicem reddi quæ liberè et spontaneè pati incipit et tolerare pergit? ergo, etc.

Obj. 2° adversùs eamdem conclusionem, auctoritatem S. Clementis Alex. qui, lib. 6 Stromatum, ita loquitur: *In Salvatore corpus, ut corpus, necessaria postulare ministeria ut permaneat, fuerit ridiculum. Comedebat enim non propter corpus quod sanctâ virtute continebatur; sed ne eis qui unà cum eo versabantur, in mentem veniret de eo aliter sentire, sicut certè postea quidem existimârunt eum apparuisse visione et phantasmate. Ipse autem, ut semel dicam, passionis erat expers, ut quem nullus subiret motus affectionis, neque voluptas, neque dolor.* Ergo juxta S. doctorem nulli dolori Christus fuit obnoxius. — Dist. conseq.: Christus nulli dolori invitus fuit obnoxius, concedo; sponte suâ, nego. Duo suadent S. doctorem esse in

telligendum de doloribus et affectionibus rationis et voluntatis nutum præverlentibus et invitâ voluntate permanentibus, quas meritò excludit à Christo. Nam 1°, hâc interpretatione positâ, attingit scopum suum, nempe Christum ex œconomiâ et ut fines Incarnationis assequeretur, non ex necessitate manducâsse. 2° Aliis in locis expressè tradit aut supponit Christum passionis dolores pro nostrâ salute sustinuisse. Cæterùm non diffitemur sanctum Clementem Alexand. secundæ nostræ conclusioni quæ liberæ scholarum disputationi relinqui potest, eò loci adversari. Sed non contradicit primæ quæ ad fidem pertinet.

Objicies 3° adversùs eamdem primam conclusionis partem, hæc sancti Hilarii verba, lib. 10 de Trin tate, n. 23: *Homo Jesus Christus, Unigenitus Deus, per carnem et Verbum ut hominis filius, ita et Dei Filius hominem verum secundùm similitudinem nostri hominis, non deficiens à se Deo, sumpsit; in quo, quamvis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret, afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent; ut telum aliquod aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aera vulnerans, omnes quidem has passiones naturæ suæ infert, ut foret, ut vulneret, ut compungat, sed naturam suam in hæc passio illata non retinet, dùm in naturâ non est vel aquam forari, vel pungi ignem, vel aerem vulnerari, quamvis naturæ telì sit et vulnerare, et compungere, et forare. Passus quidem est Dominus Jesus Christus, dùm cæditur, dùm suspenditur, dùm crucifigitur, dùm moritur; sed in corpus Domini irruens passio non fuit passio; nec tamen naturam passionis exeruit, dùm pœnali ministerio desœviit, et virtus corporis sine sensu pœnæ vim pœnæ in se desævientis excepit. Habuerit sanè illud Domini corpus doloris nostri naturam, si corpus nostrum id naturæ habet ut calcet undas, et super fluctus eat, et non degravetur ingressu, neque aquæ insistentibus vestigiis cedant, penetret etiam solida, nec clausæ domûs obstaculis arceatur.* Hactenùs S. doctor, ex quibus istud conficitur argumentum: Ille omnem doloris sensum à Christo removet, qui ait varia passionis ejus supplicia attulisse quidem *impetum passionis, non tamen dolorem passionis intulisse;* quemadmodùm telum aquam perforans, aut ignem compungens, aut aera vulnerans, in eis nec foramen, nec punctionem, nec vulnus producit, quippe quibus recipiendis ejusmodi elementorum natura apta non est. Atqui ita S. Hilarius; ergo, etc.

Respondeo 1°, quocumque modo accipiatur is textus, quem alii (1) in sensum catholicum inflectere conantur, alii (2) etiam ex Orthodoxis ab omni pronuntiant benignâ interpretatione alienum, constare tamen et indubitatum esse nostram conclusionem tanti doctoris suffragio non destitui. Nimirùm, si in testimonio objecto, S. Hilarius doctrinæ quam asserimus adversetur, planè dicendus est sententiam ibi à se traditam postea revocâsse et rejecisse; siquidem Commentario suo, seu Tractatibus in Psalmos, post libros de Trinitate conscriptis, veros Christo dolores disertissimè, omnibus fatentibus, adscribit. *Ut absolutissimum*, inquit Tractatu in Psal. 53, n. 7, *nobis humanæ humilitatis* (Christus) *esset exemplum, omnia quæ hominum sunt, et oravit et passus est. Et ex communi nostrâ infirmitate salutem sibi est deprecatus à Patre, ut nativitatem* (hoc est, naturam) *cum ipsis infirmitatis nostræ iniisse intelligeretur officiis. Hinc illud est quòd esurivit, sitivit, dormivit, lassatus fuit, impiorum cœtus fugit, mœstus fuit, flevit, et passus et mortuus est.* Et num. 8: *Potentes animam ejus exquirunt, quæ frequenter in Evangelio tristis et mœsta est.* In Psal. 54, n. 6: *Potens non mori, etiam timorem in se mortis ingruentem non renuit.* In Psal. 68, n. 1: *Universarum itaque passionum humanarum sorte perfunctus, secundùm susceptas infirmitates nostras loquitur; et dolet ipse quidem extra necessitatem et timoris et doloris positus; sed his se tamen quæ suscepit accommodans, ut qui carnis nostræ homo natus esset, et dolorum nostrorum querelis, et infirmitatis nostræ precatione loqueretur.* Num. 23: *Percussus est Dominus, peccata nostra suscipiens, et pro nobis dolens.....; hunc igitur ita à Deo percussum persecuti sunt, super dolorem vulnerum dolorem percussionis hujus addentes. Pro nobis enim secundùm Prophetam dolet.* Num. 25: *Pauper est* (Christus)... *Volens est... sed hunc pauperem et dolentem salus ea quæ vultus Dei est, suscepit.* In Psal. 139, 11: *Gerens* (Christus) *hominis Deique naturam, habebat* (inter orandum) *et ex hominis infirmitate trepidationis affectum, et ex conscientiâ divinitatis fiduciam securitatis.*

2° Distinguo maj.: Ille omnem doloris sensum removet à Christo ut Deo qui, etc., concedo; à Christo ut homine, subdistinguo: Omnem doloris sensum nostris doloribus similem, nempe indeliberatum, necessarium, et menti dominantem, concedo; omnem doloris sensum quemcumque, etiam eum qui esset deliberatus et liber, nec menti dominans, nego. Itaque Christus, ut observat ipse S. Hilarius, initio textûs objecti, est simul Deus et homo; ratione autem divinitatis suæ passionibus et dolori obnoxius esse nequit, siquidem, ut ait idem S. doctor, Verbum *non deficiens à se Deo* humanitatem *sumpsit*. Si ergo aliqua pati potuit Christus, nonnisi ratione humanitatis suæ. Sensus porrò doloris generatim nihil aliud est quàm sensatio ingrata, et duplex concipi potest: alter nostris similis doloribus, ac proinde indeliberatus, id

(1) Lanfrancus, epist. 50; Philippus, abbas Bonæ Spei, contra Joannem Præpositum; Hunaldus, quem Philippus ille et Joannes controversiæ arbitrum elegerant; Petrus Lombardus lib. 3 Sentent; S. Thomas, p. 3, q. 15, et in 3 Sent.; S. Bonaventura, in 3, dist. 16, q. 1; doctissimi Benedictini in notis ad hunc S. Hilarii locum; Turnelius, Witassius, Grandini editor. etc.

(2) Claudianus Mamertus, lib. 2 de Statu animæ, cap. 9; Joannes Præpositus, in litteris ad Philippum, Bonæ Spei abbatem, inter opera hujus Philipp. excusis pag. 95 ed. Duac. 1621; Guillelmus Paris. apud S. Bonav., loco mox citato; Baronius ad an. 563; Bellarminus, lib. 4 de Christi Animâ, c. 4; Erasmus, Petavius, etc., quibus adde Berengarium apud Lanfrancum, epistolâ 50; Scultetum, etc.

est, rationis advertentiam et voluntatis consensum prævertens : necessarius, id est, invitos afficiens et invito subjecto perseverans; tandem menti dominans, id est, ejus operationes impediens, eam perturbans et è sede suâ dejiciens, alter his vitiis carens, qui sit deliberatus et liber mentique non dominetur, id est, qui nonnisi ad rationis et voluntatis liberæ nutum nascatur et perseveret, ac nullam perturbationem, languorem aut impedimentum afferat menti. Constat ex dictis indeliberationem, dominium, et necessitatem dolorum à Christo etiam ut homine penitùs excludenda, atque eam fuisse unionis hypostaticæ indolem, ut exegerit posterioris tantùm generis dolores Christo homini potuisse inferri. Jam verò contendimus sanctum Hilarium in obscuro et difficili textu qui objectus est, non alio sensu intelligendum esse, quàm de omni dolore Divinitati adjudicando, necnon de indeliberato, necessario, et menti dominante dolore ab ejusdem humanitate propter unionem hypostaticam removendo.

Probamus hanc esse genuinam ejusmodi loci interpretationem, 1° quia ejus scopo consentanea est : 2° quia ejusdem verbis potest accommodari ; 3° quia illam adhiberi postulat constans et alibi sæpè expressa S. Doctoris sententia.

Ac 1° quidem sancti Hilarii scopo consentanea est illa interpretatio. Enimverò disputabat adversùs Arianos, qui Christum non esse naturâ Deum sibi videbantur evincere, quòd doloribus passionis obnoxius fuerit. Quam quidem objectionem S. Doctor ut pro more suo, eo solutionis genere dilueret quod nihil adversariis respondendum relinquit, duo præstare debuit. 1° Ipsi observandum fuit juxta fidem catholicam Christum esse simul Deum Verbum et hominem, atque Verbum sine ulla suî immunitione, seu ut ipse loquitur *non deficiens à se Deo*, hominem esse factum, proindeque ipsum, dùm passus est Christus, nullâ doloris specie in divinâ suâ naturâ fuisse affectum. 2° Ne reponerent Ariani dolores illos quos expertus est Christus, si verus naturâ Deus fuisset, non potuisse in ipsum ratione humanitatis cadere, oportuit ab illo ostendi inter passiones humanitati Christi illatas, et eas quæ nobis inferuntur maximum intercessisse discrimen, nempe Christum nonnisi deliberatò, voluntariè et liberè esse passum, dolores ejus etiam ingruentibus ictibus, nonnisi ad ejus nutum cœpisse, et perseverâsse, ac denique iis mentem ipsius nullâ ratione turbatam et perterritam fuisse, nec à sede suâ dejectam. Porrò, ut hæc duo diluendæ Arianorum objectioni erant necessaria, ita etiam sufficiebant. Nec sanè causam Ecclesiæ juvisset S. Hilarius, imò eam prodidisset, si præterea immunitatem omnis cujuscumque doloris etiam deliberati, liberi, nec menti dominantis Christo voluisset attribuere. Nam præterquàm quòd ejusmodi doctrina Scripturis adversa est, nemo non videt solâ ratione duce et posito Incarnationis mysterio, multò magis repugnâsse Homini-Deo ut nihil passus, species et apparentias passionis doloris indueret, quàm ut veros doloris sensus, loco nostro satisfaciendi causâ, in suâ humanitate produci pro nutu suo et liberâ voluntate, et citra omnem suæ mentis perturbationem permitteret. Ergo allata explicatio scopo sancti Hilarii consentanea est.

2° Hæc ipsa interpretatio ejus verbis potest accommodari. Nam 1°, nihil obstat quominus major pars loci allati, ipsaque comparatio teli aquam perforantis, aera vulnerantis, etc., ad Christum ut Deum referantur. *Virtus corporis*, quæ, ut habet S. Hilarius, *sine sensu pœnæ, vim pœnæ in se desævientis accepit*, intelligi potest ipsa Christi divinitas conjuncta corpori illudque sustentans et roborans. 2° Eadem comparatio ex telo desumpta, necnon aliæ quibus hanc ad suum institutum S. Doctor transfert et applicat, aptè etiam usurpari potuerunt, ut dolores Christi alterius naturæ fuisse à nostris doloribus ostenderetur, præsertim verò, eos ad Christi mentem non pervenisse, seu ejus tranquillitati et paci non offecisse. 3° Hinc mentem suam statim ampliùs explicans ita pergit : *Habuerit sanè illud corpus Domini doloris nostri naturam, si corpus nostrum id naturæ habet ut calcet undas*, etc. Ubi Christo adjudicatur tantùm doloris nostri natura, non verò dolor quilibet et quocumque sensu verus et realis, et à vitiis et defectibus dolorum nostrorum alienus. Hinc 4°, colligit S. Hilarius immunitatem à doloribus de quibus agit, Christo esse attribuendam ex eo quòd habuerit corpus *originis suæ proprium, neque ex vitiis humanæ conceptionis existens*. Nempe infirmitates et dolores indeliberati, necessarii, et menti dominantes quibus subjacemus, ex vitio originis nostræ et ex carne peccati contrahuntur; ergo, inquit S. Doctor, Christus ex immaculatâ Virgine, Spiritu sancto operante conceptus, ejusmodi doloribus obnoxius esse non debuit. Quod argumentum à Christo removet solùm dolores nostris doloribus similes. Vide etiam n. 23, versùs finem, et n. 35 et 47. Hinc tandem n. 27, 32, 33, 36, 45, et in cap. 31 S Matth. adversùs eosdem Arianos agens, ostendit trepidationem et metum mortis Christo non posse adscribi, eum impavidum fuisse, et ad necem cruentam, ut ad triumphum et ad finem tristitiæ et luctûs properâsse; ergo, etc.

3° Eamdem interpretationem adhiberi postulat constans alibi sæpiùs expressa S. Doctoris sententia. Nempe multa modò attulimus perspicua in hanc rem testimonia ex commentario ejus in Psalmos desumpta, ubi inprimis notandum est duplicem doloris speciem distingui à S. Doctore ; alterum necessarium et formidini conjunctum, quem excludit à Christo; alterum spontè et sine ullâ mentis perturbatione nostri causâ susceptum, quem ipsi juxta Scripturas attribuit. *Dolet ipse quidem*, inquit in Psalm. 68, n. 1, *extra necessitatem timoris positus et doloris*. Uno verbo in hoc commentario perspicuè eam tradit doctrinam, quam volumus ab eo obscuriùs exprimi lib. 1 de Trin. imò non absimili modo quandoque illic loquitur, etsi iis additis quæ omnem ambiguitatem removent. Vid. tract. in Psal. 68 et 139. Ait Petavius, lib. 10 de Incarn. cap. 5, sanctum Hilarium in commentario su-

in Psalmos revocâsse errorem in quem incautè inciderat Arianorum objecta in libris de Trinitate solvens; sed 1°, à se ullam sententiam retractari ne minimùm indigitat S. Doctor in hoc suo commentario, proindeque nisi evidentissimum sit non posse emolliri quæ ex libro ejus 10 de Trinitate objecta sunt, censendus est nihil retractâsse, sed ejusdem semper fuisse sententiæ, quam clariùs in Psalmos scribendo exposuit. 2° In libris ipsis de Trinitate non obscurè S. Hilarius veros dolores à Christo toleratos fuisse significat, lib. 3, n. 10 : *A cunis*, inquit, *et infantiâ, usque ad consummatum venerat* (Christus) *virum, per somnum, famem, sitim, lassitudinem, lacrymas, hominem egerat.* Libro ipso 10, n. 36, Christum tristitiâ affectum fuisse supponit ; n. 48, ait : *Secundùm hominem pro nobis* (Christum) *infirma omnia passum;* n. 56, eum *flevisse et doluisse;* n. 67, eumdem tolerâsse, *quæ homines pati possunt;* ergo, etc.

ARTICULUS V.

De perfectionibus et defectibus à Christo assumptis ratione corporis.

Fueritne passibile, mortale et corruptibile alterationi et morbis obnoxium corpus Christi? Num illud ex matre Virgine Christus traxerit? Numquid formâ decorum et egregium fuerit? En quæstiones hic expendendæ. Circa primùm, erravêre tum qui Christo phantasticum corpus duntaxat tribuêre, tum qui illi *spirituale nescio quod corpus*, ut Tertullianus loquitur, ex sideris et aeris partibus compactum adscripserunt. De quibus Dissert. 4, cap. 1, jam diximus. Circa secundum, an scilicet Maria in cujus sinu, ut Dissert. 4 probatum est, Christus carnem assumpsit, Virgo fuerit tum ante partum, tum in partu, tum etiam post partum ; erravêre primis Ecclesiæ seculis Cerinthus (1), Carpocrates (2) et alii, quibus visum est Christum esse purum hominem, more cæterorum hominum ex Mariâ et Josepho prognatum. Ubi tamen notandum non eos omnes hæreticos qui olim Christum purum esse hominem prædicârunt, inficiatos esse ipsum ex Virgine ortum duxisse. Vide Eusebium, lib. 3 Hist. eccl. cap. 27, pag. 99, de Ebionitis Theodoretum, lib. 2 Hæreticorum fabul. cap. 7, p. 221, de Elcesæis, etc. Jovianus, quarto seculo, agnovit quidem matrem Christi antequàm conciperet, Virginem fuisse, sed eam voluit, violato virginitatis claustro et more cæterarum mulierum, partum in lucem emisisse. Nonnulli de quibus Origenes, Homil. 7 in Lucam, commenti sunt Mariam nato Christo plures ex Josepho viro suo filios habuisse, qui in Evangelio fratres Christi nominantur. Idem sensit Appollinaris, teste S. Epiphanio, hæresi 77 et 78. Refert S. Joannes Damascenus, lib. 4, cap. 15, et refellit insulsum quorumdam figmentum, qui statuebant corpus Christi ne in lucem prodiens virginitatis claustrum rumperet, per B. Mariæ latus exivisse. Circa tertium, Patrum et theologorum non sunt unanimes sententiæ ut statim dicemus.

(1) Vid. S. Iren. lib. 1 adv. Hæres. cap. 25, S. Epiph. Hæresi 28, Theodoretum, lib. 2 Hæret. fabul. cap. 5.
(2) Theodoret. lib. 1 Hæret. fabul. cap. 5.

Conclusio I. Christi corpus fuit passibile et mortale, uno verbo, communes naturæ humanæ defectus habuit, si excipias corruptionem seu putredinem triduo mortis. Non autem ipsi fuêre defectus speciales, ut morbi, etc.

Probatur prima pars, nempe corpus Christi fuisse passibile et mortale et defectus naturæ humanæ communes habuisse. Etenim 1°, ex dictis sæpiùs, præsertim Dissert. 4, cap. 1, Christus verum et solidum corpus nostroque simile assumpsit. Hebr. 2, v. 17 : *Debuit* (Christus) *per omnia fratribus similari;* ergo habuit defectus naturæ humanæ communes. 2° Ille habuit corpus passibile et mortale, qui esuriit, fatigatus est, sitivit, sudore perfusus est, dolores passionis sustinuit, ac tandem in cruce mortuus est; atqui hæc omnia conveniunt Christo, ut jam diximus articulo præcedenti inter probationes conclusionis primæ ; ergo, etc.

Probatur secunda pars, nempe corpus Christi triduo mortis non fuisse corruptioni seu putredini obnoxium. Nam 1°, id prædictum fuerat à Prophetâ, Psalmo 15, v. 10, his verbis : *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Quod quidem oraculum triduo mortis adimpletum fuisse testis est S. Petrus, Act. 2, v. 27. 2° Nec redemptioni nostræ necessaria aut utilis fuisset illa corporis Christi post mortem corruptio ; nec Verbum divinum decuisset ut corpus quod ipsi erat conjunctum, putrefieret et corrumperetur.

Probatur tertia pars, nempe speciales defectus qui ex certâ causarum secundarum dispositione, organorum infirmitate, malâ corporis constitutione oriuntur, v. g., morbos esse Christo abjudicandos. Nam tribuenda est Christo, ut sæpè diximus, ea perfectio quæ in ejus humanitate inesse potuit, et cujus privatio fini ad quem venerat, non fuisset necessaria ; atqui manifestum est defectus ejusmodi speciales fini ad quem Christus venerat, non fuisse necessarios ; nec minùs constat perfectionem iis oppositam in humanitate Christi inesse potuisse ; ergo.

Conclusio II. Christus ex Mariâ Virgine carnem, operante Spiritu sancto, assumpsit, illæsâ illius virginitate, sive ante partum, sive in partu, sive post partum.

Propositio est de fide. Probatur prima pars, nempe beatam Mariam ante partum virginem fuisse, illæsâque ejus virginitate, Verbum operante Spiritu sancto in eâ carnem sumpsisse. Isaias cap. 7, v, 14, magnum illud prodigium prædixit : *Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* De quo oraculo vide quæ diximus dissert. 2, t. 1, p. 457. Hujus autem Prophetiæ eventum S. Matthæus, cap. 1, v. 18 et seq., sic edisserit : *Cùm esset desponsata mater ejus* (Christi) *Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto... Angelus Domini apparuit in somnis ei* (Joseph) *dicens : Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam ; quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum... Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem : Ecce Virgo in utero habebit et pariet filium ; et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus.* Et S. Lucas 1, v. 26 : *Missus est*

angelus Gabriel à Deo in civitatem Galileæ cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria; et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave, gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ cùm audisset, turbata est in sermone ejus et cogitabat qualis esset ista salutatio; et ait Angelus: Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum...Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ergo Christi caro, illæsâ Mariæ virginitate, in hujus beatæ Virginis utero, Spiritu sancto mirabiliter operante formata est, proindeque ante partum Mater Christi Virgo permansit.

Si quæras in quo posita fuerit mira illa sancti Spiritûs operatio, respondeo hanc in eo fuisse sitam, ut quæcumque ad conceptum et organisationem corporis humani operandum secundùm leges naturales formaliter requiruntur et successivè fiunt, hæc in instanti fierent concurrente beatâ Mariâ quantùm ad ea quæ sui sexûs erant. Et quidem id effecit Spiritus sanctus in instanti, cùm constet à primo ortu animam Christi fuisse unitam ejus corpori, et tum animam tum corpus ejus unita fuisse Verbo. Vide quæ superiùs dicta sunt dissert. 4, cap. 2, art. 2. Id autem Spiritus sanctus effecit concurrente beatâ Mariâ quantùm ad ea quæ sui sexûs erant, aliàs dici non posset concepisse Christum, nec mater Dei secundùm carnem; ergo, etc.

Probatur secunda pars, nempe matrem Christi fuisse Virginem in partu. Nam 1°, ut in Scripturis dicitur Virgo concepisse Christum, ita et dicitur Virgo peperisse. Isaiæ 7, v. 14: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium.* Matth. 1, v. 23: *Virgo in utero habebit et pariet filium.* Luc. 1, v. 31: *Ecce concipies in utero, et paries filium;* ergo, etc.

2° Ex Symbolis, in quibus Jesum Christum non tantùm ex Virgine conceptum, sed et *ex Virgine natum* confitemur. Unde S. Augustinus in Enchiridio, cap. 34: *Quo* (Christo) inquit, *si, vel nascente, corrumperetur ejus* (Mariæ) *integritas, non jam ille de Virgine nasceretur; eumque falsò, quod absit, natum de Virgine Mariâ tota confiteretur Ecclesia.* Adde Jovinianum et quotquot Christum ex Mariâ, reserato virginitatis claustro, natum asseruerunt, semper ab Ecclesiâ ut hæreticos esse habitos. Vide Epistolam 7 S. Ambrosii ad Siricium, summum pontificem, quæ synodica est concilii Mediolanensis in quo Jovinianus condemnatus est.

3° Ex traditione SS. Patrum, quorum longam seriem hîc exhibet Petavius, lib. 14, cap. 3, 5 et 6. Unum aut alterum appellabimus. S. August. Epist. 137, aliàs 3, ad Volus.: *Ipsa virtus,* inquit, *per inviolatæ Matris virginea viscera membra infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia membra juvenis introduxit.* S. Leo, serm. 1, de Nativ.: *Meritò igitur,* ait, *virgineæ integritati nihil corruptionis intulit partus salutis, quia custodia fuit puoris editio veritatis.*

4° Ex ratione theologicâ: Nam possibile fuit et decuit Christum ex Virgine concipi et nasci. Possibile quidem fuit Christum de Virgine concipi; nam nonne evidentissimum est Deum per seipsum illud efficere posse in hominis conceptu, quod vi legum naturæ à se institutarum, quotidiè efficit. Potuit pariter Christus nasci ex Virgine; quemadmodùm enim à mortuis redivivus è sepulcro egressus est nec revoluto lapide quo ostium monumenti claudebatur, nec fractis sigillis quæ ad idem ostium principes Judæorum apposuerant, quemadmodùm, clausis januis, in cubiculum ubi Apostoli erant congregati, introivit; ita illibato virginitatis claustro è Mariæ Virginis sinu egredi potuit. Jam porrò Christum decuisse ut ex Virgine conciperetur et nasceretur facilè probant sancti Patres pluribus argumentis. Nam 1° conveniens fuit præter consuetum naturæ ordinem, et mirabili ratione Hominem-Deum concipi et nasci; unde Isaias 53, v. 8: *Generationem ejus,* inquit, *quis enarrabit?* 2° Maximè consentaneum fuit ut Christus redemptor et salvator, qui nos renovandi causâ venit, non ut cæteri homines, sed novo quodam modo nasceretur et in mundum prodiret. 3° Necesse fuit in omnibus Christi mysteriis ejus divinitatem simul et humanitatem exprimi et declarari. Si more cæterorum Christus natus fuisset, nihil in ejus nativitate eum esse Deum ostendisset. At ex Virgine nascens infinitam suæ Divinitatis potentiam et virtutem comprobavit.

Probatur tertia pars, nempe Mariam mansisse virginem etiam post partum, nec ullos ex Josepho filios suscepisse; 1° ex Scripturis Luc. 1, v. 34, ubi beatam Mariam votum virginitatis emisisse clarè indigitatur his verbis: *Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Atqui dubium nullum esse potest, quin Maria quam Angelus gratiâ plenam appellat, hoc votum servaverit; ergo, etc. 2° Ex concilio Chalcedonensi generali IV, quod in allocutione ad Marcianum imperatorem asserit, *virginitatem* (beatæ Mariæ à Christo) *sacratam esse etiam post partum, uterumque ejus fuisse integritate obsignatum, ut nullis injuriis deinde pateret.* 3° Ex SS. Patribus. Origenes, Hom. 7 in Lucam: *In tantam,* ait, *nescio quis prorupit insaniam, ut assereret negatam fuisse Mariam à Salvatore, eò quòd post nativitatem illius juncta fuerit Joseph.* S. Basilius, Homiliâ in sanctam Christi generationem, aliàs 25: *Christi amantes,* inquit, *audire non sustinent, quòd Deipara aliquando desierit esse Virgo.* S. Epiphanius, hæresi 78, n. 9, eos hæreticis accenset, qui Mariam post Christum natum, cum Josepho consuetudinem habuisse dicerent; eosdem *Antidicomarianitas* nuncupat, multisque argumentis refellit, præsertim quia ad suam usque ætatem nemo *nisi præposito Virginis nomine* beatam Mariam nominârat. S. Ambrosius, libro de Instit. Virginis, cap. 6, n. 45: *Non deficit,* inquit, *virginitatis magistra; nec fieri poterat, ut quæ Deum portaverat, portandum hominem arbitraretur; nec Joseph, vir justus, in hanc prorupisset amentiam, ut matri Domini concubitu corporeo misceretur.* S. Hieronymus, lib. contra Helvidium, sic habet: *Natum esse Deum de Virgine credimus, quia legimus: Mariam nupsisse post partum non credimus, quia non legi-*

aus. Et toto hoc in libro ex professo probat B. Mariam semper ac perpetuò Virginem permansisse. Commentario autem in caput 44 Ezech. v. 2 : *Pulchrè*, inquit, *quidam clausam portam, per quam solus Dominus Deus Israel ingreditur, Mariam Virginem intelligunt, quæ et ante partum et post partum Virgo permansit*. S. August., tract. 10 in Joan. : *Unde fratres Domino*, inquirit? *Num Maria iterùm peperit ? Absit, inde cœpit dignitas Virginum, illa femina mater esse potuit, mulier esse non potuit*.

Innumera alia proferri possent similia testimonia; sufficiat annotare in Symbolis, in conciliis, et apud sanctos Patres beatam Mariam perpetuò ac simpliciter et constanter Virginem nuncupari, nunquàm verò vel minimùm innui eam post partum cum Josepho viro suo carnaliter habitâsse. Imò votum virginitatis ab eâ emissum fuisse, et illibatè servatum docent SS. doctores, atque ut *amentiam* et *blasphemiam*, ut *hæresim* habent eorum sententiam qui læsæ virginitatis post partum Mariam accusare ausi sunt.

Solvuntur objectiones. — Obj. adversùs secundam conclusionis partem. S. Lucas 2, v. 22, hæc habet : *Postquàm impleti sunt dies purgationis Mariæ secundùm legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini : Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur*. Ex hoc testimonio olim inferebant Tertullianus, lib. de Carne Christi, cap. 23, et Origenes, Homil. 4 in Lucam, Christum ex beatâ Virgine violato virginitatis claustro natum esse. Ergo beata Maria non fuit Virgo in partu. — Nego conseq. : Significat duntaxat S. Lucas illud, quod lege præscriptum fuerat de omni masculino primogenito, à Christo Domino fuisse adimpletum, non quòd natus esset cæterorum more, sed tantùm quia œconomia Incarnationis postulabat ut ipse secundùm ritum lege præscriptum Deo in templo offerretur. Quòd si verba legis de quâ agitur, hocce modo premere et ad Christum transferre liceret, consequens foret nequidem ex matre ante partum et in conceptu virgine, Christum esse natum, cùm de matribus communibus, quæ viâ ordinariâ et *suscepto semine* concipiunt, lex purificationis manifestè lata sit. Cùm igitur hìc manifestè fallantur Tertullianus et Origenes, nullum in iis deserendis piaculum esse potest.

Obj. adversùs tertiam conclusionis partem cum Helvidio, Matth. 1, v. 18 : *Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto*. Ubi hæc particula *antequàm*, indigitat eos postea convenisse; ergo. — Nego ant. Nam vel illa verba *antequàm convenirent*, explicaveris de cohabitatione domicilii, et contractu matrimonii, vel de cohabitatione thori. Si primum, quod fortè indicat anxietas Joseph de *accipiendâ Mariâ* in conjugem, v. 19 et 20 significata, jam nulla in argumento allato difficultas. Sin autem de habitatione thori illa verba interpreteris, dicendum erit cum S. Hieronymo S. Matthæum ibi significâsse Mariam cum Joseph ante Christi conceptum non convenisse, quod unum eò loci intererat exprimi; non verò ab eo indicari quid postea contigerit, quia id ad scopum ejus nihil attinebat; malè autem inferri eos convenisse postea, eò quòd antea non convenisse dicantur; quemadmodùm si diceretur : Helvidius antequàm pœnitentiam ageret, morte præventus fuit, ridiculè quis inde concluderet : Ergo postea pœnitentiam egit.

Obj. adversùs eamdem tertiam partem 1° : S. Matth. ibid. v. 25 : *Et non cognoscebat eam*, inquit, *donec peperit filium suum primogenitum*. Ergo postea eam cognovit. 2° Christus ibi dicitur primogenitus; ergo alios habuit Maria filios. 3° Plures fratres Christo assignantur Matth. 13, v. 55, Jacobus scilicet, et Joseph, et Simon et Judas; ergo, etc.—Ad primum, nego consequentiam. Particula *donec* ibi tantùm demonstrat tempus antea elapsum, non verò supponit, post præteritum tempus quod connotat, rem quæ antea facta non fuerat, tunc fieri cœpisse. Nec hanc vocis *donec* ideò excogitamus notionem ut propositæ objectioni respondeamus. Nam in Scripturis non semel accipitur eo ipso sensu quem ei tribuimus; Isaiæ 22, v. 14 : *Si dimittetur iniquitas hæc, donec moriamini;* quis inde colliget iniquitatem de quâ ibi agitur, post obitum peccatoris ipsi condonandam? Psal. 109, v. 1 et 2 : *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Ad quæ respiciens Apostolus, 1 Cor. 15, v. 25 : *Oportet illum* (Christum) *regnare*, ait, *donec ponat inimicos sub pedibus ejus*. An inde sequitur Christum ad dexteram Patris non ampliùs sessurum aut regnum ejus destruendum post quàm sub ejus pedibus inimici ipsius positi fuerint? Ergo, etc.

Ad secundum, primogenitus ille dicitur ante quem nullus est genitus, seu alii postea generentur et nascantur, sive nulli. Vide Exodi 13, v. 2, et Numer. 18, v. 16.

Ad tertium, consanguinei et consobrini Christi loco aliato dicuntur ejus fratres, juxta Scripturæ morem, Gen. 13, v. 8, et cap. 29, v. 15.

Conclusio III. An Christus eleganti et venustâ specie fuerit necne, certò definiri non potest. Probabilius est eum communi et mediocri formâ donatum fuisse, quæ nec oculos alliceret, nec offenderet.

Probatur prima pars, quia de eâ quæstione silent Scripturæ, et in varias scinduntur sententias sancti Ecclesiæ doctores. Silent Scripturæ. Nam iste locus Psaltis regii : *Speciosus formâ præ filiis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis*, ad animæ decorem seu virtutes, gratiam, sapientiam, doctrinam, et varii generis spiritualia dona meritò refertur à SS. Patribus et interpretibus. Vide S. Basilium, S. Chrysostomum, et Theodoretum ad Psal. 44, S. Aug. ad eumdem Psalm. et tractatu 9 in Epistolam 1 S. Joan., S. Hieronymum Epistolâ ad Principiam. Testimonia verò Isaiæ deformitatem corporis Christi spectantia, cap. 52, v. 14 : *Inglorius erit inter viros aspectus ejus*, etc. 53, v. 2 et 3 : *Non est species ei, neque decor*, etc.; hæc testimonia de tempore passionis Christi intelligenda sunt, non de tempore ejus vitæ mortalis. Nihil igitur nec de Christi deformitate, nec de ejus formæ venustate ex Scripturis colligi potest.

De hoc etiam argumento variæ sunt opiniones SS. Patrum. Nam Tertullianus, lib. de Carne Christi, cap. 9, S. Clemens Alex. lib. 3 *Pedagogi*, cap. 1, et lib. 6 Stromatum, pag. 496, Origenes, lib. 6 contra Celsum, S. Cyril. Alex., Glaphyrorum in Exodum lib. 1, t. 1, pag. 250, Christo elegantem et decoram speciem non attribuunt. Contra verò S. Joannes Chrys., Hom. 28 in Matth., ait Christum fuisse visu gratiosissimum, et S. Hieronymus, in cap. 22 S. Matth., docet *igneum quiddam atque sidereum radiâsse ex oculis Christi, et Divinitatis majestatem luxisse in ejus facie.* Similia habet in cap. 9 S. Matth. et in Epist. ad Principiam.

Probatur secunda pars, nempe Christum eâ fuisse vultûs et corporis specie quæ nec pulchritudine nimiâ oculos attraheret, nec turpi offenderet deformitate. 1° Enim hæc fuisse videtur sententia Origenis laudato lib. 6 contra Celsum, ubi ait Christum *nec suprà modum decorâ specie, nec excellenti pulchritudine fuisse.* Et ad eumdem sensum inflecti possunt S. Clemens Alex., lib. 6 Stromatum, pag. 496, S. Cyril. Alex., loco suprà citato. 2° Non decuisset ut corpus Christi utpote speciali Spiritûs sancti operatione conformatum, insigniter esset deforme, seu defectu proportionis membrorum, seu vilitate et turpitudine vultûs. Pariter finibus Incarnationis consentaneum non fuisset Christum eo decore ac vultûs venustate donari quæ in admirationem homines rapuisset. Nam Christus venerat ut contemptum rerum sensibilium animis nostris instillaret. Hinc, ut notat S. Cyrillus Alex. Glaphyr. in Exod. 1, *carnis gloriationes nemo adscripserit Christo, neque in gloriam ipsius censuerit.* Ergo origini, conditioni et muniis Christi dùm in terris conversatus est, valdè fuit accommodatum ut mediocri et communi esset specie et conformatione; proindeque, etc.

Dissertatio x.

DE VARIIS CHRISTI TITULIS ET OFFICIIS.

Agitur hîc de pluribus aliis consequentibus Incarnationem Christi; nempe, de ejus sacerdotio, mediatione, et intercessione, tum de ipso ut capite Ecclesiæ, atque utrùm dici possit servus, et Filius Dei adoptivus.

CAPUT PRIMUM.

An et quomodò Christus sacerdos fuerit?

Naturam sacerdotii ac præcipua sacerdotum munera describit sanctus Paulus in Epistolâ suâ ad Hebræos, cap. 5, v. 1, his verbis: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Et c. 8, v. 3: *Omnis pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur.* Sacerdos igitur verè et propriè ille dicitur, qui auctoritate legitimâ ad offerendum Deo pro hominibus sacrificium propriè dictum deputatus est. Ad sacerdotem quidem attinet ex Scripturis, ut Dei legem doceat, ut preces populi ad Deum perferat, atque ipse pro eo deprecetur et oret; sed præcipuum ejus munus quo propriè constituitur sacerdos, in oblatione sacrificii propriè dicti est positum. Sacrificium autem propriè dictum, est oblatio alicujus rei sensibilis à legitimo ministro Deo facta, cum hujusce rei immutatione. His præmissis, sit

Conclusio I. Christus fuit verè et propriè sacerdos Probatur 1° ex Scripturis: Psal. 109, v. 4, hæc legunter: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech;* quæ de Christo esse dicta tum hujusce Psalmi contextus, tum auctoritas Apostoli illa verba Hebr. 5, v. 6 et 10, et cap. 7, v. 17, Christo applicantis, indubitatum faciunt. Hebr. v. 4, 14: *Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit cœlos, teneamus confessionem.* Ibid. 5, v. 1, 4 et 5: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis... nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatus est à Deo tanquàm Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodiè genui te.* Vide etiam versus sequentes, tum caput 7, v. 11 et 26, cap. 8, v. 1, cap. 9, v. 11, 12, 26, cap. 10, v. 11, 12, 21.

Probatur 2° ex traditione, cujus innumera in hanc rem facilè proferri possent instrumenta. Sufficiat unum S. Polycarpi Smyrnensis episcopi et Apostolorum discipuli testimonium ex oratione quam martyrio vitam finiens fudit, desumptum. *De omnibus*, inquiebat, Patrem divinum alloquens, *te laudo, te benedico, te glorifico per sempiternum pontificem Jesum Christum unigenitum tuum, per quem tibi unà cum ipso in Spiritu sancto gloria nunc et in secula seculorum, amen.*

Probatur 3° manifestâ ratione theologicâ. Ille enim verè et propriè est sacerdos, qui divinâ auctoritate in sacerdotem electus, omnia sacerdotii munia exercuit; atqui 1° Christus in sacerdotem à Deo electus est; *Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret*, inquit Apostolus, Hebr. 5, v. 6, *sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodiè genui te.* Et cap. 7, v. 20, observat idem Apostolus Christum cum jurejurando fuisse constitutum à Deo sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech. *Hic* (Christus) *autem*, inquit, *cum jurejurando* (sacerdos factus est) *per eum, qui dixit ad illum: Juravit Dominus, et non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum.* Idem rursùs habetur versu ultimo. 2° Christus omnia sacerdotii munia implevit. Cœlestem enim et saluberrimam nobis doctrinam tradidit, ut ex toto Evangelio manifestum est; hominum preces ad Patrem pertulit, et pro iis orationes fudit. Vide Joan cap. 17, Hebr. 5, v. 7, etc. Denique pro nobis seipsum in victimam moriendo obtulit, Hebr. 10, v. 10, 12, 14, etc., *et semper vivens ad interpellandum pro nobis*, ut loquitur Apostolus, ibid. 7, v. 25, *eò quòd* (versu 24) *maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.*

Conclusio II. Christus ut homo, non verò ut Deus, fuit sacerdos.

Probatur 1° his Apostoli verbis, Hebr. 4, v. 14 et 15: *Habentes ergo pontificem magnum... Jesum filium*

Dei, teneamus confessionem. Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato. His clarè significatur Christum esse pontificem sub eo respectu sub quo potest compati infirmitatibus nostris, quòd per omnia tentatus fuerit absque peccato; atqui Christus tantùm ut homo non ut Deus ideò potest compati infirmitatibus nostris, quòd tentatus fuerit per omnia, absque peccato; ergo, etc.

Probatur 2°, quia secundùm eumdem Apostolum, Christus ut sacerdos, semetipsum in victimam obtulit. *Talis enim decebat*, inquit ibid. cap. 7, 26 et 27, *ut nobis esset pontifex... qui non habet necessitatem quotidiè, quemadmodùm sacerdotes, priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi; hoc enim fecit semel, seipsum offerendo.* Vide c. 9, v. 11, 12, 25, 26, et c. 10, v. 11, etc. Atqui Christus tantùm ut homo, non ut Deus potuit seipsum pro nobis in victimam offerre; ergo, etc.

Probatur 3°, ratione theologicâ. Sacerdos ut sacerdos, seu quatenùs offert victimam, inferior sit Deo cui victima offertur, necesse est; atqui Christus ut Deus non est inferior Deo, sed tantùm ut homo; ergo, etc.

Dices: Christus ut homo fuit victima pro peccato; ergo non potuit ut homo esse sacerdos; alioqui fuisset sacerdos simul et victima, quod repugnat; quippe cùm sacerdos victimam immolare seu destruere debeat, Christus autem sese non immolaverit seu occiderit; ergo, etc. — Nego consequentiam. Ad primam probationem, nego repugnare Christum fuisse simul sacerdotem et victimam. Victima fuit pro nobis quatenùs in arâ crucis loco nostro necatus est; sacerdos verò extitit quatenùs ad satisfaciendum pro nobis, se ab impiis necari consensit, ac mortis suæ pretium ut nos redimeret obtulit.

Ad secundam probationem, distinguo: Christus non sese immolavit physicè, concedo; moraliter, quatenùs liberè voluit vulnerari, occidi, permisitque ut ex plagis sibi inflictis mors consequeretur, nego. Necesse non est sacerdotem influere physicè in destructionem victimæ quam offert, sufficit si in ejusmodi destructionem influat moraliter.

Conclusio III. Christus eatenùs fuit sacerdos, quatenùs divinâ voluntate ad sacrificium pro hominibus offerendum deputatus est.

Probatur, quia Christus ut homo suâ auctoritate seipsum non potuisset constituere sacerdotem ut sese in victimam pro reconciliandis hominibus offerret, siquidem, ut supra dictum est, satisfactiones ejus, etsi valoris infiniti, eatenùs tamen indiguerunt acceptatione, quatenùs Deus 1° liberè consensit ut ipse loco nostro satisfaceret; 2° statuit modum quo sibi vellet satisfieri. Multò minùs autem ab hominibus Christus sacerdos constitui potuit; ergo à Deo solo sacerdotii honorem accepit. Quod etiam non semel disertè in Scripturis docetur, præsertim jam laudato capite 5 Epistolæ ad Hebræos, v. 4 et seq.: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquàm Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodiè genui te. Quemadmodùm et in alio loco dicit: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.*

Conclusio IV. Sacrificium Christi fuit latreuticum, eucharisticum, et impetratorium respectu tum Christi tum hominum; fuit etiam propitiatorium, sed respectu hominum duntaxat.

Probatur. Sacrificium Christi fuit 1° latreuticum, siquidem tum respectu Christi ut hominis, tum respectu nostrî, fuit protestatio supremi Domini Dei, et perfectæ erga ipsum subjectionis. 2° Fuit eucharisticum, quia suo sacrificio Christus de collatis seu sibi seu hominibus beneficiis et donis gratias egit. 3° Fuit impetratorium, eo enim Christus nobis salutem promeruit et media ad illam conducentia: sibi verò, ut alibi diximus, meritus est gloriam corporis, nominis exaltationem, etc. 4° Fuit denique propitiatorium respectu nostrî, cùm, illud offerendo, Christus factus fuerit *propitiatio* pro peccatis nostris, atque ut ea nobis condonarentur obtinerit. Verùm non potuit respectu Christi esse propitiatorium, quando quidem ab omni peccato Christus naturâ erat immunis.

Conclusio V. Christus non fuit sacerdos secundùm ordinem Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedech.

Probatur 1°, tum auctoritate Apostoli utrumque ex professo adstruentis capite 7 Epistolæ ad Hebræos; tum ex Psalmo 109, ubi Christus prædicitur futurus *sacerdos secundùm ordinem Melchisedech.* Probatur 2°, quia sacerdos secundùm ordinem Aaron debuit esse ex tribu Levi, ut ex institutione sacerdotii veteris, Exod. c. 28 et 29, exploratum est. Atqui, inquit Apostolus, loco mox citato, v. 14: *Manifestum est quòd ex Judâ ortus sit Dominus noster; in quâ tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est;* ergo Christus non fuit sacerdos secundùm ordinem Aaron.

Jam verò si Christus non fuerit sacerdos secundùm ordinem Aaron, superest ut fuerit sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, maximè propter analogian inter sacerdotium ejus et sacerdotium Melchisedech Nam 1°, ut observat Apostolus, loco mox laudato, nomen Melchisedech, idem est, ac rex justitiæ. 2° Melchisedech, Genes. 14, dicitur rex Salem, quod significat regem pacis. 3° Sacerdotium Melchisedech jure nativitatis non legitur acceptum, nec secundùm ordinem generationis carnalis ad successores transmissum; imò nulla fit in Scripturis mentio nec patris, nec matris, nec genealogiæ Melchisedech. 4° Neque etiam nativitas aut mors Melchisedech in Scripturis memorantur. 5° Melchisedech legitur sumpsisse decimas ab Abrahamo, ex quo egressus est ipse Levi cui aliæ tribus decimas solvebant. 6° Denique legitur ipsi etiam Abrahamo benedixisse, ac proinde ei superior extitisse. Verùm de omnibus hisce Melchisedech characteribus, ipsum audiamus disserentem Apostolum. *Hic*, inquit, capite laudato, v. 1 et sequentibus, *Melchisedech rex Salem, sacerdos Dei summi qui obviavit Abrahæ..... et benedixit ei, cui et decimas omnium di-*

visit Abraham; primùm quidem qui interpretatur rex justitiæ; deinde autem et rex Salem, quod est rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogiâ, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum; intuemini autem quantus sit hic, cui et decimas dedit de præcipuis Abraham partriarcha..... Cujus..... generatio non annumeratur in eis (filiis Levi), *decimas sumpsit ab Abraham, et hunc qui habebat repromissiones benedixit. Sine ullâ autem contradictione, quod minus est, à meliore benedicitur.* Hæc Apostolus. Ex quibus liquet Melchisedech fuisse figuram maximè idoneam Christi Domini supremi sacerdotis, qui verè est rex justitiæ et rex pacis, qui sacerdotium habet longè præstantius levitico, qui illud à Deo, non à carnali successione, accepit, qui *eò quòd vivat in æternum, sempiternum habet sacerdotium*, qui ipsius Abrahæ Dominus est, ipsique benedixit, seu sanctificationis et salutis ejus causas attulit; ergo, etc. Alia est adhuc similitudo maxima Christum inter et Melchisedech, quam Apostolus loco allato prætermisit, quia ad scopum ejus non attinebat. Hæc in eo consistit quòd Melchisedech sacrificium panis et vini obtulerit, sub quorum speciebus sacrificium corporis et sanguinis sui incruentum nomine suo in Ecclesiâ à sacerdotibus novæ legis offerri Christus Dominus instituit.

Conclusio ultima. Christi sacerdotium æternum est.

Probatur ex Apostolo qui, laudato capite 7 Epistolæ ad Hebræos, hoc dogma sic inculcat et exponit: *Alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcircò quòd morte prohiberentur permanere; hic autem eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum; semper vivens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, et excelsior cœlis factus; qui non habet necessitatem quotidiè, quemadmodùm sacerdotes, priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi; hoc enim fecit semel, seipsum offerendo.* Capit. 9, v. 24 et seqq.: *Jesus introivit... in ipsum cœlum ut appareat nunc vultui Dei pro nobis; neque* (necesse est) *ut sæpè offerat semetipsum, quemadmodùm pontifex, intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno : alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi; nunc autem semel in consummatione seculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit.... semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Et capite 10, v. 12 et 14: *Hic* (Christus) *unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dexterâ Dei.... Unâ enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Ex his patet sempiternum esse sacerdotium Christi, quòd semper ipse vivens, virtutem sacrificii cruenti quod semel in cruce obtulit, quodque unâ vice offerri satis erat, perpetuò exhibeat Deo *interpellans pro nobis*, et *apparens vultui Dei pro nobis.* Nempe, ut canit Ecclesia Parisiensis in prosâ diei Ascensionis Domini: *Patri monstrat assiduè, quæ dura tulit vulnera: Et sic pacis perpetuæ nobis exorat fœdera.* Nec dicas inde minui vim sacrificii à Christo semel in cruce oblati. Siquidem omnis valor intercessionis et oblationis Christi in cœlis ex sacrificio virtutis infinitæ quod semel in arâ crucis obtulit, derivatur. Et reverà, quidquid Christus in vitâ suâ mortali egit, quidquid moriendo exhibuit, quidquid ubicumque præsens est, seu in cœlis, seu in ipso altaris sacramento in quo aliâ ratione existit, præstat, illud habendum est ut continuatio unius intercessionis, uniusque obedientiæ et sacrificii quod vivens auspicatus est, moriens consummavit, quodque redivivus, in cœlis et in mysteriis jugiter renovat, ut ejus virtutem nobis perpetuò applicet.

CAPUT II.

Utrùm Christus sit pro nobis mediator et intercessor, et quomodò?

Conclusio I. Christus Dei et hominum perfectus mediator est.

Probatur 1° ex Apostolo, 1 ad Timot. 1, v. 5: *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Probatur 2°, quia omnibus perfecti mediatoris officiis functus est Christus Dominus. 1° Enim Deum inter et homines interpres fuit et internuntius, unde Malach. 3 dicitur *Angelus testamenti.* 2° Arbitri partes egit, siquidem Deum nobis reddidit propitium, obtinuitque ut cum hominibus, si certas conditiones implerent, non secundùm omnem justitiæ rigorem ageret. 3° Apud Deum intercessit: oravit enim pro hominibus dùm degebat in terris, et etiamnùm in cœlis orat, ut modò dicemus. 4° Quod homines non poterant solvere, sponsor eorum factus, ipse persolvit, seipsum in redemptionem pro nobis offerens, ut nos liberaret, et pro nobis satisfaceret; ergo, quæcumque ad perfecti mediatoris munus attinent, Christus executus est; proindeque, etc.

Conclusio II. Christus est hominum mediator quatenùs Homo-Deus, ita tamen ut omnia mediatoris munia quatenùs homo impleverit.

Probatur. Nam Christus solùm ut Deus, non potuit esse mediator, siquidem per naturam divinam non potuit exercere mediatoris functiones. Neque etiam ut homo tantùm et solâ suâ naturâ humanâ potuit esse mediator; impar enim fuit ejusmodi natura ad eum actionibus Christi valorem tribuendum qui exhibendæ Deo satisfactioni et vicibus mediatoris exercendis necessarius erat. Superest igitur Christum, quatenùs Hominem-Deum, fuisse mediatorem; ita tamen ut per naturam humanam omnes actus ad mediatoris munia pertinentes elicuerit; solusque iis necessarius valor à Deo Verbo, ut alibi explicatum est, in illas operationes dimanaverit.

Conclusio III. Christus etiamnùm pro nobis orat in cœlis.

Probatur 1° ex Scripturis, Rom. 8, v. 34: *Christus Jesus.... qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Hebr. 7, v. 25: *Salvare in perpetuum potest* (Christus) *accedentes per semetipsum ad Deum, semper*

vens ad interpellandum pro nobis. Ibid. cap. 9, v. 24 : *Jesus introivit.... in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* 1 Joan. 2, v. 1 et 2 : *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Probatur 2° ratione theologicâ. Nullum dubium esse potest quin Christus ut homo etiamnùm velit bona hominibus, pro quibus *animam suam posuit*; atqui planum est ejusmodi desideria sanctæ humanitatis Christi esse totidem orationes ; ergo, etc.

Non meretur autem Christus ejusmodi orationibus quia non est in statu viæ. Idcircò porrò eum non precamur ut pro nobis oret, sed ut misereatur nostrî, quia ad ipsum preces nostras secundùm eum respectum dirigimus, sub quo majorem excellentiam et perfectionem habet.

CAPUT III.

An et quomodò Christus sit Ecclesiæ et Angelorum caput ?

Conclusio I. Christus est caput Ecclesiæ seu fidelium cœtùs.

Probatur 1° ex Scripturis. Ephes. 1, v. 22 et 23 : *Ipsum* (Christum Deus) *dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, et plenitudo ejus qui omnia in omnibus adimpletur.* Ibid. 5, v. 23 : *Christus caput est Ecclesiæ; ipse salvator corporis ejus.* Coloss. 1, v. 18 : *Ipse* (Christus) *est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens.* Probatur 2° ex ratione theologicâ. In tribus consistit capitis moralis genuina et perfecta notio, quòd nempe is qui aliorum caput dicitur, illis sit conjunctus, hos dignitate et potestate supereminеat, et ipsis communicet vitam seu bona eorum conditioni necessaria. Atqui Christus 1° est conjunctus Ecclesiæ, quippe quæ eum ut regem suum, Deum suum et servatorem agnoscit, quamque ipse ut sponsam dilectam quam sanguine suo acquisivit, et ut corpus suum mysticum habet. 2° Christus utpote Filius Dei unigenitus incarnatus, fideles dignitate et potestate infinitè superat, atque etiam ut homo *omnem potestatem in cœlo et in terrâ* accipit, *et in nomine ejus omne genu flectendum est, cœlestium, terrestrium et infernorum.* 3° Bona necessaria ac vitam fidelibus communicat, siquidem ab eo media saluti necessaria, justificatio et salus ut à causâ meritoriâ in fideles derivantur. *De plenitudine ejus*, inquit S. Joan. cap. 1, v. 16, *nos omnes accepimus;* et ut habet Apostolus, Eph. 4, v. 15 et 16 : Necesse est ut *crescamus in illo per omnia, qui* est caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundùm *operationem uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem suî in charitate.*

Conclusio II. Christus ût homo, Angelorum etiam dicendum est caput.

Probatur 1° ex Scripturis. Ephes. 1, v. 20 et seq. : *Operatus est* (Deus virtutem) *in Christo suscitans illum mortuis, et constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro. Et omnia subjecit sub pedibus ejus.* Et Coloss. 2, v. 10, Christus conceptis verbis dicitur *Caput omnis principatûs et potestatis.* Probatur 2°, quia cùm Christus dignitate et potestate Angelos antecellat, cùm fide constet Angelos ipsi submitti, et cultum ei debitum impendere, Philipp. 2, v. 6, Hebr. 1, v. 6, etc. ; cùm denique Christus Dominus Angelis gratias saltem secundarias meruerit, ut capite 1 hujus disputationis advertimus, et ex Eph. 5, v. 10, et ex pluribus Patribus habetur, planum est ipsi competere quæcumque capiti Angelorum constituendo necessaria sunt; ergo, etc.

Quæres an dona quæ Christus fidelibus ut eorum caput communicat, ab eo oriantur ut à causâ physicâ, vel ut à causâ morali? — Respondeo de fide esse Christum esse causam moralem et meritoriam omnium gratiarum et donorum quæ in ordine ad finem Incarnationis consequendum, hominibus largiuntur, vel etiam ante Christum natum concessa sunt. An verò sancta Christi humanitas non tantùm quamdiù in terris extitit, sed etiamnum in cœlis physico et verè activo influxu gratias distribuat et conferat, quæstio est relicta scholarum disputationi. Scotistæ, quos sequitur Vasquez, contendunt Christum esse duntaxat moralem gratiarum causam. Thomistæ vulgò sentiunt eum esse causam physicam saltem gratiarum quas Deus à peractâ Incarnatione largitur, ita Gonetus. Quidam, referente eodem Goneto, voluerunt etiam gratias ante Incarnationem collatas, ortum à Christo ut à causâ physicâ duxisse. Malebranchius, in tractatu de Naturâ et Gratiâ, in colloquiis de relig. et metaphysicâ, et aliis in locis, censet Christum esse causam occasionalem distributionis gratiæ ; in cujus systemate illud præsertim respuendum videtur, quòd velit ex hujuscemodi causæ occasionalis limitatione, seu ex eo quòd anima Christi necessariò sit finita et limitata, repetendam esse præcipuam rationem cur Deus secundùm vias generales agens, tot concedat hominibus gratias quibus prævidit eos non esse consensuros.

De eâ quæstione idem dicemus quod supra docuimus de potestate Christi in miraculis patrandis. Si causas secundas extra se physicè agere non repugnat, non video cur animæ Christi quæ per contactum non agit ut corpora, negaretur potestas physica conferendi et distribuendi gratias quas Deus ut causa efficiens prima ab Incarnatione peractâ confert. Etenim, in systemate activitatis veræ et physicæ causis secundis attribuendæ, quid obstaret quominùs anima Christi ad illud activitatis et potentiæ genus respectu gratiarum conferendarum et distribuendarum elevaretur? ergo, etc.

CAPUT IV.

An Christus possit dici Dei servus ?

Nomen servi propriè acceptum duplici modo, strictè scilicet et latè sumi potest. Strictè servus est persona non ingenua, quæ alieni juris est, non suî, quæque

nullum per se jus habet ad domini hæreditatem. Servus latiori, sed propriâ tamen significatione, ille est qui alterius voluntati est subjectus, et ipsi in omnibus obtemperare debet.

Conclusio. Christus proprio, sed latiori sensu servus Dei dicendus est, non verò strictâ significatione. Probatur prima pars, 1° ex Scripturis, in quibus sæpè Christus servus Dei nuncupatur. Vide Isaiæ 42, v. 1 : *Ecce servus meus, suscipiam eum.* Quæ verba ad Christum applicat S. Matth. 12, v. 28; rursùs Isaiæ 49, v. 5, et cap. 53, v. 11, Act. Apost. 13, v. 47. 2° Ex iis ipsis Patribus qui contra Arianos vel contra Felicem et Elipandum pugnârunt, S. Athanas., Oratione 2, olim 3, contra Arianos, S. Greg. Naz. Orat. 36, S. Greg. Nyss. Opusculo de Fide, ad Simplicium, S. Ambr. lib. 5 de Fide, et in Epist. ad Sabinum, Etherius et Beatus hic presbyter, alter episcopus Hispani contra Elipandum, etc. 3° Ratione theologicâ. Nam Christus ut homo in Scripturis dicitur obediens, subjectus divinæ voluntati; atqui pari ratione dicendus est servus in eâ significatione de quâ nunc agimus; ergo, etc.

Probatur secunda pars, nempe Christum non posse dici servum stricto sensu. Nam servus stricto sensu est persona non ingenua, alieni juris, et ad hæreditatem nullum per se jus habens; atqui hujusmodi persona non est Christus ut homo, qui contra filius est naturalis, et ad hæreditatem naturâ habet jus, ut docet fides. Hinc Apost. Hebr. 1, quantùm Christus Angelis præcellat ostendens, observat eum esse Filium Dei, Angelos verò duntaxat servos in ministerium missos. Hinc plurimi è SS. Patribus simpliciter pronuntiârunt Christum nullo pacto servum appellari posse, licet acceperit formam servi, id est, naturam humanam quæ per se serva est. Ita sanctus Dyonisius Alexandrin. in Epistolâ ad Paulum Samosatenum, et in Responsione ad quæstionem 7 ejusdem; Theodoretus, Dialogo 2 contra Appoll. et in Refutatione anathematismi 6; S. Joan. Damasc., lib. 3 de Fide orthod., cap. 21; Adrianus I, in Epistolâ ad episcopos Hispanos; concilium Francofordiense, in Synodicâ, Alcuinus, l. 5, etc., qui omnes nomen servi secundùm strictam et in jure usitatam significationem urgentes, meritò censuerunt Christum, utpote filium naturalem, nequaquàm dicendum esse servum.

CAPUT V.

Utrùm Christus ut homo, sit Filius Dei naturalis, ita ut dici nequeat filius adoptionis ?

Filius naturalis ille dicitur, qui verè genitus est ab eo cujus appellatur filius, quique proinde vi nativitatis suæ in hæreditatem naturale jus habet. Filius verò adoptivus est persona extranea, id est, à patre adoptante non genita, quam ex benevolentiâ ille in filium suscipit, ut ei jus in hæreditatem suam benignè impertiat. *Adoptivus*, inquit Paulinus Aquileiensis in libro *Sacro-Syllabo*, quem synodus Francofordiensis approbavit, *dici non potest nisi is qui alienus est ab eo à quo dicitur adoptatus, et gratis ei adoptio tribuitur. Quoniam non ex debito, sed ex indulgentiâ tantummodò adoptio præstatur.* Fide constat Deo Patri esse Filium naturalem, ejusdem secum naturæ et substantiæ, nempe Verbum divinum, secundam SS. Trinitatis personam, cujus generatio, ut nec mente attingi, nec sermone explicari potest, ita vera est, propriè dicta et omnis imperfectionis expers. Pariter constat esse Deo filios adoptivos, nempe homines justos, qui hoc nomine sæpè insigniuntur in Scripturis. Rom. 8, v. 15 : *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater;* Galat. 4, v. 5 : *Ut adoptionem filiorum reciperemus;* Ephes. 1, v. 5 : *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum;* 1 Joan. 3, v. 1 : *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus*; et alibi sæpè. Inter adoptionem autem quæ fit à Deo, et eam quæ fit ab homine, triplex maximè notandum est discrimen : 1° quem Deus adoptat, ab eo ortus est, non quidem per generationem, sed per creationem; quem homo adoptat ab eo nec genitus est, nec effectus; 2° Deus non tantùm volendo adoptat, sed etiam in eo quem eligit, aliquid physici efficiendo, quo filius adoptivus formaliter adoptatus constituitur; gratiam enim sanctificantem in eo producit, quæ est adoptionis divinæ forma. Homo adoptans nihil physici confert, quo adoptio constituatur. 3° Hæreditas filiis Dei adoptivis promissa, hujus naturæ est, ut possit ab omnibus sine divisione haberi quin idcircò à Deo possideri desinat; Dei enim ipsius est cognitio et amor; hinc justi possunt esse Dei hæredes, etiamsi Deus æternùm vivat. Hæreditas verò hominis adoptantis, utpote in bonis finitis sita, non potest simul à pluribus sine divisione aut indivisim haberi, proindeque nonnisi post mortem adoptantis, potest adoptivus jus illud exercere, quod in ejus hæreditatem sibi adoptione concessum est.

De fide etiam est, ut ex statutis contra Nestorium dissert. 4, cap. 2, art. 2, liquet, unicam esse in Christo personam, nempe personam Verbi Dei, quia physicè et hypostaticè seu personaliter ipsi unita est humanitas quam assumpsit. Quæ quidem persona cùm, juxta fidem, naturalis sit Filius Dei, sequitur secundùm eamdem fidem Christum hominem appellandum esse Filium Dei naturalem, atque, saltem vi communicationis idiomatum, demonstrato Christo dicendum esse : Hic homo est Filius Dei naturalis; quod idem sonat ac : Persona quæ habet hanc humanitatem est Filius Dei naturalis.

Quæstio præsens ad Christum ut hominem attinet, an scilicet etiam sub eo respectu dicendus sit Filius Dei naturalis, an verò adoptivus dici debeat, aut saltem possit ?

Eâ de re versùs octavi seculi finem duo erravêre Hispani præsules, Felix et Elipandus, hic Toleti, ille Orgellis, vel, ut alii legunt, Urgellæ episcopus. *Ii*, inquit Petavius lib. 1 de Incarn. cap. 22, n. 1, *Christum Deum hominemque confessi, totidem quot naturæ sunt, in eo filios esse docuerunt, alterum naturalem qui est Deus et Verbum, alterum adoptivum qui est homo.* Is error, qui postea ampliùs erit exponendus, appellari solet hæresis Feliciana, à mox memorato Felice Ur

gellensi qui ejus auctor extitit. Namque, ut narrat Eginhardus ad ann. 792 : *Felix..... ab Elipando Toleti episcopo, per litteras consultus, quid de humanitate Salvatoris Dei et Domini nostri J. C. sentire deberet, utrùm secundùm quod homo est, proprius, an adoptivus filius Dei credendus esset ac dicendus; valdè incautè atque inconsideratè contra antiquam catholicæ Ecclesiæ doctrinam, adoptivum non solùm pronuntiavit, sed etiam scriptis ad memoratum episcopum libris pertinacissimè pravitatem opinionis suæ defendere curavit.*

In disquisitionem adducta et proscripta fuit ea hæresis in pluribus conciliis, 1° in synodo Forojuliensi anno 761, in quâ præside Paulino, Aquileiensi patriarchâ, definitum est, tacitis tamen Felicis et Elipandi nominibus, Christum esse proprium Dei Filium, non adoptivum, atque duos in eo non esse filios; 2° in synodo Ratisbonæ habitâ anno 792, ubi coram Carolo Magno qui eâ in urbe hiemaverat, erroris convictus est Felix. Hic verò inde Romam ad summum pontificem ductus, ibi præsente Adriano Sedem S. Petri tunc occupante, suam ipse hæresim condemnavit et ejuravit. 3° In concilio Francofordiensi, quod biennio post, nempe anno 794, Carolus Magnus, ad quem Elipandus erroris sui tuendi causâ scripserat, contra eum necnon contra Felicem qui ad vomitum redierat, ex omnibus ditionis suæ provinciis congregari curavit. Celebris et numerosa extitit illa synodus, etsi ejus acta diù latuerint, donec à Surio, anno 1567, in utilitatem publicam ederentur. Ei præfuit romanus pontifex per legatos suos, Theophylactum et Stephanum episcopos, eidem Carolus Magnus voluit interesse. Epistola Elipandi ad Carolum regem, Epistola Adriani ad Gallæciæ et Hispaniarum episcopos, et liber Sacro-Syllabus Paulini Aquileiensis medio in concilio lecta sunt. Tum Patres unanimi consensu hæresim Felicianam proscripsêre. Felicem quoque anathemate percusserunt; qui Lugdunum in perpetuum amandatus, ibi, teste Adone in chronico, pertinax in hæresi vitam finivit. Fervidus ejusdem erroris sectator Elipandus, magistri sui obstinationem non imitatus est et catholicus obiit.

Adversùs duos præsules Hispanos pro fide catholicâ scriptis certârunt complures eruditi, inprimis Paulinus Aquileiensis qui præter laudatum librum Sacro-Syllabum alios plures libros in Felicem et Elipandum vulgavit; Flaccus Albinus Alcuinus, qui occasione hujusce hæreseos è Britanniâ à Carolo Magno accersitus, ipsi semper charissimus extitit; Etherius, episcopus Uxamensis, et Beatus presbyter ambo Hispani; Agobardus, Lugdunensis episcopus, etc., quorum opera eâ de re etiamnùm habentur.

Jam verò cùm in exponendâ Felicis et Elipandi mente et in assignando dogmate contra eos à synodo Francofordiensi definito theologi non unanimes, cùm præterea in explicandâ naturali Christi ut hominis filiatione non nihil dissentiant, tria videntur hîc sigillatim investiganda. Primum ad quæstionem facti spectat, quid nempe senserint duo Hispani præsules, an in eos ab Ecclesiâ statutum fuerit Christum ut hominem nullo sensu dici posse filium adoptivum. Secundum quæstionem juris complectitur, utrùm scilicet Christus ut homo sit Filius Dei naturalis, adeò ut nullâ ratione in ipsum quadret adoptivi Filii Dei nuncupatio. Tertium ad jus quoque attinet, quo nempe sensu intelligi debeat Christum ut hominem esse Filium Dei naturalem.

ARTICULUS PRIMUS.

De genuinâ Felicis et Elipandi circa Christi filiationem sententiâ, et de errore in eis proscripto.

Suarez, disput. 49 de Incarn. sect. 3, post Surium Valentiam quæst. 20, Baronium ad ann. 783 et 794, et alios complures quos laudat, à Felice et Elipando opinatur Christum in duas personas duosque filios divisum fuisse, quorum unus, nempe Deus Verbum, esset Dei Filius naturalis, alter, videlicet hîc homo, non esset naturalis Filius Dei, sed adoptivus tantùm. *Existimo*, inquit, *Felicianam hæresim in hoc positam fuisse, quòd credidit Christum hominem eodem prorsùs modo fuisse filium adoptivum, quo sunt alii homines justi; ita quamvis in eo filiationis genere singularem habuerit excellentiam et dignitatem, non tamen transcenderit illud genus adoptionis quo nos per gratiam adoptamur, neque aliter homo ille Christus fuerit conjunctus Filio Dei naturali, quàm hoc genere adoptionis.* Nihil aliud idem theologus ab Adriano pontifice et à concilio Francofordiensi condemnatum existimat, quàm ejusmodi dogma, à Nestoriano reverà ne latum unguem distans, nisi penès aliquem loquendi modum. Ut verò suam hanc sententiam confirmet Suarez, observat à quibusdam theologis dictum esse Christum ut hominem posse secundùm humanitatem filium adoptivum dici, imò id assertivè à Durando positum, nec tamen eis fuisse idcircò notam erroris inustam. Deinde multa profert tum concilii, tum Adriani, tum aliorum eâ de re scriptorum testimonia, quibus id sibi videtur efficere quod contendit. Suarem sequitur Frassenius ac ferè contrahit dissert. 2, art. 2, sect. 1, quæst. 2, p. 158 et sequentibus. Opinionem hanc falsam omninò esse pronuntiat Vasquesius, disput. 89, c. 6 et 8, eique à diametro oppositam sententiam invexit, quam plures amplexi sunt, nempe hanc propositionem : Christus ut homo etiam reduplicativè, et secundùm humanitatem, est filius adoptivus, in Felice et Elipando fuisse damnatam, adeò ut sensus quo Durandus hanc propositionem docuit, quove nonnulli insignes theologi hanc posse sustineri senserunt, planè hæreticus sit, et contractoria propositionis ejusdem ad fidem pertineat. Præcipua ratio Vasquesii hæc est, 1° duos ejusmodi episcopos solùm dixisse Christum secundùm humanitatem seu secundùm carnem esse Filium Dei adoptivum, ut ex eorum mente refert Adrianus papa, in Epistolâ supra laudatâ; 2° ex confessione fidei Elipandi quæ in libro Etherii et Beati legitur, apparere unicam in Christo personam ab Elipando admissam fuisse.

Duas ejusmodi extremas inter sententias, mediâ quâdam viâ incedit cardinalis de Lugo disp. 31, sect. 1,

de Incarn.: *Ego non existimo*, inquit, *eumdem omninò sensum esse quem intendunt aliqui auctores catholici in illâ reduplicatione, et quam intendebant hæretici. Nam hæretici volebant loquendo de Christo homine, ut condistinguitur à Deo* (id est, ut est persona naturam humanam terminans), *esse filium adoptivum; catholici verò, etiam loquentes de Christo homine, concedunt esse filium naturalem, sed addunt esse adoptivum secundùm quid, seu secundùm humanitatem. Cæterùm, adhuc censeo juxta mentem concilii et Adriani debere negari istam reduplicativam, quia tota ratio concilii fundatur in eo quòd adoptio includat extraneitatem personæ, quod non reperitur in Christo; ex hoc autem fit neque secundùm humanitatem esse filium adoptivum, quia non est persona extranea, nec habet negationem requisitam ad filiationem adoptivam.* Hactenùs cardinalis de Lugo. His satis consona sunt, sed magis explicata, quæ Petavius de eodem argumento decernit. Is 1° duos in Christo filios, alium naturalem, nempe Deum Verbum, alterum adoptivum, videlicet Christum quà hominem, à Felice et Elipando fuisse discretos docet. 2° Observat tamen non idcircò ejusmodi episcopos credidisse suas in Christo inesse personas. 3° Tum propter argumenta plurima à se adducta, cùm maximè ob latam in Felicem et Elipandum definitionem, judicat hanc propositionem: Christus, quatenùs homo, est filius adoptivus, esse *temerariam et errori proximam, si non hæreticam omninò.* 4° Demùm ibidem notat propositionem eamdem, *quamvis subtili et argutâ vocis interpretatione consequi hoc possit, ut quæ inest in nomine, nulla in re ipsâ sit offensio*, attamen vel ipso loquendi genere esse damnandam. Ubi clarè innuit inter ejusmodi sententiam prout aliquo subtili sensu à quibusdam scholasticis defenditur, et errorem ab Ecclesiâ in Felice et Elipando damnatum nonnihil discriminis à se agnosci.

Conclusio. Certum est hæresim Felicianam unitati personæ in Christo immediatè et formaliter, vel saltem mediatè et indirectè fuisse oppositam. Probabilius vero quòd non fuerit opposita nisi mediatè. Ea tamen non debet cum subtili quorumdam scholasticorum opinione confundi, quamvis hæc opinio menti quoque concilii Francofordiensis aliàs repugnet.

Probatur prima pars, nempe hæresim Felicianam mediatè vel immediatè oppositam fuisse unitati personæ adversùs Nestorium definitæ, atque id esse certum et indubitatum. Etenim 1° Adrianus, S. pontifex, Patres concilii, Paulinus Aquileiensis, in libro Sacrosyllabo, duobus episcopis Hispanis objiciunt eorum sententiam in Nestorianismum incidere, à Nestorio originem ducere, et in ipso jam fuisse damnatam. Vide tom. 7 Conc. Labb. col. 1020, 1027, et præsertim 1044; vide etiam Suarez, loco laudato. Atque ejusmodi accusationem ipsis intentatam, idemque argumentum in illos pressum videre est in omnibus scriptis contra eos editis. Atqui, nisi errore suo vel immediatè, vel saltem mediatè unitati personæ in Christo repugnàssent, in eos illata non fuisset illa accusatio, nec ejusmodi argumento potuissent revinci; ergo, etc. 2° Omnes consentiunt duos filios in Christo, unum naturalem, nempe Deum Verbum, alterum duntaxat adoptivum, nempe Christum ut hominem, à Felice et Elipando fuisse distinctos et divisos; atqui illa distinctio saltem mediatè repugnat unitati personæ; si enim Christus ut homo seu ut hic homo, dici non posset filius naturalis, sed tantùm adoptivus, sequeretur personam Christi ut hominis seu personam terminantem et ultimò sustentantem naturam humanam non esse Filium naturalem, sed adoptivum duntaxat. Porrò, persona illa, si non sit Filius naturalis, sed adoptivus tantùm, ergo non potest esse eadem ac persona Dei Verbi, cui filiatio naturalis Dei Patris necessariò competit; ergo duorum filiorum in Christo distinctio à Felice excogitata, mediatè saltem repugnat unitati personæ, ac cum eâ stare et cohærere nequaquàm potest.

Probatur secunda pars, nempe probabilius esse quòd Feliciana hæresis unitati personæ in Christo solùm mediatè, non formaliter opposita fuerit, adeò ut Felix et Elipandus non tantùm duas in Christo personas conceptis verbis non dixerint, uti facilè Suarez, Frassenius et alii fatentur, sed etiam sibi ex quâdam caligine mentis fortè visi fuerint unitatem personæ in Christo intactam relinquere; probatur, inquam, 1° quia si directè, immediatè et formaliter unitatem personæ in Christo Felix et Elipandus impugnâssent, ejusmodi unitatem propugnare et adversùs eos stabilire curâssent, qui in illos decertârunt; sed qui contra Felicem et Elipandum decertârunt, unitatem personæ in Christo non curârunt probare, imò ut certum et ab adversariis non negatum posuerunt non posse illud dogma sustineri, utpote in Nestorio damnatum; ergo, etc.

2° Habetur apud Etherium et Beatum supra laudatos confessio fidei Elipandi, in quâ Christus dicitur: *Homo interior in unâ eâdemque Dei et hominis personâ agglomeratus, atque carnis vestimento indutus.* En unitas personæ Christo disertè ab Elipando attributa. Frustra reponit Frassenius Elipandum Nestorii vafritiem imitatum, impropriè accepisse personæ nomen ut fucum faceret et accusationem hæreseos declinaret. Namque, licet Nestorius, post Theodorum Mopsuestenum, personæ unitatem sumpserit moraliter, et pro communione honoris et dignitatis, attamen idem contigisse Elipando sine aliquo probabili momento conjicere non licet. Præterea, non ab Elipando concinnata est confessio fidei quam ejus nomine inscribunt Etherius et Beatus. Ipsi ejusmodi confessionem contexuêre, ut genuinam Elipandi doctrinam exprimerent, et manifestam facerent. Quis autem suspicatus fuerit eos, ex industriâ et lectore non monito, voces erroribus Elipandi quos refutabant, obtegendis et imminuendis magis idoneas selegisse?

3° Si Felix et Elipandus idem planè docuissent quod Nestorius, imò, si ipsi essent opinati se cum eo planè consentire, profectò non sperâssent futurum ut in concilio Francofordiensi sua sententia approbaretur, nec illud concilium quo res decideretur, Elipandus ad Carolum Magnum scribens postulare ausus esset. Hinc

fateri cogitur Suarez, *Elipandum non apertè fuisse professum errorem Nestorii; ideòque ausum fuisse judicium et approbationem concilii postulare; aut enim, inquit, quid ad errorem suum consequeretur non intelligebat, quod credibile est; aut quæ solet esse hæreticorum audacia, sperabat fore ut eâ simulatione alios deciperet.*

Dices : Sigebertus in Chronico ad annum 793, sic loquitur : *Feliciana hæresis condemnatur, et in præsentiâ Adriani papæ ab ipso Felice auctore abdicatur. Hæc hæresis asserebat Filium Dei in divinâ naturâ verum Deum esse, in humanâ verò adoptivum, unam personam Dei et hominis dividens in duas personas, scilicet veri filii et adoptivi.*— Respondeo Sigebertum, dùm ait in duas personas Christum fuisse à Felice divisum, magis exposuisse quid ex Felicianâ hæresi reverà consequeretur, quàm quid ejusmodi erroris conceptu formali et immediato contineretur et involveretur; de cætero, auctoritati Sigeberti qui nonnisi pluribus seculis ab exortâ illâ hæresi scripsit, anteponendum esse testimonium Etherii et Beati, auctorum coætaneorum, qui ejusmodi errorem quo tempore grassabatur confutârunt, et concilio Francofordiensi interfuerunt.

Probatur tertia pars, nempe cum subtili quâdam nonnullorum scholasticorum opinione jam memoratâ non confundendum Felicis et Elipandi errorem. Nam Felix et Elipandus, ut docuimus, etsi unam in Christo personam confiterentur, attamen non tantùm Christo quatenùs homini *reduplicativè*, seu ratione humanitatis, sed etiam ipsi quâ homini *specificativè*, ut aiunt, seu quatenùs est persona naturam humanam, non divinam terminans, et eâ ratione distinguitur à Deo, adscribendam putabant adoptionem. Hinc simpliciter et absolutè pronuntiabant Christum hominem non esse Filium Dei proprium et naturalem, sed solummodò filium adoptivum; quæ quidem in Christo duplicis ejusmodi filietatis discretio, ut deinde videbitur, tum Scripturis sacris et traditioni, tum primis et necessariis fidei adversùs Nestorium definitæ consectariis planè adversatur. Durandus verò et alii, de quibus agimus, scholastici, non tantùm statuunt unam in Christo Verbi Dei personam admittendam, sed et simpliciter et absolutè docent, quod inde sequitur Christum, nempe ut hominem, esse dicendum Filium Dei proprium et naturalem, nec negant, demonstrato Christo, veram fore hanc propositionem : Hic homo est proprius et naturalis Dei Filius. Id ergo unum censent, Christum ut hominem, etsi proprius sit et naturalis filius, utpote persona Verbi humanitatem terminans, tamen sub aliquo respectu et secundùm quid, ratione scilicet humanitatis gratiâ sanctificante ornatæ, dicendum esse aut saltem dici posse Filium Dei adoptivum. Nempe, cùm gratia sanctificans in hominibus justis sit adoptionis forma, arbitrati sunt eumdem effectum formalem ipsi in Christo competere; cùmque ea quæ naturæ insunt, de supposito prædicari possint in concerto, existimârunt, si adoptionis forma humanitati Christi inhæreat, sequi Christum hominem, licet aliàs verè et simpliciter Filium Dei naturalem, posse tamen aliquâ ratione appellari adoptivum. Ubi apparet ejusmodi theologos non tam contra dogma revelatum et ab Ecclesiâ definitum peccâsse, quàm adversùs genuinam adoptionis notionem cujus conceptu formali non cogitârunt extraneitatem personæ includi; ergo, etc.

Probatur quarta pars, nempe ejusmodi subtilem quorumdam scholasticorum opinionem à concilii mente esse alienam; nam juxta concilium ille non potest dici filius adoptivus qui est filius naturalis, seu qui non est persona extranea, quia scilicet personæ extraneitas est forma negativa, ad formalem rationem adoptionis constituendam requisita; atqui, juxta opinionem de quâ agimus, Christus, etsi Filius naturalis et minimè extraneus, dici tamen potest adoptivus propter gratiam sanctificantem quâ ejus humanitas ornata est; ergo, etc. Propter hanc et alias causas, infra rejiciemus ejusmodi loquendi modum : Christus, quatenùs homo, potest secundùm quid et ratione humanitatis, dici Filius adoptivus.

ARTICULUS II.

An sensu Felicis et Elipandi, an alio quolibet in Christum ut hominem quadrare possit adoptiva Filii Dei nuncupatio?

Conclusio. Christus ut homo est Filius Dei naturalis, non adoptivus, nec ullo sensu vero et probando Filius Dei adoptivus dici potest.

Probatur prima pars, quæ ad fidem attinet, nempe Christum ut hominem esse Filium Dei naturalem; nam ille est Filius Dei naturalis, non adoptivus, qui in Scripturis appellatur Filius Dei unigenitus, siquidem multi sunt filii ejus adoptivi; qui dicitur Filius Dei verus et proprius; atqui, juxta Scripturas, Christus etiam ut homo est Filius Dei unigenitus, Filius Dei verus et proprius;..... Christus ut homo est Filius Dei unigenitus secundùm Script. Joan. 1, v. 14 : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre.* Ubi Verbum caro factum, id est, Christus ut homo appellatur *Unigenitus* à Patre. Ibidem, v. 18 : *Deum nemo vidit unquàm. Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit;* hìc iterùm agitur de Christo ut homine, nempe cùm ut homo prædicaverit et divina enarraverit. Ibid. cap. 3, v. 16 : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quo in loco etiam Christus homo appellatur Unigenitus, si quidem ut homo à Deo pro nobis traditus est. Ibid. v. 17 et 18 : *Misit Deus Filium suum in mundum....; qui credit in eum non judicatur; qui autem non credit jam judicatus est : quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* 1 Joan. 4, v. 9 : *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* 2° Christus ut homo in Scripturis dicitur Filius Dei verus. Nam Christum, quem viderat, ac proinde ut hominem appellat S. Joan. verum Filium Dei : *Et scimus,* inquit 1 Epist cap. 5, v. 20, *quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus et vita æterna.* 3° Christus ut homo est Filius Dei proprius. Rom. 8, v.

32 : *Qui* (Deus) *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* 4° Nunquàm in Scripturis Christus ut homo nuncupatur Filius adoptivus; imò verò hoc observandum est, nunquàm Deum in Scripturis eodem modo et communi vocabulo Patrem nostrum dici et Patrem Christi; ergo, etc.

Probatur 2° ex traditione, 1° auctoritate Symbolorum fidei : in Symbolo Apostolorum legitur : *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto*, etc. Ubi Christus, qui conceptus est de Spiritu sancto, etc., ac proinde etiam Christus homo, dicitur Filius Dei unicus. In Symbolo Constantinopolitano : *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem... et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia secula, Deum de Deo*, etc. *Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cœlis, et incarnatus est... natus. .. crucifixus*, etc.

2° Auctoritate concilii Francofordiensis et Adriani papæ, à quibus adversùs Felicem et Elipandum, ut modò diximus, definitum est Christum esse Filium Dei naturalem, non adoptivum. 3° Auctoritate Ecclesiarum Hispaniæ, à quarum fide recessisse Felicem et Elipandum evidentissimum fit ex suffragio Hildephonsi et Justi, quorum prior ante Elipandum Toletanæ Ecclesiæ, alter ante Felicem Urgellitanæ præfuit. Iste in Cantica scribens : *Quis*, inquit, *erit similis Deo inter filios Dei; illi adoptione, hic* (Christus) *naturâ est Filius, et ideò nullus in sanctis, vel in universo genere hominum, quamlibet filii vocabulo censeatur, Christo similis reperitur.* Et Hildephonsus, lib. de Virginitate S. Mariæ, de Christo loquens, ait *nullum esse per quem* (à Deo) *adoptaretur, si non esset proprius* (Filius Dei). Deinde *non est adoptivus filius*, inquit, *sed adoptator; ut ita dicam, cæterorum.* Et paulò post : *At verò Christus non adoptivus, sed proprius Dei Filius, in plenitudine temporum venit, missus à Patre, natus de muliere, qui solus non eguit... renasci, quoniam proprius Dei Filius... A Patre genitus, ipse ex naturâ suâ in se habuit, et non aliunde, ut proprius esset Dei Filius.*

4° Auctoritate SS. Patrum tum græcorum, tum latinorum, quorum permulta testimonia longo ordine referunt Petavius, lib. 7, cap. 2 et 3, et Thomass. toto ferè libro 8.

Probatur 3° ex rationibus theologicis. — Prima est illum esse Filium Dei naturalem, non adoptivum, qui est persona verè et propriè à Deo Patre genita; atqui ipse Christus, ut est talis homo, est persona verè et propriè à Deo Patre genita, cùm Christus homo ipsum sit Dei *Verbum caro factum*, ipse Dei Filius, *qui cùm in formâ Dei esset,..... exinanivit semetipsum, formam servi accipiens et habitu inventus ut homo.* Enimverò non est in Christo persona duplex, sed una tantùm. Eadem est igitur Christi ut hominis persona ac Christi ut Dei; discrimen quidem maximum intercedit Christum ut Deum inter et Christum ut hominem, sed illud discrimen ad naturas spectat, non ad personam; ergo, cùm persona Christi ut Dei sit Filius Dei naturalis, non adoptivus, necesse est ut idem etiam attribuatur illi personæ, cùm attenditur eâ terminari et sustentari naturam quam assumpsit. — Secunda. Ille non potest adoptari qui non est extraneus, seu cui ratio divinæ filietatis propriæ et naturalis reverà competit. Cùm enim filius adoptivus sit persona extranea, ut ex jure et ex ideâ omnium constat, planum est filietatem naturalem cum adoptionis titulo non posse compati. Atqui Christus etiam ut hic homo, seu ut talis persona terminans naturam assumptam, non est Deo Patri extraneus, seu ipsi ratio divinæ filietatis propriæ et naturalis verè competit; nam personalitas Filii divini ejus filietatem seu à Patre generationem reverà includit, imò eâ constituitur, cùm igitur Christus ut hic homo sit persona Filii divini ut terminans naturam humanam, planum est, etc. — Tertia. Ille est Filius Dei naturalis quem verè Deus generat; atqui Deus Pater verè generat Christum etiam ut hominem; Christus enim ut homo est Filius Dei Patris naturam humanam sibi habens personaliter unitam; atqui Deus Pater generat Filium suum etiam cum eo respectu consideratum, siquidem ab æterno et jugiter Deus Pater Filium suum generat; non enim transitoria est Filii divini generatio, sed jugis et semper eadem; unde psalmo 2, Deus Filium unigenitum sic alloquitur : *Ego hodiè genui te.* Ergo, quemadmodùm Filius Dei ante Incarnationem genitus est, carnem nondùm sibi habens personaliter unitam, ita, ubi primum carnem assumpsit, genitus est, ac semper gignitur sibi propriam et personaliter unitam habens naturam humanam; ergo, etc. — Quarta. Si Christus ut homo esset Filius adoptivus, cùm beata Virgo Christum secundùm carnem solùm genuerit, dicenda igitur esset solùm mater Filii Dei adoptivi; atqui beata Virgo non est dicenda solùm mater Filii Dei adoptivi, siquidem juxta definitionem concilii Ephesini, verè mater Dei nuncupari debet, eò quòd Christum ut hominem genuerit; ergo, etc.— Quinta. Pater et mater communes meritò et dicuntur filiorum suorum pater et mater, licet sola prolis suæ caro ab eis oriatur, anima verò creetur à Deo, ut simul cum corpore in sinu matris quantùm satis est organis instructo, conjungatur; quare ergo Pater æternus non diceretur verè Pater Christi ut hominis, statim atque concipitur personalitatem Christi ut hominis ab eo verâ generatione manare, naturam verò humanam ejusmodi personalitati propriè physicè et hypostaticè conjungi?

Probatur secunda pars, nempe Christum nullo sensu etiam expressâ mentione factâ humanitatis, posse appellari adoptivum Dei Filium. Nam quocumque sensu sumatur nomen filii adoptivi, semper significabit personam extraneam, seu cui filietas naturalis non competit; quâcumque verò ratione consideretur Christus, etiamsi mentio fieret expressa humanitatis cum quâvis reduplicatione et abstractione, nunquàm dici poterit persona extranea seu carens naturali filietate respectu Dei Patris, siquidem habet hanc filietatem; nulla autem reduplicatio aut abstractio vim habet immutandi objecti; ergo, etc. Et verò nomen filii spectat

personam, non naturam ; ergo titulus filii adoptivi spectat etiam personam, non naturam, abstrahendo à personâ ; ergo, cùm persona Christi hominis sit Filius Dei naturalis, quæcumque in ejus humanitate forma aut gratia recipiatur, ea efficere non potest ut Christus appelletur Filius adoptivus.

Quæres 1° quânam notâ theologicâ debeat hæc propositio affici : Christus secundùm humanitatem, seu ratione gratiæ sanctificantis in ejus humanitatem receptæ, dicendus est, vel dici potest Filius adoptivus? — Respondeo hanc propositionem, etsi in theologis à quibus prolata est, possit aliquo modo excusari, eò quòd scilicet non circa dogma ipsum, sed potiùs circa loquendi modum et veram adoptivi filii significationem errarent, attamen in se sumptam, et secundùm id quod per se sonat, esse temerariam et erroneam : 1° quia, licet cum illâ reduplicatione à concilio Francofordiensi damnata non fuerit, attamen eâdem ratione refellitur, ut jam observavimus, quâ concilium adversùs Felicianam hæresim usum est ; 2° quia nec in Scripturis nec in totâ traditione ullum occurrit ejusmodi propositionis fundamentum, imò verò tum Scripturæ tum SS. Patres non aliam Christo perpetuò adscribunt filietatem Dei, quàm propriam et naturalem ; 3° quia rationes modò allatæ demonstrant non posse quovis sensu dici Christum hominem esse filium adoptivum, quin per se ex hâc propositione sequatur eum sub eodem respectu non esse filium proprium et naturalem, ac proinde duas in illo esse personas, quorum prius Felicianam, aliud Nestorianam hæresim comprehendit et exhibet.

Addo propositionem eamdem etiam, prout à Durando intelligitur, esse ipso dicendi genere proscribendam ; quia, juxta axioma tritum in scholis, *ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis*. Et, ut pulchrè habet S. Augustinus, lib. 10 de Civit. Dei, cap. 23 : *Nobis ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus quæ his significantur, impiam gignato pinionem.*

Quæres 2°, an igitur Christus secundùm humanitatem reduplicativè seu ratione humanitatis dicendus sit Filius Dei naturalis? — Respondeo, si ita intelligatur reduplicatio illa, ut significetur Christum propter humanitatem assumptam esse filium naturalem, adeò ut ex ejus humanitate oriatur vel constituatur ratio formalis Filii naturalis quæ Christo competit, tunc propositionem ejusmodi futuram esse falsam et hæreticam, ut patet. Si sensus reduplicationis foret, ipsam Christi humanitatem propter unionem suam cum Verbo hypostaticam esse Filium Dei naturalem, perinde esset hæretica propositio, quâ exhiberentur in Christo duo filii Dei naturales, puta Verbum divinum Filium Dei æternum, et humanitatem Christi unitam, quæ perperàm diceretur Dei Filius naturalis.

Inde tamen non sequitur sub illo igitur respectu Christum aut ejus humanitatem unitam dici posse saltem secundùm quid Filium Dei adoptivum ; nam ut filietas naturalis et propria naturam in se et abstrahendo à personalitate consideratam non spectat, ita nec adoptiva ; utraque ad personam contingit ; proindeque, cùm natura humana Christi in se sumpta non sit persona, sequitur Christum, ratione humanitatis reduplicativè, ut hic sumitur, consideratum, neque adoptivum, neque naturalem Dei Filium esse dicendum, licet simpliciter Christus homo, Christus ut homo, Christus secundùm humanitatem dici debeat Filius Dei proprius et naturalis, ut probatum est.

ARTICULUS III.

Quo sensu intelligendum sit Christum ut hominem esse Filium Dei naturalem?

Fuêre theologi quos nimia subtilitas eò deduxit ut Christum quà hominem dicerent duplici titulo Filium Dei naturalem : uno, quia est Filius Dei æternus consubstantialis Patri æterno primæ personæ, à quâ per generationem æternam, jugem et immutabilem procedit ; altero, quia gratia sanctificans eximia et jus ad hæreditatem æternam Christo ut homini, positâ unione hypostaticâ, debentur, et unionem illam necessariò et naturaliter consequuntur. Sub hoc respectu Christum dicunt esse filium totius Trinitatis. Ita Suarez, disp. 49 in 3 partem S. Thomæ sect. 1 ; Vasquesius, in eamdem partem, tomo 1, disp. 89, cap. 14 ; de Rhodes, tomo 2 Disputationis theologiæ scholasticæ ad tertiam partem S. Thomæ, disp. 4 ; aliique. Ili porrò filiationem illam temporalem habent ut minùs propriam et analogicam tantùm comparatè ad primam, ut subtilem opinionem quæ in scholis agitare fas est, sed fidelibus non proponendam ne offendantur. *Hæc consideratio*, inquit Suarez, *nimis est philosophica, multùmque habet de nostræ rationis præcisione. Ac consideratione... secundùm rem, verè non est in Christo alia filiato præterquàm æterna.*

Multò longiùs progressi sunt Harduinus, Commentario in novum Testamentum, et Berruyerus, secundâ et tertiâ parte Historiæ populi Dei, dùm censent ipsam Christi humanitatem, cùm personæ uni divinæ hypostaticè unita sit in personæ unitatem, dicendam esse in recto Filium Dei unius et veri in tribus personis subsistentis, eamdemque sanctissimam humanitatem Christi ita unitam, perpetuum esse directè et in recto sanctarum Scripturarum præsertim novi Testamenti objectum. De quo novo dogmate sermonem habebimus totâ dissertatione sequenti.

Cùm verò Berruyerus, tomo octavo secundæ partis Historiæ populi Dei, dissertationes latinas complectente, hanc infra paginam 38 notam apponat : *Vide in hoc argumentum Suarezium, Vasquesium, Lessium, Grandamicum, Meratium, Theophilum Raynaldum, Mendosam, Arriagam, Becanum, de Rhodes, et plures alios de scholâ theologos. Vide Maldonatum, Toletum, pluresque alios interpretes ;* quo significare voluit eorum theologorum eâ de re doctrinam suæ ita esse saltem in præcipuis similem ut eorum auctoritate protegatur et tutus sit ; idcircò non abs re erit jam enumerari multa eaque gravissima, in quibus Berruyerismus ab illorum opinione differt. Octo ejusmodi differentias in suâ præcellenti adversùs Berruyerum Determinatione annotat sacra Facultas Parisiensis, cujus verbis utemur.

I. Inquit ad propositionem LXIII : *His non consentit auctor, cùm ait humanitatem Jesu Christi esse in recto Filium hunc Dei naturalem, seu in hanc humanitatem in recto cadere hanc denominationem,* FILIUS NATURALIS *Dei. Dicunt ipsum Jesum Christum, seu personam Jesu Christi, esse triplici modo Filium naturalem : nempe 1° Filium naturalem Dei ab æterno, propter generationem suam æternam à Deo Patre primâ personâ; 2° Filium naturalem beatæ Mariæ Virginis, ex quâ secundùm humanitatem suam natus est ; 3° eumdem reduplicativè ut hunc hominem, seu secundùm suam humanitatem Verbo hypostaticè unitam, et propter hanc unionem, Filium esse naturalem Dei in tribus personis subsistentis. Triplicem hanc filietatem adjudicant personæ Jesu Christi ; neque enim Jesum Christum definiunt cum auctore, humanitatem Christi sanctissimam personæ uni divinæ hypostaticè unitam, cui humanitati in recto conveniant quæcumque de Jesu Christo in Scripturis prædicantur.*

II. *Hinc Jesum Christum sciscunt dici non posse absolutè Filium Dei qui in tribus personis subsistit, sed tantùm cum his determinationibus et reduplicationibus, quatenùs homo, seu secundùm humanitatem suam. Ita Suarez, in 3 partem S. Thomæ disp. 49, sect. 1, Vasquesius in eamdem partem, t. 1, disp. 89, cap. 14, aliique.*

III. *Hinc etiam nunquàm dicunt, quod edixit auctor post Harduinum, nempe humanitatem Christi esse* INSTAR SUPPOSITI ; *quæ voces, ubi agitur de naturâ intelligente, idem sonat ac* INSTAR PERSONÆ ; *neque volunt, ubi Christus loquitur in Scripturis, ipsam ejus humanitatem esse intelligendam de seipsâ loquentem et dicentem,* EGO ; *neque demùm illa multa effutiunt, quibus auctor omnes proprios personæ characteres adscribit Christi humanitati in recto.*

IV. *Hinc quoque nullo in loco aiunt humanitatem Christi unitam* DEUM ESSE ÆQUALEM DEO ; *quemadmodùm de individuo naturæ assumptæ, ut loquitur Harduinus, seu de humanitate Christi individuâ et in atomo, personæ uni divinæ substantialiter conjunctâ, ut auctor loquitur, hic et ille perhibent.*

V. *Neque etiam filiationem divinam temporalem quam Christo ut homini, præposterè, ut modò videbimus, asserunt, illi unquàm æquiparant filiationi ejus æternæ, ut filiationem ejusmodi temporalem affirment æquè esse propriam, nullâ ratione analogicam, ab omni præcisione mentis alienam et in se realem et absolutam.* « *Hæc consideratio,* inquit Suarez ibidem, *nimis est philosophica et scholastica, multùmque habet de nostræ rationis* « *præcisione et consideratione...; secundùm rem verè non* « *est in Christo alia filiatio præterquàm æterna. Altera est* « CHRISTI *filiatio, naturalis quidem et vera,* » inquit de Rhodes tomo 2, dissert. ad tertiam partem sancti Thomæ, dissert. 4, quæst. 2, § 1, loquens de Christi filiatione divinâ temporali, « *sed minùs propria et analogica tantùm* « *filiatio comparativè ad primam ; non enim fundatur in* « *generatione sicut prior, sed aliquo intrinseco constitutivo* « *et connaturali, per quod jus habeatur ad hæreditatem,* » *nempe visionem intuitivam. Quapropter Vasquesius aiebat, ubi supra, sectio 8, produci hanc filiationem non per generationem naturalem quâ communicatur natura, sed per generationem gratiæ. Cæterùm non nescimus apud ejusmodi theologicos scholasticos, varias esse de hoc argumento differentias tenues, quæ magis ad loquendi modum quàm ad rem ipsam attinent. Singulos prosequi longum foret et otiosum.*

VI. *Hi omnes theologi suam hanc opinionem habent ut meram et subtilem opinionem, in scholis agitari licitam et in eis solis ferè tractandam, quæ si, ut se habet, et nudè fidelibus explicaretur, eos offendere nata esset ; vide Suarez loco citato. Auctor verò multò pejorem sententiam, quam tradit, audet proponere ut fide explicitâ credendam, cujus fides est æquè necessaria, ac fides in mysterium trium in Deo personarum, quarum prima Pater, secunda Filius, tertia Spiritus sanctus, et à quovis christiano ex quodam sensu fidei et quasi religionis instinctu intellecta in formâ baptismi, in precibus plerisque Ecclesiæ, in glorificationibus, in verbis signi crucis comitibus, in benedictionibus, in omni cultûs christiani exercitio.*

VII. *Adorandam et cultu latriæ supremo prosequendam esse directè et in recto humanitatem Christi unitam ex suâ doctrinâ sequi auctor perspexit et reipsà docuit. Idipsum ex Vasquesii et Suaresii opinione sequi cùm objecisset paulò post eorum mortem Basilius Poncius ex Agustinianorum familiâ theologus l ita respondit Theophilus Raynaldus, de Attributis Christi, tom. 2, sect. 3, cap. 1, qui unus est ex laudatis ab auctore scriptoribus :* « *Fatendum est dari peculiarem adorationem respondentem filiationi naturali temporariæ, quâ Christus ob* « *sanctificationem substantialem est honore et adoratione* « *dignus, non quidem adoratione supremâ latriæ, sed* « *tamen adoratione quæ in nullam puram creaturam poteste cadere.* »

VIII. *Iidem theologi pro certo et indubitato statuunt omnia Scripturæ loca in quibus Christus appellatur* FILIUS DEI, *uno duntaxat aut altero exceptis, esse exponenda de filiatione Jesu Christi æternâ ex substantiâ Patris. Auctor verò omnia et singula ejusmodi loca sumit sensu ab illâ filiatione disjuncto, solamque filiationem divinam Christi temporalem universis et singulis expressam agnoscit. Frustra ergo et infideliter auctor annotatione seu appellatione, de quâ agitur, voluit sese exhibere ut habentem in auctoribus illis perfugium aliquod tutum. Nempe hi nimiùm ab illo distant, quàm ut suam doctrinam illorum opinioni non multùm absimilem judicaret.* Hactenùs sacra Facultas, quæ addit *à recto deviâsse theologos de quibus sermo est, quâ parte eorum sententia perverso auctoris dogmati affinis est,* illudque efficit adducto contextu doctissimi Petavii adversùs Suarez et Vasquesium eâ de re accuratè et eruditè disputantis.

Dico : Christus *ut hic homo* est naturalis Filius Dei, quatenùs est Filius Dei Patris æternus ; nec alio sensu, quæcumque adhibeatur reduplicatio, dici potest Filius Dei naturalis.

Pars prima iis omnibus asseritur, quibus dogma catholicum adversùs Nestorianos, supra constitutum est. Et verò Christus ut hic homo est Christus, prout est persona habens hanc humanitatem sibi hyposta-

ticè conjunctam. Hæc verò persona est Filius Dei æternus, qui nihil de suo amisit aut amittit, cùm hanc naturam humanam sibi substantialiter conjunctam in personæ unitatem habere incœpit, pergitque; qui ab æterno jugi, necessariâ et immutabili generatione à Deo Patre procedit sive ante unionem, sive in ipso unionis instanti, sive post unionem peractam. Ergo Christus, ut homo, est naturalis Filius Dei, quatenùs est Filius Dei Patris æternus.

Probatur secunda pars iisdem momentis. Nam in quàcumque reduplicatione adhibendâ, vel abstrahetur à personâ Christi, vel ab illâ non abstrahetur. Si non fiat in reduplicatione præcisio à personâ Christi, adeòque reduplicationis seu restrictionis conceptus hanc personam in recto includat, tunc sensus illius propositionis, Christus, ut est homo, seu ut est hic homo, semper erit iste: Christus, ut est persona habens hanc humanitatem sibi hypostaticè conjunctam, quæ persona juxta fidem catholicam omnibus Symbolis consignatam, est ipse Filius Dei æternus. Fietne reduplicatio hoc modo? Christus, secundùm hanc suam humanitatem consideratus, redibit idem sensus; nam hæc propositio idem sonat ac ista: Christus, prout est persona considerata secundùm hanc humanitatem sibi hypostaticè copulatam; habetur proinde idem fundamentum ipsum appellandi propriè æternum et naturalem Dei Patris Filium.

Sin autem in reduplicatione præscindatur à personâ Christi, aut saltem personam Christi in recto non includat conceptus reduplicativus, v. g., si dicatur: Christus est Filius Dei ratione humanitatis suæ præcisè in se sumptæ, vel etiam ratione humanitatis prout unitæ Verbo et in recto consideratæ, dùm consideratur Verbum solummodò in obliquo, et, ut aiunt, connotativè, tunc propositio erit falsa et regulæ fidei contraria. Nimirùm Christus, ratione humanitatis suæ in se præcisè sumptæ, aut etiam humanitatis suæ ut unitæ Verbo, si humanitas in recto spectetur et Verbum solummodò in obliquo, non est Filius Dei, quemadmodùm homo ratione animæ suæ figuratus non est, neque ratione corporis sui est capax cogitandi. Sensus propositionis hujus, adhibitâ eâ reduplicatione explicitâ, is esset: Humanitas Christi Verbo unita hypostaticè, Filius Dei est; quæ locutiones à regulâ fidei abhorrent, neque à theologis quos nunc refellimus admittuntur. Hi, ne videantur duos in Christo Dei filios dicere, volunt in ipsammet unicam Christi personam, Verbum Dei æternum, cadere, et appellationem propriam naturalis et æterni Filii Dei et appellationem, quam invehunt, et quam respuimus, temporalis et naturalis Filii Dei, trini in personis. Adeòque in reduplicationibus de Christo ut homine, quæ juxta ipsos isti posteriori appellationi locum præbent, nolunt à Christi personâ in recto, abstractionem fieri.

Ratione autem humanitatis suæ Christus est filius hominis, filius beatæ Mariæ Virginis, matris Christi, ac proinde matris Dei. *Est ergo fides recta*, ait Symbolum quod sub S. Athanasii nomine circumfertur, *est fides recta, ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus est et homo. Deus est ex substantiâ Patris ante secula genitus, et homo est ex substantiâ matris in seculo natus.* Sedulò attendenda hîc sunt nomina concreta, quæ personam in recto important, et ab abstractis secernenda, atque servandæ regulæ Scripturis, traditioni et ipsi mysterio consentaneæ, quas tradidimus, ubi de communicatione idiomatum. Homo Christus Jesus dicendus est Filius Dei æternus, quia homo Christus Jesus idem est ac persona cui hæc humanitas physicè et hypostaticè unitur, et quæ nominatur Jesus Christus. Idem verè dici non posset de naturâ Christi humanâ in abstracto consideratâ, etiamsi spectaretur ut unita.

Neque etiam humanitas Christi ullo modo continet rationem seu fundamentum cur Christus sit naturalis Filius Dei. Filietas naturalis secum importat similitudinem naturæ, adeòque in divinis consubstantialitatem et unitatem naturæ, cùm unicus sit Deus. Christus verò, ratione humanitatis suæ, non est similis naturâ Deo, non est ipsi consubstantialis, sed est similis substantiâ cum Virgine Deiparâ, quæ eum genuit secundùm humanitatem. Ergo, quæcumque restrictio et reduplicatio adhibeatur, Christus, ut hic homo, nequit alio sensu naturalis Filius Dei appellari, quàm quia est Filius æternus Dei Patris æterni. Præterea, si Christus ut homo est alio modo naturalis Filius Dei quàm propter generationem æternam, ergo in Christo duplex esset Dei Filius naturalis, quod dogma errore Felicis et Elipandi pejus foret. *Est enim tolerabilius*, inquit Petavius lib. 7 de Incarnatione, cap. 5, n. 8, *duos filios ita statuere, ut alter propter Divinitatem et æternam generationem naturalis sit Dei Filius; alter ob communem cum cæteris hominibus naturam et creatam sanctitatem adoptivus habeatur, quàm duos ponere naturales Dei filios, suâ quemque ratione et formâ constantes. Quòd si quis idcircò filios non esse duos naturales objicit, quòd una utrumque persona sustineat, filii verò proprietas personam, non naturam sequatur, uti S. Thomas affirmat, nihil efficit. Siquidem nec illi qui Christum naturalem simul et adoptivum Dei Filium esse putârunt, tam Hispani episcopi in Francofordiensi synodo damnati, quàm qui illos secuti sunt scholastici, duas in Christo personas inesse crediderunt, et illos tamen Adrianus, Paulus Aquileiensis, Alcuinus, ac tota ipsa Francofordiensis synodus, non alio genere argumentandi validiùs oppugnârunt, quàm ut ex illorum opinione consequens esse monstrarent, duos in Christo inesse filios. Hoc autem non alio sensu interpretari voluerunt, nisi duas esse proprietates filii sive filietates, quæ in eamdem personam caderent, quæ quidem complexo, sive, ut vocant, concreto etiam vocabulo filii usurpari possent. Ut enim passim antiqui hominem assumptum à Deo pro humanitate dicunt, et duo in Christo distinguenda, Deum et hominem, ac similia quædam proferri solent; ita duos filios nominari non tantoperè prohibuissent, nec huic locutioni intercessissent iidem illi veteres, alium esse Dei Filium, alium hominis, et ab illo diversum, sicut illic formas duas divinam et humanam, ita hîc* FILIETATES *duas, sive formas relativas*

eidem Christo tribuendas putâssent. Quæ res indicio est unicam ab illis causam filiationemque fuisse constitutam, quâ Christus Dei Filius haberetur; nec magis adoptivam illorum auctoritate damnatam, quàm naturalem alteram et ab æternâ filii proprietate distinctam.

His adde : Si Christus est naturalis Filius Dei aliâ ratione quàm propter suam divinitatem et generationem æternam, tunc illud quod fundabit aliam filiationem, nempe eam quæ temporalis est et repetitur ex sanctitate, quæ ipsi ut homini est naturalis propter unionem, illud, inquam, erit opus totius Trinitatis; adeòque Christus, ut hic homo, diceretur naturalis Filius totius Trinitatis, Filius suî, Filius Spiritûs sancti, ad quod universi adstupescerent et horrescerent fideles, dogmatis hujus novitate permoti. Hinc, ut vidimus, illi theologi opinionem suam sinunt quidem tractari in scholis, sed nolunt explicari fidelibus, quos perturbare nata esset. Ergo rejicienda.

Objicit Vasquesius : Si naturam humanam assumeret Spiritus sanctus, tunc diceretur secundùm humanitatem naturalis Filius Dei, nec tamen propter filiationem æternam quam non habet. Ergo. — Nego antecedens. Si Spiritus sanctus homo fieret, non aliam huic homini proprietatem quàm suam communicaret, adeòque hic homo non esset Pater, nec Filius, sed Spiritus sanctus, id est, esset persona Spiritûs sancti habens hanc humanitatem sibi hypostaticè unitam. Similiter, si Pater incarnaretur, Pater homo factus, quatenùs homo non esset Filius, sed Pater. Scilicet, quemadmodùm hic homo in concreto vi communicationis idiomatum ex unione hypostaticâ nexæ dicitur omnipotens, omniscius, æternus, etc., ab omnipotentiâ divinâ, omniscientiâ et æternitate, quia hic homo, idem est ac persona divina hanc habens humanam naturam ; ita et hic homo Christus dicendus Filius Dei æternus, quia est persona æterni Filii Dei hanc humanitatem habens. Proinde, si Pater factus fuisset homo, hic homo fuisset Pater, non Filius, nec ullo modo appellari potuisset Filius Dei. *Atque ut etiam auctoritate pugnemus,* ait Petavius loco citato, n. 9, *hùc illa Patrum advocanda est ratio quam in secundo libro proposuimus, cur solum Filium hominem fieri decuerit. Hanc enim complures illorum afferunt, ut qui Dei jam Filius erat, hominis esset filius, nec filii appellatio multiplicaretur, dùm alius esset Dei Filius, nempe Verbum, alius hominis filius, non Dei : ut puta Pater, aut Spiritus sanctus. Ita Fulgentius, Gennadius, Joannes Damascenus, Anselmus, Bernardus, Paulus Aquilciensis, Hugo Victorinus, Magister Sententiarum, ibidem laudati; qui omnes eo tanquàm certo fundamento nituntur, neque Patrem, neque Spiritum sanctum, si homines fierent, Dei filios futuros, idque esse peculiare Verbo. Cujus sanè ratiocinationis, ubi ab divinâ Filii proprietate desciveris, nullam causam comminisci aliam poteris.*

Objicies secundò cum eodem : Christus, ut est hic homo, seu secundùm humanitatem suam spectatus, est Dei naturalis Filius, et tamen sub illo respectu non procedit à Patre per generationem æternam. Neque enim, ut est hic homo, seu secundùm suam humanitatem consideratus, procedit à Patre ad similitudinem naturæ. Ergo Christus, ut homo, aliter est Filius Dei naturalis, quàm propter generationem æternam ; ergo Christus, ut homo, est Dei Filius naturalis, quia ipsi naturalia sunt sanctitas et hæreditas æterna. — Dist. : Christus, ut homo, non procedit à Patre per generationem æternam, quantùm ad humanitatem suam, concedo ; Christus, ut homo, non est persona procedens à Patre per generationem æternam et habens hanc humanitatem sibi hypostaticè unitam, nego. Ubi Christus spectatur ut homo, ut hic homo, spectatur ut persona habens hanc humanitatem sibi hypostaticè unitam. Hæc persona autem nihil de suo amisit, cùm humanitatem assumpsit, et post ejusmodi unionem, pergit à Deo Patre actione immanenti, necessariâ et immutabili, modo ineffabili generari. Ergo Christus etiam consideratus ut homo istud includit quòd sit persona à Deo Patre genita, quòd sit Filius Dei æternus.

Inst. : Si res ita se habet, Christus, ut homo, erit Filius per formam relativam, per filiatem extrinsecam naturæ ejus humanæ. Quam enim habet Christus filiationem æternam in ejus humanitate non recipitur. — Nego ant. : Id enim cui natura Christi humana intrinsecè et substantialiter ita unitur, ut in eo solo habeat rationem personæ, malè dicitur illi humanitati extrinsecum ; atqui divinæ et æternæ Christi filiationi seu Filio æterno Dei, humanitas Christi ita intimo et substantiali nexu conjungitur, ut in eâ solâ filiatione, in solo Filio Dei æterno habeat rationem supositi et personæ. Hinc cùm Christus homo aiebat : *Ego*, sensus hujus vocis is erat : Mea persona habens humanitatem istam ; quæ, si ampliùs declarentur, exponendo quæ esset persona Christi, hunc sensum exhibent : Ego, Filius Dei æternus, cui hæc humanitas hypostaticè unitur, et per hanc humanitatem assumptam loquens, agens. Atque non aliâ ratione intelligi potest illud, v. g., Christi Judæos alloquentis : *Ego et Pater unum sumus.* Id est : Mea persona est Dei Patris Filius ipsi consubstantialis.

Ad probat. : Fateor filiationem Christi æternam in ejus humanitate non recipi tanquàm in subjecto inhæsionis. Quomodò proprietas divina reciperetur, tanquàm in hujus generis subjecto, in humanitate quæ natura finita est? Sed non propterea est extrinseca humanitati Christi quæ ita arctè ipsi conjungitur, ut eâ compleatur in genere subsistendi. Quemadmodùm vi hujusce unionis fit ut homo Christus propriè dicatur et dici debeat Deus, Omnipotens, Creator, etc., quia homo Christus idem sonat ac persona habens humanitatem Christi, quæ persona est etiam habens Divinitatem, est omnipotens, est creator, etc. ; ita vi ejusdem unionis, homo Christus dicendus est Filius Dei æternus, cùm persona eadem ipse sit Filius Dei æternus ; adeòque reduplicatio quæcumque adhibeatur, modò, ut dictum est, à personâ Christi non abstrahatur, hæ voces, Christus ut homo, ut hic homo, aut aliâ quâvis ratione ejusmodi spectatus, significabunt

Christum, ut est Filius Dei æternus homo factus, ut est loquens, agens, patiens, etc., per humanitatem à se assumptam. Jam observavimus quòd si fieret reduplicatio, in quâ abstraheretur à personâ Christi, tunc consideraretur humanitas in se sumpta, vel ita spectaretur tanquàm unita, ut conciperetur in recto, Verbum verò, cui uniretur, spectaretur solummodò in obliquo et connotativè; quibus positis, sensus propositionis de Christo ratione humanitatis naturali Filio Dei, is esset: Humanitas Christi in se spectata, vel humanitas Christi unita hypostaticè Verbo est naturalis Dei Filius; quod simul advertimus esse falsum et fidei regulæ adversum, nec à theologis quos impugnamus admissum. Qui verò illud propugnarent, in Berruyerismum eâ de re inciderent, dissertatione sequenti confutandum.

Objicies ultimò: Adrianus, romanus pontifex, hæc Dei verba de Christo Matth. 3, 17: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*, totius Trinitatis vocem fuisse affirmat: adeòque Christum putavit esse Filium totius Trinitatis. Eatenùs porrò Filius totius Trinitatis non est, quatenùs per generationem æternam à Patre solo procedit. Ergo aliâ ratione Dei in personis trini Filius est naturalis secundùm humanitatem à se assumptam, nempe generatione gratiæ factâ in tempore. — Nego maj. Falsum est ab Adriano papâ hæc verba; *Tu es Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*, haberi ut vocem totius Trinitatis. Id unum significat ille pontifex, ex complacentiâ Patris æterni circa Jesum Christum Filium suum clarè perspici in illo eodem solius Dei Patris Filio non solùm Patrem, sed et alias etiam Trinitatis personas sibi complacuisse. *Hanc Adriani fuisse mentem*, inquit Petavius, loco citato, n. 14, *facilè, id quod mihi usu venit, animadvertet, qui locum illum attentiùs legerit, non raptim cursimque peragraverit; ut solent aliis rebus occupati.* Quod ad *generationem gratiæ* memoratam à Vasquesio, seu actionem totius Trinitatis, quâ Christo ut homini collatæ sunt tum sanctitas ipsi debita et connaturalis propter unionem humanitatis suæ hypostaticam Verbo Dei, tum possessio hæreditatis in visione Dei intuitivâ sitæ, planum est eâ non posse produci naturalem Dei filium. Vox *naturalis*, ad Filium addita, naturæ ac substantiæ communionem, non verò gratiæ solùm et hæreditariæ possessionis communicationem significat. Atque tum Scripturis, tum toti retrò antiquitati, tum etiam sensui vocum usitato repugnat ut Filius naturalis dicatur effectus seu terminus generationis gratiæ. Ejusmodi generatio gratiæ quâ produceretur Filius naturalis omnibus ignota fuit Patribus, qui gratiâ Filium distinguebant à Filio naturali, quique dùm prædicabant Christum esse Filium Dei naturalem per generationem æternam, minimè patiebantur eum gratiâ Filium illo sensu nuncupari.

Dissertatio xi.

DE NOVA FILIATIONE DIVINA AB HARDUINO ET BERRUYERO INVENTA, ET SANCTISSIMÆ CHRISTI HUMANITATI VERBO FILIO DEI ÆTERNO HYPOSTATICÈ UNITÆ AB IIS ATTRIBUTA.

Harduinus, qui meritò dictus est *orbis litterati portentum, venerandæ antiquitatis cultor et destructor*, inter varii generis errores quos *in commentario suo in novum Testamentum*, opere posthumo, Amstelodami anno 1741, apud Henricum du Sauzet edito, profert, istum sæpissimè obtrudit, Jesum Christum appellari in Scripturis Filium Dei, non quia reverà Filius Dei est æternus factus homo in tempore, sed propter unionem humanitatis suæ hypostaticam personæ uni divinæ; ita ut Jesus Christus, Filius Dei, ipsa sit ejus humanitas completa in genere subsistendi personâ unâ divinâ; quæ humanitas sic completa, propter unionem suî hypostaticam personæ uni divinæ, sit reverà et appelletur in sacris litteris verus et naturalis Filius Dei in tribus personis subsistentis. Huic commento tenaciter adhæsit fidelis ipsius discipulus Berruyerus in Historiâ gallicè scriptâ populi Dei, parte secundâ, quæ tempora à nativitate Christi usque ad Synagogæ finem elapsa complectitur, Hagæ (Parisiis) 1753, tum in tertiâ parte, seu in paraphrasi litterali Epistolarum ab Apostolis scriptarum, Amstelodami (Lugduni) 1759.

Utrumque natum *in populi seductionem potiùs quàm instructionem* declaravit summus pontifex Clemens XIII, in condemnatione tertiæ partis Historiæ populi Dei. *Ab utroque*, inquit, *sacrarum litterarum expositionis obtentu parantur incautis offendicula, et veritati catholicæ aut præjudicium infertur, aut aufertur præsidium quo potissimùm roboratur.*

Exponendum primò in quo consistat error Harduini et Berruyeri de humanitate Christi vero et naturali Filio Dei; secundò idem error est confutandus.

CAPUT PRIMUM.

Expositio erroris Harduini et Berruyeri de attributâ naturæ humanæ Christi, quatenùs Verbo unitæ, verâ et naturali filiatione divinâ.

Error ejusmodi spectari potest in se, tum relativè ad Scripturas, tum denique in ordine ad traditionem et usum Christianorum.

ARTICULUS PRIMUS.

Error Harduini et Berruyeri in se spectatus exponitur.

Profitentur magister et discipulus à se agnosci et adorari Deum unum in tribus personis, Patre, Filio et Spiritu sancto subsistentem. Aiunt secundam personam, nempe Filium Dei Patris æternum, seu Verbum Dei, in plenitudine temporum incarnatum fuisse, seu habere hanc quam assumpsit humanitatem sanctissimam sibi hypostaticè unitam in personæ unitatem. Unicam perhibent à se admitti personam in Christo, nempe personam Verbi divini, quod est Filius æternus Patris æterni, qui prima est sanctissimæ Trinitatis persona. At, dùm hæc credi jubent, iisdem multiplici ratione, ut videbitur, detrahunt, dùm Jesum Christum, id est, humanitatem Christi sanctissimam, primo conceptionis suæ instanti unitam substantialiter personæ uni divinæ in personæ unitatem, statuunt esse, secundùm veram et germanam generationis et filiationis notionem, verum et naturalem Filium Dei unius in tribus personis subsistentis, factum in plenitudine

temporum. Audiatur Berruyerus: *Secundùm veram et germanam*, inquit parte 2 Historiæ populi Dei: tomo 8, quo continentur dissertationes latinæ, edit. in-12 an. 1753, quæst. 2, pag. 48; *secundùm veram et germanam generationis filiationisque rationem, in propositione cujus subjectum et prædicatum in recto est sanctissima Christi humanitas completa Verbo in genere subsistendi, Jesus Christus Dominus noster verè dici potest et debet naturalis Filius Dei, Dei, inquam, ut vox illa,* Deus, *supponit pro Deo uno et vero, subsistente in tribus personis, agente ad extra, et per actionem transeuntem et liberam uniente humanitatem Christi sanctissimam primo conceptionis suæ instanti, cum personâ unâ divinâ, in unitatem personæ.*

Ibi tria significantur : Unum est subjectum et attributum illius propositionis in quâ Jesus Christus dicitur naturalis Filius Dei, *esse in recto humanitatem Christi sanctissimam completam Verbo in genere subsistendi.* Quo obtruditur notio illa Jesu Christi quam ab Harduino accepit. Alterum est *Jesum Christum* juxta illam eamdem notionem, id est, *humanitatem Christi sanctissimam* completam Verbo in genere subsistendi, *dici posse et debere Filium Dei naturalem, idque secundùm veram et germanam generationis filiationisque rationem.* Tertium est, Jesum Christum secundùm eamdem notionem intellectum, seu humanitatem ejus sanctissimam, esse *Filium Dei naturalem, ut vox illa,* Deus, *supponit, pro uno Deo et vero subsistente in tribus personis, agente ad extra, et per actionem transeuntem et liberam uniente humanitatem Christi sanctissimam primo conceptionis suæ instanti, cum personâ unâ divinâ.* His præcipua Harduini et Berruyeri de illo argumento thesis continetur. Cæteris hanc evolvunt et explicant, munire conantur probationibus, et excolunt.

« Memineris primò, qui legis hæc, addit Berruye-« rus, ibid. pag. 49, 50 et 51, longè aliud esse se-« cundùm prædicationem logicam, si dixeris : *Jesus « Christus est Filius Dei, quia persona divina, in « quâ* (1) *subsistit, est ab æterno Filius per actionem « Dei Patris ad intra immanentem et necessariam;* aliud « si dixeris : *Jesus Christus est Filius Dei, quia sanctis-« sima ejus humanitas genere subsistendi completur per « actionem transeuntem et liberam Dei unius et veri, « unientis sanctissimam Christi humanitatem primo con-« ceptionis suæ instanti, unione physicâ, cum personâ « unâ divinâ in unitatem personæ.* Utraque propositio « vera, pergit, pro diverso prædicandi modo et pro di-« stinctâ ratione fundandi. Prima habet pro subjecto et « prædicato personam ipsam divinam in quâ subsistit « humanitas; habet pro fundamento generationem « æternam..... Secunda propositio habet pro subjecto « et prædicato, ipsam Christi humanitatem comple-« tam in genere subsistendi; habet pro fundamento « generationem temporalem, sive actionem Dei unius « transeuntem et liberam, quâ humanitas Christi « primo conceptionis suæ instanti conjungitur physicè « personæ uni divinæ in unitatem personæ. Prima « propositio supponit et complectitur personæ unitæ « non divinitatem tantùm, sed et æternam in divinis « generationem. Secunda propositio personæ unitæ « divinitatem supponit quidem necessariò et complecti-« tur, ab æternâ verò ejusdem generatione et modo pro-« ducendi in divinis abstrahit. In primâ propositione « vox illa, *Filius Dei*, prædicatur realiter et in recto « de Verbo, Filio Patris æterno. In secundâ vox illa, « *Filius Dei*, prædicatur et realiter in recto de hu-« manitate completâ in genere subsistendi, per divi-« næ, cui unitur, personæ subsistentiam; quamvis « propositio utraque de Jesu Christo in concreto ve-« rificetur. In primâ propositione, cogitatur primò et « immediatè attingitur Verbum, seu persona divina in « quâ subsistit humanitas; persona, inquam, divina, « quæ in seipsâ non videtur oculis, sed fide creditur. « In secundâ propositione cogitatur primò et imme-« diatè attingitur humanitas sanctissima completa in « genere subsistendi, per divinæ, cui unitur, per-« sonæ subsistentiam; humanitas, inquam, quæ au-« ribus auditur, oculis conspicitur, cujus consortium « plerisque novi Testamenti scriptoribus permissum « est, cujus imago omnium menti obversabatur, dùm « scriberent, et nostrum... subit animum, dùm eorum « de Jesu Christo Domino nostro et Filio Dei scripta « legimus. »

Non poterat disertiùs significari 1°, præter eam Domini nostri Jesu Christi notionem quæ Symbolis exhibetur, nempe ipsum esse Filium Dei Patris æternum, propter nos homines et propter nostram salutem in temporum plenitudine hominem factum, aliam esse admittendam juxta Berruyerum, in eo positam quòd Jesus Christus sit ipsa Christi humanitas physicè unita personæ uni divinæ in personæ unitatem; 2° præter æternam filiationem divinam Jesu Christo competentem juxta priorem notionem, aliam quoque esse in eo agnoscendam, quæ sit ipsius humanitatis Christi completæ in genere subsistendi, et fundetur in actione Dei unius transeunte et liberâ, quâ humanitas illa primo conceptionis suæ instanti conjuncta est physicè personæ uni divinæ in personæ unitatem.

Ergone Jesus Christus dicendus est *Filius Trinitatis, Filius suiipsius, Filius Spiritûs sancti?* Non ausus est id effutire Berruyerus.

« Adverte secundò, inquit, quòd, etsi ponatur Je-« sum Christum dici et esse Filium Dei naturalem « propter actionem Dei ad extra, quæ humanitatem « hypostaticè conjungit personæ uni divinæ, non inde « sequatur quòd Jesus Christus dici debeat *Filius « Trinitatis, Filiûs suî ipsius, Filius Spiritûs sancti.* « Ratio à priori est, quòd actiones ad extra Dei unius, « etsi in sensu reali sint trium æqualiter et indivisè « personarum, non prædicantur tamen de tribus per-« sonis, Patre, Verbo et Spiritu sancto, aut de aliquâ « illarum divisim, sed de Deo simpliciter, ut unus

(1) Si vox, *Jesus Christus*, accipiatur, uti accipienda est, pro Filio Dei facto homine, dici nequit subsistere in personâ divinâ, sed dicendus est persona divina.

« est in naturâ. Sic non dicitur quòd Pater, Verbum « et Spiritus sanctus mundum creaverint, quamvis « tres reverà personæ eamdem posuerint ad extra « creandi actionem. Quoniam autem non à tribus per- « sonis agentibus, quatenùs sunt à se invicem distin- « ctæ, sed quatenùs unus sunt naturâ Deus, peracta « est mundi creatio, ideò Deus simpliciter dicitur « mundi creator. Non est ergo secundùm legitimam « prædicandi rationem Jesus Christus, sive Trinita- « tis, sive trium personarum, sive suî ipsius, sive Spi- « ritûs sancti Filius; verùm Filius naturalis et est et « propriè dicitur Dei unius in tribus personis subsi- « stentis quidem, sed secundùm naturam spectati et « ad extra agentis. »

Ut faciliùs intelligatur quid ibi velit Berruyerus, attendendum ad ea quæ ab ipso clariùs enuntiantur in unâ è suis defensionibus cui titulus : *Défense de la seconde partie de l'Histoire du peuple de Dieu contre les calomnies d'un libelle intitulé : Projet d'instruction pastorale.* Avenione, 1755, in-12, pag. 17. *Veritas est fidei*, inquit, *in Trinitate personas, ut personas, non agere ad extra. Omnia opera extra Deum, omnes actiones ad extra sunt à Deo uno subsistente in tribus personis.* In Symbolo tamen Nicæno legitur Patrem esse *factorem cœli et terræ;* per Filium *omnia facta esse*, et Spiritum sanctum *esse vivificantem et locutum per Prophetas.* Sed de refellendis erroribus Berruyeri nondùm agitur.

Aliâ adhuc utitur viâ ut filiationem illam temporalem humanitatis Christi non referat ad Trinitatem aut ad Filium aut ad Spiritum sanctum; nimirùm sic loquitur ibid. pag. 52 et 53 : « Rectè, sed per appro- « priationem, ut aiunt, Deus Pater, sive prima per- « sona dicitur Pater Jesu Christi, Hominis-Dei, Dei « et Filii, quemadmodùm rectè dicimus : *Credo in « Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli et ter- « ræ*, quia actio uniens, sicut et actio creans, est « actus omnipotentiæ, cujus attributi actiones Pa- « tri, sive primæ personæ per appropriationem tri- « buuntur, et sic frequenter Jesus Christus Homo- « Deus Dei Filius in toto Evangelio vocem hanc, *Pater*, « usurpat. »

Adverte obiter quantùm profecerit Berruyerus in legendis Harduini magistri sui commentariis! Frequenter, inquit, Jesus Christus Deus appellat Patrem in Evangelio, non quia ipse est Filius Dei Patris æternus pro nobis homo factus, sed *per appropriationem.* Verùm plura ejus interpretationum specimina magis adhuc perversa deinde afferentur.

Verùm concedit Berruyerus, quæ allatis ejus dictis consentanea planè sunt, nempe filiationem Jesu Christi temporalem de quâ agitur, cadere in ejus humanitatem, ac proinde duos esse in Christo Filios Dei. Primum expressis verbis docet, alterum non item. Fatetur tantùm Jesum Christum duplici ratione esse Filium Dei. « Per actionem, ait pag. 54 et 55, « unientem..... fit ut secunda è personis divinis, quæ « priùs erat Filius Dei, propter generationem æter- « nam, sub aliâ ratione denominetur in tempore Fi- « lius Dei propter generationem temporalem, sive « actionem Dei ad extra, quâ humanitas Christi unita « est hypostaticè personæ uni divinæ; denominatione, « inquam, cadente in humanitatem, quia unita est « Verbo, sed Verbi propriâ, quia denominationes « sicut actiones et passiones sunt suppositorum. » Adverte, quod fatetur, nempe denominationem naturalis Filii Dei quam ob prætensam generationem divinam et temporalem Christo attribuit, *cadere in humanitatem* Christi, id est, ut antea dixerat, *directè et in recto* prædicari de humanitate Christi Verbo completâ, ita ut secundùm omnem sermonis proprietatem dicendum sit : Humanitas Christi Verbo completa in genere subsistendi, est Filius Dei naturalis in tempore factus. Adverte etiam hanc eamdem Christi humanitatem personâ unâ divinâ in genere subsistendi completam appellari ab ipso Jesum Christum; ita ut eam Jesu Christi notionem obtrudat, ut usitatissimam. Cogita demùm nomen Jesu Christi esse nomen personæ, quemadmodùm nomina Pauli, Petri et alia ejusmodi personas designant, adeòque, cùm humanitas Christi Verbo in genere subsistendi completa, à Berruyero directè et in recto appelletur Jesus Christus, consequens est ab eo illi humanitati sic spectatæ attribui quidquid est personæ, solo nomine excepto; et colliges quàm falsum sit, positâ ejus doctrinâ, quàm principiis à se perpetuò inculcatis repugnet quod addit, denominationem Filii Dei, de quâ agitur, licet cadat in humanitatem Christi, esse tamen *Verbi propriam, quia denominationes et passiones sunt suppositorum.* Verissimum quidem est axioma quod hîc laudat, *denominationes*, etc., *esse suppositorum;* sed eo non efficiet denominationem quæ cadit in humanitatem Verbo unitam, quatenùs illa humanitas directè et in recto consideratur, esse Verbo propriam, ita ut de Verbo propriè prædicari debeat. Cùm itaque humanitas Verbo unita et Verbum ipsum sint duo tam distincta quàm Deus à naturâ creatâ distinguitur, patet à Berruyero non admitti tantùm secundam Trinitatis personam esse duplici ratione *Filium Dei*, sed ab ipso reverà prædicari in Christo binos filios Dei, unum æternum, nempe Verbum, alterum in tempore factum, nempe humanitatem Christi Verbo completam in genere subsistendi.

Perspexit Berruyerus corollarium aliquod è doctrinâ suâ consequens, posse scilicet credi explicitè Jesum Christum esse Filium Dei naturalem, quin plures in Deo cogitentur esse personæ. « Appellatio, *Filius Dei*, « inquit, pag. 76, 77 et 78, de quâ quæstio nostra in- « stituta est, quatenùs per nomen illud, *Filius Dei*, « præcisè intelligitur homo factus in tempore Deo Fi- « lius per unionem physicam et hypostaticam humani- « tatis suæ cum personâ divinâ, non equidem com- « plectitur in se explicitè, nec in notione suâ formali- « ter includit duo alia fidei dogmata quæ nos omnes « verè Christiani credimus, et per quorum fidem in « Baptismo fimus Christiani; sed quamvis ab illis in « conceptu suo abstrahat, adeò tamen ea non exclu- « dit, ut ad eorum fidem proximè disponat. Ea sunt,

« primum : Deum unum et verum subsistere in tribus « personis divinis, realiter inter se distinctis, eam- « dem habentibus et terminantibus naturam divinam. « Secundum, è tribus personis divinis secundam, quæ « Verbum est, produci à primâ, quæ Pater est, per « viam generationis æternæ et immanentis; unde pri- « ma est ab æterno Deus Pater, secunda ab æterno « Deus Filius. Fateor ista dogmata duo non includi « formaliter et explicitè in notione Filii Dei, qualis à « nobis describitur aut definitur. Nam si Deus nobis « non esset cognitus et revelatus, quàm eodem modo « quo, testante cum plerisque optimæ notæ doctoribus « catholicis, Bellarmino, revelatus erat et cognitus Ju- « dæis, id est, sub notione Dei unius omnipotentis, « creatoris, judicis, remuneratoris, vindicis, patris ho- « mines adoptantis et sibi intuitu meritorum Messiæ « Filii sui reconciliantis, non ideò minùs credi posset « et oporteret revelanti Deo Jesum Christum esse ve- « rum naturalemque Dei Filium, per veram et physi- « cam unionem sanctissimæ suæ humanitatis cum Deo « sic cognito et revelato in unitatem personæ. »

En ergo Filius Dei verus et naturalis cujus denominatio cadit in Christi humanitatem personâ unâ divinâ completam, qui ita distinguitur à Filio Dei æterno, ut quidquid ad sinceram ejus notionem pertinet, ab eo credi possit qui planè ignorat plures esse in Deo personas, quarum una sit Deus Pater, altera Deus Filius. Cæterùm, nec Bellarminus, neque alii optimæ notæ theologi catholici, sentiunt quæ ipsis inscitè vel infideliter adscribit Berruyerus. Sed hæc ad hunc locum non spectant. Legatur Bellarminus libro secundo de Christo, capite 6.

Aliud corollarium deducit Berruyerus, quod beatæ Mariæ Virgini Deiparæ honorificum existimat. « Inde « concludas, ait pag. 55, Mariam Virginem et Matrem « Dei, quæ nihil contulit Verbo, ut sit æternus et natu- « ralis Dei Filius ante Incarnationem, aliquid de suo « contulisse, ut dicatur, sub novâ ratione, Filius Dei « naturalis, jam ab ipso suo conceptu in sinu et de « sanguine Virginis. Unde concludas... quòd ipsa Vir- « go Mater quæ unico titulo mater est Dei sive Dei- « para, quia Deum hominem factum verè concepit et « peperit, gemino titulo diceretur et esset mater Filii « Dei, 1° quia concepit ac genuit Verbum quod est ab « æterno Filius Dei Patris ; 2° quia concepit de suo se- « mine et sanguine humanitatem sanctissimam, in « quam, propter unionem suam hypostaticam cum « personâ unâ divinâ, cadit ista denominatio : *Filius Dei*. »

Ita quidem benè concluditur. At conclusio illa ab errore deducta, noceret ipsi titulo Deiparæ qui beatæ Virgini debitus est. Etenim humanitas, *in quam*, juxta Berruyerum, *cadit illud nomen, Filius Dei*, et quæ, juxta eumdem, directè et in recto appellanda est Jesus Christus, suppositi seu personæ profectò vices gerit, quo posito induceretur Nestorianismus, titulo Deiparæ, beatæ Mariæ Virginis attribuendo infensissimus.

Neque existimes, cùm eò loci observamus, quod jam supra annotatum est, nempe humanitatem Christi sanctissimam, juxta Berruyerum, *suppositi seu personæ* vices gerere, à nobis ipsi affingi quidem quod verbis æquivalentibus significârit, sed tamen hoc ipsum ab eo nunquàm fuisse conceptis terminis dictum. Scilicet, non modò sententiam, quam illi attribuimus perpetuè, ut vidimus, declarat, sed et vocem ipsam alicubi adhibet magistrum suum Harduinum imitatus. Pag. 109, explicans aut potiùs ad pravum sensum suum detorquens illud Apostoli, Rom. 1, 3 : *De Filio suo qui factus est ei* (Deo) *ex semine David secundùm carnem*, hæc habet : « Verba, ut jacent, in obvio et nativo « sensu nullâ formidine interpretare de Jesu Christo « Deo et homine, qui ex semine David per Mariam in « Filium suum derivato, factus est in tempore Deo uni « et vero Filius secundùm carnem; intellige dicta INSTAR SUPPOSITI ET IN MASCULINO GENERE DE SANCTISSIMA CHRISTI HUMANITATE, quæ superveniente Spiritu « sancto in Mariam, et virtute Altissimi ei obumbrante, « conjuncta est in tempore cum personâ unâ divinâ, « unione reali, physicâ et substantiali in unitatem per- « sonæ et individuam societatem naturæ. » Ipsi præiverat magister ejus Harduinus, Commentariis in Novum Testamentum, annotatione ad versiculum 4 capitis 1 Epistolæ ad Romanos, paginâ 433, ubi sic loquitur : « Humanitatis nomine, non naturam huma- « nam intelligimus sejunctam à donis habitualibus ac- « tualibusque gratiis ad agendum necessariis, sed in- « dividuum naturæ humanæ iisdem instructissimum « et completum in ordine ad actus suæ naturæ, suoque « muneri convenientes producendos; quod propterea « in prædicatione logicâ INSTAR SUPPOSITI ET MASCULINO « GENERE verè et propriè dicitur ab Apostolo : *Qui præ- « destinatus est, qui factus est.* »

Hinc Berruyerus multis in locis, secundâ et tertiâ parte Historiæ populi Dei, asserere non dubitat Jesum Christum esse Filium Dei propter unionem humanitatis suæ hypostaticam cum personâ unâ divinâ. Quod, ut sonat, fidei contrarium est, quâ constat Jesum Christum idcircò esse Filium Dei, quia persona in quâ ejus humanitas subsistit, est Filius Dei æternus; in sensu autem Berruyeri significat Christi humanitatem personæ uni divinæ hypostaticè unitam, verum et naturalem esse Filium Dei, quia perso næ uni divinæ hypostaticè conjuncta est; quod perinde fidei adversatur. Hinc etiam eò processit, ut Jesum Christum, seu humanitatem ejus sanctissimam personæ unâ divinæ unitam, statuerit fuisse hâc unione Deum, ita ut omnia jura Dei, natura ipsa Dei, omnia ejus attributa per hanc unionem effecta illi fuerint propria. Unum referre sufficiat eâ de re ejus dictum super versiculis 5, 6 et 7 capitis 2 Epistolæ ad Ephesios : *Hoc sentite in vobis*, ait Apostolus, *quod et in Christo Jesu, qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit*, etc.; hæc Apostoli verba Harduino duce ita commentatur Berruyerus : *Puisque vous portez le nom de Chrétiens*, inquit, *efforcez-vous de former dans vos cœurs les mêmes sentiments, dont fut toujours animé celui de Jésus-Christ votre modèle et votre maître; il était Dieu, vous le savez; l'union de*

sa sainte humanité avec une personne divine lui rendait propres tous les droits, comme la nature et tous les attributs de Dieu.... Avoir été fait égal à Dieu, dès le premier moment de sa conception, ce fut pour lui le comble de sa gloire; mais il ne s'en fit jamais une raison de violence, d'usurpation et de rapine. Bien loin d'en user de la sorte, lui qui était riche et qui avait, dans la dignité infinie de sa personne, un droit inaliénable sur toute la gloire de ce monde, il s'est fait pauvre pour l'amour de vous.

Concludam hunc articulum referendo summarium doctrinæ Berruyeranæ, quam exhibet unus ex ejus defensoribus: *Dans l'Incarnation, la communication de la nature divine se fait par le moyen de l'union hypostatique de la personne, qui, n'étant nullement même* PER MENTEM *distinguée de la nature, opère l'union réelle et physique des deux natures; mais sans confusion et sans mélange, jusqu'au point cependant d'opérer la communication des idiomes. Union réelle et effective, produite dans le temps par l'opération de Dieu, et qui fait en Jésus-Christ de deux natures, ainsi unies en unité de personne, un seul composé théandrique, un vrai Fils de Dieu. C'est ce qui autorise le père Berruyer à dire que Jésus-Christ, ou même la nature humaine en Jésus-Christ, en tant qu'unie réellement et physiquement à la nature divine, a contracté avec Dieu un en nature, subsistant en trois personnes, la relation ou dénomination de Fils de Dieu. Voilà l'exposé simple de deux dissertations.*

ARTICULUS II.

Error Harduini et Berruyeri circa filiationem divinam humanitati Christi ab iis attributam, relativè ad Scripturarum interpretationem spectatus, exponitur.

Modò expositas notiones Jesu Christi, et Jesu Christi Filii Dei ante Harduinum inauditas, exhibet Berruyerus duce magistro, non tanquàm partum aliquem subtilioris cujusdam considerationis et præcisionis in aliquibus scholis natum, et scholis ejusmodi subtilitates plus æquo venantibus relinquendum; sed tanquàm planè necessarias ad litteralem et germanam intelligentiam librorum novi Testamenti, imò tanquàm semper in animo habendas et perpetuò substituendas quotiescumque in Scripturis seu novi seu veteris Testamenti mentio occurrit, quocumque modo, seu Jesu Christi, seu Jesu Christi Filii Dei: « Eo sensu, inquit, « pag. 96, 97 et 98, intelligenda sunt omnia; aut, ne « quid nimis dixisse videar, ferè omnia, quæ de Jesu « Christo Filio Dei à scriptoribus sacris in tertiâ per- « sonâ narrantur aut pronuntiantur; omnia aut ferè « omnia quæ in illorum scriptis de se ipso Jesus Chri- « stus Filius Dei in primâ personâ loquens dixisse perhibetur. Historiam Domini nostri Jesu Christi scri- « ptores sacri conscribendam susceperunt; historiam « nempe hominis illius quem viderant secum conver- « santem. Hunc ipsum Dominum suum proprio sibi « nomine in sanctissimam ejus humanitatem personæ « uni divinæ conjunctam cadente, Filium Dei, quem- « admodùm et *Jesum et Christum*, et *Dominum et Sal-* « *vatorem* vocabant. Adeò ut ab ipsis sanctissima et « sibi cognita Christi humanitas, quæ scribentium re- « currebat memoriæ semper aut ferè semper, in recto « appellaretur, humanitas, inquam, Christi sanctissi- « ma ut est in genere subsistendi, per divinam per- « sonæ divinæ subsistentiam completa, et quæ, ut ta- « lis operationum omnium est principium elicitivum, « omnium passionum est subjectum immediatum; « propositionum omnium denique objectum est in se « et directè apprehensum; humanitas demùm sanctis- « sima quæ personæ uni divinæ conjuncta in unitatem « personæ recipit in se fundamentum relationis se- « cundùm quam dicitur Christus, Filius Dei... Si Je- « sum Christum Filium Dei, de se in Scripturis lo- « quentem, vel scriptores sacros Jesu Christi Filii « Dei dicta aut facta narrantes, non sic perpetuò in- « tellexerimus, nos in historiâ evangelicâ, cæterisque « novi Testamenti libris, hospites semper oportet esse « et peregrinos. » Adverte hoc loquendi modo auctoris, *omnia, aut, ne quid nimis dixisse videar, ferè omnia*, non temperamentum, sed meram reticentiam exhiberi. Noluit Berruyerus statim proferre apertè quæcumque cogitabat, deinde audentior factus, reverà nihil excipit. In hoc ipso ejus contextu versùs finem jam restrictè non ampliùs loquitur, vocabulum adhibet, *perpetuò*, sine ullâ circumscriptione. Paulò post medium, ait humanitatem sanctissimam personâ unâ divinâ in genere subsistendi completam, *propositionum omnium esse objectum in se et directè apprehensum*.

Si quis verò forsitan suspicetur nos in eo Berruyeri loco interpretando æquitati non satis consulere, ad sequentia attendat. « Jesus Christus Dominus noster, « inquit quæst. 1, pag. 3, 4 et 5, in plenitudine tempo- « rum existens, ante promissus per prophetas in « Scripturis sanctis, qui factus est Deo Filius ex semi- « ne David secundùm carnem, qui prædestinatus est « Filius Dei; sive, quod idem est, Jesus Christus Ho- « mo-Deus, vel humanitas illa Christi sanctissima pri- « mo conceptionis suæ instanti unita substantialiter « personæ uni divinæ in unitatem personæ, objectum « est in recto SINGULARUM propositionum, quæ sunt « in novo præsertim Testamento, de Domino nostro « Jesu Christo; vel cùm Christus de se ipso loquens « indicitur; vel cùm de Christo Deus loquitur; vel « cùm scriptores sacri aliquid enuntiant de Christo « proposito sibi scriptionum suarum argumento. Bre- « viùs: Propositiones quæ sunt in Scripturis sanctis « de Domino nostro Jesu Christo, de illo directè præ- « dicantur, et in eo simpliciter verificantur secundùm « sanctissimam ejus humanitatem natam ex Virgine « Mariâ naturæ divinæ substantialiter unitam, et Verbo « divino completam in ratione personæ.

« Evangelium à Matthæo, à Marco, à Lucâ, à Joanne « compositum, Evangelium est Jesu Christi Domini, « Hominis-Dei. SEMPER, CONTINUÒ ET UBIQUE, illa sa- « crosancta Evangelia habent pro objecto, in recto, « Jesum Christum Hominem-Deum, in tempore exi- « stentem, ab æterno prædestinatum, et factum in ple- « nitudine temporum Deo Filium secundùm carnem,

« qui Jesus Christus, Dominus noster, Homo-Deus, est « compositum illud theandricum in tempore existens, « sive humanitas illa Christi sanctissima, unita primo « conceptionis suæ momento per actionem Dei trans- « euntem et liberam personæ uni divinæ in unitatem « personæ.

« Hoc illud est, addit, objectum unicum ET PERPE- « TUUM, quod propositum sibi habent Evangelistæ om- « nes, dùm historiam scribunt Domini nostri Jesu « Christi (dùm ejus characteres), prærogativas, di- « cta, facta, passiones, institutaque litteris commen- « dant...

« Quæ de Evangelistis dicimus transferenda sunt, « pergit pag. 8, ad Petrum, Paulum, Joannem, Ja- « cobum, Judam, Actuum auctorem, OMNES deni- « que novi Testamenti scriptores, QUOTQUOT sunt, « QUOTIESCUMQUE vel de Jesu Christo loquuntur, vel « Christum de se ipso loquentem Deum inducunt. « Quin et idem OMNINÒ censendum est de omnibus « veteris Testamenti scriptoribus, quoties de futuro « Messiâ, Jesu Christo, prophetant. »

Liquet sanè ab eo disertiùs significari non potuisse nullum omninò in sacris litteris occurrere dictum de Jesu Christo et de Jesu Christo Filio Dei, quod non debeat intelligi directè et in recto de ejus humanitate sanctissimâ uni personæ hypostaticè unitâ in personæ unitatem. Itaque, cùm Berruyerus alibi ait, *omnia, aut, ne quid nimis dixisse videar, ferè omnia*, ipsi animus non fuit ut ullam generatim à se pronuntiatis veram restrictionem adhiberet. Alibi iisdem vocibus alicui temperamento exprimendo idoneis etiam utitur, sed alio sensu. « Dico itaque, inquit ibid. pag. 18 et « 19, propositiones ferè omnes quæ sunt de Jesu Chri- « sto in Scripturis sanctis novi præsertim Testamen- « ti, habere pro objecto in recto Hominem-Deum, « sive humanitatem Christi in Verbo subsistentem. « Dico insuper omnes et singulas ejusmodi proposi- « tiones à Christo Dei Filio et à Deo Christi Patre « et à scriptoribus sacris prolatas semper et ubique « verificari directè et primò in Homine-Deo, sive in « humanitate Christi Divinitati unità et Verbo com- pletà in ratione personæ, nisi, quando propositio- nes quæ habent pro subjecto in recto compositum « illud theandricum, habent pro prædicato attributum « aliquod, quod vel naturæ divinæ, ut natura divina est, « vel naturæ humanæ, ut est natura humana, essentiali- « ter convenit; v. g.: Jesus Christus est Deus, Jesus « Christus est homo. Reliquæ, quotquot sunt (et « tales sunt ferè omnes), verificantur in Jesu Chri- « sto Homine-Deo, quia mixtæ sunt et resultant ex « unione factà in tempore humanitatis Christi san- « ctissimæ cum personâ unâ divinâ in unitatem per- « sonæ: quod est scriptorum omnium novi Testa- « menti objectum in recto ferè perpetuum. Atque hæc « esto simplex, obvia, naturalis, Scripturas inter- « pretandi methodus, sumpta ex loquentium scri- « bentiumve personarum fine et objecto. »

Dixi vocem illam *ferè*, in illo loco ad aliud attinere quàm in contextu quem in isto articulo primum retulimus. Hìc Berruyerus triplex genus propositionum distinguit, quæ omnes, sine ullà exceptione, habent juxta ipsum pro subjecto sanctissimam Jesu Christi humanitatem Verbo completam; aliquas solùm ex iis observat non habere pro prædicato eamdem sanctissimam humanitatem ita consideratam, eas ni mirùm quæ habent pro prædicato naturam divinam, ut est natura divina, aut naturam humanam, ut est natura humana, aut attributum aliquod *alterutri ejusmodi naturæ essentialiter conveniens*. V. g., cùm dicitur in Scripturis: Jesus Christus est Deus, Jesus Christus est homo, humanitas Christi Verbo completa in genere subsistendi, est quidem ex ipso subjectum ejusmodi propositionum, sed non est earum prædicatum seu attributum; nempe, cùm dicitur: Jesus Christus est homo, sensus est: Natura Christi humana personæ uni divinæ hypostaticè unita, est vera natura humana. Tertii verò generis propositiones (et tales sunt ferè omnes) habent in recto pro subjecto et prædicato humanitatem Christi sanctissimam personæ uni divinæ unitam. V. g., Christus passus est pro hominum salute, habet tam pro attributo quàm pro objecto in recto humanitatem sic unitam. Nempe dici potest ex Berruyero: Humanitas in personâ unâ divinâ subsistens, est passa pro hominum salute, vel est humanitas in Verbo subsistens passa pro hominum salute. Sic conciliantur quæ hìc profert Berruyerus, cum iis quæ antea dixerat generalissimè de objecto propositionum quæ in Scripturis sacris de Jesu Christo leguntur, cum hoc solùm discrimine, quòd eò loci nomine objecti subjectum et prædicatum propositionis comprehendat; antea verò nomen objecti ab eo generaliùs fuerat acceptum, ita ut quod est subjectum propositionis, ejus objectum quoque ab eo diceretur.

Verùm, inquies, quomodò Berruyerus hoc intelligit quod reverà ab ipso dicitur, subjectum propositionis de Jesu Christo, habentis *pro prædicato attributum aliquod naturæ divinæ essentialiter* conveniens, v. g., Jesus Christus est Deus, esse tamen compositum quod theandricum appellat, seu esse humanitatem Christi personâ unâ divinâ in genere subsistendi completam? Numquid ita desipuit, ut aliquo vero sensu cogitaverit dici posse: Humanitas Christi sic completa, est Deus? — Quisquis sis, qui ad hæc adstupescas, Harduini deliriis non es assuetus. Specimen aliquod ejus commentorum oculis tuis subjiciendum est. Is in jam citato Commentario suo in novum Testamentum pag. 307, annotatione ad illud Joannis 14, 28: *Pater major me est*, sic habet: « Loquitur in Christo Deo et ho- « mine individuum naturæ humanæ unitum personæ « Verbi, ac Deum Patrem majorem sese prædicat, « æquale se ei hoc ipso dicto significat. Major enim « non dicitur, nisi qui sit ejusdem ordinis cum eo cui « opponitur... Unus homo (dicitur) major altero, « ætate, exempli gratiâ, nobilitate, dignitate aut po- « testate...; major aut æqualis non dicitur nisi de duo- « bus individuis ejusdem ordinis. Verbum non est « propriè æquale Patri, quia non est individuum distin-

« ctum à Patre, sed est unum cum Patre, quamvis sit « suppositum realiter distinctum à Patre. Individuum « autem quod est assumptum à Verbo habet Patrem « se majorem, quia Pater Deus est per ipsam suam « naturam, individuum autem assumptum Deus est « tantùm per hypostaticam unionem cum Verbo, quæ « facit illud individuum æquale Deo, ut loquitur Apo- « stolus Philipp. 2, 6. Sic illa vox : *Pater major me « est*, probat Verbum esse unitum humanæ naturæ « individuo, quod factum est per illam unionem æqua- « le Deo, quamvis subjectum Deo et Patri et majori, « quippe Deo per naturam. »

Jam retulimus commentarium Berruyeri super versiculo 6 capitis 3 Epistolæ ad Philippenses, quo patet ipsum magistro in omnibus adhærentem sentire pariter Jesum Christum, seu individuum naturæ humanæ Christi Verbo unitum, hâc unione consecutum esse omnia Dei jura, ejus naturam, omnia attributa, et factum esse æquale Deo. Aliæ ejusdem generis interpretationes ipsius deinde procul dubio occurrent.

Ergone, inquies, nullum existimat in Scripturis sacris contineri testimonium quo Mysterium sanctissimæ Trinitatis et æterna generatio Verbi divini proponantur et comprobentur? Audiamus eum eâ de re disserentem? « Dominum Jesum Christum, inquit ibid. « pag. 78, esse verum naturalemque Dei Filium, se- « cundùm notionem quæ neutrum ex memoratis mys- « teriis (Trinitatis, nempe, personarum in Deo et « æternæ generationis Verbi) includeret formaliter, « hoc ipsum est profectò, quod Christus ipse creden- « dum Judæis proponebat, et à Prophetis promissum « asserebat, et miraculis suis verum esse comproba- « bat. Nam quid aliud intelligerent Judæi, cùm se « Christus, homo ille, quem auribus audiebant, et con- « spiciebant oculis, Filium Dei diceret, ac credi vellet, « antequàm proposuisset explicitè credendum verum « Deum et unum subsistere in tribus personis realiter « distinctis, Patre, Verbo, et Spiritu sancto, quarum « prima Pater est ab æterno, secunda ab æterno Fi- « lius. Eo sensu dixit Jesus Christus se, quem vide- « bant, quem audiebant, quem interrogabant, quem « poterant contrectare sui temporis Judæi, esse ve- « rum Dei Filium, quo sensu Messiam futurum esse « Filium Dei debebant credere Scripturis prænuntian- « tibus, ante Christi adventum Israelitæ veteres, qui- « bus nondùm revelatum erat, Deum suum verum et « unum subsistere in tribus personis realiter distin- « ctis, quarum prima esset ab æterno Pater, secunda « ab æterno Filius. »

Itaque juxta Berruyerum ex dictis Christi in Evangelio de duobus illis mysteriis nihil colligi potest. Sed universaliùs loquitur pag. 164 et 165, exponens quis fuerit publicæ Christi et Apostolorum prædicationis scopus : « Jesus Christus, dùm viveret, inquit....., id « in se suscepit ut gentem suam ad pœnitentiam hor- « taretur, moneret advenisse regnum Dei, imminere « Jerosolymorum ruinam...; se verum esse Messiam, « legislatorem novum, Emmanuel, sive Filium Dei « Patribus promissum..... persuaderet, atque adeò « Christum illum, cui mysteria regni sui cœlestis sin- « gula Apostolis suis revelanti ac per eos promulganti « credendum esset. Similiter Evangelistarum et Apo- « stolorum, dùm scriberent aut prædicarent, finis pri- « marius is erat, ut Jesum Christum Messiam esse « probarent, qualiscumque, quantusque à Deo per « Prophetas genti suæ fuerat ostensus (verum et na- « turalem Filium Dei) à Deo missum ut Mosaicæ legi « finem imponeret, novum et perfectiorem cultum in- « duceret, excellentiorem adoptionem, omnibus com- « munem gentibus in se ipso efficeret...; unde, quem- « admodùm Christus de se ipso usurpare solitus erat, « ita et Apostoli, dùm de Christo loquuntur et scri- « bunt, semper in recto *virum illum* appellant, qui « inter Judæos ex Mariâ Virgine natus, oculis eorum « observatus fuerat, eos docuerat, coram eis miracula « patrârat, ab ipsis passus fuerat, et occisus resurre- « xerat tertiâ die, et cœlos conscenderat. *Virum hunc* « primò et in recto, sicut dicunt, *Dominum et Christum « esse factum à Deo* Abraham, Deo Isaac, Deo Jacob, « Deo Patrum suorum, affirmant *Filium* verum et na- « turalem... Sic cæteri omnes Evangelistæ ac novi « Testamenti scriptores. Hoc primum scilicet edocen- « di erant Judæi, ad mysteria trium in Deo uno per- « sonarum, Verbi ab æterno geniti, et cætera religio- « nis christianæ dogmata, deinceps privatâ magistro- « rum suorum institutione, evehendi. »

Ex mente igitur Berruyeri, Christus de mysterio trium personarum in Deo quarum prima sit Pater æternus, altera Filius æternus, et de generatione æternâ Verbi, *dùm viveret*, nullam in suis sermonibus mentionem fecit, pariter Evangelistæ et Apostoli in scriptis suis et in prædicationibus de iisdem mysteriis ita siluerunt, ut duo illa mysteria et cætera religionis christianæ dogmata *privatæ institutioni* reservarent. Quàm dissimilis ille à sanctis Ecclesiæ doctoribus, qui adversùs varii generis hæreticos illa duo mysteria impugnantes decertârunt, totque Scripturarum sacrarum testimoniis eadem invictè demonstrârunt!

Ita obstinato animo apud se, Harduino duce, constituerat nomen *Filii Dei*, aut etiam *Filii Dei Patris*, nullo in loco Scripturarum accipi ad significandum Filium æternum Dei Patris æterni primæ personæ, nullamque in iis fieri mentionem generationis æternæ Verbi divini, ut non erubuerit ista scribere, pag. 105 : « Joannes Evangelista, qui dicere poterat verò : *Filius « Dei caro factus est*, quoniam Verbum, quod in tem- « pore carnem assumpsit, est ab æterno Filius Patris, « ab illâ loquendi formulâ abstinuit; ideò videlicet « quòd eo quo scribebat tempore divinus Theologus, « appellatio illa, *Filius*, secundùm usum Christiano- « rum communem, appellabat in recto sanctissimam « Jesu Christi humanitatem per operationem Spiritûs « sancti transeuntem et liberam, personæ uni divinæ « unione substantiali conjunctam in unitatem personæ « et divinæ consortium naturæ; adeòque si diceret « Joannes : *Filius Dei factus est caro*, dicere ex usu « loquendi crederetur humanitas Christi, sive Chri- « stus-Homo factus est homo; quod quàm ineptum

« sit, et scriptore sacro indignum, nemo est qui non « sentiat. »

Tempore igitur quo S. Joannes Evangelium scripsit, id est, anno æræ vulgaris 96, ut sentiunt communiter chronologi, aut saltem juxta ipsum Berruyerum, pag. 150, paulò ante annum 70, is erat usus Christianorum ut vox, *Filius Dei*, significaret in recto sanctissimam Christi humanitatem personæ uni divinæ unitam, abstrahendo à trinitate personarum in Deo, quarum una sit Pater æternus, et secunda Filius æternus Patris æterni.

Fatendum tamen alicubi auctorem observâsse, pag. 150, *mysterium trium in Deo uno personarum realiter inter se distinctarum, et eamdem habentium naturam, satis exprimi capite quinto Epistolæ primæ sancti Joannis versu* 7, *his verbis* : « Tres sunt qui testimonium « dant in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et « hi tres unum sunt. » Dicit quoque *secundæ personæ divinitatem et incarnationem benè his verbis declarari Joan.* 1 : « Et Verbum erat apud Deum, et Deus erat « Verbum... et Verbum caro factum est. » Verùm 1° nihilominùs existimat nullo in loco Scripturarum exprimi Verbum seu secundam personam esse Filium Dei. Cùm profitetur Verbum esse à Patre primâ personâ ab æterno genitum, non ideircò illud dicit, quòd in Scripturis doceatur, sed quia idipsum ex traditione et Ecclesiæ documentis accepit. 2° Duo illa testimonia leguntur, unum in Evangelio sancti Joannis, alterum in primâ ejusdem Epistolâ. *Scripta* autem *sunt hæc*, inquit..... *paulò ante ultimum Judaicæ gentis excidium*, quod contigit anno 70, imò, juxta communem ac certam chronologiam, nonnisi versùs finem primi seculi exarata sunt. Unde patet quàm serò, ex ejus sententiâ, hujusmodi mysteria in scriptis et quidem unius solùm Apostoli consignata fuerint. 3° Ita Berruyerus quæ versus illos sequuntur aut antecedunt, interpretatur, ut iis omnem adimat vim probandi seu mysterium trium in Deo uno personarum distinctarum, seu divinitatem et incarnationem Verbi. Enimverò vocibus, *Filius Dei*, qui in eodem capite 5 sæpè occurrunt, nempe versibus 5, 9, 10, 11, 12, 13, 20, contendit significari in recto sanctissimam Christi humanitatem unitam, seu, ut ipse loqui amat, Hominem-Deum, per hanc unionem factum Filium Dei unius, qui juxta fidem catholicam in tribus personis subsistit. Vult ergo ejusmodi versiculis significari Deum unum esse alio sensu Patrem Jesu Christi, quàm cùm Pater dicitur prima persona Trinitatis. Ergo dat ansam Socinianis jure ac meritò respondendi in versiculo septimo : *Tres sunt*, etc., nomen *Patris* pariter intelligendum esse de Deo uno et eâdem ratione considerato, quâ juxta ipsum est Pater Christi. Quo posito, nullius efficaciæ redderetur versus septimus ad trinitatem personarum in Deo comprobandam. Consule determinationem seu censuram sacræ Facultatis Parisiensis ad propositiones XLIII, et CXXXVIII.

Quod ad versiculos capitis 1 Evangelii sancti Joannis : *Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum... et Verbum caro factum est*, eis perinde omne robur interpretatione suâ detrahit. Scilicet contra apertam Evangelistæ mentem vult subjectum primæ pericopæ versiculi primi, *in principio erat Verbum*, esse pronomen, ille, quod referatur ad Jesum Christum in titulo memoratum. Adeò ut sensus sit, Evangelium Jesu Christi secundùm Joannem. Ille (Jesus Christus), id est, ex ejus mente, humanitas Christi, personæ uni divinæ unita, *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum*. En quod Christus seu humanitas Christi in personâ unâ subsistens, *erat in principio apud Deum*. Deinde nihil immutat quidem in vocibus : *Et Verbum caro factum est*, sed ista, *et habitavit in nobis*, ex ejus sententiâ dicuntur in recto de humanitate Christi unitâ personæ uni divinæ, ut et reliquum versiculum decimum quartum. His verò et aliis commentis ita versiculos primos quatuordecim capitis 1 Evangelii secundùm Joannem perturbat et contorquet, ut nonnisi sensus fidei nocivos spirent. Videatur censura sacræ Facultatis Parisiensis ad propositionem LII.

ARTICULUS III.

Idem error Harduini et Berruyeri relativè ad traditionem consideratus explicatur.

Enarravimus articulo præcedenti juxta Berruyerum hunc fuisse Christianorum primo seculo, et dùm viverent Apostoli, *usum communem, ut appellatio illa*, Filius Dei, *appellaret in recto sanctissimam Jesu Christi humanitatem, per operationem Spiritûs sancti transeuntem et liberam, personæ uni divinæ unione substantiali conjunctam in unitatem personæ et divinæ consortium naturæ;* atque hunc usum eo ævo ita fuisse apud Christianos receptum, ut Joannes dicere debuerit : *Verbum caro factum est*, non verò Filius Dei factus est homo ; *quia si dixisset* : Filius Dei factus est caro, *dicere ex usu loquendi creditus fuisset : Humanitas Christi, sive Christus-Homo factus est homo; quod quàm ineptum sit et Scripturæ sacræ indignum, nemo est qui non sentiat.*

Inde verò quid in ordine ad traditionem ipsam circa eamdem notionem Jesu Christi Filii Dei consequatur, jam exponendum venit. Utemur verbis sacræ Facultatis : « Hâc propositione (quæ est XLVI), magis ac magis, inquit, innotescit perversitas novi systematis auctoris. Si nomina, *Jesu Christi, Christi-Hominis et Filii Dei*, tum apud auctores sacros, tum secundùm usum Christianorum primi seculi, nihil aliud significabant nisi humanitatem Christi sanctissimam personæ uni divinæ unitam; undenam ortum ducit ille ejusmodi vocum sensus, qui exprimitur in symbolis, in catechismis, in omnibus SS. Patrum scriptis? Undenam oritur ipsa fides catholica de Christo, quæ illis vocibus alligatur et transmittitur? Siquidem *fides ex auditu*, ut ait Apostolus. In fidei ergo Symbolo quod Apostolorum dicitur, quodque ab ipsis Ecclesia catholica accepit, hæc verba : *Credo... in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Mariâ Virgine, passus sub Pontio Pilato*, etc., hunc Apostolorum tempore habuerunt sensum : *Credo... in sanctissimam Jesu Christi humanitatem, per operationem*

Spiritûs sancti transeuntem et liberam, personæ uni divinæ unione substantiali conjunctam in unitatem personæ et divinæ consortium naturæ; quæ humanitas hâc unione est facta in tempore Filius Dei unius et verè in tribus personis subsistentis; facta est etiam in tempore Dominus noster, potestate acceptâ à Deo; concepta est de Spiritu sancto, nata ex Mariâ Virgine, passa sub Pontio Pilato, etc. « Cùm verò illa ipsa humanitas ex auctore sit Filius Dei unius et veri in tribus personis subsistentis, necesse erit primum hujus Symboli articulum : *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem*, Jesu Christi Domini nostri, qui nempe sequente articulo dicitur *Filius ejus unicus*, intelligi non de Patre, *primâ Trinitatis personâ, quæ* ab æterno Verbum seu Filium generat, sed de Deo uno et vero in tribus personis subsistente. Quod verò deinde concipiendum erit ejusdem Symboli verbis significatum : *Credo in Spiritum sanctum*, qui post humanitatem Christi nominatur, nondùm appellatâ, in recto secundâ, neque etiam distinctè primâ? Quis Christianus feret ad ejusmodi sensus blasphemos detorqueri ipsummet Symbolum, quo à pueritiâ omnes primùm erudiuntur? »

« Ad hæc, si nomina *Jesu Christi, Christi-Hominis, Filii Dei*, seculo quo Apostoli vixerunt, appellabant « humanitatem Christi sanctissimam, etc.; si Symbolum Apostolorum secundùm illum Christianorum « communem usum accipiebatur, idem sanè usus « perseverare debuit secundo seculo et posterioribus, « donec tandem aboleretur penitùs, nec ulla superesset ejusmodi usûs et significationis memoria. Proferatur ergo vel unum alicujus antiqui scriptoris secundi aut tertii seculi testimonium in quo indigitetur « sensus ille quem mentibus lectorum instillare auctor « satagit. Enarretur quandonam et quomodò tanta « mutatio de sensu ipso Symboli omnibus ab infantiâ « traditi et explicati contingere potuerit? Quas con« certationes in Ecclesiâ innovatio illa excitaverit? « Quæ concilia eâ de re habita sint. » etc.

« Symbolum Nicænum nihil est aliud quàm ipsum « Symbolum Apostolorum expositionibus auctum et « illustratum necessariis adversùs diversi generis hæ« reticos, præsertim Arianos. In hoc Symbolo dicitur, « ut omnes nôrunt : *Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem... et in unum Dominum Jesum Christum « Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia « secula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verùm « de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem « Patri, per quem omnia facta sunt.* Hæc ita aperta sunt « ut nemo putaverit ea ad sensum auctoris posse « transferri. Aususne esset auctor accusare Patres « Nicænos de immutato sensu quem suo Symbolo Apo« stoli expresserant, quem, iis docentibus, concepe« rant fideles primi seculi? »

Cæterùm, neque Symbolum Nicænum, neque illud quod nomine sancti Athanasii circumfertur, neque etiam Symbolum Apostolorum sensu suo explicare Berruyerus tentavit. Verùm aliâ viâ progreditur, ut suam Jesu Christi Filii Dei notionem ad nos usque, traditione transmissam commemoret. Nimirùm in formâ ipsâ Baptismi, in verbis signi crucis comitibus, in benedictionibus, in doxologiis, quibus Psalmi et hymni terminari solent, in clausulis quibus orationes Ecclesiæ plerumque finiuntur, is sine hæsitatione contendit, et ut certum asserit voces *Jesu Christi, Filii Dei* esse intelligendas et ab omnibus Christianis eo intelligi sensu quem scriptoribus sacris ipsique Christo affingit. Cùm autem ejusmodi interpretationum portenta omnem fidem superent, verba ipsius referenda sunt. Et primùm de Baptismi formâ.

« Quæro, inquit pag. 150, 151, 153, 154, cur forma « Baptismi cæterorumque sacramentorum nulla sit et « invalida, si conferantur *in nomine Patris et Verbi et « Spiritûs sancti*, Verbi nomine nomini *Filii* subrogato? « Ideò procul dubio quòd janua religionis christianæ non « est unica fides mysterii contenti in tribus personis rea« liter distinctis, quæ sunt unus Deus; quarum prima « *Pater* est ab æterno producens Verbum; secunda *Verbum* est ab æterno productum, sive generatum à Patre; « tertia est *Spiritus sanctus* à Patre et Verbo, sive *Filio* ab æterno procedens; quod mysterium hactenùs « absconditum hominibus, à Jesu Christo Filio Dei « primò revelatum est, et paulò post ab Apostolis « explicitè traditum sponsæ Christi Ecclesiæ, à quâ « perpetuò et infallibiliter docente, illud accipimus.

« Ad christianam fidem accedentibus, necessaria « pariter est fides in Jesum Christum... quæ fidei pro« fessio in eo consistit ut credamus corde, et ore pro« fiteamur, quia sanctissima Christi humanitas... « Verbo Patris æterni Filio æterno... unione reali et « substantiali in unitatem personæ et divinæ naturæ « participationem, unita est in tempore, per transeun« tem et liberam operationem Spiritûs sancti... et per « virtutem Altissimi..., quæ operatio transiens et li« bera, sit vera generatio faciens *Deo Filium* verum et « naturalem, Deo Abraham, Isaac et Jacob, Deo be« nedicto vivo et altissimo, fundansque realem et « physicam relationem Patris ad Filium et Filii ad « Patrem, inter Deum sub eâ reduplicatione cogni« tum, et Jesum habentem sanctissimam suam huma« nitatem, Verbi subsistentiâ completam... Hæc ergo « et singula qui explicitè non crèdit et confitetur de « Domino nostro Jesu Christo Filio Dei, nescio quid « in Scripturis novi Testamenti videat...

« Atqui, pergit, fides illa quæ totum Jesum semel « et simul repræsentat, in unâ voce, *Filius*, contine« tur... Non continetur autem in illâ voce, *Verbum*, « nec eâ exprimitur. Verbum abstrahit à Filio, qui *factus est* in tempore *Deo Filius ex semine David... secundùm carnem*. Idem dici non potest de voce illâ, « *Filius*. Non abstrahit vox illa à *Verbo*. Duo è contra « in ore christiano de Verbo affirmat, et Verbum esse « Deum, Filium ab æterno consubstantialem Patri, et « Verbum fuisse in tempore hypostaticè unitum hu« manitati Christi sanctissimæ; quorum si alterutrum « non poneretur, Christus sub allatâ notione dici non « posset Filius Dei verus et naturalis; sed et præte« rea vox illa, *Filius*, importat in recto sanctissimam « Christi humanitatem in genere subsistendi per sub-

« sistentiam Verbi completam. Hæc autem dogmata, « cùm æquè essentialiter pertineant ad fidem catho- « licam, et à quolibet viro christiano credi debeant « explicitè, ideò de illis expressa fit mentio in formâ « sacramentorum, ac præcipuè Baptismi, qui est cæ- « terorum janua, et qui sub eâ enuntiatione conferen- « dus est : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti;* « non autem, *Patris, et Verbi, et Spiritûs sancti;* sub quâ « posteriori formâ collatus Baptismus, profectò ut « nullius valoris iteraretur. »

Obiter observa quò progrediatur Berruyerus. Novam quam inducit Jesu Christi Filii Dei notionem, non modò pronuntiat esse dogma fidei, sed et illius fidei necessitatem æquiparat necessitati fidei et sanctissimæ Trinitatis et generationis æternæ Verbi. Sed quod præcipuè ad nostrum institutum eò loci attinet, istud est quod effutit : *Sed et præterea vox illa (Filius),* in Baptismatis formâ *importat in recto sanctissimam Christi humanitatem in genere subsistendi subsistentiâ Verbi completam.* Ergo in illâ formâ loco vocis, *Filii*, substituenda est in recto humanitas illa Christi sic completa. Adeòque Pater in illâ formâ jam non erit prima Trinitatis persona, sed Deus unus et verus qui in tribus personis subsistit. Proinde formæ Baptismi ad sensum Berruyeri explicatæ is erit sensus : *In nomine Dei in tribus personis subsistentis qui uniendo in tempore humanitatem Verbo, factus est Pater; et humanitatis Christi Verbo conjunctæ in personæ unitatem quæ humanitas est Filius; et Spiritûs sancti.* Fatemur in hâc formulâ ad mentem Berruyeri sic expositâ, à nobis nesciri quid nomine Spiritûs sancti intelligat.

Sed videamus quid de clausulis orationum et aliis memoratis statuat. « Similiter, ait uno tenore pag. 154, « 155, et eodem planè sensu intelligenda est vox illa, « *Filius,* in Ecclesiæ usu communi et quotidiano : « cùm, verbi gratiâ, omnes orationes suas in hanc « deducit clausulam : *Per Dominum nostrum Jesum « Christum Filium tuum;* cùm Christianus quilibet « docetur signare se signo crucis sub illâ verborum « formulâ : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti;* « in celebri et notissimo inter fideles glorificationis « Cantico : *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto;* « in formulis quibus sacerdos, etiam divinum Christi « corpus in manu gerens benedicit populo : *Benedicat « vos omnipotens Deus, Pater, et Filius, et Spiritus « sanctus;* vel : *Benedictio Dei omnipotentis Patris, et « Filii, et Spiritûs sancti, descendat super vos;* et « similibus. Quotus quisque enim est christianus etiam « de plebe qui se signans signo crucis : *In nomine Patris et Filii, et Spiritûs sancti*, credat non invocare se « et tres in Deo uno personas, Patrem et Verbum « et Spiritum sanctum, insuper et Jesum Christum, « Filium Dei, salvatorem suum, sive sanctissimam « Jesu Christi Domini nostri humanitatem personæ uni divinæ hypostaticè unitam? Quis, dùm « à sacerdote sub illis formulis benedicitur, non credit « se benedici in nomine Jesu Christi, salvatoris sui, « *facti Deo in tempore Filii, ex semine David secundùm « carnem*? Usque adeò Christianis omnibus, et ex quo- « dam quasi naturali sensu fidei et religionis instinctu « persuasum est, nomen illud, *Filius,* etiam nomini « Patris et Spiritûs sancti conjunctum appellari IN « OMNI CULTUS CHRISTIANI EXERCITIO SANCTISSIMAM JESU « CHRISTI HUMANITATEM, Verbo hypostaticè unitam, « ILLAMQUE DESIGNARE IN RECTO propriâ sibi appellatione, cum necessariâ tamen formali et individuâ annotatione personæ divinæ in quâ subsistit sanctissima hæc humanitas. Pater ergo, quoties in prædicatione logicâ Christo Jesu Filio Dei opponitur, intelligendus est Deus unus et verus, in tribus personis subsistens, cui et nos adoptionis nostræ titulo... « dicimus... *Pater noster, qui es in cœlis;* Ephes. 1, 2 : « *Gratia vobis et pax à Deo Patre nostro, et Domino « Jesu Christo* ; v. 3 : *Benedictus Deus et Pater Domini « nostri Jesu Christi,*... quæ si quis interpretari velit de « Deo Patre, ut est persona in divinis distincta et ab « æterno Verbi Pater, de Verbo, ut est ab æterno « Patris Filius, de cujus nomine *Jesus Christus* dicatur « Filius Dei, non autem de Deo uno in tribus personis « subsistente et de humanitate Christi sanctissimâ « per Verbi subsistentiam in genere subsistendi completâ, mirum est quantùm aberret à doctrinâ et « instituto Apostoli loquente de Deo Patre Jesu Thristi « et nostro. »

Ignorat Berruyerus aut videri vult ignorare, juxta fidem, Deum Patrem primam personam dicendum esse à nobis Patrem nostrum, quo adoptati sumus; quemadmodùm et Pater noster quoque reverà dicendus est Deus unus in tribus personis subsistens. Sed de his postea. Satis impræsentiarum est annotari in omnibus formulis prædictis nomine, *Filius*, appellari secundùm Berruyeri mentem, sanctissimam Jesu Christi humanitatem Verbo hypostaticè unitam, illamque designari in recto propriâ sibi appellatione, nempe nomine illo, *Filius,* cum necessariâ tamen connotatione personæ divinæ in quâ subsistit hæc humanitas; Patrem ergo in iisdem formulis in quibus apponitur Christo Jesu Filio Dei intelligendum esse Deum unum et verum in tribus personis subsistentem; neque magis in hisce formulis nomine Patris esse intelligendum Patrem primam Trinitatis personam, et nomine Filii Verbum, seu Filium æternum, seu secundam personam, de cujus nomine Jesus Christus ibi dicatur Filius Dei, quàm in locis Apostoli quæ citat, et in quibus interpretandis mirum in modum ab Apostoli scopo juxta ejusdem Berruyeri sententiam, is aberraret, qui Patrem non acciperet de Deo uno in tribus personis subsistente, et Filium Dei de humanitate Christi sanctissimâ per Verbi subsistentiam in genere subsistendi completâ.

Itaque, cùm orationes sic concluduntur : *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs sancti Deus,* etc., ex Berruyero sensus est : Per humanitatem Christi personæ uni divinæ unitam, quæ humanitas per hanc unionem facta est in tempore Filius Dei in tribus personis subsistentis, et quæ cum Deo uno et vero in tribus personis subsistente vivit et regnat in unitate

Spiritûs sancti Deus per omnia secula seculorum. Cùm fidelis se signans signo crucis ait : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti*, sensus est : In nomine Dei in tribus personis subsistentis, qui Pater est Christi quatenùs ejus humanitatem Verbo univit, et sanctissimæ Christi humanitatis quæ per unionem aut cum personâ unâ divinâ facta est Filius Dei, et Spiritûs sancti. Idem sonant formulæ benedictionum, ut et glorificationis : *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto*. Quibus positis paraphrasibus et interpretationibus, jam diximus à nobis ignorari quid possit Spiritûs sancti nomine designari.

Non autem omittendum illas ex Berruyero in ejusmodi formulis acceptiones vocum *Patris* et *Filii*, communes esse *Christianis omnibus*, *ad usum* Ecclesiæ *quotidianum* attinere, oriri *ex quodam quasi naturali sensu fidei et religionis instinctu, et in omni cultûs christiani exercitio* locum habere. Ergone etiam in Symbolis fidei? iis non ausus est distortas interpretationes suas ex professo et conceptis verbis accommodare, neque etiam catechismis, quibus tamen si illæ non congruant, sicuti eas non congruere compertum est, jam vel ex eo solo planum fit quantùm à veritate aberret in explicandis his formulis, quas profectò fideles intelligunt juxta notiones *Dei Patris* et *Filii*, quas è Symbolis et catechismis hauriunt.

Si porrò inquiras, quid de conciliorum et sanctorum Patrum documentis circa illud idem statuat? de iis silet ipso tomo octavo partis secundæ Historiæ populi Dei dissertationes latinas complectente, in quibus juxta auctorem et ejus defensores evolvuntur et stabiliuntur maximi momenti principia ad opus integrum spectantia. Ibi quidem commemorat aliquando et rarissimè sanctos Patres, at solùm ut eorum interpretationes circa Scripturarum quædam loca refellat.

Quòd si alicubi de *Patrum dogmatibus* mentionem aliquam injiciat, ea dignosci jubet ex solâ præsentis Ecclesiæ docentis traditione, quæ docere non potest nisi quod à Patribus communi consensu est traditum, et quâ solâ quæ fuerit Patrum fides, ut quæ documenta, possumus sine litigiosæ critices regulis consequi. *Inutilement*, inquit tertiâ parte, tomo 4, p. 204 et 205, *on a recours à ces règles d'une critique contentieuse, lorsqu'on a pour soi, sans critique et sans contention, le témoignage de la tradition de plus de dix-sept siècles, renfermé dans le seul témoignage de l'Église actuellement enseignante en matière d'Écriture comme en matière de dogme; l'Église qui nous gouverne aujourd'hui ne peut enseigner que ce qu'enseignait avant elle l'Église du siècle précédent, et par une conséquence nécessaire, en remontant de la même sorte de siècle en siècle, elle nous donne aujourd'hui pour Écriture canonique et pour ouvrage de saint Paul ce qu'elle présentait comme tel à ses enfants dès son origine. Elle n'a reçu sur cet objet de son enseignement aucunes nouvelles connaissances, et ce n'est point sur des conjectures qu'elle nous instruit.*

Ad quam propositionem hæc habet sacra Facultas Parisiensis (vide cens. prop. CCXL) : *Hæc propositio captiosa est, et miscet vera cùm falsis.*

« Illud enim verum est, nimirùm testimonium Ecclesiæ præsentis de canonicitate librorum aut alicujus libri Scripturæ sacræ sufficere ut illi libri habeantur ut sacri et canonici. Verum quoque istud est, scilicet testimonium traditionis uniformis per septemdecim secula eo sensu includi in testimonio Ecclesiæ præsentis, quòd nihil novi de Scripturis canonicis et fidei dogmatibus doceat Ecclesia quâ hodiè instruimur. Ecclesia enim infallibilis est in docendo ea quæ ad fidem et mores attinent; sibi proinde semper constans sit necesse est, neque à se ipsâ unquàm potest esse in his rebus discors et diversa. Verum quoque est Ecclesiam circa fidei doctrinam et librorum sacrorum canonicitatem non imbui cognitionibus novis, seu novis non illustrari revelationibus divinis. Verum est denique eam, dùm nos docet, non inniti conjecturis.

« At verò *falsum* est inutiliter adhiberi critices regulas ad asserendam librorum sacrorum canonicitatem, minimèque sequitur earum usum esse inutilem, ex eo quòd de illarum canonicitate habeatur Ecclesiæ testimonium. Hæ enim critices regulæ inserviunt tum ad persuadendam hanc canonicitatem iis qui nondùm Ecclesiæ auctoritatem infallibilem agnoscerent; tum ad confirmandos animos ipsorum fidelium, fovendamque ipsorum fidem et fiduciam, quam meritò collocant in auctoritate Ecclesiæ; tum ad revincendos viâ examinis ac discussionis eos qui Ecclesiæ testimonio, seu judicio et documentis de hâc canonicitate assentiri renuerent.

« *Falsum* etiam istud est, nempe testimonium traditionis septemdecim seculorum, seu de dogmatibus, seu de canonicitate librorum sacrorum, esse solo testimonio Ecclesiæ nunc docentis inclusum, eo sensu quòd supervacaneum sit et inutile investigari et perpendi quid contineatur traditione consignatâ Patrum operibus, summorum pontificum decretis et rescriptis, ac conciliorum actis. Imò ex labore eruditorum, qui hanc, ut par est, scrutantur et expendunt, uberes percipiuntur fructus, magnaque provenit utilitas ad persuadendam, fovendam, defendendam et roborandam fidem.

« *Falsum* est hoc generatim ab auctore pronuntiatum, videlicet Ecclesiam universam à primâ sui origine filiis suis pari consensione et auctoritate tradidisse tanquàm Scripturas canonicas, singulos illos libros sacros, quos ut tales nobis offert... Ignoravitne auctor vulgarem illam librorum sacrorum distinctionem in libros *proto-canonicos* et *deutero-canonicos*?

« *Falsum* est ea quæ de librorum sacrorum canonicitate, juxta severioris et accuratæ critices regulas statuuntur et docentur, non esse nisi conjecturas quibus Ecclesia non nititur. Imò constat sapientem critices usum in his rebus tractandis ab Ecclesiâ nedùm reprobari, ut potiùs ab ipsâ nunquàm negletum, neque negligi potuisse, quotiescumque de libro quovis in canonem Scripturarum referendo actum est; certè in suis eâ de re definitionibus semper de-

« prehenditur exactiores ejusmodi regulas secuta. »

Quæ accuratè ac sapienter ad istam propositionem disseruit sacra Facultas, referre non piguit, ut perspiceretur faciliùs, quâ mente Berruyerus hîc et aliis in locis ad unam præsentis Ecclesiæ traditionem seu documenta provocet. Vide etiam propositionem LXIV. Enimverò non immeritò conjicitur eum ita esse locutum, ut dùm se Ecclesiæ obsequentissimum profiteretur, simul etiam novum dogma suum omnium seculorum traditioni esse consentaneum, pertenderet. Scilicet dicere non veretur, ut relatum est, secundùm *communem* Ecclesiæ *usum*, in formulis universæ Ecclesiæ usitatissimis, in ipsâ Baptismi *formâ*, in *omni cultûs christiani exercitio*, voces *Dei Patris et Filii* intelligi juxta notiones quas inducere conatur. Si porrò istud tam verum esset quàm falsum est, non esset dubitandi locus, quin ipsi tota præsentis Ecclesiæ traditio unanimiter suffragaretur; adeòque posthabitis litigiosæ critices regulis, ipsi quoque faveret omnium præteritorum seculorum traditio.

Cùm verò post editam secundam Historiæ populi Dei partem, ob non secutam concilii Tridentini regulam de Scripturis interpretandis juxta unanimem sanctorum Patrum consensum criminaretur, istud responsum dedit : *Un théologien catholique, qui sait bien son catéchisme, je veux dire qui est instruit de la tradition de l'Église* (présente), *de ce qu'elle ordonne de croire et de ce qu'elle permet d'enseigner, s'il ne se départ point de cette infaillible tradition, ne s'écarte point aussi du consentement unanime des Pères, et en voici la raison : c'est que le consentement unanime des Pères n'est rien autre chose que l'enseignement commun ou uniforme de tous les pasteurs catholiques de tous les temps, unis à leur chef, joint à la croyance publique de toutes les ouailles soumises à leurs pasteurs. Enseignement et croyance de tous les siècles parvenue jusqu'au nôtre par la continuité du même enseignement et par la perpétuité de la même croyance, vivante encore et persévérante parmi nous. Quiconque donc n'intreprète point la sainte Écriture contre les dogmes de la foi et contre les règles des mœurs, ne l'intreprète point contre le sentiment unanime des Pères... Les auteurs ecclésiastiques considérés, ainsi que je l'ai dit, sous le titre d'intreprètes du sens littéral des Écritures, ce n'est pas sous ce titre que je les crois cités dans le décret du concile...*

Où est-il donc ce consentement unanime des Pères entre eux? Comment veut-on que je m'assure de leur concert et de leur unanimité?..... Il faudrait un volume entier pour épuiser les impossibilités, les contradictions, les inconséquences, que renferme le sens que vous donnez au consentement unanime des Pères.

Pourquoi voulez-vous que je me croie seul, quand j'ai avec moi la lettre originale ou du moins authentique de mon texte, joint aux lumières que de longues combinaisons me fournissent pour son intelligence, surtout (annotetur illa vox, SURTOUT), *surtout quand inséparablement attaché aux dogmes de la tradition, je suis sûr de ne rien avancer qui soit contraire au consentement unanime des Pères et à l'édification chrétienne?*

Nullus novator pari jure non contenderit se solum non esse, cùm loca Scripturarum sacrarum ad pravum suum dogma asserendum contorquet. Atque ex his patet à Berruyero ne unius quidem è sanctis Patribus afferri potuisse interpretationem alicujus librorum sacrorum loci, quæ notionibus quas obtrudit, patrocinaretur.

Unum verò adjiciam, videlicet ipsum procul dubio non valdè fuisse sollicitum de iis, quæ in operibus sanctorum Patrum, aliisque veteribus monumentis ecclesiasticis poterant contineri, utpotè quæ Harduinum imitatus jure existimatur suppositionis arguisse.

Græcos codices sacrorum librorum esse corruptos ab impiâ factione, decimo tertio seculo, effutiit Harduinus in *Prolusione chronologiæ ex nummis restitutæ, de nummis Herodiadum, notâ* 2, ad annum Christi octavum, et notâ 3, ad annum Christi XCVIII; quod opusculum primâ vice typis mandatum est Parisiis anno 1693; ibidem in notâ 1, ad annum Christi LI, obtrudit *cujusdam*, ut habet, *non semper inanis conjectoris, sed nunc tamen plus justo fortassis suspiciosi, ingenioque nimiùm indulgentis conjecturam... Deprehendit ille*, inquit, *cœtum certorum hominum ante secula nescio quot extitisse, qui historiæ veteris concinnandæ partes suscepissent, qualem nunc habemus, cùm nulla tunc extaret; sibi probè notam illorum ætatem atque officinam esse; atque in eam rem istis subsidio fuisse, Tullium, Plinium, Maronis Georgica, Flacci Sermones et Epistolas; nam hæc ille sola censet ex omni antiquitate sincera esse monumenta, præter inscriptiones admodùm paucas... Addebat illis annalium architectis majori fuisse adjumento magnam nummorum antiquorum, quam diligentissimè congesserant supellectilem*, etc.

Hâc arte primùm exponebat Harduinus propriam suam conjecturam, explorans quid de eâ sentirent eruditi. A superioribus verò ipsius suppressum est hoc opusculum, quod malè audiebat, et exemplaria quantùm fieri potuit subducta. Nihilosecius in *Chronologiâ suâ sacrâ veteris Testamenti*, editâ Parisiis anno 1697, idem Harduinus similia adhuc docet, et in Græcos codices sacrarum Scripturarum longè fusiùs et ex instituto, non uno in loco, præsertim initio, invehitur. Quapropter, promovente inprimis illustrissimo Bossuetio, tunc Meldensium episcopo, auctoritate regiâ opus extingui jussum, privilegio, quod concessum fuerat revocato. Dùm verò pararetur Amstelodami apud Joannem Ludovicum Delorme editio in-folio Operum selectorum Harduini, quæ prodiit anno 1709, et duo illa scripta cum aliis ejusdem auctoris complectebatur, superiores auctoris, occasione inde acceptâ, declarationem vulgârunt quæ ad calcem Diariorum seu Commentariorum Trivoltientium anni 1708, mense decembri legitur, in quo agnoscunt *præcipuas in ejusmodi opera publicatas* (à D. de la Crose inter Protestantes erudito, in scripto cui titulus : *Vindiciæ veterum codicum contra Joannem Harduinum, societatis Jesu Patrem*, Roterodami 1708) *criminationes esse jure illatas*; aiunt *editionem illam Amstelodamensem invitis se ipsis fieri*; systema de veteribus codicibus, quod fatentur meritò

attribui Harduino, abdicant penitùs et condemnant; inprimis verò *tanquàm perniciosum* rejiciunt *paradoxum de suppositione textûs Græci Scripturæ sacræ, operumque Patrum seu Græcorum seu Latinorum, aliorumve monumentorum ecclesiasticorum quæ communiter in Ecclesiâ, ut vera agnoscuntur.*

Ab iisdem coactus fuit Harduinus retractationem edere eodem in loco extantem, quâ *profitetur se sincerè subscribere prædictæ declarationi integræ superiorum, damnare se bonâ fide quidquid in operibus suis eâ declaratione damnatur, speciatimque à se dicta de factione impiâ quâ ab aliquot seculis pleraque opera ecclesiastica aut profana, hactenùs habita ut antiqua, fabricata essent.* Hæc ille, quem tamen certò constat nunquàm mutâsse sententiam, ut colligere est, tum ex variis ejus operibus posthumis anno 1733 Amstelodami et Hagæ Comitum publici juris factis, tum ex ejus Commentario in novum Testamentum, qui prodiit anno 1741, tum ex ejusdem colloquiis cum amicis suis conjunctissimis, et ex magnâ illâ mole operum manuscriptorum à se compositorum, quæ morti proximus commisit amico ut prælo mandarentur. Curis verò eminentissimi cardinalis de Fleury habentur in Bibliothecâ Regiâ, in cujus manuscriptorum catalogo impresso tituli illorum operum exhibentur. Legantur de Harduino Diaria Trivoltientia ad annum 1734, mensibus januario et februario, et ad mensem novembrem anno 1761.

Hæc de stupendis Harduini circa antiquitatem paradoxis transcripta sunt ex notâ ad paginam 145 secundæ partis Determinationis, quam super libris Berruyeri edidit sacra Facultas.

Quid verò Berruyerus de antiquitate profanâ senserit non novimus; at, quod ad antiquitatem ecclesiasticam attinet, certum est ab ipso ea fuisse sancita ex quibus manifestè nexum est omnia monumenta traditionis ecclesiasticæ ad seculum usque decimum, saltem aut undecimum totidem fuisse suppositos fœtus post secula illa editos. Enimverò de Græci textûs suppositione Harduinum sequitur, uno excepto quòd eum non dicat ab impiâ factione confectum seculo decimo tertio; sed eumdem à Græcis ipsis tunc fabricatum ponit, cùm jam eorum Ecclesia multis erat infecta erroribus, adeòque postquàm schismate infausto ab Ecclesiâ latinâ divisi sunt; quod omnes nôrunt non incœpisse nisi post medium noni seculi, consummatum verò censendum non esse nisi undecimo seculo.

Vous honorez hautement (inquit in opusculo inscripto: *Réponse du P. Berruyer au libelle intitulé : Remarques*, etc., tomo 2 *Defensionum* secundæ partis Historiæ populi Dei, Nanceii edito anno 1759, p. 222 et seqq. Vide etiam *Défense du P. Berruyer*, Avenione 1755, et Nanceii 1759), *vous honorez hautement votre grec, tel que nous l'avons aujourd'hui, du nom de texte original du nouveau Testament.*

Mais si je m'avisais de n'en pas convenir, si j'osais prétendre qu'on est bien fondé à regarder votre prétendu original comme une version de la Vulgate, faite sur la Vulgate même et fort postérieure à l'édition de la Vulgate, édition si ancienne qu'on ne peut en fixer l'époque, et que votre grec n'était pas encore, lorsque celle-ci était déjà depuis bien des siècles le nouveau Testament de l'Eglise Romaine?...

Si j'étais assez hardi pour penser que c'est le très-ancien auteur de la Vulgate, qui, dès la naissance de l'Eglise de Jésus-Christ, a rassemblé tous les originaux, soit grecs, soit déjà latins des différentes parties du nouveau Testament, et qui en a fait une collection complète d'après les originaux, ou du moins sur les premières copies; que cette collection, dès les premiers siècles, a été reconnue par l'Eglise Romaine pour l'édition authentique; que dès lors sous l'autorité du Saint-Siége, elle a représenté comme elle représente encore aujourd'hui les véritables originaux, depuis surtout que par l'ordre du saint concile elle a été purgée des fautes de copistes, à quoi l'usage de tant de siècles l'avait nécessairement exposée, et que sa leçon est enfin inviolablement fixée, que c'est à ce titre qu'elle a seule auprès de tous les vrais fidèles le nom et les priviléges d'édition authentique ?

On n'ignore pas que les Grecs, jaloux de l'Eglise latine, ont fabriqué en leur langue un nouveau Testament à leur usage. On n'en détermine pas bien précisément le temps; c'est au moins lorsque leur Eglise était déjà infectée d'une multitude d'erreurs que leur version favorise.

Quot in his et aliis à Berruyero in summum textûs græci contemptum dictis contineantur errores severè condemnandi, quotque inde sequantur perniciosa consectaria, quibus nisi insulsæ essent assertiones ex quibus nexa sunt, concuteretur ipsamet revelationis christianæ certitudo, nostri non est instituti et loci hujus ostendere. Qui hæc clarè explicata legere voluerit, adeat jam sæpè laudatam determinationem sacræ Facultatis ad propositiones LXV, LXVI, LXVII, et ad CCXXXVI, CCXXXVII et CCXXXVIII.

Unum verò duntaxat hìc à nobis animadvertendum, sive seculo decimo tertio ab impiâ cohorte, ut voluit Harduinus, sive post nonum seculum à Græcis ipsis Ecclesiæ latinæ æmulis, uti Berruyerus statuit, confectus fuerit textus græcus, levissima est differentia quoad rem ipsam, et inde ex æquo consequitur omnia instrumenta græca quæ pro antiquis habentur, omnia græcorum Patrum scripta, in quibus laudatur is textus, qualis nunc est, esse totidem monumenta et scripta supposita; quod, si semel daretur, concedendum esset nihil saltem ante seculum decimum à Græcis esse scriptum quod religionem contingeret, et ad nos usque pervenerit; nullum ante idem seculum ex instrumentis græcis ad religionem spectantibus, nullam è lucubrationibus Patrum græcorum posse considerari ut monumentum genuinum aliquâ fide dignum. Unde, propter intimum inter græcam et latinam Ecclesiam ante separationem commercium, necessariò esset colligendum, neque etiam fidendum esse omnibus Latinorum scriptis, quæ tunc temporis edita existimantur.

Hinc nihil mirum quòd in *Considerationibus super fide* (*Réflexions sur la foi*) ad unum archiepiscopum directis et imprimi cœptis simul atque typis mandata

est pars tertia Historiæ populi Dei, nec tamen nisi anno 1760 divulgatis, Berruyerus omnes nervos contendat ut systema Harduini de suppositis traditionis monumentis periculosum non esse respectu fidei efficiat. Vide longiorem contextum ex illo opusculo excerptum in censurâ sæpè laudatâ, ad propositiones 236, 237 et 238, p. 148 et 149 secundæ partis.

Ibid. etiam legere est propositionem 239, quæ ex præfatione secundæ partis Historiæ populi Dei, p. 30 et seq., est desumpta, et quæ in censurâ ostenditur magnam affinitatem habere cum iis quæ asserit Harduinus in uno ex suis operibus posthumis, anno 1733, Amstelodami et Hagæ Comitum editis, cui titulus : *Athei detecti*. Ibi iste non modò recentiores multos atheismi insulsè accusat, sed et opera quæ sancto Augustino meritò tribuuntur, propterea vitio atheismi infecta docet, quòd Deus in iis dicatur veritas, sapientia, aliisque ejusmodi nominibus abstractis designetur. Unde colligebat hæc opera non esse sancti Augustini. Quod quidem unum est ex principiis ab Harduino excogitatis ad omnem antiquitatem ecclesiasticam subvertendam; quodque propositio illa 139 Berruyeri *spirare* meritò pronuntiatur.

Hactenùs in iis exponendis, quæ ad novum Harduini et Berruyeri dogma pertinent, diutiùs versati sumus, quàm solemus hujuscemodi rebus occupari. Verùm adeò portentosa hæc illorum est doctrina, ut, si breviorem ejus explicationem tradidissemus, nullaque ipsorum à nobis adducta fuissent testimonia, vix aliqui forsan sibi persuadere potuissent, eos viam ita deviam esse secutos. Præterea alio de capite non inutilis expositio accurata ejusmodi perniciosi commenti; quippe quod exposuisse, jam procul dubio confutâsse est.

Attamen evolvenda magis quæ doctrinam eamdem fidei catholicæ exitialem faciunt.

CAPUT II.

Novum Harduini et Berruyeri dogma, de Christi humanitate per unionem factâ in tempore Filio Dei, confutatur.

Novum ejusmodi dogma tum in se, tum ratione præcipuarum ejus appendicum, duobus articulis primùm refellemus; deinde articulo tertio ostendendum erit quàm inania sint quæcumque illius stabiliendi causâ ab ejus inventoribus prolata sunt.

ARTICULUS PRIMUS.

Reprobatur dogma idem in se spectatum, nempe humanitatem Christi sanctissimam personæ uni divinæ unitam Filium Dei esse naturalem.

Triplici modo hanc suam doctrinam obtrudunt Harduinus et Berruyerus. Nam 1°, cùm Jesus Christus in Scripturis dicatur Filius Dei proprius, unigenitus et Filius Dei sine addito, tunc ambo ejus humanitatem esse Filium Dei significare censendi sunt, quandò asserunt, quotiescumque in Scripturis de Jesu Christo aliquid enuntiatur, sive Christus de se ipso loquens inducatur, sive de Christo Deus, sive cùm scriptores sacri aliquid prædicant de Christo, totics illud intelligendum esse dictum in recto de humanitate Christi sanctissimâ personæ uni divinæ hypostaticè unitâ in personæ unitatem.

Alter modus quo eamdem doctrinam exhibent, expressissimus est, et in eo consistit quòd conceptis verbis sæpè pronuntient humanitatem Christi sanctissimam, quatenùs personæ uni divinæ in unitatem personæ est conjuncta, esse in recto Filium naturalem Dei unius et veri in tribus personis subsistentis, factum Deo sic considerato in tempore per actionem divinam liberam et transeuntem, quâ humanitas illa substantialiter unita est personæ uni divinæ; quæ actio uniens, juxta eosdem, est vera et propriè dicta generatio fundans propriè dictam rationem filiationis naturalis cadentis in humanitatem ita unitam in ordine ad Deum unum et verum qui in tribus personis subsistit, et relationem paternitatis Dei unius et veri ad Christi humanitatem unitam.

Tertius eorumdem loquendi modus is est, Jesum Christum verè esse, et simpliciter appellandum esse, et reverà in Scripturis appellari Filium Dei unius et veri in tribus personis subsistentis naturalem, propter unionem suæ humanitatis physicam, substantialem et hypostaticam personæ uni divinæ in unitatem personæ.

Secundum ex ejusmodi loquendi modis Berruyerus sæpissimè et potissimùm adhibet in secundâ è suis dissertationibus latinis, tomo octavo secundæ partis Historiæ populi Dei, ubi novam hanc suam doctrinam ab Harduino acceptam ex instituto probat. Eumdem offert etiam tertiâ parte, tomo 4, pag. 244, ubi hæc leguntur : *La gloire de l'humanité du Christ subsistante dans une personne divine, et élevée par cette union adorable jusqu'à la dignité de Fils de Dieu, était de se voir assez grande pour satisfaire pleinement à la justice de Dieu, et pour seconder les vues de la miséricorde en faveur du salut des hommes.*

Primo utitur præsertim in primâ dissertatione suâ latinâ ibidem, quâ viam parat ad secundam.

Tertium passim in dissertationibus et in toto opere usurpat, sed in secundâ et tertiâ parte Historiæ populi Dei gallicè scriptis longè frequentiùs quàm secundum; veritus haud dubiè ne offenderentur fideles, si in opere gallico ipsis frequenter et nudè obtruderetur Christi humanitatem, quia personæ uni divinæ substantialiter unita est, esse Filium Dei. Pro triplici porrò illâ loquendi ratione, triplex est conclusio statuenda.

Conclusio I. Neque Jesus Christus dici potest in recto sanctissima ejus humanitas personæ uni divinæ hypostaticè unita in personæ unitatem; neque juxta hanc spuriam Jesu Christi notionem intelligenda sunt quæcumque enuntiantur de Jesu Christo in Scripturis, sive Christus de se ipso loquens inducatur, sive de Christo Deus, sive scriptores sacri aliquid dicant de Christo. Imò nullus est de Christo Scripturarum locus, qui juxta ejusmodi notionem intelligi debeat.

Tres sunt conclusionis partes, quæ omnes facilè ex iis probantur, quibus dissertatione 4, capite 2, ar-

ticulo 2, contra Nestorium fidem catholicam asseruimus de unâ in Christo personâ, nempe personâ Verbi, seu æterni Filii Dei Patris æterni. Verùm, ut hæc eadem et alia in Harduinum et Berruyerum facilè transferantur et contorqueantur, nihil opportunius et utilius visum est quàm verbis ipsis et maximis uti momentis, quæ adhibuit sacra Facultas in suâ determinatione super partibus secundâ et tertiâ Historiæ populi Dei. Ex quibus perspicietur non modò rejiciendam esse novam doctrinam quam magister et discipulus de Jesu Christo proponere audent, sed simul quænam ei inurendæ sint notæ.

Probatur itaque prima pars, videlicet quòd Jesus Christus dici nequeat in recto sanctissima Christi humanitas personæ uni divinæ hypostaticè unita in unitatem personæ. Nam 1° hæc notio Jesu Christi *erronea est.* « Nomina enim personarum propria directè et immediatè personam designant, naturas verò nonnisi « quatenùs ad personas attinent; hinc Petrus, v. g., « perperàm diceretur esse hoc corpus physicè unitum « tali animæ: quippe Petrus cogitat; corpus verò ejus, « etsi animæ unitum, non cogitat : nomine Petri immediatè significatur talis persona, hic homo constans « tali animâ et tali corpore physicè unitis. Hoc principium certissimum est et indubitatum, et in omni « idiomate obtinet. Porrò fides docet unicam esse in « Christo personam, quæ ipsa est persona Filii Dei, « Deo Patri æterno consubstantialis, duasque in eodem esse naturas, divinam nempe personæ Christi « essentialem, et humanam. quam ipse in plenitudine « temporum sibi hypostaticè univit. Cùm ergo sacrum « Jesu Christi nomen sit nomen proprium personæ, « ex fide consequens est respuendam esse hanc ab « auctore (post magistrum suum) traditam Jesu Christ « notionem : Jesus Christus est idem ac ejus humanitas uni personæ divinæ substantialiter unita. Nulla « est alia notio Jesu Christi legitima, præter istam aut « æquivalentem : Jesus Christus est Filius Dei æternus pro nobis factus homo, seu est persona Filii Dei « quæ hanc humanitatem sibi hypostaticè in tempore « univit. »

2° Eadem Jesu Christi notio ab Harduino et Berruyero invecta *verbo Dei scripto et tradito apertè contraria est.* « Nempe notio Jesu Christi quam tradunt, « opponitur apertè Scripturis sacris. Juxta Scripturas « Christus est *Verbum caro factum*, seu Filius Dei « æternus factus homo; non verò est humanitas « Christi sanctissima unita hypostaticè uni personæ « divinæ. Humanitas Christi, quamvis personæ uni « divinæ substantialiter unita sit, quâ unione maximè « perficitur, non tamen juxta Scripturas conversa est « in naturam divinam, manet, juxta Scripturas, natura creata, dependens, etc., quæ, juxta easdem « Scripturas, Filius Dei proprius, Filius Dei unigenitus, Deus summus, æqualis Deo nequaquàm dici « potest. Atqui tamen Jesus Christus, secundùm « Scripturas, est Filius Dei proprius et unigenitus, « est Deus summus, est æqualis Deo. Ergo Jesus « Christus, secundùm Scripturas, non est humanitas « illa Cpristi sanctissima uni personæ divinæ substantialiter unita.

« Similiter opponitur universæ traditioni, apud « quam nullum novæ hujus notionis reperire est vestigium; contra verò continuò deprehenditur asserta « et exhibita notio Jesu Christi ex Scripturis hausta « quam modò exposuimus; quæ quidem sola potest consentire attributis tum divinis, tum humanis, Christo « Domino à totâ traditione indesinenter adscriptis. Humanitas Christi unita substantialiter personæ uni divinæ, non potest dici Deus et homo, Filius ab æterno genitus, Patri consubstantialis, incarnatus et homo « factus; id evidentissimum est ex regulis communicationis idiomatum, et fide certum. Atqui tamen « hæc sunt, quæ traditione universâ prædicantur de « Jesu Christo. *Hæc est fides catholica... Hæc est fides « recta... Jesus Christus est Deus et homo.* Ita Symbolum quod sub nomine sancti Athanasii circumfertur : *Jesus Christus est Filius Dei unigenitus, ex Patre « natus ante omnia secula, Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, genitus non factus, « consubstantialis Patri, incarnatus de Spiritu sancto « ex Mariâ Virgine et homo factus, crucifixus,* etc. « Verba sunt fidelibus notissima Symboli Nicæni, quod « suum fecerunt omnia concilia œcumenica. Ergo « apertè traditioni opponitur allata Jesu Christi notio : « Jesus Christus est humanitas Christi sanctissima, « uni personæ divinæ substantialiter unita in unitatem personæ.

3° Eadem notio est *hæretica.* « Quod enim verbo Dei « scripto et tradito apertè, directè et immediatè contradicit, id directè et immediatè opponitur dogmati « fidei, quod Ecclesia ad credendum proponit, adeòque est hæreticum. »

Probatur secunda pars, scilicet quæcumque enuntiantur de Jesu Christo in Scripturis, sive Christus de se ipso loquens inducatur, sive de Christo Deus, sive scriptores sacri aliquid dicant de Christo, non esse in recto intelligenda de sanctissimâ Christi humanitate personæ uni divinæ substantialiter unitâ in personæ unitatem.

Enimverò assertum istud, omnia et singula quæ de Christo leguntur in Scripturis, sive cùm Christus de se ipso loquens inducitur, etc., dicta esse in recto de humanitate Christi personæ uni divinæ in personæ unitatem conjunctâ, 1° *falsum est.* « Nimirùm ne ulla « quidem est, seu in novo seu in veteri Testamento de « Domino nostro Jesu Christo propositio, cujus objectum in recto sit humanitas illa Christi sanctissima « primo conceptionis suæ instanti unita substantialiter personæ uni divinæ in unitatem personæ; nulla « est quæ directè prædicetur aut simpliciter verificetur secundùm sanctissimam ejus humanitatem eâdem « ratione consideratam; sive auctor sacer, quicumque « sit, Christum de se ipso loquentem, aut de Christo « Deum inducat, sive aliquid de Christo enuntiet. Una, « juxta fidem Scripturis sacris directè expressam, est « persona in Christo, et natura duplex, divina et humana; ergo nomen Christi, quod est nomen pro-

« prium personæ, ubique in litteris sacris significat « immediatè et directè personam, quæ est persona « æterni Filii Dei. Si dicatur natus, passus, mortuus, « hæc directè prædicantur de ejus personâ divinâ se- « cundùm naturam humanam, quam sibi in tempore « hypostaticè univit, et in eo simpliciter verificantur « secundùm ejusdem personam spectatam quantùm « ad eamdem naturam humanam. Si dicatur omnipo- « tens, æternus, æqualis Deo, hæc directè de ejus « personâ prædicantur, quatenùs ipsi essentialis est « natura divina, et in eo simpliciter verificantur se- « cundùm personam et naturam ejus divinam. Ejus- « dem omnium propositionum objectum in recto est « persona Christi divina secundùm alterutram suam « naturam, pro subjectâ, ut aiunt, materiâ. Ab hâc « regulâ generali quam analogia fidei et ratio præscri- « bunt, nihil planè excipiendum, » etc.

Illud idem assertum 2° *absonum* est. « Quid enim « absonum magis quàm recedere in interpretandis « Scripturis sacris de Domino nostro Jesu Christo, à « regulâ obviâ, certissimâ, usitatissimâ, nullam ex- « ceptionem patiente, juxta quam nomina propria « personarum designant propriè, immediatè, directè « et in recto personas? »

Assertum idem 3° *temerarium est.* « Siquidem, sine « ullo fundamento, viam explicandi Scripturas sacras « de Domino nostro Jesu Christo aperit hactenùs in- « auditam, et ab interpretationibus sanctorum Patrum « et conciliorum dissentaneam. »

4° *Præsumptuosum* est, « cùm prodat auctores, qui « (vetante licet concilio Tridentino) suæ innixi pru- « dentiæ, in rebus fidei Scripturam sacram ad sensus « suos contorquent, ipsamque interpretari audent « contra unanimem Patrum consensum. »

5° *Erroneum est et fidei Divinitatis Christi exitiale.* « Namque ex ejusmodi asserto quod refellimus, se- « quitur loca omnia Scripturæ sacræ, quibus apertis- « simè Divinitas Jesu Christi declaratur, ita esse tem- « peranda et explicanda, ut ea directè et simpliciter, « seu ex integro verificentur secundùm sanctissimam « ejus humanitatem personæ uni divinæ substantiali- « ter unitam in unitatem personæ; sequitur nulla ab « Evangelistis et ab auctore sacro quocumque, Jesu « Christo attribui characteres, prærogativas, etc., nisi « quæ in recto et simpliciter attribui queant ejus hu- « manitati sanctissimæ unitæ primo conceptionis suæ « momento, per actionem Dei transeuntem et libe- « ram, personæ uni divinæ in unitatem personæ; se- « quitur, v. g., ubi Apostolus Philipp. 2 ait : *Jesum « Christum esse in formâ Dei et æqualem Deo*, genui- « nam illius loci paraphrasim esse eam quam tradit « Berruyerus (Hist. du peuple de Dieu, 3° partie, t. 3, « p. 339) his verbis : *Avoir été fait égal à Dieu dès le « premier instant de sa conception, ce fut pour lui* (Jé- « sus-Christ) *le comble de sa gloire;* id est, pro huma- « nitate illâ personæ uni divinæ substantialiter unitâ; « sequitur Nicænam synodum et alias œcumenicas, « necnon universæ Ecclesiæ doctores et Patres aliam « sibi Jesu Christi notionem efformâsse ab eâ quam « Scripturæ sacræ ipsis subministrabant, et quoties, « in asserendâ Divinitate et æternâ generatione Christi « adversùs Arianos et cæteros ejusmodi dogmatum « impugnatores, propositiones Scripturarum de Do- « mino nostro Jesu Christo attulerunt, toties eos circa « germanos horumce testimoniorum sensus esse allu- « cinatos; quæ sanè nemo non perspicit quantùm no- « cerent fidei Divinitatis Christi, nisi principium ca- « ducum, ex quo fluunt, facilè everteretur. »

Idem assertum 6° *hæresi Arianorum et Socinianorum maximè favet.* « Nempe ex eo necèssariò nexum est « concilia, Patres, theologos, uno verbo quotquot hac- « tenùs asserendæ in ejusmodi hæreticos fidei catho- « licæ operam dederunt, minimè esse assecutos ge- « nuinam Domini nostri Jesu Christi notionem quam « tradunt auctores sacri, atque ad minimum ferè om- « nia Scripturarum testimonia quibus olim Ariani à « sanctis doctoribus confutati sunt, et etiamnùm So- « ciniani debellantur, intelligenda esse sensu Arianis « et Socinianis eatenùs saltem valdè accepto, quate- « nùs inde fit ea totidem esse tela contra ipsos imbellia « et sine ictu. »

7° Assertum de quo agitur *ad Nestorianismum conducit, adeòque iterùm erroneum est.* « Nam juxta illud, « humanitas Christi unita uni personæ divinæ in per- « sonæ unitatem, eaque sola, directè et in recto ex- « primitur in notione Jesu Christi, quæ in eo exhibe- « tur ut vera et genuina, quippe cùm in eodem dica- « tur referre notionem secundùm quam auctores sacri « de Jesu Christo loquuntur. Quod autem solùm ex- « primitur in recto in definitione legitimâ cujuscum- « que compositi quod persona est, illi indubitatum est « immediatè convenire et adscribenda esse omnia « jura, omnia attributa, omnes proprietates et cha- « racteres quibus persona constituitur et designatur; « adeòque eò ducit assertum de quo agitur, ut omnia « personæ jura, attributa, proprietates et characteres « reverà et immediatè adscribantur naturæ illi huma- « næ Christi. *Ad Nestorianismum* ergo, secundùm « quem, uti duplex in Christo natura divina et hu- « mana, ita etiam duplex persona, rectà conducunt. »

8° Demùm *Nestorianâ tabe* idem assertum *infectum est.* « Nullus est character certior personæ quàm posse « de seipso propriè loqui, et dicere : *Ego.* Id indu- « bitatum est et omnibus compertum. Atqui natura « humana personæ uni divinæ substantialiter unita « in personæ unitatem, juxta assertum quod repro- « bamus, de se ipsâ loquitur, quippe juxta illud, Jesus « Christus de seipso loquens inducitur à scriptoribus « sacris, apud quos Jesus Christus illa est humanitas « Christi sanctissima personæ uni divinæ substantia- « liter unita in personæ unitatem. Ergo juxta illud « assertum, humanitas Christi unita substantialiter « personæ uni divinæ est persona, duplexque in Chri- « sto persona est, uti Nestorius sentiebat.

« At, inquies, in hâc ipsâ definitione Jesu Christi « quam refellimus, inserta est professio unitatis per- « sonæ in Christo, eaque persona dicitur persona una « divina. — Ita quidem, sed quid inde? Nisi ut maxi-

« mè ejus inventores sibi non consentientes vera mi-
« scuisse falsis ad *Nestorianismum conducentibus et*
« *Nestorianâ tabe infectis?*

« Scilicet unicam esse in Christo personam, eam-
« que divinam, professi sunt, ut sibi viderentur, aut
« saltem aliis, non recedere à fide catholicâ. A simul
« novandi studio abrepti, humanitatem Christi, etiam
« dùm dicunt eam personæ uni divinæ unitam in per-
« sonæ unitatem, exhibuerunt tanquàm personam,
« seu ei omnes characteres personæ adscripserunt;
« ergo, præter personam divinam, aliam admiserunt
« in Christo, nempe humanam, non quidem quoad
« nomen et conceptis verbis, sed quantùm ad rem
« ipsam. Quapropter, sive sibi contradixerint, ut re-
« verà sibi contradicunt, si nomen personæ unius in
« Christo, juxta legitimam illius vocis acceptionem
« usurpant; sive nomen personæ unius solùm reti-
« nuerint, mutato sensu, et sic à contradictione sint
« liberi, manifestissimum est ab ipsis humanitatem
« Christi unitam repræsentari tanquàm personam,
« adeòque cùm aliam quoque in Christo admittant,
« Nestorianismi notam declinare non possunt.

« Et certè Nestorianismus in eo situs non est, quòd
« binæ in Christo personæ quantùm ad nomen agno-
« scantur, sed quòd admittantur quoad rem. Nesto-
« rius ipse nunquàm dixit duplicem esse in Christo
« personam, Felixque et Elipandus unicam esse eam-
« que divinam prædicabant. Jure tamen eorum do-
« ctrina damnata est tanquàm duplicem in Christo
« personam inducens, quia reverà de humanâ Christi
« naturâ ea asserebant, quæ propriè dictæ personæ
« characteres secum necessariò importabant.

« Sed ut appareat quàm evidens sit, humanitatem
« Christi non potuisse de se ipsâ dicere : *Ego*, quin
« sit persona, et hìc notandum venit quàm vanum sit,
« quod in unâ è defensionibus sui gallicis (Avenione
« 1755, pag. 44, et Nanceii 1759) Berruyerus affert
« aut approbat afferri, ad explicandum quâ ratione,
« juxta suam sententiam, humanitas Christi non sit
« persona, quanquàm multis in locis Scripturarum ad
« ejus mentem intellectis, hæc ipsa humanitas Christi
« unita de se ipsâ loquatur et pronuntiet : *Ego*. Enim-
« verò, cùm unus è characteribus soli personæ pro-
« priis ille sit, ut de se ipsâ verba faciens pronomen,
« *Ego*, usurpet, isque loquendi modus sit certum et
« notissimum personæ indicium, cùmque inde colli-
« geretur Christi humanitatem, stando Berruyeri prin-
« cipiis, fore personam; respondit ipse aut saltem
« unus ex ejus defensoribus, ipso approbante, se huic
« humanitati tribuisse quidem, ut dicat : *Ego*, in
« neutro genere, non verò in masculino. Quo quidem
« effugio nihil magis inane est, atque in re tam gravi
« illud protulisse nihil turpius. Nam 1°, in omnibus
« Scripturæ locis, in quibus Jesus Christus de se ipso
« loquens dicit, *Ego*, pronomen illud *Ego*, refertur ad
« Jesum antea memoratum, qui masculini generis est,
« et qui juxta Berruyeri mentem ibi i lem est ac huma-
« nitas Christi unita. 2° Vox quà persona aliqua desi-
« gnatur, aliquando est neutrius generis et sæpè fe-
« minini, adeòque non ex genere grammaticali, sed ex
« solâ proprietate sermonis æstimandum est, an pro-
« nomen *Ego* personam appellet. Dicimus ex *proprie-*
« *tate sermonis*, ex eo quòd aliquando per figuram,
« v. g., prosopopeiæ, poetis præsertim non insolitam,
« id quod persona non est, inducitur loquens ut per-
« sona. Quapropter, ut cognoscatur an apud scripto-
« rem quemcumque dicens, *Ego*, sit persona, nihil
« interest sciri cujusnam sit generis. Unum duntaxat
« attendendum, an eâ ratione oratio sit figurata, an
« vox propriè et sine figurâ sumatur; v. g., ir hâc
« phrasi : *Hoc mancipium ausum est dicere. Ego noto*
« *exequi quod jubet herus*, pronomen, *Ego*, refertur ad
« hoc mancipium, quod est neutrius generis; intelli-
« gitur tamen certò significare personam, hoc ipso
« quòd ibi nulla sit figuratæ locutionis suspicio. Atqui
« quando Jesus de se ipso loquens à scriptoribus sa-
« cris refertur dixisse, *Ego;* ne ipse quidem Ber-
« ruyerus ibi prosopopeiam aut quamcumque aliam
« figuram suspicabitur. 3° Idem, tomo octavo partis
« secundæ Historiæ populi Dei, pag. 109, sermonem
« habens de versiculo 3 capitis Epistolæ ad Romanos :
« *De filio suo qui factus est ei ex semine David secun-*
« *dùm carnem;* intellige, inquit, dicta *instar supositi*
« *et in masculino genere de sanctissimâ Christi huma-*
« *nitate*, quæ... conjuncta est, etc. Similia in annota-
« tionibus ad illud caput effutierat Harduinus. Ergo
« sibi in antecessum interdixit responsionem, quam
« ad declinandum, quo premitur, firmissimum argu-
« mentum, in defensione suâ inaniter adhibuit. »

Probatur tertia pars, nimirùm ne ullum quidem de Domino Jesu Christo extare in Scripturis locum in quo nomini Jesu Christi humanitas ipsius unita personæ uni divinæ in recto substituenda sit. Ratio manifestis-sima jam allata est nomen Jesu Christi est nomen personæ proprium adeòque personam ejus directè et immediatè semper designat. Ergo nunquàm designat ejus humanitatem directè et in recto. Tam est absona idea Harduini et Berruyeri de tanto argumento, ut vix quidquam absurdius dici queat. Volunt scriptores sa-cros de Jesu Christo ita esse locutos ut à nemine nisi mentis deviæ intelligi queant, si reipsâ crediderint unicam esse Christo personam, nempe personam æterni Filii Dei Patris. Tunc nimirùm, dùm dicta de Christo in Scripturis noluerunt intelligi de ejus per-sonâ, sed de ejus humanitate unitâ, similes fuêre ho-mini mente capto qui principis alicujus, v. g., Marci Aurelii historiam legens, cuncta quæ de eo dicuntur acciperet et vellet ab aliis accipi, non de personâ hu-jus principis, sed de corpore ejus animæ ejusdem physicè unito, aut de animâ ipsius physicè unitâ ejus corpori; atque sibi videretur reperisse notionem Marci Aurelii accuratam, ejus intelligendæ historiæ, non modò utilem, sed omninò necessariam.

Conclusio II. Sanctissima Christi humanitas per-sonæ uni divinæ substantialiter et hypostaticè con-juncta in personæ unitatem, dici nequit in recto na-turalis Filius Dei unius et veri in tribus personis subsistentis, agentis ad extra, et per actionem trans

euntem et liberam unientem humanitatem Christi primo conceptionis suæ instanti cum personâ unâ divinâ.

Probatur 1°, quia hæc propositio Berruyeri, quæ est XXI in determinatione sacræ Facultatis : *Secundùm veram et germanam generationis filiationisque rationem, in propositione cujus subjectum et prædicatum in recto est sanctissima Christi humanitas completa Verbo in genere subsistendi, Jesus Christus Dominus noster verè dici potest et debet naturalis Filius Dei, Dei, inquam, ut vox illa* (Deus) *supponit pro Deo et vero, subsistente in tribus personis, agente ad extra et per actionem transeuntem ac liberam uniente humanitatem Christi sanctissimam primo conceptionis suæ instanti cum personâ unâ divinâ, in unitatem personæ ;* hæc propositio, quatenùs in eâ significatur sanctissimam Christi humanitatem personâ unâ divinâ completam in genere subsistendi, posse in recto et debere dici naturalem Filium Dei, 1° est *falsa et erronea.* « Nam « vera et germana generationis filiationisque naturalis « ratio est, ut Filius sit Patri similis in naturâ. Hoc « principium indubitatum est, nec ullam exceptionem « patitur. Hinc naturalis Filius Dei, uti asserebant « contra Arianos sancti Patres, debet esse Patri con- « substantialis.

« Hunc fidei nostræ articulum, in Scripturâ et tra- « ditione consignatum, apertiùs declaravit Nicæna « synodus prima generalis, juxta quam nullum aliud « filiationis divinæ naturalis fundamentum est, quàm « Patri consubstantialitas. Sanctissima itaque Christi « humanitas completa Verbo in genere subsistendi, « nec potest, nec dici debet verus et naturalis Filius « Dei, nisi per unionem cum Verbo fiat naturâ Deo « similis. Atqui, juxta fidem catholicam, sanctissima « Christi humanitas, quantùmlibet unione cum Verbo « perficiatur, non est tamen naturâ Deo similis; est « creata, est finita, est dependens, est passibilis, « mortalis, mutationi obnoxia, etc., ipsaque ejus unio « cum Verbo est quid productum in tempore. Ergo « sincera fides christiana vetat ne sanctissima Christi « humanitas Verbo hypostaticè unita, seu Verbo com- « pleta in genere subsistendi, dicatur in recto natu- « ralis Filius Dei, secundùm veram et germanam ge- « nerationis filiationisque rationem. »

2° *Temeraria est.* « Neque enim ullibi reperietur, « aut in Scripturis, aut apud sanctos Patres, ullum « indicium hujusce veræ et germanæ filiationis divinæ « temporalis, quæ in hâc propositione tribuitur huma- « nitati Christi, Verbo unitæ; quinimò, nulli sunt theo- « logi, nec ii etiam quos laudat Berruyerus, tanquàm « suorum tenaces principiorum, qui partim eundo quà « ipse ivit, tam miserè circa sanam theologiam nau- « fragaverint. De ejusmodi theologis sermonem feci- « mus versùs finem dissertationis præcedentis, ibique « jam ostendimus quantùm à Berruyero de hâc ipsâ « re differant. »

3° Est *superstitiosa et scandalosa.* « Titulus enim qui « soli Filio Dei unigenito et æterno convenit, nempe « vera, germana et naturalis filiatio divina, dicitur in « hâc propositione, non tantùm posse, sed et debere « adscribi humanitati Christi sanctissimæ. Ultra mo- « dum ergo humanitatem Christi extollit, impellitque « ad periculosa et perniciosa in fide. Ergo superstі- « tiosa est et scandalosa. »

4° *Nestorianismi* est *jure insimulanda.* « Nam ad « declinandum Nestorianismum, non sufficit asserere « unam esse in Christo personam, hancque personam « esse divinam, et Christi humanitatem completam « esse Verbo in genere subsistendi. Nestorius enim « nunquàm filios vel Christos duos, neque duas per- « sonas in Christo verbis professus est, tametsi reverà « ita sentiret, atqué illud ex ejus principiis et decretis « esset necessariò consequens.

« Aliunde Felix et Elipandus Nestorianismi accu- « sati sunt et ob hæreseos Nestorianæ crimen damnati « in concilio Francofordiensi, licet Felix in suâ pro- « fessione relatâ à Paulo Aquileiensi libro primo ad- « versùs eum, professus fuerit, *unum et eumdem esse « Dei et hominis Filium*, licet Felici et Elipando hoc « unum objecerit Adrianus summus pontifex, quòd « dixerint, *Christum Filium Dei adoptivum posse nun- « cupari, non quidem propter humanam personam, sed « propter humanitatem.* Quare ergo damnati? Quia hu- « manitati tribuebant quod nonnisi personæ humanæ « congruebat. Itaque, si propositione quam expendi- « mus, sanctissimæ humanitati Christi, quæ dicitur « completa Verbo in genere subsistendi, adscribantur « characteres personæ proprii, propositio illa jure ac « meritò Nestorianismi est insimulanda; hinc enim « nascitur altera in Christo persona, eaque humana. « Atqui res ita se habet, nam humanitas Christi in hâc « propositione asseritur esse subjectum et attributum « in recto propositionis in quâ Jesus Christus verè di- « citur naturalis Filius Dei. *Potest* quippe illa huma- « nitas juxta auctorem *et debet dici naturalis Filius Dei « secundùm* veram et germanam generationis filiatio- « nisque rationem. Filii ergo duo in Christo, juxta hanc « propositionem, distinguendi veniunt; *Filius æternus,* « qui est Verbum ipsum, et Filius temporalis qui est « natura ipsa humana Christi, quæ dicitur Verbo com- « pleta in genere subsistendi. Porrò humanitas Chri- « sti, quamvis unita Verbo, et Verbum ipsum duo sunt « realiter distincta; istud afficit filiatio æterna, illam « filiatio temporalis. Duplex ergo filiatio in Christo « realiter distincta, pro subjectorum realiter distin- « ctorum conditione. Duo igitur realiter distincti Filii, « natura quippe Christi humana, juxta propositionem, « est verè Filius Dei, unitus quidem cum Filio æterno, « sed realiter ab ipso distinctus. Jam verò si duo Filii « in Christo, duæ sint personæ necessum est, Filius « enim est attributum personæ, ut omnes fatentur. »

5° Dici potest *Nestorianismo pejor.* « Sic enim ner- « vosè loquitur Petavius quosdam confutans qui Chri- « stum, ut est hic homo, volebant Filium naturalem « constitui per filiationem temporalem ab æternâ di- « stinctam : *Ego*, inquit, de Incarnat. lib. 7, c. 5, n. « 8, illud ex adverso contendo non aliâ ratione Filium « Dei naturalem esse Christum, ut est hic homo,

« quàm illâ ipsâ divinâ proprietate Filii; vel, ut pres-
« siùs insistam, nullam aliam esse vel formalem cau-
« sam, quæ humanæ in Christo naturæ veri et natu-
« ralis Dei Filii conditionem tribuat, quàm divinam
« relationem, æternamve filiotatem. Quod quidem om-
« nibus illis probatur Scripturæ locis, et synodorum
« decretis et Patrum sententiis, quibus nonnisi unum
« esse Filium in utràque naturâ suprà demonstravi-
« mus. Hæc enim testimonia non tantùm adoptivi Fi-
« lii rationem intercludunt, utpote ab naturali Filii
« proprietate diversam, sed multò magis, opinor, na-
« turalis filiotatis speciem alteram ab æternâ distin-
« ctam. Est enim tolerabilius et à catholicâ profes-
« sione minùs alienum duos Filios ita statuere, ut
« alter propter Divinitatem et æternam generationem
« naturalis sit Dei Filius; alter ob communem cum
« cæteris hominibus naturam et creatam sanctitatem,
« adoptivus habeatur, quàm duos ponere naturales Dei
« Filios, suâ quemque ratione ac formâ naturali con-
« stantes. Hæc doctissimus Petavius contra theologos,
« qui (ut jam dictum est dissertatione præcedenti) in
« errorem inciderant multò minùs gravem et pericu-
« losum doctrinâ quam præsens propositio exhibet.
« Hæresi Nestorianâ solùm dogma Incarnationis con-
« vellebatur. At propositione, de quâ agimus, Aria-
« nismus, Socinianismus, et Sabellianismus ita juva-
« rentur ut nullo jam argumento efficaci refelli possent.
« Quod jam ostendendum. »

6° *Impietatem Arianorum et Socinianorum juvat.*
« Admissâ enim propositione, de quâ agitur, ad pro-
« bandam Christi Divinitatem et consubstantialitatem
« cum Patre, nonnisi jejunum et elumbe ducitur argu-
« mentum ex eo quòd Christus dicitur in Scripturis sine
« addito : *Filius Dei, Filius unigenitus, Filius Dei pro-*
« *prius;* quo tamen argumento, et meritò quidem,
« maximè usi sunt sancti Patres adversùs Arianos,
« utunturque hodiè theologi adversùs Socinianos. Sci-
« licet probabant sancti Patres adversùs Arianos, et
« probant etiamnùm theologi adversùs Socinianos
« Christi Divinitatem et consubstantialitatem cum Pa-
« tre, eò quòd in Scripturis Christus dicatur sine ad-
« dito : *Filius Dei, Filius Dei unigenitus, Filius Dei*
« *proprius;* quia naturæ similitudo cum Patre, est de
« ratione filiationis propriè dictæ et naturalis; nempe
« inde sequitur in divinis consubstantialem esse Patri
« Filium, siquidem in divinis nulla dari potest naturæ
« similitudo quàm consubstantialitas. Jam verò nemo
« non videt hanc argumentationem omni efficaciâ de-
« stitui, si nomen naturalis Filii Dei verè et secundùm
« suam veram et germanam significationem attribui
« possit et debeat in recto humanitati Christi sanctis-
« simæ Verbo unitæ. Hâc attributione destruitur fun-
« damentum sine quo ejusmodi argumentatio corruit.
« Nimirùm eâ attributione negatur similitudinem na-
« turæ esse de ratione verâ et germanâ filiationis
« naturalis, quippè cùm natura humana Verbo unita
« non desinat esse natura humana, adeòque nec sit nec
« esse possit natura similis naturæ divinæ. » Ergo, etc.

Adde quòd textus suprà dictos intelligi de filiatione per generationem æternam nihil cogit juxtà auctorem. Unde ansa præbetur Socinianis deridendi Patres, qui, omni aliâ illorum textuum expositione rejectâ, eosdem constanter de filiatione per generationem æternam interpretati sunt.

7° *Favet Sabellianismo.* « Etenim si humanitas
« Christi unita personæ uni divinæ est verus et natu-
« ralis Filius Dei; ergo, quamvis unica esset in Deo
« persona, ut contendebant Sabelliani, posset tamen
« et deberet admitti verè et propriè et Deus Pater,
« qui esset sola persona divina, et Filius verus et na-
« turalis Dei, qui Filius esset humanitas Christi unita
« soli illi personæ divinæ. Consecutio manifesta est,
« perspecta ab auctore et ab eo non semel concessa.
« Verùm, datâ hâc absonâ hypothesi, jam nullius effi-
« caciæ esse possunt contra Sabellianos loca Scripturæ
« sacræ, quibus in eos demonstrârunt sancti doctores
« Patrem et Filium duas esse in Deo personas. »

Probatur 2°, quia eadem propositio, quatenùs hæc in eâ adjiciuntur, cum errore quem refellimus necessariò nexa, nempe Jesum Christum, seu sanctissimam Christi humanitatem verè esse Filium Dei naturalem, *ut vox illa* (Deus) *supponit pro Deo uno et vero, subsistente in tribus personis, agente ad extra et per actionem transeuntem et liberam uniente humanitatem Christi sanctissimam primo conceptionis suæ instanti cum personâ unâ divinâ,* 1° *est temeraria, erronea et perniciosa in fide, quam profanis vocum novitatibus perturbat.* « Nam,
« si obtineat assertio in hâc propositione contenta, di-
« cendum erit, quidquid tandem (ut modò videbimus)
« effutire gestiat auctor ut consectarium illud remo-
« veat, Christum esse Filium Trinitatis, essè Filium
« suî ipsius, esse Filium Spiritûs sancti, quod quidem
« consectarium sancti Patres indignanter exceperunt,
« inter quos S. Fulgentius, fragmento 32, ex libro de
« Invocatione Trinitatis : *Quis.... unquàm tantæ repe-*
« *riri posset insaniæ,* inquit, *qui auderet Jesum Chri-*
« *stum totius Trinitatis Filium prædicare?.... Jesus*
« *Christus.... secundùm carnem quidem opus est totius*
« *Trinitatis; secundùm verò utramque nativitatem solius*
« *Dei Patris est Filius; quia idem solus unigenitus Deus,*
« *est temporaliter verus homo de Virgine procreatus,*
« *qui de solo Patre sine initio verus Deus est natus.* Cui
« consonat S. Thomas his verbis : *Christus est Filius*
« *Dei secundùm rationem perfectam filiationis; unde*
« *debet.... dici Filius Dei.... solùm ratione generationis*
« *æternæ, secundùm quam est Filius Patris solius, et*
« *idcò nullo modo debet dici Christus Filius Spiritûs*
« *sancti, nec etiam totius Trinitatis.* »

Adeò à fide christianâ alienum putavit Berruyerus dici Jesum Christum esse Filium Trinitatis, aut trium personarum, aut suî ipsius, aut Spiritûs sancti, ut illud pernegèt inde sequi quòd sit Filius Dei unius et veri in tribus personis subsistentis : *Ratio à priori est,* inquit tomo 8, partis secundæ, pag. 51 et 52, *quòd actiones ad extra Dei unius, etsi in sensu reali sint trium æqualiter et indivisè personarum, non prædicantur tamen de tribus personis, Patre, Verbo et Spiritu sancto, aut de aliquâ illarum divisim, sed de Deo simpliciter, ut*

unius est in naturâ. In libello, cui titulus : *Défense de la seconde partie de l'Histoire du peuple de Dieu contre les calomnies*, etc., Avenione, 1755, pag. 17 et Nanceii, 1759, pag. 104, clariùs mentem suam explicat et in hæc verba erumpit : *C'est une vérité de foi que dans la Trinité les personnes n'agissent point* AD EXTRA. *Tous les ouvrages hors de Dieu, toutes les actions* AD EXTRA, *sont de Dieu un subsistant en trois personnes; elles sont communes au Père, au Fils et au Saint-Esprit, parce que la nature divine qui les produit, leur est commune.*

Verùm errorem sibi charissimum alio errore tueri nititur. « Idipsum, ait sacra Facultas ad propositionem XXIII, quod auctor asserere audet tanquàm « veritatem fidei, directè adversatur Symbolo Nicæno « quo profitemur : *Patrem esse factorem cœli et terræ, « omnia per Filium facta esse; et Spiritum sanctum esse « vivificantem, cum Patre et Filio simul adorari, locutum esse per Prophetas.* Nimirùm, quemadmodùm « persona quævis intelligit et vult per suam naturam « intelligentem, ita tres personæ divinæ et earum singulæ « dicendæ sunt operari ad extra per naturam « omnipotentem, quæ illis communis est et singulis « earum essentialis. Quapropter non modò fidei Tri- « nitatis, sed et, positâ illâ fide, rationi ipsi apertè « repugnat dogma auctoris, nempe *personas divinas « non operari ad extra*, quia natura divina, quæ actiones ad extra producit, est communis tribus illis per- « sonis. Imò, quia natura divina tribus personis divinis « communis est, idcircò tres personæ divinæ operan- « tur ad extra per naturam divinam quæcumque extra « Deum ab illâ naturâ producuntur. »

Et verò, cùm tribuerunt Patres et theologi actiones ad extra Deo simpliciter uni in naturâ, nunquàm dixerunt tribui illas non debere personis divinis; imò, cùm habuêre Patres et theologi vindicandam Filii contra Arianos et Spiritûs sancti contra Macedonianos Divinitatem, usi sunt et frequenter et appositè Scripturæ sacræ testimoniis, in quibus creatio, cæteræque omnipotentiæ actiones tribuuntur Filio et Spiritui sancto; quod evincit putâsse illos easdem omnipotentiæ actiones prædicari debere de personis divinis, de Filio et Spiritu sancto.

Itaque, cùm actio uniens humanitatem Christi personæ uni divinæ, sit actio ad extra, quâ juxta Berruyerum producitur Filius Dei unius in tribus personis subsistentis; cùm juxta ipsum eadem illa actio transiens et libera sit veri nominis generatio; cùm denique secundùm Scripturas, Symbolum fidei, et sanctos Patres hæc eadem actio sit totius Trinitatis, omniumque ac singularum personarum; sequitur quòd, si Jesus Christus esset naturalis Filius Dei in tribus personis subsistentis, ipse quoque esset, velit nolit Berruyerus, Filius totius Trinitatis, Filius trium personarum, Filius suî ipsius, Filius Spiritûs sancti.

2° Suprà dicta propositio, sub eodem respectu seu quantùm ad secundam suî partem memoratam, *Nestorianismo est infecta.* « Exhibet enim in Christo Fi- « lium temporalem Dei unius in tribus personis subsi- « stentis, quem Filium nemo non videt esse distinctum « realiter à Filio æterno solius Dei Patris æterni. Duos « ergo in Christo Filios auctor illâ propositionis parte « prædicat æquivalentibus verbis; in quo sita fuit « summa hæreseos Nestorii. »

3° *Arianismo favet atque Socinianismo.* « Nam hæc as- « sertio : *Humanitas Christi unita, verus est et naturalis « Filius Dei in tribus personis subsistentis*, favet maximè « Arianis et Socinianis, ut jam dictum est, si in hâc « filiatione naturali desideretur similitudo in naturâ; atqui profectò desideratur, ut ostensum est. Præ- « terea, si non desideretur illa similitudo in naturâ, « quaternitas statim exurgeret in Deo. Nempe tres in « Deo essent personæ, quibus addito Filio Dei in tri- « bus personis subsistentis vero et naturali, in tem- « porum plenitudine facto et distincto realiter à Filio « Dei æterno, exurgeret manifestè quaternitas illa à « Patribus reprobata et fidei adversa. »

4° *Favet Sabellianismo*, ut patet ex modò dictis versùs finem probationis primæ.

Probatur 3° prædicta conclusio secunda, quia frustra nititur Berruyerus efficere quòd, licèt statuat humanitatem Christi sanctissimam cùm personæ uni divinæ hypostaticè unita sit, esse in recto naturalem Filium Dei in tribus personis subsistentis, inde tamen non sequitur duos esse in Christo Filios, sed tantùm personam Christi, quæ ab æterno est Dei Filius, aliâ ratione in tempore factam esse Filium Dei in tribus personis subsistentis. Eum audiamus ibid. pag. 54 et 55 : *Per actionem unientem... fit ut secunda è personis divinis, quæ priùs erat* Filius Dei *propter generationem æternam, sub aliâ ratione denominetur in tempore* Filius Dei, *propter generationem temporalem*, sive *actionem Dei ad extra quâ humanitas Christi unita est hypostaticè personæ uni divinæ; denominatione, inquam, cadente in humanitatem, quia unita est Verbo, sed Verbi propriâ, quia denominationes sicut actiones et passiones sunt suppositorum.*

His verbis rursùs asseritur error quem rejicimus. Sed cò loci attendenda solummodò ista : *Denominatione cadente in humanitatem, quia unita est Verbo, sed Verbi propriâ, quia denominationes sicut actiones et passiones sunt suppositorum.* Expendendum utrùm, positis principiis perpetuò à se inculcatis, positâ notione perversâ quam tradit Jesu Christi : nempe, Jesus Christus idem est ac humanitas ejus sanctissima personæ uni divinæ hypostaticè unita; posito ejus errore de Jesu Christo facto in tempore Filio naturali Dei in tribus personis subsistentis, denominatione illâ temporalis Filii Dei ita *cadente in humanitatem* Christi, quia Verbo unita est, ut ipsa illa humanitas unita, in recto dicenda sit et in Scripturis dicatur temporalis Filius Dei; expendendum, inquam, utrùm, his positis, eamdem denominationem Filii Dei possit Berruyerus statuere *Verbi propriam*, *quia*, ut fert vulgare adagium, *denominationes sicut actiones et passiones sunt suppositorum.* Atqui evidentissimum est ipsi non prodesse axioma illud, aliàs verissimum, quod vel non intellexit, etsi sensum referat facilem et obvium, vel non protulit cò loci nisi ut fucum faceret. Scilicet quid ejus-

modi axiomate : Denominationes, actiones, passiones sunt suppositorum seu personarum, significatur? id unum nempe : quidquid est suppositi seu personæ sive sub uno, sive sub altero respectu, sive quatenùs hanc naturam, vel illam aliam inter se physicè unitas habet, et quodcumque agat persona vel patiatur per unam suî naturam, aut alteram, per unam sui facultatem et potentiam, aut per aliam, illud esse attribuendum supposito seu personæ, seu de illo esse prædicandum directè, immediatè et in recto. Verbi gratiâ, Petrus est persona, quæ constat tali corpore et tali animâ physicè unitis; Petrus igitur dicendus habere tale corpus et tali animâ donari. Mens ejus intelligendi et volendi capax est, corpus ejus tali magnitudine et figurâ est præditum; Petrus ergo dicendus est intelligendi et volendi capax, et hâc magnitudine atque hâc figurâ præditus. Corpus Petri movetur, lædtur, etc., mens ejus hæc vel illa intelligit, desiderat, etc. Proinde Petrus enuntiatur moveri, lædi, etc., hæc vel illa intelligens, etc. Nihil itaque usitatius in omni sermone, nihil facilius intellectu, quàm vulgare axioma : Denominationes sicut actiones et passiones sunt suppositorum aut personarum.

At si quis, spreto hoc alio principio : Nominibus propriis designari personas, insulsè vellet Petri nomine intelligendam in recto alterutram ejus naturam physicè alteri conjunctam, v. g., corpus ejus, ita ut Petri notio hæc esset : corpus Petri physicè ejus animæ unitum; jam omnia perturbarentur in sermone de Petro, quia multa prædicantur et prædicanda sunt de Petro, juxta omnium usum ita communem, ut in rerum ipsâ naturâ fundamentum habeat, quæ secundùm illam novam Petri notionem præposterè invectam, Petro, id est, corpori Petri etiam ut unito ejus animæ non possunt attribui. Corpus enim Petri, v. g., non cogitat, non intelligit, non vult. Is porrò qui notionem hanc spuriam Petri excogitaret, corpori Petri unito ejus animæ, jam proprium adscriberet personæ characterem, nempe illud designaret nomine proprio personæ. Si præterea ab illo vellet propriè dici : Ego, et cuncta quæ Petri sunt, ipsamque filii denominationem eidem attribui in recto, jam positis his insulsis hypothesibus, quis non videt ea quæ sunt ipsiusmet corporis Petri, quod instar suppositi spectaretur, jam personæ realis et veræ Petri non fore? Multò autem magis liquet, positis quæ de humanitate Christi statuit Berruyerus, titulum temporalis Filii Dei quem illi humanitati, quia personæ uni divinæ unita est, attribuit in recto, non posse adscribi personæ illi divinæ quæ in notione Jesu Christi Filii Dei non appellatur nisi indirectè et in obliquo.

Probatur 4°, quia quòcumque se vertant Harduinus et Berruyerus, si quæ filiatio divina caderet in humanitatem Christi, quia personæ divinæ unita est per actionem Dei ad extra, quæ veri nominis esset generatio, hæc filiatio non esset naturalis, sed adoptiva tantùm, et nonnisi Filium Dei adoptivum constitueret. Nam constitueret filium factum in tempore, cùm ipsa esset in tempore producta, et afficeret humanitatem factam, creatam. Id non negant illi scriptores, imò perpetuò aiunt, Jesum Christum, quo nomine intelligunt ejus humanitatem in personâ unâ divinâ subsistentem, *factum esse* in tempore *Deo Filium* ex semine *David*. Atqui, Dei Filius, qui dicendus est factus, minimè naturalis est, sed tantùm adoptivus. *Hæc est differentia*, inquit S. Thomas, parte 3, quæst. 23, art. 2, in corp., *inter Filium Dei adoptivum et naturalem, quòd Filius Dei naturalis est genitus, non factus, Filius autem adoptivus est factus.*

Probatur 5° ex his Symboli Nicæni verbis, *genitum non factum*, dictis de Jesu Christo, Filio Dei unigenito. Nempe, juxta Harduini et Berruyeri doctrinam, non debuissent dicere illius synodi Patres : *Genitum, non factum*, sed, *Genitum*, tum *factum* Filium in plenitudine temporum.

Probatur 6° quia *titulum Matris Dei seu æterni Filii Dei, beatæ Mariæ Virgini verè debitum*, eadem Harduini et Berruyeri assertio *labefactat;* nam juxta hanc assertionem, cùm Maria Virgo dicitur in Scripturis concepisse, habuisse in utero et peperisse Jesum Christum Filium Dei, sensus esset eam esse matrem humanitatis Christi, quæ propter unionem suî hypostaticam personæ uni divinæ, vocanda esset in recto et esset reverà naturalis Filius Dei. Inde verò non consequeretur eam esse matrem Dei, seu æterni Filii Dei, nisi humanitas illa sic unita, dici debeat Deus, et æternus Dei Filius. Atqui illam humanitatem, etiam ut ita unitam, dici Deum et Filium Dei æternum, vetant regulæ communicationis idiomatum quas supra exposuimus et quæ ab omnibus admittuntur. *Sicque infeliciter evenit*, ait sacra Facultas, *ad propositionem XXVI, ut qui beatæ Mariæ Virginis honores ampliare gloriabatur auctor, nullo modo potuisset evincere beatam Mariam Virginem esse verè Deiparam, eaque posuerit principia ex quibus consequens fit hunc ipsum titulum illi fuisse à Nestorio jure ademptum.*

Quàm rectè et planè ex adverso sic processêre concilia et SS. Ecclesiæ doctores! nempe ex Scripturis beata Virgo est mater Jesu Christi secundùm carnem. Jesus Christus est Deus, est æternus Filius Dei homo factus; ergo beata Virgo est mater Dei, mater est æterni Filii hominis facti, quantùm ad humanitatem, quam pro salute nostrâ assumpsit, considerati.

Conclusio III. Jesus Christus ex eo quòd ejus humanitas sanctissima personæ uni divinæ in personæ unitatem hypostaticè conjuncta sit, non idcircò dicendus est naturalis Filius Dei in tribus personis subsistentis, seu (quod eòdem redit et sexcenties à Berruyero post magistrum suuum repetitur) non idcircò dici potest factus Deo in tribus personis subsistenti Filius naturalis ex semine David. In mentem revocandum est discrimen supra notatum Harduini et Berruyeri doctrinam inter et quorumdam theologorum placita quæ dissertatione præcedenti exposuimus. Hi, adhibitis quibusdam præcisionibus mentis et reduplicationibus, dixerunt Christum, ut est hic homo et secundùm humanitatem suam posse dici aliquâ ratione Filium Dei naturalem propter sibi connaturalem

sanctitatem et jus ad hæreditariam possessionem, in quo eos à veritate deviàsse ostensum est. Illi verò absolutè et simpliciter ac sine ullâ limitatione et restrictione pronuntiant Jesum Christum, propter unionem humanitatis suæ cum personâ unâ divinâ hypostaticam, esse factum in tempore Deo in tribus personis subsistenti Filium naturalem; atque non alio sensu eum dici in Scripturis Filium Dei, statuunt. Sic loqui amat Berruyerus in dissertationibus suis latinis. Sic parte 2 Historiæ populi Dei, tomo 2, pag. 138, ait: *Marie savait que Jésus était véritablement Dieu, parce que la sainte humanité formée dans son sein et de son sang par l'opération du Saint-Esprit, avait été unie dès le premier instant de sa conception au Verbe de Dieu en unité de personne.* Et antea, pag. 40: *Les promesses s'accomplissent, et le Fils de Marie, en vertu de l'union substantielle du Verbe avec l'humanité, est appelé, ainsi que l'ange l'avait annoncé à Marie, et est en effet le Fils de Dieu.*

Sic tertiâ parte Historiæ populi Dei, tomo 1, pag. 43 et 44: *Je dis*, inquit, *Notre Seigneur Jésus-Christ, lequel a été fait le Fils de Dieu, lorsque, au premier instant de sa conception miraculeuse, son humanité sainte, formée du sang de David, selon la chair, a été hypostatiquement unie à une personne divine.* Tomo 2, pag. 119: *Jésus-Christ, en vertu de l'union hypostatique de la sainte humanité avec une personne divine.... est le Fils unique de Dieu.* Tom. 3, pag. 212: *Dieu a envoyé son fils unique Jésus-Christ; c'est l'homme de Dieu* (erratum fortè est typographi, Berruyerus semper alibi dicit l'*Homme-Dieu*), *Notre Sauveur, qui a été fait le Fils de Dieu, lorsque, au premier instant de sa conception dans le sein et du sang d'une Vierge, son humanité a été personnellement unie au Verbe de Dieu.* Tom. 4, p. 251: *Approfondissez avec nous le Christ... que nous vous prêchons, grand par l'union de son humanité avec sa personne divine qui fait de lui un Homme-Dieu et le Fils unique de Dieu.*

Probatur conclusio 1° ex Scripturis. Joan. 1, 14: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ et veritatis.* Versibus 15, 16, 17 et 18: *Joannes testimonium perhibet de ipso, et clamat dicens: Hic erat quem dixi...; et de plenitudine ejus nos omnes accepimus.... quia lex per Moysem data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est; Deum nemo vidit unquàm; Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Manifestissimum est 1° Verbum, de quo initio capitis dictum est: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*, esse ipsummet *Verbum*, quod versu 14 à sancto Joanne dicitur *caro factum* et habitâsse in nobis secundùm carnem à se assumptam. 2° Illud idem Verbum carnem factum essè quoque eum *cujus* visa est gloria *quasi Unigeniti à Patre. Et vidimus*, inquit Evangelista, *gloriam ejus* (Verbi carnis facti), *quasi Unigeniti à Patre*, nec enim vox *ejus* ad aliud referri potest quàm ad *Verbum carnem factum, quod habitavit in nobis.* 3° Verbum idem *caro factum* cujus visa est gloria *quasi Unigeniti à Patre*, ipsum est de quo *testimonium verhibere* Joannes Baptista deinde dicitur, est *Jesus Christus* uno tenore memoratus, qui etiam continuò appellatur *Unigenitus qui est in sinu Patris.* Jesus Christus igitur est Verbum caro factum, cujus gloria est *quasi Unigeniti*, ipse est *Unigenitus qui est in sinu Patris*, seu, ut dictum fuit de Verbo, qui est apud Patrem. Ergo Jesus Christus idcircò est unigenitus Dei Filius secundùm Evangelium sancti Joannis, quia ipse est Unigenitus in sinu Patris, seu quia est *Verbum caro factum*, quod est unigenitus Dei Filius. Ergo ratio, cur sit Filius Dei unicus, repetenda non est ex eo quòd humanitas ejus sanctissima personæ uni divinæ unita sit in personæ unitatem.

Vult Berruyerus post Harduinum has voces versûs 14: *Et habitavit in nobis, et vidimus gloriam.... quasi Unigeniti*, non referri ad *Verbum carnem factum*, sed ad Jesum Christum in titulo illius Evangelii memoratum: *Sanctum Jesu Christi Evangelium secundùm Joannem.* Contendit in primâ pericope illius capitis: *In principio erat Verbum*, supplendum esse nomen Jesu Christi, quasi diceretur: *Ille Jesus Christus*, cujus scribo Evangelium, *in principio erat Verbum.* Vult etiam versiculos 3, 4, 10, 11, 12, 13, intelligi de Jesu Christo, id est, ut ipse exponit, de humanitate Christi sanctissimâ (in recto), prout personæ uni divinæ hypostaticè unita est. Atque his ita sensum hujus contextûs sancti Joannis perturbat et pervertit, ut jam accipi nequeat nisi sensibus absonis et à veritate catholicâ alienis. Vide determinationem sacræ Facultatis ad propositionem LII.

Hìc sufficiat annotâsse 1° ipsismet principiis notissimis, quæ ad interpretandum quemque auctorem spectant, omninò postulari ut in versu 14: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus*, etc.; vox *habitavit*, intelligatur de Verbo carne facto, et pronomen, *ejus*, referatur ad Verbum et quidem immediatè, directè et in recto; atque, nisi id fiat, omnes legitimæ interpretationis regulas planè subverti necessum est. Vetant 2° eædem leges ne subjectum, ut aiunt logici, seu nominativum, ut grammatici vocant, istius propositionis seu phrasis, à quâ Evangelium S. Joannis incipit: *In principio erat Verbum*, repetatur à titulo; ita ut sensus sit (*Ille Jesus Christus*) *in principio erat Verbum.* Nam, præterquàm quòd ibi Berruyerus nomine Jesu Christi intelligit in recto humanitatem Christi unitam personæ uni divinæ, humanitas verò, licet Verbo unita, Verbum dici nequeat, hæc ejus explicatio in eo peccat quòd phraseos per se sensum integrum exhibentis, accersat nominativum seu subjectum ab iis quæ præcedunt; quod veræ leges interpretandi non permittunt, quodque inprimis maximè absonum, ubi nihil præcedit quàm ipse scripti titulus, in quo nomen accersitum nequidem reperitur in nominativo casu. 3° Alii versus, quos de Jesu Christo, seu de ejus humanitate unità explicari jubet, ejusmodi explicationi repugnant, cùm in iis dicantur: *Omnia per ipsum*, nempe Verbum *facta*, ita ut *sine ipso factum sit nihil.* Omnia autem ab humanitate Christi unità creari non potuerunt. 4° Paraphrasi seu commentario Berruyeri ita 14 primi ver-

sus Evangelii secundùm Joannem perturbatè redduntur, ut omnî quâ pollent efficacià maximâ ad Arianos, Socinianos et Nestorianos refellendos, destituantur.

At, inquit, in ejusmodi versiculis non semel deprehenditur pronomen, *eum*, qui profectò ad Verbum referri nequit, quod est neutrius generis, benè verò convenit Jesu Christo. Apage ineptias! Quis nescit Joannem græco idiomate esse usum; græcam verò vocem Λόγος, cui latina *Verbum*, respondet, esse masculini generis: vulgatum porrò interpretem, licet accuratum quoad rem ipsam, in hellenismos non infrequentes labi; adeòque toties ejusmodi hellenismos in editione nostrâ vulgatâ esse supponendos, quoties vis ipsa contextûs rerumque natura id postulant, uti eò loci contingit? Hasce locutiones observare solent explanatores nostri, neque illis ullo modo commoventur.

Epistolâ primâ sancti Joannis, capite 5, versu 20, de Jesu Christo hæc leguntur: *Et scimus quoniàm Filius Dei venit et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus.* Patet eò loci Jesum Christum verum Filium Dei, dici verum Deum. Atqui non est Deus verus, quia ejus humanitas sanctissima personæ uni divinæ hypostaticè unita est, sed quia ab æterno est à Deo Patre æterno genitus, quâ generatione necessarià et jugi natura et omnia attributa Divinitatis ipsi communicantur; ergo non est verus Dei Filius, quia ejus sanctissima humanitas personæ uni divinæ in personæ unitatem est unita. Relege alia Scripturæ testimonia, quæ contra Nestorium allata sunt dissertatione 4, cap. 11, art. 2.

Probatur 2° ex Symbolis fidei. In Symbolo Nicæno et Constantinopolitano habetur: *Credo in unum Deum Patrem.... et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia secula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, et incarnatus est de Spiritu sancto ex Mariâ Virgine, et homo factus est*, etc. In vera ratio disertè exposita cur Jesus Christus sit Filius Dei unicus; quia scilicet *est ex* Deo *Patre* æterno *natus ante omnia secula, est Deus de Deo, Deus verus de Deo vero, est genitus non factus;* ergo, juxta Symbolum ipsum fidei quod omnia et singula concilia deinde suum fecerunt, et ad cujus fidem omnes fideles instituuntur, Jesus Christus non est Filius Dei virtute unionis hypostaticæ humanitatis suæ cum personâ unâ divinâ, sed propter generationem sui à Patre æternam. Notentur hæc Symboli verba: *genitum, non factum;* contra, Berruyerus perpetuò repetit Jesum Christum esse Filium Deo in tribus personis subsistenti *factum* in tempore. Et reverà, si esset Filius Dei virtute unionis, cùm illa unio mirabilis non facta sit nisi in tempore, proinde filiatio ejus divina esset in tempore facta, esset ergo *factus* in tempore *Filius Dei*, et mutanda esset professio fidei christianæ, juxta quam *est genitus, non factus.*

Similiter mutandum esset Symbolum, quod sancti Athanasii nomine inscribitur, in quo postquàm dictum est: *Filius à Patre solo est, non factus, non creatus, sed genitus*, additur de Jesu Christo: *Est ergo fides recta ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus est et homo. Deus est ex substantiâ Patris ante secula genitus; homo est ex substantiâ matris in seculo natus.* In eodem Symbolo præterea dicitur: *Unus Pater.... unus Filius.... unus Spiritus sanctus;* duplex verò Pater juxta Berruyerum, nempe Deus in tribus personis subsistens, et Pater æternus prima persona. Duplex quoque Filius in Christo seu duplex distincta realiter filiatio, nimirùm generatio æterna Verbi in quo subsistit humanitas, et unio humanitatis Christi personæ uni divinæ, quâ unione secundùm ejusdem Berruyeri sententiam verus et naturalis Dei Filius constitutus fuisset Christus, etiamsi persona cui unita est humanitas, fuisset Pater prima persona, aut Spiritus sanctus, aut etiamsi ignoraretur an plures essent in Deo personæ, et utrùm persona divina, cui unita est, sit Filius Dei Patris æternus. Supervacaneum foret congerere plurima conciliorum, romanorum pontificum, et sanctorum Patrum testimonia, quippe concilia, romani pontifices et sancti Patres ad normam Symbolorum fidei locuti sunt et docuerunt, ac ne vel unus eorum proferri potest locus qui Harduini et Berruyeri commentis faveat.

Probatur 3°, quia cùm à Berruyero post Harduinum Jesus Christus dicitur factus in tempore Filius Dei unius et veri in tribus personis subsistentis, propterea quòd ejus humanitas in personæ unitatem hypostaticè conjuncta est personæ uni divinæ, vel nomine Jesu Christi intelligunt in recto humanitatem Christi personæ uni divinæ unitam, vel personam Jesu Christi cui illa humanitas hypostaticè unita est. Si prius, uti reverà se res habet et multoties ab iis declaratur, jam eorum assertio: Jesus Christus propter unionem humanitatis suæ cum personâ unâ divinâ, est, vel factus est Filius Dei in tribus personis subsistentis, idem significat ac si diceretur: Humanitas Christi propter ejusmodi unionem est Filius Dei. Tunc verò recurrunt omnes notæ inprimis Nestorianismi et favoris Arianis et Socinianis præstiti, quibus illum errorem conclusione secundâ affecimus, sacræ Facultatis Parisiensis determinationi adhærentes. Si posterius, id est, si in istâ assertione: Jesus Christus est verus et naturalis Filius Dei propter unionem humanitatis suæ hypostaticam personæ uni divinæ, nomen Jesu Christi personam divinam designet; sensus assertionis ejusdem is erit: persona Jesu Christi est verus et naturalis Dei Filius propter unionem humanitatis suæ personæ uni divinæ, seu tunc facta est Filius Dei cùm ejus humanitas personæ uni divinæ hypostaticè unita est. Ejusmodi autem assertio sic intellecta sensum offeret *absonum, blasphemum* et *hæreticum. Absonum* quidem, nam quid absurdius est quàm dici personam Jesu Christi quæ est Verbum, Filius Dei æternus, à Deo Patre genitus ante omnia secula, tunc factam esse Filium Dei, cùm sanctissima ejus humanitas personæ uni divinæ conjuncta est, aut ab eâ unione habuisse ut esset Fi-

lius Dei! *Blasphemum* pariter; nam dignitati personæ Christi detraheret is sensus, juxta quem ratio, cur sit Filius Dei, repeteretur ab unione temporali, quasi antea Filius Dei persona illa non fuisset. Denique *hæreticum*, quia Symbolis fidei adversa foret illa assertio hoc sensu usurpata; quandoquidem filiatio divina illius personæ ab ejus generatione æternâ secundùm illa symbola repeti debet. Adde quòd hæc nova filiatio attributa ipsi personæ Jesu Christi propter unionem humanitatis suæ hypostaticam personæ uni divinæ, esset planè distincta et omninò diversa à filiatione æternâ; adeoque, quantumvis diceretur naturalis, attamen Jesu Christo adscripta absolutè et simpliciter ac sine ullâ restrictione, ita ut ea sola attendatur, et Christum Filium Dei constituat independenter à filiatione æternâ, pejorem sensum exhibet ipsâ hæresi Felicis et Elipandi, quæ Nestorianismi nomine condemnata est.

ARTICULUS II.

Idem dogma novum Harduini et Berruyeri de Christi humanitate, propter unionem Filio Dei, quantùm ad appendices præcipuas consideratur et refellitur.

Appendices novi illius dogmatis Berruyeri et magistri ejus appellamus tum quæcumque ex illo nexa sunt, tanquàm necessaria corollaria, tum etiam quæ ad ejus integritatem iis scriptoribus pertinere visa sunt. Sex verò septemve ejusmodi appendices numeramus : nempe quo sensu intelligendum sit Jesum Christum in Scripturis dici Deum, æqualem Deo, unum cum Deo Patre, etc.; quo sensu sit salvator, mediator et pontifex; quo sensu dicatur patrâsse miracula; an actiones quas per humanitatem suam elicuit Christus, à Verbo directæ fuerint; quis sensus vocis, *Filii*, in prædicatione Christi et Apostolorum, in formâ Baptismi, in doxologiis, in precibus Ecclesiæ, in Benedictionibus, in verbis signum crucis comitantibus; quæ sit certitudo novi dogmatis, quo sensu Christi humanitas adoranda cultu latriæ.

§ 1. De pravo sensu, quo juxta Harduinum et Berruyerum, Jesus Christus est et in Scripturis dicitur *Deus et super omnia Deus benedictus in secula, unum cum Patre, æqualis Deo, immortalis, Creator*, etc.

Jesus Christus in Scripturis Deus et verus Deus appellatur; Joannis 20, 28, S. Thomas Apostolus Jesum alloquens, exclamat : *Dominus meus et Deus meus;* quam fidei professionem Christus approbat. S. Joannes, Epistolæ suæ primæ v. 20, de Jesu Christo sermonem faciens, ait : *Et scimus quia Filius Dei venit; et dedit nobis sensum, ut cognoscamus Deum, et simus in vero Filio ejus; hic est verus Deus.* Dicitur *Deus super omnia.* Rom. 9, 5, hæc leguntur : *Ex quibus* (patriarchis) *est Christus secundùm carnem, qui est Deus benedictus in secula.* Dicitur *unum cum Patre;* Joan. 10, 18 : *Ego et Pater*, inquit Christus, *unum sumus.* Dicitur *æqualis Deo;* Joan. v. 18 : *Quærebant eum* (Christum) *Judæi interficere, quia Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Quod sibi à Judæis falsò non imputatum responsione suâ Christus clarè ostendit versu sequenti dicens : *Quæcumque ille* (Pater) *fecerit, hæc et Filius similiter facit.* Philipp. 11, 5, 6 et 7 : *Hoc sentite in vobis*, ait Apostolus, *quod et in Christo Jesu, qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo.* Quibus iterùm significatur Christum esse Deum et Deo æqualem.

Hæc et alia testimonia, in quibus attributa et jura Dei et ipsamet creatio omnium attribuuntur Christo, ipsi perfectè convenire intelliguntur juxta notionem ejus quam fides catholica suppeditat. Hæc omnia, scilicet, de personâ Jesu Christi prædicantur et in ipsam perfectè quadrant. Cùm Jesus Christus sit Verbum caro factum, seu Filius Dei unigenitus homo factus, juxta omnem sermonis proprietatem dicendus est Deus, Deus verus, Deus super omnia, unum cum Patre, æqualis Deo, æternus, creator, etc.

At, si in omnibus Scripturæ propositionibus, in quibus sermo fit de Christo, nomine Jesu Christi, ut sciscit Berruyerus, intelligenda est in recto sanctissima ejus humanitas personæ uni divinæ hypostaticè unita; si illa ipsa humanitas unita, propter hanc unionem, denominetur in Scripturis Filius Dei unicus et proprius; consequens est, ubi Christus etiam dicitur *Deus, Deus verus, æqualis Deo*, etc., subjectum ejusmodi propositionum, quod est Jesus Christus, idem quoque esse ac ejus humanitatem in recto personæ uni divinæ hypostaticè conjunctam, ita ut sensus sit : *Humanitas Christi unita Divinitati et Verbo completa in ratione personæ, est Deus, est Deus verus, est super omnia Deus; hæc humanitas sic unita et completa, et Pater Christi Deus unum sunt; eadem humanitas eodem modo spectata æqualis est Deo, est æterna, est creator*, etc. Atqui id ipsum non modò non dissimulant sequi ex suis assertionibus de Christo Scripturarum objecto et Filio Dei, sed et conceptis verbis docent. Jam retulimus locum Harduini, Commentario in novum Testamentum, pag. 307, ubi sic loquitur : *Individuum* naturæ humanæ, *quod est assumptum à Verbo, habet Patrem se majorem, quia Pater Deus est per naturam, individuum autem assumptum Deus est tantùm* per hypostaticam *unionem cum Verbo, quæ facit illud individuum æquale Deo*, Philipp. 11, 6. Berruyerus pariter Hominem-Deum, sive sanctissimam Christi humanitatem personæ uni divinæ unitam in tempore, in unitatem personæ, expressè significat in dissertationibus pag. 8, esse subjectum istarum propositionum, quæ de Jesu Christo in Scripturis leguntur : *Jesus Christus est Deus; et super omnia benedictus in secula; Christus et Pater Christi Deus unum sunt; Christus est æqualis Deo, immortalis, creator*, etc. ; addit, *illas propositiones verificari in Homine-Deo* (id est, ut modò explicaverat, *in sanctissimâ Christi humanitate personæ uni divinæ unitâ in tempore, in unitatem personæ), secundùm suam naturam divinam nudè et simpliciter spectatam.* Quæ explicatio coincidit cum illâ Harduini mox relatâ, quòd videlicet *individuum assumptum Deus est*

tantùm per hypostaticam unionem cum Verbo, quæ facit illud individuum æquale Deo. Videatur determinatio sacræ Facultatis ad propositiones VI et VII.

Conclusio. Vi unionis hypostaticæ Christus aut ejus humanitas non sunt nec dici possunt Deus, aut Deus verus, Deus super omnia, æqualis Deo. Probatur ex iis quæ determinat sacra Facultas super Berruyeri propositione XCIV, cujus is est tenor, 3 part., t. 3, pag. 339 : *Puisque vous portez le nom de Chrétiens, efforcez-vous de former dans vos cœurs les mêmes sentiments dont fut toujours animé celui de Jésus-Christ votre modèle et votre maître ; il était Dieu, vous le savez, l'union de sa sainte humanité avec une personne divine lui rendait propres tous les droits, comme la nature et tous les attributs de Dieu.... Avoir été fait égal à Dieu, dès le premier moment de sa conception, ce fut pour lui le comble de sa gloire, mais il ne s'en fit jamais une raison de violence, d'usurpation et de rapine. Bien loin d'en user de la sorte, lui qui était riche et qui avait dans la dignité infinie de sa personne un droit inaliénable sur toute la gloire de ce monde, il s'est fait pauvre pour l'amour de vous.*

« Ita, inquit sacra Facultas, auctor commentatur hæc « Apostoli verba, Philipp. 2, 5, 6 et 7 : *Hoc sentite « in vobis quod et in Christo Jesu ; qui cùm in formâ « Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem « Deo : sed semetipsum exinanivit*, etc. » Deinde circa ejusmodi paraphrasim, seu propositionem sic pronuntiat. « Propositio 1° *est blasphema et hæretica*, quâ « parte in eâ hæc leguntur : *Cumulata Jesu Christi « gloria in eo sita fuit, quòd à primo conceptionis suæ « instanti factus fuerit Deo æqualis.* Nàm vel ibi nomen « Jesu Christi accipi debet, pro personâ Jesu Christi : « hæc autem persona *sine blasphemiâ* et hæresi dici « non potest facta fuisse æqualis Deo à momento quo « Christus secundùm carnem conceptus est. Nempe « persona Jesu Christi, secundùm fidem catholicam « Scripturis, totâ traditione, ipsisque solemnibus fidei « Symbolis et catechismis expressam, est secunda « sanctissimæ Trinitatis persona, Filius Dei Patris « æternus, seu *Verbum* quod in tempore pro salute « nostrâ *caro factum est*, cuique ab æterno et necessariò convenit essentia et natura divina, et perfecta « cum Deo Patre æqualitas. Aliunde *blasphemum et « hæreticum* foret dicere Jesum Christum seu personam Jesu Christi, Filium Dei æternum, secundùm « humanitatem quam pro nobis in tempore assumpsit, « factum esse æqualem Deo, primo conceptionis suæ « secundùm carnem instanti. Dictum ejusmodi injuriosum esset Deo et fidei adversaretur. *Æqualis Patri* « (Jesus Christus) *secundùm divinitatem*, ait Symbolum « nomine sancti Athanasii inscriptum, *minor Patre secundùm humanitatem*. Vel in eâdem propositione accipitur nomen Jesu Christi sensu quem sæpè vidimus ab auctore attributum huicce eidem nomini *in « singulis*, ut expressè loquitur, *propositionibus*, quæ « sunt in novo præsertim Testamento, de Domino nostro Jesu Christo, vel cùm Christus de se ipso loquens inducitur, vel cùm de Christo Deus, vel cùm « scriptores sacri aliquid enuntiant de Christo proposito sibi suarum scriptionum argumento ; scilicet eo « sensu quòd Jesus Christus dicatur esse in recto humanitas illa Christi sanctissima primo conceptionis « suæ instanti unita substantialiter personæ uni divinæ. Si juxta hanc ab Harduino solo mutuatam, « ipsique et auctori propriam, atque à nobis severisimè et meritò proscriptam notionem intelligatur in « præsenti propositione nomen Jesu Christi, prout « reipsà secundùm auctoris mentem sumendum est, « tunc ejusdem propositionis significatio, hæc erit : « Cumulata gloria humanitatis unita substantialiter « personæ uni divinæ, in eo sita est, quòd hæc humanitas à primo conceptionis momento æqualis Deo « facta fuerit. Qui sanè sensus est quoque blasphemus « et hæreticus. Præterquàm quòd enim ibi notio Jesu « Christi perversa et nunquàm satis acerbè damnanda « obtruditur, ille sensus majestati divinæ detrahit et « fidem catholicam pessumdat, qui humanitatem Christi unitam substantialiter personæ uni divinæ, æqua« lem Deo facit. Christi humanitas sic unita, facta « non est, juxta fidem, in primo conceptionis momento æqualis Deo ; natura mansit creata et planè « à Deo dependens, omninò distincta à Divinitate cui « unitur substantialiter in personâ Verbi ; atque uno « verbo, tam infra Deum est posita, quàm à Deo vi « naturæ suæ existente, omnipotente, et omnimodè « perfecto, distat natura creata, quantâlibet perfectione « insigniatur, et quocumque rerum nexu arctissimo « et substantiali personæ uni divinæ conjungatur. Ita « fides docet, sic et ipsa ratio. Frustra quis regereret « æqualitatem de quâ auctor in istâ propositione, non « esse æqualitatem physicam quâ unita Christi humanitas efficeretur naturâ Deus et æqualis Deo ; sed « tantùm in eo consistere quòd, ut Harduinus loquitur, *individuum* naturæ humanæ *assumptum*, hâc assumptione factum sit Deus unione, et catenùs « æquale Deo, quatenùs impetrando et tanquàm causa « moralis potest efficere quidquid omnipotentiâ physicâ Deus potest exequi. Hâc verò expositione quam « fatemur menti auctoris et ejus magistri consonam, « potentia moralis, liberè à Deo concessa et constituta, « et ab actione liberâ quâ Deus Incarnationem operatus est, saltem omninò pendens, planè exæquaretur ac simpliciter et absolutè sine ullâ restrictione « æqualis diceretur omnipotentiæ Dei absolutæ et independenti. Sub hoc autem respectu considerata « propositio, non modò absurda est, sed et fidem catholicam directè et immediatè impetit, ac supremam « Dei majestatem lædit, adeòque *blasphema* est *et « hæretica*. (Modò videbimus quantùm fidei Divinitatis « Christi sit exitialis.)

« 2° Illa propositio iterùm *blasphema est et hæretica*, quatenùs in eâ habetur, *unionem sanctissimæ « humanitatis Christi cum personâ unâ divinâ effecisse « Christo propria omnia Dei jura, ejusque naturam et « attributa*. Enimverò hùc redit distinctio inter genuinam Jesu Christi notionem et eam spuriam quam auctor ab Harduino accepit. Juxta fidem catholicam

« Christus *est Verbum caro factum*, quod non habet ab « humanitatis à se assumptæ unione cum personâ « unâ divinâ, seu cum seipso, quòd sibi propria sint « natura, attributa, et omnia jura Dei. Hæc omnia « ipsius sunt necessariò et ab æterno, quia Dei Patris « æterni æternus Filius est, ipsi consubstantialis et « naturâ Deus.

« Quòd si notio nominis *Jesu Christi* sæpiùs à no- « bis jure proscripta, eidem nomini eò loci, ad aucto- « ris sententiam, substituatur, adeòque sensus sit, « unionem humanitatis Christi cum personâ unâ di- « vinâ, huic humanitati unitæ reddidisse propria « omnia Dei jura, attributa et naturam divinam; au- « gebitur, non minuetur, propositionis pravitas, ob- « trudetur notio Jesu Christi, quam docuimus esse « erroneam, verbo Dei scripto et tradito apertè con- « trariam et hæreticam. Insuper non declinabuntur « notæ *blasphemiæ et hæreseos* jam inustæ illi propo- « sitioni in se sumptæ. Blasphemiâ enim reus est et « in hæresim labitur, qui naturæ Christi humanæ at- « tribuit tanquàm propria naturam, attributa et omnia « jura Dei. Hæc juxta fidem non conveniunt naturæ « humanæ Christi *in recto*, quæ, licet hypostaticè « unita personæ uni divinæ, Deus non est nec appel- « lari potest. »

Objicietne aliquis auctoris apologista juxta regulas, quæ *communicationis idiomatum* à theologis appellantur, verè de Christo dici: *Deus est homo, et homo est Deus, attributa et natura et jura Dei sunt prop.ª Christi hominis*, etc. At verò quid ista, quæ lubenter amplecti- mur tanquàm catholicæ veritati congrua et fide certa, commune habent cum propositione quam perstringi- mus. Cùm juxta fidem catholicam ista de Christo enuntiantur: *Hic homo est Deus, habet sibi propria jura, attributa et naturam Dei;* nomine, *hujus homi- nis*, qui Christus est, non intelligitur in recto, secun- dùm eamdem fidem catholicam, humanitas illa Christi sanctissima unita substantialiter personæ uni divinæ; apage abnormem et spuriam notionem soli auctori ejusque magistro Harduino arridentem; sed intelligi- tur persona ipsa quæ Christus est, quæ est secunda sanctissimæ Trinitatis persona, Filius Dei æternus, Verbum æternum, propter nos homines et propter nostram salutem in plenitudine temporum homo fa- ctum. Hæc autem persona, licet incarnata sit, Deus est, ipsique sunt propria omnia jura, attributa et natura Dei.

« *Repugnat* illa propositio, *vi verborum sancti Pauli* « quorum exhibet *corruptam* paraphrasim. *Hoc sentite* « *in vobis*, ait Apostolus, *quod et in Christo Jesu, qui* « *cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est,* « *esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, for-* « *mam servi accipiens*, etc. Manifestissimum est ibi agi « de personâ Jesu Christi, cùm sermo fiat de Jesu Chri- « sto qui in exemplum à Paulo proponitur. Ergo per- « sona est Jesu Christi, de quâ dicitur quòd *in formâ* « *Dei esset*, id est, haberet naturam Dei, quòd *non ra-* « *pinam arbitrata sit, esse se æqualem Deo*, id est, non « duxerit titulum immeritum à se usurpari, cùm ipsa, « seu Christus, qui naturâ Deus est, se prædicavit esse « æqualem Deo, quòd *sese exinaniverit, formam servi* « *accipiens*, etc., id est, assumendo et sibi propriam fa- « ciendo naturam infinitè distantem à naturâ divinâ « quæ sibi essentialis est, et quâ est Deo æqualis, tum « per eamdem assumptam à se naturam exercendo ac- « tiones summæ obedientiæ et humilitatis; quippe Chri- « stus factus est Patri æterno obediens usque ad mor- « tem crucis. Hæc aperta sunt et obvia, atque fidem « catholicàm adversùs Arianos, Socinianos, Sabellia- « nos, Nestorianos ex æquo stabiliunt et confirmant. « Contra, auctor hæc eadem interpretatur sensu di- « storto, ut planum est, et eorumdem, ut modò videbi- « tur, hæreticorum causam juvat. »

Sed singulare Harduini delirium, quod auctor suum fecit, advertatur; ubi Apostolus habet: *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo;* illi ambo legunt: *Non ejus rapinæ arbitratus est, esse se æqualem.* Deinde commentantur ex eo quòd Christus esset Deo æqualis, hunc sibi *occasionem* seu *rationem* rapinæ, seu rapiendi bona temporalia non esse arbitratum, sed vitam pau- perem ab eo esse actam. At verò sanctus Paulus non ait *occasionem* aut *rationem rapinæ*, dicit, *rapinam.*

« 4° *Adversatur regulæ interpretandi Scripturas sa-* « *cras juxta consensum sanctorum Patrum;* imò nemo « hactenùs eum Apostoli locum hoc modo interpreta- « tus fuerat, si Harduinum excipias.

« 5° *Causam Arianorum, Socinianorum, Sabellianо-* « *rum et Nestorianorum maximè juvat.* 1° Enim eò ten- « dit ut adversùs ejusmodi hæreticos inutilem reddat « insignem illum Apostoli locum, qui contra illos feli- « citer à sanctis Ecclesiæ Patribus et à theologis urge- « tur, eo modo expositum quo eum interpretamur. 2° « Si semel ponatur Christo, sive, juxta auctorem, hu- « manitati Christi unitæ fuisse propria omnia jura, at- « tributa et naturam Dei, eumque à primo conceptionis « instanti reddidisse æqualem Deo; Ariani, qui Ver- « bum non esse æternum et Deum summum aiebant, « jure colligent se perperàm confutari à catholicis seu « nullum prorsùs esse argumentum ab illis ex eo du- « ctum, quòd Verbo, seu Christo Filio Dei in Scriptu- « ris adscribantur tanquàm propria, jura et attributa « Dei, naturaque divina, ac absoluta cum Deo æqua- « litas. »

Sociniani autem, juxta quos Christus non est nisi præco Dei sanctissimus et voluntate conjunctissimus, ab eo constitutus omnium supremus Dominus, vices- que ejus ita gerens, ut valeat postulando, et tanquàm causa moralis exequi quæcumque physicè potest Deus summus, Sociniani, inquam, jure contendent, posità auctoris paraphrasi, mirum non esse quòd idem Chri- stus ob ejusmodi dotes sibi concessas, licet non sit Deus summus, nomine tamen Dei, nomine Filii Dei sine ad- dito in Scripturis insigniatur, imò juribus, attributis, naturâ Dei, et æqualitate cum ipso pollens exhibeatur, utpote vi decreti Dei et potestatis sibi commissæ ea omnia valens efficere moraliter, quæ Deus per omni- potentem voluntatem.

Dicent Sabelliani humanitatem Christi sanctissimam esse arctissimo et substantiali vinculo conjunctam cum

personâ illâ unicâ supremâ, quæ sola juxta ipsos Deus est. Addent humanitatem hanc ita unitam Christum esse Dei Filium, cui unio illa ita effecit propria omnia jura et attributa Dei et naturam divinam, quemque eadem unio ita reddidit Deo æqualem, ut reipsà ipsa ejusmodi æqualitas, jura, natura et attributa de eo in sacris litteris prædicentur.

Demùm asserent Nestoriani humanitatem illam Christi ita evectam et exaltatam unione cum Verbo divino ut ipsi sint propria jura, attributa et natura Dei, posse proinde dicere : *Mea sunt Dei jura*, Dei attributa, Dei natura; quod si semel iis concederetur, jam neque ex Scripturis, neque ex fidei Symbolis, aliisque traditionis monumentis possent confutari. Præterea sequeretur ad eamdem Christi humanitatem attinere ut propriè et sine metaphorâ dicat, *Ego;* quo loquendi modo nullus est alius certior et evidentior personæ character; inde concludendum

6° « Eâdem propositione *Nestorianam tabem involvi.* »

§ 2. *De pravo sensu, quo, secundùm Berruyerum et magistrum, Christus reverà est et in Scripturis dicitur Dominus, Salvator, Mediator, Pontifex, caput nostrum, sponsus Ecclesiæ, cognitor futurorum, secretorum cordis inspector, miraculorum effector, institutor sacramentorum, Spiritûs sancti dator*, etc.

Hos aliosque ejusmodi titulos observat Berruyerus attribui Christo propositionibus, quæ *in singulis ferè sacrorum librorum paginis leguntur*, atque simul disertè pronuntiat in illis omnibus propositionibus, *Christum appellari, ut est hæc numero humanitas in Verbo subsistens.* Ita tomo octavo secundæ partis, quæstione primâ, pag. 12; quod verò ibi generaliter dicit, deinde inculcat et repetit de singulis, et probare conatur totâ illâ quæstione seu dissertatione primâ. Singula quæque illa prosequi et quantùm à rectâ fide aberrent ostendere longum foret, et præterea minimè necesse est, cùm stare nequeant, rejectâ et severè proscriptâ notione falsâ et absurdâ Jesu Christi quam ab Harduino hausit Berruyerus et cui adeò obstinatè adhæret. Legi potest determinatio sacræ Facultatis parte primâ, sectione primâ, ad propositiones VI et VII, et undecim alias sequentes.

Sufficiat observare I°, non tantùm in dissertationibus suis latinis, sed etiam in ipsâ historiâ gallicè scriptâ, Berruyerum expressè tribuisse humanitati Christi in personâ unâ divinâ subsistenti dotes et titulos salvatoris et redemptoris. *La gloire de l'humanité de Christ*, inquit parte tertiâ tomo 4, pag. 244, *subsistante dans une personne divine, et élevée par cette union adorable jusqu'à la dignité de Fils de Dieu, était de se voir assez grande pour satisfaire pleinement à la justice de Dieu, et pour seconder les vues de sa miséricorde en faveur du salut des hommes.* Et pag. 89 et 90 : *Il n'y a qu'un médiateur entre Dieu et les hommes; et ce médiateur unique, c'est Jésus-Christ notre Seigneur, dont l'humanité sainte, unie à une personne divine, a offert à Dieu, son Père, des satisfactions plus que suffisantes pour réconcilier tous les hommes.* Rursùs, paginâ 251 : *Etudiez ... le Christ que Dieu vous a donné.... grand jusque dans ses abaissements et dans ses souffrances, qui assurent pour toujours à son humanité récompensée et glorifiée, les titres inestimables de Sauveur des hommes, de modèle des chrétiens et de Pontife de la nouvelle alliance.*

II° Observamus quadruplici modo facilè demonstrari quàm pravè omnes illos titulos humanitati Christi personâ unâ divinâ in genere subsistendi completæ Berruyerus in recto attribuat; 1° quia illi tituli in Scripturis prædicantur de Jesu Christo; ergo de ejus personâ, cùm nomen Jesu Christi sit nomen proprium personæ et personam designet; persona autem Jesu Christi, secundùm fidem catholicam, non sit humanitas ejus sanctissima personæ uni divinæ hypostaticè conjuncta, sed sit ipsummet *Verbum caro factum*, seu Filius Dei æternus pro nostrâ salute homo factus; 2° quia, juxta Symbolum Nicænum et Constantinopolitanum, Jesus Christus Dominus noster *est Filius Dei unigenitus, ex Patre natus ante omnia secula, Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, genitus, non factus, consubstantialis Patri,... qui propter nos homines et propter nostram salutem.... incarnatus, homo factus est; crucifixus etiam pro nobis, passus et sepultus; resurrexit tertiâ die.... venturus est judicare vivos et mortuos.* Ipse est igitur Jesus Christus Filius Dei æternus, qui est *Dominus noster*, qui *homo factus est* propter nostram salutem; qui *crucifixus est pro nobis passus et sepultus est*, adeòque ipse Jesus Christus Filius Dei æternus est *salvator ac redemptor* noster, atque *mediator* unicus. Est etiam *Judex*, cùm *venturus sit judicare vivos et mortuos.* Est ergo pontifex, sponsus Ecclesiæ, caput fidelium, institutor sacramentorum, ipsique, non humanitati ejus unitæ, adscribendi in recto omnes dotes et characteres ex ejus titulo salvatoris et redemptoris derivantes. 3° Quemadmodùm nomen Jesu Christi est nomen proprium personæ, quod personam designat : ita et de personâ immediatè dicitur quòd sit salvator, redemptor, mediator, pontifex. Hæc omnia nomina et ejusmodi alia personam directè indicant et afficiunt, non verò naturam quæ personæ esset unita et persona non esset : ergò, dùm hisce nominibus vult Berruyerus post Harduinum insigniri in recto humanitatem Christi sanctissimam personæ uni divinæ unitam; dùm hanc perhibent esse Jesum Christum, esse salvatorem, pontificem ac muniis omnibus pontificis et salvatoris esse defunctam; hanc humanitatem, licet personam non esse dicant, tamen ut personam reverà exhibent et ei attribuunt personæ characteres. Ergo Nestorianismum propinant. 4° Denique nemo non videt quantùm Arianis et Socinianis faveant, dùm Scripturas de Jesu Christo salvatore, redemptore, pontifice, etc., explicant sensu doctrinæ et interpretationibus sanctorum Patrum et ipsimet Symbolo Nicæno repugnante.

Id III° observandum ducimus, quod Berruyerus ibid. p. 16 et 17 effutit de Christo sacramentorum institutore; nimirùm, *eo unicè sensu* dici in Scripturis Jesum Christum *sacramentorum institutorem, melioris Testamenti sponsorem et mediatorem*, quòd ea instituerit *humanitas ejus in personâ unâ divinâ subsistens* au-

ctoritate debità humanitati ejus humanæ, quia subsistit in personâ unâ divinâ. Super quâ propositione, quæ XVIII in determinatione collocatur, hæc notat sacra Facultas : *Hæc propositio, si hoc unum exprimeret, Jesum Christum seu personam Jesu Christi,* EO UNICÈ SENSU *dici in Scripturis sacramenta instituisse, quòd illa solùm instituerit auctoritate quâ pollebat ut homo, quamque humanitas sua exercebat, non verò auctoritate quâ valebat ut Deus, esset* FALSA, TEMERARIA, SCRIPTURIS DIVINIS CONTRARIA ET ERRONEA. *Nam Jesus Christus ut homo, seu per humanitatem suam operans, habuit duntaxat potestatem ministerii principalis et excellentiæ in sacramentis instituendis. Soli autem Deo competit potestas, ut aiunt, auctoritatis et causæ principalis, seu potestas suprema et independens instituendi sacramenta, siquidem solus Deus potest signo alicui sensibili alligare vim conferendæ gratiæ. Cùm ergo fide certum sit Jesum Christum Deum esse et hominem, falsum est, temerarium, Scripturis sacris adversum et erroneum nullam agnoscere ejus Divinitatis, seu ipsius ut Dei, in sacramentorum institutione operationem.*

Verùm eamdem propositionem dicere *hæreticam* nihil vetat, si secundùm genuinam suam significationem ita contrahatur : *Unicus sensus quo in Scripturis Christus dicitur instituisse sacramenta, is est, humanitatem Christi sanctissimam in personâ unâ divinâ subsistentem et in recto consideratam, ea instituisse juxta Scripturas.* Nam posito hoc Scripturas explicandi modo, institutio sacramentorum directè, immediatè et in recto adscribitur enti creato et dependenti, quod fidei planè opponitur.

Præterea, circa titulos *mediatoris ac sponsoris novi Testamenti*, adeòque circa valorem infinitum actionum et satisfactionum Christi, doctrinam obtrudit severissimè proscribendam ut modò videbitur.

Observandum IV° quantùm à vero deviet Berruyerus post Harduinum, cùm pag. 17 et 18, docet *actiones omnes et passiones Jesu Christi, Hominis-Dei, esse dignitatis, pretii, valoris et satisfactionis infinitæ.... quatenùs eliciuntur effectivè à naturâ Jesu Christi humanâ, quæ humanitas Dei est, in personâ unâ divinâ subsistens ;* atque Jesum Christum *eo unicè sensu dici in Scripturis mediatorem et salvatorem nostrum pro jure suo et pro meriti mensurâ superabundante.* Hâc propositione, quæ in determinatione sacræ Facultatis est XIV, idem effertur quod observatione præcedenti advertimus à Berruyero significatum, nempe, *eo unicè sensu Christum* dici in Scripturis *mediatorem et sponsorem novi* Testamenti, quòd ipsa sit ejus humanitas personâ unâ divinâ in genere subsistendi completa, cui in recto hi tituli adscribendi sunt.

Atqui, inquit sacra Facultas ad hanc propositionem XIV, « hæc propositio 1° duo continet quæ inter se « non conveniunt. Actionibus enim et passionibus « Jesu Christi quibus pro nobis meruit et satisfecit, « dignitas quidem, pretium et valor infinitus hâc pro- « positione attribuuntur ; at simul summi illius valoris « pretii et dignitatis fundamentum penitùs concutitur « et rejicitur. Hæ quippe actiones et passiones hâc eâ- « dem propositione eatenùs dicuntur esse dignitatis, « pretii et valoris infiniti, quatenùs natura Christi « humana personæ uni divinæ substantialiter unita « has elicit effectivè ; adeò ut *eo unicè sensu* Jesus « Christus Homo-Deus dicatur in Scripturis *Salvator.* « Atqui tamen valor summus actionum et passionum « quibus Christus pro nobis meruit et satisfecit, inde « reipsà oritur, juxta doctrinam in Ecclesiâ catholicâ « indubitatam, quòd essent actiones et passiones per- « sonæ divinæ per naturam humanam à se assumptam « operantis et patientis ; nempe cùm Christus orabat, « obediebat, sese humiliabat, patiebatur, etc., tunc « persona divina, Filius scilicet divinus, Deus de Deo, « æqualis et consubstantialis Patri, ut homo, seu per « naturam humanam sibi unitam operans, orabat, « obediebat, sese humiliabat, patiebatur, atque *is « unicus est sensus*, quo illæ actiones et passiones di- « gnitatis infinitæ, pretii et valoris summi fuisse intel- « liguntur ; *illo unico sensu* orationes, depressiones « et passiones illæ concipiuntur à personâ, quæ verè « Deus est et Deo æqualis, per naturam à se assum- « ptam exhibitæ. Dùm ergo sensum hunc à scriptori- « bus sacris auctor removens, illum alium invehit, ex « falsâ suâ et jam pluries damnatâ Jesu Christi no- « tione consequentem, quo uno vult Jesum Christum, « Hominem-Deum, esse salvatorem et mediatorem « nostrum, illud ab eo decernitur, quod stare non « potest cum summo pretio et valore actionum et pas- « sionum, quibus Christus meruit et satisfecit.

« 2° *Repugnat* illa propositio *Symbolis fidei*, juxta « quæ Jesus Christus, Filius Dei unigenitus, æternus, « Deus verus de Deo, etc., propter nos homines et « propter nostram salutem homo factus, pro nobis « passus est, crucifixus, mortuus. Adeòque juxta « Symbola, non humanitas Christi unita Verbo, est « salvator et mediator noster, quatenùs produxit « effectivè actiones et passiones quæ pretii sint summi « propter hujus humanitatis unionem cum Verbo ; « sed ipsum est Verbum, ipse est Filius Dei æternus, « qui naturâ humanâ à se assumptâ operans et pa- « tiens, omnia salvatoris munia obiit, actionesque « elicuit et passiones toleravit, quæ propter sui digni- « tatem infinitam, pretii sunt et valoris summi.

« 3° *Repugnat Scripturæ sacræ.* Philipp. 2, 5, 6, 7 « et 8 : *Hoc sentite in vobis*, ait Apostolus, *quod et in « Christo Jesu, qui cum in formâ Dei esset, non rapi- « nam arbitratus est, se esse æqualem Deo ; sed exinani- « vit semetipsum, formam servi accipiens, in similitudi- « nem hominum factus et habitu inventus ut homo. « Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mor- « tem, mortem autem crucis ;* hæc tum per se, tum et « juxta unanimem sanctorum Patrum et interpretum « catholicorum consensionem, significant personam « Jesu Christi, quæ in naturâ Dei est, æqualis Deo « Patri, quæ semetipsam exinanivit, formam servi « accipiens, seu quæ naturam humanam infra Deum « infinitè positam sibi hypostaticè conjunxit, eam « ipsam esse personam quæ humiliavit semetipsam « et facta est obediens usque ad mortem, mortem

« autem crucis. Ea igitur est persona, nempe per-
« sona Filii Dei, quæ secundùm humanitatem suam
« pro nobis se humiliavit, obedivit, passa est,
« cruci fuit affixa, quæ sustinuit partes Salvatoris
« nostri, quæ dignitate suâ summâ actiones et pas-
« siones, quarum sua humanitas fuit principium
« effectivum et subjectum, summè nobilitavit, eis-
« que valorem et pretium infinitum contulit. Ergo,
« etc. Plurima alia Scripturæ testimonia omittimus.
« Nullum est quo contineatur unicus ille sensus quem
« Scripturis sacris auctor affingit.

« 4° Illâ propositione *mysterium ineffabile redem-*
« *ptionis nostræ impetitur, eique impiè attentatur*, ut ex
« dictis hactenùs facile est colligere; eâdemque *con-*
« *sensus sanctorum Patrum in interpretandis Scripturis*
« *apertè contemnitur.* »

V° Observandum præterea judicium illud Berruyeri, *eo unicè sensu in Scripturis Jesum Christum aut à se aut à scriptoribus sacris dici futurorum cognitorem, inspectorem secretorum cordis, mysteriorum revelatorem, quòd futura omnia cognoverit, et cordium secreta inspexerit, et mysteria viderit in sinu Patris scientiâ infusâ... debitâ naturæ Christi humanæ, quia humanitas illa subsistit in personâ unâ divinâ, et humanitas Dei est.*

Ad quæ sacra Facultas super propositione XV hæc habet : « Hæc propositio, quæ etiam nexa est ex « eâdem falsâ notione Jesu Christi ab auctore traditâ : « *Jesus Christus est humanitas Christi unita substan-* « *tialiter personæ uni divinæ*, 1° falsa est et sacris lit-« teris adversa. Joan. 1, 18 : *Deum nemo vidit un-* « *quàm... unigenitus Dei Filius, qui est in sinu Patris,* « *ipse enarravit;* ubi ex toto antecedentium contextu « liquet eum qui ibi dicitur unigenitus Dei Filius, « esse Jesum Christum qui (juxta v. 14) est *Verbum* « *caro factum*, quod (v. 2) *in principio erat apud Deum*, « id est, in sinu Patris; quo etiam sensu Christus de « seipso ait Joan. 10, 38 : *Pater in me est, et ego in* « *Patre.* Præposterè ergo in propositione, de quâ agi-« mus, explicantur hæc verba : *Unigenitus Dei Filius,* « *qui est in sinu Patris, ipse enarravit*, de humanitate « Christi ea enarrante quæ per scientiam infusam sibi, « prout Verbo unita est, vidit in sinu Patris. »

Pariter perperàm de solâ scientiâ infusâ humanitati Christi explicaretur is locus Joan. 2, 24 et 25 : *Jesus non credebat semetipsum eis eò quòd ipse nôsset omnes, et quia ei opus non erat ut quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat quod esset in homine;* quæ ita generatim dicta adscribunt Christo characterem et titulum scrutatoris cordium, qui character proprius est Dei juxta ipsas Scripturas Psalmo 7, 10 : *Scrutans corda et renes Deus.* Idem dicendum de iis testimoniis in quibus Jesus Christus exhibetur ut cognitor futurorum omnium. Non negamus tamen titulos futurorum cognitoris et cordis secretorum inspectoris, Christo ut homini, seu per humanitatem suam inspicienti et cognoscenti competere. Sed non *eo unicè sensu* hi tituli Christo ut homini congruunt, quòd ipse sit, ut auctori placet, natura humana Verbo unita, cui naturæ ob illam unionem debita sit scientia infusa, quâ futura prævideret et secreta cordis inspiceret. Christus est Filius Dei æternus, homo pro nobis factus in tempore, qui idcircò per ipsam naturam à se assumptam fuit cognitor futurorum et secretorum cordis inspector, quia ipsi erat propria natura divina, cui illi tituli necessariò conveniunt, et ex quâ notitiam secretorum cordis et futurorum natura Christi humana consequebatur. Hinc patet discrimen inter modum quo Christo homini tam futura quàm secreta cordium innotescebant, et rationem quâ hæc eadem Prophetis et puris hominibus aliquando fuêre perspecta; his nempe non erat propria nec perpetuò insita hæc virtus, quam per intervalla temporum à Deo tanquàm à causâ sibi extraneâ quandòque recipiebant; Christus verò duabus naturis constans, divinâ et humanâ, in semetipso continebat omnem vim Divinitatis, et utrâque naturâ sine confusione agebat, cùm cordis secreta et futura omnia intuebatur. Velle in locis Scripturæ sacræ, in quibus de operationibus per se et substantiâ supernaturalibus agitur, mentionem fieri solius humanitatis, idem est ac si negaretur apud Scripturas unquàm commemorari divinæ ejus naturæ operationes, quotiescumque de Christo operante in iis sermo fit.

« 2° *Opponitur interpretationi omnium sanctorum Pa-*
« *trum*, qui ex eo quòd Christus secreta cordis inspi-« ceret et futura omnia cognosceret, et quæ sunt *in* « *sinu Patris* videret, colligebant adversùs Arianos ipsi « Divinitatem et Patri æterno consubstantialitatem « competere.

« 3° *Nestorianismo, Arianismo et Socinianismo favet.* « Nam, si *eo unicè sensu* Christus dicatur in Scripturis « vidisse quæ sunt in sinu Patris, omnia futura cogno-« visse et secreta cordis inspexisse, quòd scientia in-« fusa suæ humanitati unitæ debita hæc præstaret, se-« quitur caduca esse argumenta quæ ex iis proprieta-« tibus à sanctis doctoribus jure deducta sunt, ad « ostendendam Christi Divinitatem et unam esse in « Christo personam, nempe personam Verbi Dei; se-« quitur ab iis Scripturæ locis quibus, posito dogmate « unionis substantialis naturæ divinæ et humanæ in « Christo, unum ejus consectarium manifestissimum « et immediatum maximè exprimitur, nempe concur-« sus operationum utriusque naturæ in stupendis et « vim naturæ humanæ per se excedentibus effectibus, « hunc tamen sensum esse removendum, illumque so-« lum esse iis locis adscribendum, quo naturæ divinæ « efficientia in ejusmodi operibus non attenditur, non « memoratur, proinde ac si nulla esset, atque una « duntaxat Christi humanitas ejusmodi opera effecis-« set; quæ quantùm Nestorianis, Arianis et Socinianis « faveant, et ipsi mysterio *Verbi carnis facti* officiant « facilè intelligitur. Hinc

« 4° Hanc eamdem propositionem dicimus erro-« neam. »

Observandum venit VI° quod effutit Berruyerus de Christo miraculorum effectore : *Eo unicè sensu*, ait pag. 13 et 14, *dici miraculorum effectorem Jesum Christum, quod ea effecerit potentiâ debitâ... naturæ Christi humanæ, quia humanitas illa humanitas Dei est, in ver-*

sonâ unâ divinâ subsistens. Addit verò *potentiam miraculorum illam esse, quâ miracula quotiescumque vult voluntate absolutâ Christus effecit, non precariò... prece tamen, postulatione, aut quâcumque aliâ sive internâ sive exteriori significatione voluntatis suæ efficacis; quæ voluntas humana cùm voluntas sit personæ unius divinæ, non potest non statim perfici, et cùm postulat efficaciter, non statim exaudiri.*

In determinatione sacræ Facultatis circa illam propositionem, quæ est XVI, hæc sanciuntur : « 1° *Falsa « est;* quia Christus utpote Deus et homo patrabat « miracula potentiâ physicâ, virtute omnipotenti, vi « Divinitatis propriâ ipsique intrinsecâ, licet in iis pa- « trandis partem aliquam habuerit humanitas, v. g., « postulationibus, dictis, contractibus, etc. 2° *Sacris « Scripturis est apertè contraria*, huicque præsertim « textui desumpto ex capite 5 sancti Joannis, v. 16 et « sequentibus : *Persequebantur Judæi Jesum, qui hæc* « (miracula) *faciebat in sabbato; Jesus autem respondit « eis : Pater meus usque modò operatur et ego operor; « propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere, « quia non solùm solvebat sabbatum, sed et Patrem suum « dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Respondit ita- « que Jesus et dixit eis : Amen, amen dico vobis, non « potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit « Patrem facientem; quæcumque enim ille fecerit, hæc « et Filius similiter facit.* Quibus verbis manifestè Chri- « stus eamdem sibi tribuit potentiam et operationem « quâ pollet Pater, potentiam ea omnia faciendi quæ « facit Pater, potentiam quâ sit æqualis Patri; quod « de solâ potentiâ physicâ potest intelligi. Potentia « enim moralis quæ exercetur solùm per preces effica- « ces et postulationes absolutas, dignasque statim « exaudiri, quæcumque illa sit, nec similis, nec æqua- « lis est Patris potentiæ, nec ad ea omnia extenditur « quæ Pater operatur. 3° *Est sanctis Patribus, theolo- « gis et interpretibus catholicis adversa, favetque Arianis « et Socinianis.* Quotquot enim è sanctis Patribus ad- « versùs Arianos, atque ex theologis et interpretibus « adversùs Socinianos, insurrexêre, ii hoc usi sunt « valido argumento ad probandam Christi Divinitatem, « quòd eadem esset Patris et Filii potentia, potentia « procul dubio physica; nam ex potentiâ morali ad « probandam Christi Divinitatem, nonnisi mancum et « invalidum deductum fuisset argumentum. *Favet* « proinde illa propositio *hostibus Divinitatis Christi.* 4° « *Erronea est.* Nam, posito mysterio Incarnationis, ne- « cesse est consequenter ea Scripturæ loca quæ ferunt « Christum patrâsse miracula, accipi de operibus à « Christo productis actione omnipotenti Divinitatis « suæ, necnon humanitatis actione Verbo subordinatâ. « 5° *Est hæretica*, quatenùs scilicet disertè et absolutè « asserit *eo unicè sensu* Jesum Christum dici miraculo- « rum effectorem, quòd habeat potentiam ea certò im- « petrandi à Deo. Nam fide certum est Jesum Christum « esse Deum et hominem, ipsique necessariò compe- « tere summam, independentem et physicam patrandi « miracula potentiam. »

VII° Denique unum adhuc observare liceat, nempe juxta Berruyerum illud Christi Joan. 16, 7 : *Mittam* eum (Spiritum sanctum) *ad vos*, non debere intelligi de missione Spiritûs sancti à Filio *pro ratione ataue ordine processionis* : quam quæstionem temerè *satis subtilem scholæ quæstionem vocat;* sed de *postulatione efficaci*, quâ Christus seu humanitas personæ uni divinæ unita *rogabit Patrem*, ut Spiritum sanctum mittat, et quæ *statim efficietur*, quia *postulatio illa erit humanitatis, quæ humanitas est in personâ unâ divinâ subsistens.* Quàm temeraria sit et vitiosa illa interpretatio nemo theologus non perspicit. At id in mentem revocemus, quod sæpè vidimus à Berruyero pronuntiatum, nempe Patrem Christi seu humanitatis in personâ unâ divinâ subsistentis esse Deum unum et verum in tribus personis subsistentem, nempe in Patre, Verbo et Spiritu sancto. Quomodò autem Pater eo sensu acceptus mittet Spiritum sanctum ad postulationem Jesu Christi? Quis est ille Spiritus sanctus qui à Deo uno et vero in tribus personis subsistente, à totâ Trinitate, à se ipso mittetur? eritne aliud quàm donum aliquod creatum, meraque efficientia divina, ut commenti sunt Sociniani?

§ 3. *Expenditur et refellitur appendix tertia novi dogmatis, nempe naturam Christi humanam, in actibus per illam elicitis, minimè regi à Verbo.*

« Non completur, inquit Berruyerus, tomo 8 se- « cundæ partis, pag. 22, per unionem Verbi hypostatam « eadem natura humana Christi in ratione prin- « cipii actiones suas etiam supernaturales producen- « tis. » Ibidem : « Ad complementum autem naturæ « Christi humanæ in ratione principii agentis, et « actiones suas sive physicè sive supernaturaliter pro- « ducentis, Verbum nihil omninò confert. » *Défense de la seconde partie de l'Histoire du peuple de Dieu*, Avenione 1755, pag. 30, 31, 32, Nanceii 1759, pag. 20, 21, 22 : *L'humanité, abstraction faite de telle ou telle personne divine ou humaine dans laquelle elle doit subsister, conserve son entendement, sa volonté et les autres facultés, qui n'ont pas besoin d'être mises en mouvement, ni déterminées par l'impression de la personne pour produire les actions, soit naturelles, soit surnaturelles; mais seulement du concours naturel ou surnaturel. Aidée de ce concours, la nature, comme nature, a en elle tout ce qui est nécessaire pour être le principe physique, le principe élicitif de ses actions, ou le principe quo.* Ibid. edit. Aven. pag. 44, 45, et Nanc. pag. 29, 30 : *La nature humaine, comme principe efficient de ses actions, sans avoir besoin de tenir de l'impression du Verbe ses mouvements et ses déterminations, pouvait aussi dire* : Moi, EGO, *au neutre, en ce sens qu'elle ne dépendait pas du Verbe comme principe qui la régit, qui la pousse, qui la détermine.* Ibid. edit. Aven. p. 49, Nanc. pag. 33. *Ce n'était point par l'union hypostatique, que l'humanité était constituée formellement impeccable, le Verbe n'influant par lui-même ni sur la volonté, ni sur les actions; c'était par des dons surnaturels dont cette union exigeait l'abondance et le choix. Ces dons étaient toujours efficaces, dit le P. B., et ils ne pouvaient pas l'être du mo-*

ment que Dieu voulait que l'humanité fût hypostatiquement unie au Verbe; ils l'étaient EX PRÆVISIONE, *mais iis ne l'étaient pas moins pour assurer infailliblement l'impeccabilité de Jésus-Christ.*

De his dictis legatur determinatio sacræ Facultatis super propositionibus XIII, pag. 43 et 44 partis primæ, et proposit. CXIII, CXIV, CXV, pag. 18 et seqq. partis secundæ. Quatuor in iisdem occurrunt refellenda et proscribenda. Unum est quòd distinguitur inter actiones Christi naturales seu physicè productas, et actiones ejusdem supernaturales seu supernaturaliter productas. Nullam actionem indeliberatè, nullam nisi voluntariè et cum advertentiâ, nullam nisi influente gratiâ interiori, cujus ipsi inerat fons et plenitudo, et ex motivo perfecto et supernaturali Christus sanctissimâ suâ humanitate pròducebat, ac proinde nullam nisi supernaturalem. Verbum hanc humanitatem sibi hypostaticè unitam, adeoquè ut suam regebat in omnibus et singulis quæ per ipsam eliciebantur. Si quæ ad vitæ animalis usum pertinent, à christiano, juxta sanctum Paulum, facienda sunt *in gloriam Dei;* quis dubitaverit, modò unicam in Christo Verbi Dei personam admittat, omnes actus Christi ut hominis fuisse meritorios, Deo acceptos, et supra vires naturæ humanæ sibi relictæ longè fuisse constitutos? Hinc ipse de seipso loquens, Joan. 8, 29, aiebat: *Ego quæ placita sunt ei* (Patri) *facio semper.* Distinctio igitur prædicta *Christi ut hominis dignitati et excellentiæ derogat,* Nestorianismi est surculus, et ut erronea proscribi debet. Insuper *constanti sanctorum Patrum* doctrinæ adversatur, juxta quos *humanæ actiones omnes Christi deificatæ, divinæque fuerunt..... sive quòd humana natura, auctore ac moderatore Deo, ita gubernabatur, nihil ut sine ipsius nutu prorsùs ageret; verùm eò maximè quòd agendi vim et potentiam ab divinâ personâ tanquàm à formâ determinante et perficiente et ultimum substantiæ complementum adhibente caperet, sine quo nec existeret in rerum naturâ, nec operari omninò potuisset.* Verba sunt doctissimi Petavii, quid eâ de re veteres Ecclesiæ doctores senserint, explicantis, lib. 8 de Incarnatione, capite 10.

Alterum igitur, quod in iisdem Berruyeri assertis gravi reprehensione dignum est, in eo consistit quòd contendat Verbum *nihil omninò conferre* ad complementum naturæ Christi humanæ *in ratione principii agentis et actiones humanas producentis*, adeò ut hæc natura *à Verbo non penderet tanquàm à principio quo regeretur, impelleretur et determinaretur.* Illud verò easdem notas provocat. Fatetur ipse Berruyerus, quod ad fidem attinet, nempe Christi humanitatem gratiâ sanctificante eximiâ ornatam, et gratiis actualibus, iisque omnibus efficacibus indesinenter adjutam. A quo autem derivantur hæ gratiæ, quibus in ratione principii agentis et actiones suas producentis completur? A Deo sanè, à totâ Trinitate, à Patre, Filio et Spiritu sancto, qui per actionem tribus adorandis illis personis communem complent naturam humanam in ratione principii activi, eamque regunt, moderantur et determinant quantùm ad singulos actus quos elicit. Hæc quoque fide certa sunt. At in istâ directione aliquid est speciale Verbo, nempe habet hanc humanitatem sibi hypostaticè unitam, et per eam agit ut suam. Ergo hanc complet, regit, moderatur et determinat ut suam; Pater verò et Spiritus sanctus eam non regunt ut suam, sed ut humanitatem à Verbo assumptam, ut humanitatem Verbi, per quam Verbum operatur. Hæc ex Incarnationis mysterio evidenter nexa sunt. Hinc omnes theologi et omnes sancti Patres qui de hâc materiâ disserunt, unanimiter sentiunt naturam Christi humanam regi à Verbo ut suam in omnibus actibus, qui naturâ illâ eliciuntur, idque habent ut appendicem necessariam dogmatis de unicâ in Christo personâ, quæ est persona Verbi.

Tertium spectat ad impeccabilitatem Christi, quæ à Berruyero et ejus defensore repetitur à gratiis *ex prævisione* efficacibus jugiter concessis Christi humanitati, ipsique debitis, quia hypostaticè unita est personæ uni divinæ. Verùm gratiæ quocumque modo efficaces non tollunt potestatem ad oppositum. Si ergo vi solâ ejusmodi gratiarum Christus peccati fuisset expers, potuisset tamen peccare. Deinde, si Verbum non regebat humanitatem ut suam, jam unioni hypostaticæ inerat solùm virtus moralis ad gratias illas humanitati Christi conciliandas, quas sibimetipsi Christus non tribuebat. Ergo voluntas Christi fuisset peccandi capax, licet nunquàm peccâsset. Atqui tamen non modò actus peccati, sed etiam omnis peccandi potentia est à Christo arcenda. In eo fuit quidem libertas contradictionis, id est, hoc vel illud benè agendi; sed non fuit libertas contrarietatis tam scilicet circa malum quàm circa bonum. Christus est Verbum homo factum. Si ergo Christus homo peccâsset, Deus Verbum per humanitatem assumptam agens, peccâsset; ergo si Christo homini inesset potentia peccandi, Verbum quatenùs per humanitatem assumptam agere potest, posset peccare. Omnes sancti Ecclesiæ doctores unanimiter sciscunt Christum nec peccâsse nec peccare potuisse, de quibus consule Petavium lib 11 de Incarnatione, capit. 10, 11 et 12. Ergo non sufficit omnem actum peccati à Christo removeri. *Falsum et temerarium, blasphemum, erroneum et hæresi saltem proximum est,* ipsi adscribi hunc defectum moralem, quòd nempe peccare potuerit.

Quartum ad id contingit, quod enuntiatur ab apologistâ, nimirùm naturam Christi humanam potuisse dicere, *Ego,* in neutro genere. Quod jam satis superque confutavimus art. 1 hujus capitis inter probandam conclusionem primam.

§ 4. *De appendice quartâ novi dogmatis, nempe cùm Christus et Apostoli de Filio Dei sermonem habuerunt, eos intelligendos esse in recto de humanitate Christi sanctissimâ personæ uni divinæ unitâ in unitatem personæ, et per hanc unionem naturali Filio Dei factâ in tempore, Dei, inquam, in tribus personis subsistentis.*

Non modò id sequitur ex Harduini et Berruyeri præcipuis placitis circa Scripturarum de Jesu Christo

Filio Dei interpretationem, sed et expressissimis verbis illud Berruyerus docuit. Qui eò etiam progressus est ut, cùm sanctus Joannes scribebat Evangelium, id est, ut putat, versùs annum 70 æræ vulgaris, tunc asserat *usum Christianorum communem hunc fuisse, ut appellatio illa* (Filius Dei) *appellaret in recto sanctissimam Jesu Christi humanitatem... personæ uni divinæ unione substantiali conjunctam in personæ unitatem..... adeòque si diceret Joannes*, Filius Dei *factus est caro, dicere ex usu loquendi crederetur, humanitas Christi, sive Christus homo factus est homo.*

Hanc propositionem, numero XLVI, sacra Facultas damnavit ut *falsam, temerariam, fidei perniciosam, traditionis eversivam, Apostolis et primi seculi fidelibus injuriosam, et perversissimæ explicationis Apostolici Symboli inductivam.* Legi potest quæ momentorum vis sacrum ordinem impulerit ad censuram ejusmodi ferendam. Nihil necesse est à nobis ea referri, cùm ex dictis facilè colligi queant.

§ 5. *Appendix quinta : Eadem est juxta Berruyerum significatio vocis Filii in formâ Baptismi.*

Illud à Berruyero traditur tomo eodem octavo, pag. 153 et 154, et à sacrâ Facultate ad propositionem LVIII, pag. 202 prioris partis, declaratur esse hæreticum. Enimverò eò reducitur explicatio formæ Baptismi quam Berruyerus invehit, *in nomine Dei qui in tribus personis subsistit, et humanitatis Christi sanctissimæ hypostaticè unitæ Verbo Deo, Dei Filio æterno, et Spiritûs sancti.* Quis autem Catholicus explicationem ejusmodi non habuerit ut *blasphemam et hæreticam?* Sed quid Berruyerus in formâ Baptismi nomine Spiritûs sancti designatum voluit! Quis esse potest Spiritus sanctus, qui memoratur post invocatum Deum in tribus personis subsistentem et invocatam humanitatem Verbo unitam? Quomodò Berruyerus ita interpretari audet formam ipsam Baptismi et Sacramentorum, contra mentem apertissimam omnium Catechismorum et Symbolorum et documenta manifestissima totius Ecclesiæ?

Attamen, si quemadmodùm ipse modò confidentissimè asserebat, is fuit Christianorum primi seculi ab Apostolis institutorum usus, ut nomine Filii intelligerent humanitatem Christi, personæ uni divinæ substantialiter unitam; ad ejus sensum debuerunt intelligere formam Baptismi, et etiamnùm à nobis intelligi deberet. Ita ab errore in errorem præcipitem se dedit. De his et 2 seqq. vide art. 3, cap. 1 dissert. hujus.

§ 6. *Appendix sexta : In clausulis orationum Ecclesiæ :* Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium, *etc.; in verbis signum crucis comitantibus, scilicet :* In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti; *in Benedictionibus, in glorificationibus, uno verbo, in omni cultûs christiani exercitio, vox*, Filius, *juxta Berruyerum significat in recto humanitatem Christi personæ uni divinæ unitam in personæ unitatem.*

Ita Berruyerus docet expressissimè pag. 154, 155, 156 et 157 de quâ ejus propositione, quæ in Determinatione Facultatis LIX numeratur, ita statuit eadem sacra Facultas. « Hæc propositio *in fideles et in omnem « Ecclesiam est contumeliosa, christianam fidem et cul-« tum christianum deprimit et subvertit, catholicam fidem « prodit, blasphema est et hæretica.* » Non difficulter menti occurrunt momenta quæ singulas ejusmodi censuras communiunt, et quæ legi possunt in ipsâ Determinatione, parte primâ, pag. 204 et seqq.

§ 7. *Appendix ultima : Juxta Berruyerum dogma ejus novum fide certum est, et ejus fidei necessitas tanta est, quanta necessitas fidei in Trinitatem, in Incarnationem Verbi et ejus æternam generationem.*

Cùm dogma suum de humanitate Christi, propter unionem hypostaticam, naturali Filio temporali Dei in tribus personis subsistentis, Berruyerus contendat ità clarè et perspicuè contineri in Scripturis, ut, *qui illud in sacris libris contentum non videat*, is *nihil in illis intelligere valeat*, consequens fuit ut dogma idem censeret ad fidem christianam attinere. Et reverà non modò dogmatis fide divinâ credendi certitudinem illi adjudicat, sed præterea ejus fidei necessitatem æquiparat necessitati fidei in mysteria trium in Deo uno personarum generationisque æternæ et Incarnationis Verbi. Paginâ 152, post commemoratam necessitatem fidei *mysterii contenti in tribus personis realiter distinctis, quæ sint unus Deus; quarum prima Pater est ab æterno producens Verbum; secunda Verbum est, ab æterno productum, sive generatum à Patre; tertia est Spiritus sanctus à Patre et Verbo sive Filio ab æterno procedens;* continuò hæc addit : *Ad christianam religionem accedentibus* NECESSARIA PARITER *est fides in Jesum Christum..... Quæ fidei christianæ professio in eo consistit ut credamus corde, et ore confiteamur, quia sanctissima Christi humanitas.... Verbo Patris æterni Filio æterno... unione reali et substantiali in unitatem personæ, et divinæ naturæ participationem, unita est in tempore per transeuntem et liberam operationem Spiritûs sancti... et per virtutem Altissimi; quæ operatio transiens et libera, sit vera generatio faciens* DEO FILIUM *verum et naturalem, Deo, inquam, uni in tribus personis subsistenti... fundansque realem et physicam relationem Patris ad Filium et Filii ad Patrem, inter Deum sub eâ reduplicatione cognitum, et inter Jesum habentem sanctissimam suam humanitatem Verbi subsistentiâ completam... Hæc omnia et singula qui explicitè non credit et confitetur de Domino nostro Jesu Christo Filio Dei, nescio quid in Scripturis novi Testamenti videat...*

Atqui fides illa quæ totum Jesum semel et simul repræsentat, in unâ voce, FILIUS, *continetur... Non abstrahit vox illa à Verbo, duo è contra in ore christiano de Verbo affirmat, et Verbum esse Deum Filium ab æterno consubstantialem Patri, et Verbum fuisse in tempore hypostaticè unitum humanitati Christi sanctissimæ... sed et præterea vox illa,* FILIUS, *importat in recto sanctissimam Christi humanitatem, in genere subsistendi, per subsistentiam Verbi completam. Hæc autem dogmata,* CUM ÆQUE ESSENTIALITER PERTINEANT AD FIDEM CATHOLICAM, ET A QUOLIBET VIRO CATHOLICO CREDI DEBEANT

EXPLICITE, *ideò de illis expressa fit mentio in formâ sacramentorum, ac præcipuè Baptismi..., qui sub eâ enuntiatione conferendus est : « In nomine Patris, et Filii « et Spiritûs sancti ; »* non autem : « *Patris et Verbi et « Spiritûs sancti.* »

Itaque, juxta Berruyerum, professio fidei quæ in eo consistit ut credamus sanctissimam Jesu Christi humanitatem Verbo completam Filium esse naturalem Dei in tribus personis subsistentis, pariter est necessaria ac fides trium personarum in Deo uno, quarum prima Pater sit, secunda Verbum, et tertia Spiritus sanctus : atque sanctissimam Christi humanitatem completam in genere subsistendi per subsistentiam Verbi esse in recto Filium, *æquè essentialiter* pertinet ad fidem catholicam, et à *quolibet* viro christiano tam credi debet *explicitè*, quàm dogmata Incarnationis, Divinitatis atque æternæ generationis Verbi. Quis verò non adstupescat, eâ perculsus præsumptione et temeritate quâ Berruyerus novum dogma perversum et antea inauditum, quod hausit ab Harduino, non modò fide credendum docet, sed à quolibet viro christiano esse explicitè credendum sancit, ac æquè essentialiter pertinere ad fidem catholicam ac dogmata Divinitatis, æternæ generationis et Incarnationis Verbi; adeò ut fides illius novi dogmatis æquiparetur fidei Trinitatis et pariter necessaria pronuntietur? *Blasphemam et hæreticam* esse hanc propositionem facilè ostendit sacra Facultas, primâ parte, p. 198 et seqq. ad propositionem LVIII.

Superest dicendum de adoratione quam vult Berruyerus tribui in recto humanitati Christi Verbo unitæ; sed materiæ ejusmodi tractationem remittendam ducimus ad Dissertationem ultimam, ubi cultus Christo debitus asseretur.

ARTICULUS III.

Ostenditur quàm inania sint quæ Berruyerus, ad stabiliendum novum dogma, post Harduinum, profert.

Præcipuas solummodò ejus probationes expendere satis sit. Incipiemus ab iis rationibus quas theologicas appellat.

§ 1. *Expenduntur probationes quas primo loco ponit Berruyerus et quas ex* ratione theologicâ petitas *vocat.*

« In iis, inquit, pag. 56, 57, 58, 59, quæ primo « conceptionis Christi instanti peracta intelliguntur per « actionem Dei ad extra transeuntem et liberam, « plura sunt distinguenda. Primum, formatio corporis Christi. Secundum, creatio animæ Christi « humanæ, et cum corpore unio. Tertium, omnium « donorum infusio. Quartum denique, unio physica, realis et substantialis humanitatis Christi cum « personâ unâ divinâ. Si sisteret prædicta hæc Dei « actio in primo suo et secundo effectu, fieri Deus in- « telligeretur Christi creator, seu Pater æquivocè. Si « in tertio hæreret, effectu intelligeretur fieri Pater « adoptivus. Sed quoniam actio illa unica et momen- « tanea, transiens et libera Dei unius et veri ad extra « agentis, ultimò terminatur ad substantialem huma- « nitatis Christi cum personâ unâ divinâ unionem in « unitatem personæ, et divinæ participationem na- « turæ; per illam actionem non denominatur Deus « Christi creator aut æquivocè Pater; non etiam de- « nominatur Christi Pater adoptivus. Restat ergo ut « denominetur et sit Pater Christi verus et naturalis. « Adeòque hâc unione physicâ et reali receptâ in hu- « manitate Christi, Christus secundùm suam sanctis- « simam humanitatem in genere subsistendi, est et « dicitur verus, naturalisque Dei Filius; Dei, in- « quam, unius et veri in tribus personis subsistentis. »

Hæc est summa ratiocinii quod ibi fusè proponit et passim inculcat Berruyerus. At verò nihil solidi continet. Eò reducitur integrum : Per actionem Dei ad extra, quâ humanitas Christi personæ uni divinæ hypostaticè unita est, non creatur hæc humanitas, nec producitur Filius adoptivus. Ergo hæc actio Dei unius et veri in tribus personis subsistentis, est vera et propriè dicta generatio, quâ producitur Filius naturalis Dei in tribus personis subsistentis. Ergo humanitas Christi personæ uni divinæ unita in personæ unitatem, dicenda est naturalis Filius Dei in tribus personis subsistentis. Ergone actio Dei ad extra transiens et libera, quæ non est creatio, nec adoptio, hoc ipso debet esse generatio vera et propriè dicta, quâ producatur naturalis Dei Filius? Quo, quæso, fundamento hæc propositio tam confidenter à Berruyero asserta nititur? nullo prorsùs, neque ullum ipse adducet. Terminus actionis unientis est quidem opus aliquod eximium et præcellentissimum, sed repugnat illud dici naturalem Dei Filium. Quid ita? Quia, ut jam non semel à nobis observatum est, et à sanctis Patribus contra Arianos inculcatum, naturalis Filius Dei ipsi debet esse naturâ similis, adeòque Deus, consubstantialis Patri. Ergo naturalis Filius Dei non potest generari extra Deum. Ergo actione Dei ad extra transeunte et liberâ non potest produci; ergo ejusmodi actio nequit esse vera et propriè dicta generatio.

Frustra ait naturam Christi humanam uniri personæ uni divinæ, non modò in unitatem personæ, sed et in *participationem naturæ divinæ*. Si contendat naturæ Christi humanæ per unionem ita fuisse communicatam naturam divinam, ut hæc natura humana facta sit natura divina novâ ratione ultimò completa, reus est blasphemiæ et innovatæ hæreseos absurdæ Eutychetis. Sin autem profitetur, cum Ecclesiâ catholicâ, naturam Christi humanam Verbo substantialiter et hypostaticè unitam, et quantùmlibet hâc unione perfectam, nihilominùs esse planè diversam et distinctam à naturâ divinâ, ita ut semper manserit natura creata, finita et dependens; jam falsum erit Deum actione ad extra transeunte et liberâ uniente hanc Christi humanitatem Verbo, effecisse aliquem sibi similem, seu recens alicui in tempore communicâsse totam essentiam suam cum suis attributis. Falsum proinde erit Deum, in tempore, actione illâ ad extra, transeunte et liberâ, uniente, factum fuisse Patrem verum et naturalem, aut ex eâ natum esse Filium verum et naturalem Dei in tribus personis subsistentis.

Altera probatio ejusdem generis quam profert Ber-

ruyerus, pariter infirma est, licet eam, ut demonstrationem, ostentet.

« Sic iterùm, ait pag. 59 et 60, demonstratur..... « Per actionem ad extra transeuntem et liberam Dei « unius in tribus personis subsistentis, unientis sanctissimam Christi humanitatem primo conceptionis « suæ momento, unione physicâ et reali, cum persona unâ divinâ, in unitatem personæ et divinæ naturæ participationem, verè et physicè generatur « compositum substantiale theandricum, Homo-Deus. « Ergo actio illa est generatio ex parte Dei unius et « veri; ergo illa actio ad extra inter Deum unum et « verum in tribus personis subsistentem, et Jesum « Christum secundùm sanctissimam suam humanitatem « in genere subsistendi Verbo completam, fundat relationem realem Patris ad Filium et Filii ad Patrem. »

Liquidum est totam hujusce prætensæ demonstrationis vim, si quam habet, repeti ab illâ unâ voce, *generatur*. Nempe in hoc dicto : *Per illam actionem Dei ad extra verè et physicè generatur compositum substantiale theandricum, Homo-Deus;* si vox *generatur*, sumatur latè et impropriè, ut aliquando fit, et nihil aliud sonet quàm *producitur*, efficitur, jam in argumento proposito ne species quidem ulla apparebit probationis. Certum est quidem actione ad extra, transeunte et liberâ, actione Dei in tribus personis subsistentis, actione tribus personis communi, effectam fuisse unionem hypostaticam, productum esse Incarnationis mysterium. At inde consequi hanc actionem, si eâ tantùm effectum sit, non propriè generatum, compositum theandricum, esse veram et propriè dictam generationem ex parte Dei, etc., nemo non perspicit esse falsum. Itaque in ratiocinio de quo agitur, vox, *generatur*, accipienda est pro significandâ genuinâ, germanâ et propriè dictâ generatione quâ emanet verus naturalisque Filius, Patri proinde naturâ similis. Hâc verò vocis, *generatur*, interpretatione positâ, ineptum semper manet argumentum Berruyeri. Asserit quidem sine hæsitatione, actione Dei ad extra, compositum theandricum, id est, ut ipse alibi explicat, humanitatem Christi personæ uni divinæ hypostaticè unitam, quam appellat Hominem-Deum, verè et physicè generari; sed id non probat, nec probare satagit; manifestè verò est falsum. Nulla enim est generatio propriè dicta, ubi non est ortus unius ab alio in similitudinem naturæ. Humanitas illa quamvis hypostaticè unita Verbo divino, natura tamen est humana, essentiam et proprietates necessarias naturæ humanæ retinet, non mutata est in naturam divinam, à quâ tantùm distat quantùm natura creata et dependens dissita est à naturâ increatâ et independente. De his videre est Determinationem sacræ Facultatis ad propositiones XXVIII et XXIX.

§ 2. *Expenditur probatio quam Berruyerus repetit è versu 7 Psalmi 2.*

« Psalmo 2, 7 : *Dominus dixit ad me : Filius meus « es tu ; ego hodiè genui te*, vox illa Dei est, inquit « pag. 61, 62, 63.... Dei unius et veri in tribus personis subsistentis;.... vox illa ad Christum.... dirigitur, prophetia est de Christo, qui, ibidem versibus 6 et 8, in tempore *constitutus est rex à Deo super « Sion montem sanctum ejus.* Dicitur ergo ea vox de « sanctissimâ Christi humanitate in genere subsistendi completâ per unionem suam realem cum personâ « unâ divinâ in unitatem personæ. »

Negamus hanc vocem esse Dei in tribus personis subsistentis. Hæc vox Dei Patris est primæ sanctissimæ Trinitatis personæ, quæ *hodiè*, id est, perpetuò, jugiter, Verbum Filium suum æternum et unicum generat. Ea vox quidem dirigitur ad Christum, sed admittenda non est spuria Christi notio, quâ tòta nititur interpretatio quam Berruyerus opponit. Christus Filius est Dei Patris æternus, qui pro nobis homo in tempore factus est. Ipse Christus seu Filius Dei æternus, homo factus, ibidem dicitur ut homo, *constitutus rex à Deo super Sion montem sanctum ejus.*

Dùm Berruyerus docet ipsam esse Christi humanitatem personæ uni divinæ unitam, quam hoc loco Deus alloquitur, et ad quam hæc verba dirigit in recto : *Filius meus es tu, ego hodiè genui te;* alterum in Christo invehit Filium Dei ab æterno Filio distinctum, Nestorii hæresim renovat, et Ecclesiæ validum eripit argumentum, quod sancti doctores ex illo Psalmi 2 versiculo deduxerunt ad Christi Divinitatem et æternam ejus generationem adversùs utriusque illius dogmatis hostes evincendum.

Verborum servetur proprietas, ait Bossuetius ad hunc locum, quæ à sanctis Patribus eâ de re dicta sunt contrahens; DOMINUS *enim* DIXIT AD ME, *non ad alios, sed ad me, propriè et singulariter :* FILIUS MEUS ES TU. *Tu, inquam, et non alius; ergo unicus, unigenitus et singularis; quod nunquàm eâ emphasi dictum de quopiam :* EGO HODIÈ GENUI TE; *non ergo ascitus, non adoptatus, sed genitus; nec gratiâ, quod Angeli, quod homines, sed naturâ Filius... non uno et certo die, si quamcumque diem dixeris, eo die Filius et gignitur et est genitus; neque quidquam dignius ad hæc non subtilia, sed sublimia ac divina exponenda, quàm illud* HODIÈ, *quo quippe fit ut Filii semper sit nova, semper vetus nativitas, nunquàm imperfecta, et velut in motu posita, sed semper absoluta perfectaque generatio, atque ipse Filius quotidiano, seu potius æterno et immutabili partu semper effusus, semper hodiè genitus.*

At, inquit Berruyerus, in Epistolâ ad Hebræos, capite 1, v. 5, sanctus Paulus illud Psalmi secundi applicat *instanti Incarnationis Verbi; quo instanti secundùm alteram prophetiam ab ipso allegatam, in quâ dicitur :* Ego ero ei in Patrem, et ipse erit mihi in Filium, *cœpit Deus esse in tempore respectu Christi.... verè Pater....* ergo, etc. Verùm adeò aliena est à mente Apostoli hæc interpretatio, ut ipsomet versiculo illo 5 capitis 1 Epistolæ ad Hebræos usi sint sancti Patres ad generationem Christi æternam contra Arianos asserendam. Consule Dissertationem Bossuetii mox laudatam. Non modò nihil vetat ad instans Incarnationis Verbi referri illud Psalmi secundi : *Ego hodiè genui te*, intellectum, ut sonat, de generatione æternâ; ut po-

tiùs hanc relationem necessariò postulet, atque, positâ Incarnatione, secum importet generatio æterna Verbi. Nimirùm hoc ipso instanti, eâdem actione Patris æterni, quâ Filius generatur ab æterno ante carnem assumptam, etiam genitus est carnem induens, ut et eâdem actione jugi, continuâ et immutabili in perpetuum jam gignitur caro factus.

Feliciùs verò non assequitur sensum verborum Dei in Nathanis vaticinio : *Ego ero ei* (Messiæ) *in Patrem, et ipse erit mihi in Filium.* Nihil aliud sancto Paulo interprete, et juxta analogiam fidei catholicæ ad vocum proprietatem prophetiâ ejusmodi significatur, nisi Messiam, quem Judæi expectabant, qui homo erat futurus et filius hominis, futurum tamen simul æternum Filium Dei Patris æterni. *Ero ei in Patrem, et ipse erit mihi in Filium;* id est, is homo, Messias, erit ipse Filius meus unigenitus et æternus tunc temporis factus homo.

At, pergit Berruyerus, pag. 64, 65, 66, *nec.... strictim perstringenda, illa altera attributio versiculi :* Filius meus es tu, etc., *facta à Paulo instanti quo Deus.... Jesum resuscitavit.* « Hodiè, » *ait Paulus, id est, in ipso resurrectionis dominicæ instanti,* « resuscitans Jesum, « sicut et in Psalmo secundo scriptum est : Filius « meus es tu, ego hodiè genui te, » *Actor*, 13, 33. Inde Berruyerus concludit Christi humanitatem unitam, non potuisse triduo mortis appellari Filium Dei, in tribus personis subsistentis, post resurrectionem verò debuisse rursùs hoc nomine designari ; atque hinc factum ut Deus in tribus personis subsistens hanc resurrectionem operando, denuò factus sit in tempore Pater Christi, et Filium suum Jesum denuò in tempore generaverit. Verùm, si ita est, unio physica animæ Christi cum ejus corpore restituta post triduum mortis, nova est igitur filiatio in humanitate Christi recepta, quæ humanitas jam erit Filius, non tantùm ratione unionis hypostaticæ cum personâ unâ divinâ, sed etiam ratione resurrectionis suæ, seu restauratæ unionis physicæ inter animam suam et corpus. Quot in errores mens devia, et recto tramite semel abrepta, præceps labitur!

Verba Apostoli fideliter exhibita difficultatem nullam pariunt. In probationem resurrectionis Christi post prolatum eorum à quibus *visus est*, testimonium, sic habet : *Hanc* (*repromissionem quam annuntiamus vobis, quæ facta est patribus nostris*) *Deus adimplevit filiis nostris, suscitans Jesum, sicut et in psalmo secundo scriptum est : Filius meus es tu, ego hodiè genui te.* Planum est, ut hæc efferrentur à S. Paulo, necesse non fuisse resurrectionem Christi esse generationem ejus temporaneam ; sed satis esse resurrectionem Christi connecti cum generatione ejus æternâ. Quæ connexio manifesta est; cùm enim Christus esset Filius Dei æternus et naturalis, oportuit sanè eum, ut hominem, à morte quam pro nobis passus est, ad vitam et ad gloriam sibi naturalem revocari.

§ 3. *Expenduntur septem regulæ à Berruyero traditæ, juxta quas statuit ab accurato Scripturarum interprete vocem*, Patris, *relativè ad Christum esse accipiendam de Deo uno et vero in tribus personis subsistente, et proinde voces, Jesu* Christi Filii Dei, *de humanitate* Christi *sanctissimâ personæ uni divinæ unitâ.*

Eodem tomo 8 secundæ partis tam sæpè laudato, pag. 90 et seqq., septem Berruyerus explicat regulas, quibus efficere sibi videtur quoties in Scripturis Deus appellatur Pater Christi, et Christus dicitur Filius Dei, toties designari Deum in tribus personis subsistentem, adeòque Filium Deo in tribus personis subsistenti factum in tempore per unionem humanitatis Christi personæ uni divinæ. Singulas ejusmodi regulas referre et confutare operæ pretium est.

Prima Berruyeri regula exponitur et falsa demonstratur. — Prima hæc regula sic se habet : Tunc Deus Pater Christi non est in Scripturis prima persona ab æterno generans Verbum, sed intelligendus est Deus unus et verus qui in tribus personis subsistit : « Cùm « dicitur, verbi gratiâ, Deus, cum aliquo epitheto, « *Pater Christi ;* sic Matth. 16, 16 : *Tu es Christus Filius Dei vivi ;* Luc. 1, 32, 2 Petri 1, 3 : *Filius* (Dei) « *Altissimi ;* 2 Corinth. 1, 3 : *Benedictus Deus Pater* « *Domini nostri Jesu Christi.* Joan. 8, 54 : *Pater meus,..* « *quem vos dicitis, quia Deus vester est ;* 15, 1 : *Pater* « *meus agricola est ;* quæ proprietates non sunt notiones, sed cadunt in Deum unum et verum qui in « tribus personis subsistit, in Deum, ut Deus est secundùm naturam, non ut Pater est ab æterno generans Verbum, et persona prima ab aliis realiter « distincta. » Hæc ille.

Ejusmodi regulæ falsitas facillimè demonstratur ; quia primò fide constat epitheta, et alia ejusmodi quibus proprietates et attributa tribus personis communia exprimuntur, debere prædicari de singulis personis et reipsà unicuique earum convenire, cùm singulis natura divina insit. Hinc juxta Symbolum quod sancti Athanasii nomine inscribitur, *increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus...; æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus...; omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus...; Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus...; Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus.* Similiter et pari ratione verè dici potest : Pater Altissimus, Filius Altissimus, et Altissimus Spiritus sanctus ; Pater vivus, Filius vivus, et vivus Spiritus sanctus ; et alia ejusmodi efferri possunt sine ullâ exceptione de omni attributo Dei absoluto. Ergo etiam ubi Deus in Scripturis dicitur Pater Christi, cum aliquo epitheto communi singulis personis, inde non sequitur Deum Patrem in his locis memoratum, non esse primam sanctissimæ Trinitatis personam. Imò, cùm Christus, juxta Scripturas, non aliâ ratione sit Filius Dei quàm propter generationem æternam Verbi, quo sanctissima ejus humanitas in genere subsistendi completur, ipsæmet Scripturæ exigunt de Patre Deo, primâ Trinitatis personâ, accipi omnia illa loca in quibus, cum aliquo ejusmodi epitheto, Deus perhibetur Christi Pater. Atque is est sensus quo ejusmodi omnia testimonia interpretantur sancti Patres, ita ut ne unus quidem laudari possit, qui unquàm ab illo sensu recessisse deprehendatur.

Idem sensus habetur expressus in Symbolo Nicæno, quod recitando unusquisque nostrûm dicit : *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium.* Ibi autem memorari Deum primam personam manifestum faciunt quæ sequuntur de *Filio ejus unigenito.* Attamen in eodem Symboli articulo Deo Patri adjiciuntur epitheta, quibus attributa divina designantur absoluta et tribus communia personis, nempe quòd sit *unus Deus, omnipotens*, quòd sit *factor cœli et terræ, visibilium et invisibilium.*

Rejicitur regula secunda. — Secunda Berruyeri regula hæc est : Nomen Dei Patris Jesu Christi significat Deum in tribus personis subsistentem, non primam sanctissimæ Trinitatis personam : « Cùm Christus « Filius Dei Patrem suum orat, ut ab eo exaudiatur in « patrandis miraculis, ut à se calicem et crucis mortem « longè faciat, ut ab eo clarificetur, resuscitetur, « discipulos suos servet, et cætera ejusmodi ; quæ « actiones à Deo proficiscuntur, non ut Deus est per- « sona ab aliis distincta, et ab æterno Verbum pro- « ducens, sed ut est Deus unus et verus in tribus per- « sonis subsistens. »

Hæc regula non minùs vitiosa est quàm prima. Quod rei caput est, et in eâ præcipuè considerandum venit, in eo consistit quòd ponatur Christum, nonnisi à Deo uno et vero in tribus personis subsistente, non verò à Patre æterno primâ personâ, potuisse directè expostulare effectus qui à tribus personis producuntur. Id autem fidei catholicæ repugnat. Nam, juxta dogma fidei catholicæ certissimum, quisque homo potest, adeòque Christus potuit secundùm veram et legitimam precandi legem, preces, ad postulandos effectus Deo extrinsecos, dirigere ad Patrem æternum, primam sanctissimæ Trinitatis personam. Id ipsum profitetur toto orbe diffusa Ecclesia catholica, apud quam nihil est usitatius et solemnius, quàm ut à Deo Patre æterno omnis generis gratias postulet per Dominum nostrum Jesum Christum Filium ejus unicum, qui cum Patre in unitate Spiritûs sancti vivit et regnat. Quæ quidem consuetudo, à sacris litteris originem ducens, ubique et semper obtinuit ; non quòd invocari nequeant directè seu tres personæ simul, seu Filius, seu Spiritus sanctus ; directæ ejusmodi invocationes etiam vigent, licet minùs frequenter ; sed quia Pater habetur ut totius Divinitatis fons et origo, atque in eo ut in unico Filii et Spiritûs sancti principio, coluntur et continentur duæ illæ personæ ex eo procedentes, ipsique æquales et consubstantiales. « Pater, ait Bossuetius in sextâ Commonitione ad Protestantes, n. 40 et seqq., ut principium et fons Trinitatis, in se Filium et Spiritum sanctum multò profectiùs continet, quàm arbor fructum suum et sol radios omnes suos. Eo sensu Pater est totum, et quamvis Filius et Spiritus sanctus sint etiam reipsà totum, propriâ sibi ratione, quia in ente simplicissimo et indivisibili nulla partitio admitti potest ; Pater tamen manet totum ratione sibi speciali et titulo principii, qui titulus, secundùm nostrum loquendi modum, id unum in ipso est quod communicari nequeat. Hinc perspicitur virtus et efficacia unitatis, ad quam omne naturaliter reducitur, siquidem, ut advertit sanctus Athanasius, Deus non modò unus est unitate naturæ, sed etiam quia distinctio, quæ inter personas intercedit, ad unum principium revocatur, nempe ad Patrem, et sub illo respectu ad unitatem veram reducitur.... Naturæ scilicet divinæ fœcunditas, personas multiplicando, ad solum denique Patrem refert Filium et Spiritum sanctum, qui à Patre procedunt, sicque omne deprehenditur primitùs in Patre conclusum, uti dictum fuit ; atque vi unitatis, quæ à perfectione separari non potest, infinitè declaratur.

« Hâc sublimi theologiâ, intelligimus, pergit illustrissimus præsul, quid est cur in Scripturâ, et deinde apud sanctos doctores, qui suum ab ipsâ de mysteriis loquendi modum mutuati sunt, soleat Dei nomen soli Patri cum speciali attributione adscribi ; quod quidem non ita fit, ut Filius et Spiritus sanctus excludantur, sed ex adverso tunc ambo inspiciuntur, prout origine continentur in Patre, qui eorum est principium ; atque inde ortum ut preces et adoratio, omni ævo, juxta Ecclesiæ morem, plerùmque directæ fuerint ad Patrem solum, per Filium, in unitate Spiritûs sancti ; non quòd nequeant personæ divinæ invocari directè, quandoquidem nos ipse Christus docuit invocare tres personas in Baptismo, quâ invocatione nulla est apud nos magis authentica, sed quia Spiritui sancto, qui Ecclesiæ preces dictat, placuit ut in perpetuam unitatis principii commendationem, invocatio plerùmque dirigeretur ad Patrem, in quo Filius et Spiritus sanctus ut in suo principio simul adorantur, sicque adoratio ordini emanationum divinarum congrueret Quocirca S. Paulus aiebat Ephes. 3, 14 : *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi ;* ab illâ ad oratione nec excludens Jesum Christum, *super omnia Deum benedictum*, Rom. 9, 5, neque Spiritum sanctum, qui ab illis distrahi nequit, sed tum Filium, tum Spiritum sanctum in Patre inspectans, qui eorum est principium. »

Regulam tertiam esse falsam declaratur. — Eodem sensu intelligendum vult Berruyerus Deum esse Patrem Jesu Christi, nempe Deum in tribus personis subsistentem, non verò primam Trinitatis personam, « cùm Filius Dei, inquit, opponitur simpliciter non « Deo Patri primæ personæ, sed Deo uni et vero in « tribus personis subsistenti, ut sæpissimè in omnibus « novi Testamenti Scripturis. 1 Joan. 5, 9 : *Quoniam « hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam « testificatus est de Filio suo.* Et 10 : *Qui credit in « Filium Dei, habet testimonium Dei in se ; qui non « credit Filio, mendacem facit eum, quia non credit in « testimonium quod testificatus est Deus, de Filio suo.* » Addit Berruyerus in hunc sensum tres alios sequentes versiculos, in quibus etiam Christus dicitur Filius Dei. Verùm negandum omninò est unquàm in Scripturis Filium Dei opponi, non Deo Patri primæ personæ, sed Deo uni et vero in tribus personis subsistenti. Jesus Christus dicitur quidem non rarò in Scripturis *Filius Dei*, simpliciter, et sine ullo voci-

Dei, addito epitheto, sed tunc falsissimum est nomine Dei intelligendum, non Patrem primam personam, sed Deum unum et verum in tribus personis subsistentem. Cùm Jesus Christus in sacris litteris appellatur *Filius Dei*, hæc appellatio ipsi singularis est, et idem significat ac Filius Dei *unigenitus*, *proprius*, qui sæpè etiam *Deus*, *super omnia Deus*, *et verus Deus* nuncupatur, adeòque significat Filium Dei naturalem ab æterno in sinu Dei genitum. Ergo Dei nomine in iisdem locis Deus Pater prima persona designatur. Atque vel ex ipso capite 5 Epistolæ primæ sancti Joannis, quod Berruyerus in exemplum affert, facilè ejus regula refellitur; quipppe ex versu hujus capitis 20 manifestum est hanc esse falsam, et in ipsis versiculis, quos citat voces, *Filii Dei*, esse accipiendas de Filio Dei vero Deo, et proinde æterno Filio Dei Patris æterni. Sic legitur in illo capite, v. 20 : *Et scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus.* Liquet eò loci Filium Dei esse accipiendum eodem sensu quo versibus 9, 10, 11, 12, 13, quos in exemplum Berruyerus adducit. Sed *Filius Dei*, seu *verus Filius Dei veri*, versu 20 est *verus Deus;* ergo pariter versibus 9 et sequentibus, qui dicitur *Filius Dei*, intelligendus est *verus Deus*, ac proinde naturalis Filius Dei, Filius naturâ, Filius habens divinitatem, consubstantialis Patri, Filius Dei ab æterno genitus; Filius igitur æternus Dei Patris æterni.

Jam notavimus alicubi hâc suâ regulâ seu expositione versuum 9, 10, etc., à Berruyero destrui, quod asseruerat de vi versiculi 7 : *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt*, ad probandum mysterium trium in Deo personarum. Enimverò, si versu 9 et sequentibus indicetur, ut contendit, Deum Patrem Jesu Christi esse Deum unum et verum prout in tribus personis subsistit; si idem, ut consequens est, statuatur de versu 5, ubi Jesus Christus etiam dicitur Filius Dei; nonne pronum erit et proclive versu 7, *Tres sunt*, etc., nomen Patris eodem sensu capi, pro Deo uno et vero, qui in tribus personis subsistit, non pro Patre primâ personâ? Quo posito, jam mysterium trium in Deo personarum, quarum prima Pater æternus, secunda Verbum ab æterno à Patre genitum, tertia Spiritus sanctus, nequaquàm exprimeretur illo versu 7.

Falsitas regulæ quartæ ostenditur.— His verbis concipitur hæc regula : Deus Pater Christi non intelligendus est prima Trinitatis persona, « cùm Dominus noster Jesus Christus homo Deus et Filius Dei dicitur « *Primogenitus omnis creaturæ, primogenitus in multis « fratribus, Agnus occisus ab origine mundi, Sponsus et « caput Ecclesiæ; Rex hominum et Angelorum; vivorum « et mortuorum Judex, Sacerdos et Pontifex in æternum; « Dominus Salvator, Jesus;* quæ nomina in recto immediatè non cadunt, ait, in Verbum, ut est æternus « æterni Patris Filius; cadunt tamen in Dominum nostrum Jesum Christum ut est (per unionem humanitatis suæ cum personâ unâ divinâ) verus, naturalis- « que Dei Filius, et sanctissimæ ipsius humanitati... « debentur... ut est humanitas illa completa... in genere « subsistendi per unius personæ divinæ subsistentiam. »

Regula ejusmodi in antecessum confutata est; fundatur enim in notionibus spuriis et Jesu Christi, et Jesu Christi Filii Dei, quas Berruyerus ab Harduino accepit, quasque tot censuris inurendas demonstravimus. Licet ea omnia nomina solummodò convenirent Christo ut homini, attamen falsum esset ea immediatè et in recto cadere in eum ut Filium Dei temporalem, seu, in humanitatem ejus unitam personæ unitam divinæ, aut, quod eòdem recidit, *deberi* sanctissimæ ejus humanitati, ut est humanitas illa completa in genere subsistendi per unius divinæ personæ subsistentiam. Nomina enim ejusmodi totidem sunt nomina concreta. Quæ autem *in concreto* Christi ut homini adscribuntur, ea personæ Christo, Verbo scilicet divino, Filio Dei æterno, non quidem ut habenti Divinitatem, sed ut humanitatem sibi hypostaticè unitam habenti adscribuntur. Ita fert una ex regulis indubitatis communicationis idiomatum nexis ex unitate personæ in Christo quæ sit persona Verbi Dei; quas quidem sine notâ Nestorianismi nemo spernit.

Jam porrò de plerisque ejusmodi nominibus dictum est articulo præcedenti, paragrapho 2, ubi ostensum est ea non posse in recto attribui Christi humanitati unitæ.

Istud inprimis advertendum est, Berruyerum regulâ hâc quartâ, ut et alibi perpetuò, à lege credendi constitutâ Symbolis Nicæno et Constantinopolitano recedere in exponendis Scripturis. Nam, juxta hæc Symbola, non humanitas Christi in personâ unâ divinâ subsistens, sed ipse *Jesus Christus unigenitus Dei Filius*, *Deus de Deo*, *ante secula genitus*, *consubstantialis Patri est Dominus*, est *propter salutem nostram Incarnatus*, *natus*, *crucifixus pro nobis*, *mortuus*, adeòque est *Agnus occisus ab origine mundi*, est *Jesus*, *Salvator*, *Pontifex*, *Sacerdos*, *Sponsus*, *caput Ecclesiæ;* juxta eadem Symbola, *venturus est cum glorià judicare vivos et mortuos;* ergo est Judex.

Cæterùm, non modò nulla ejusmodi nomina cadunt directè et immediatè in humanitatem Christi uni personæ divinæ unitam, sed præterea eorum plura Christo ut Deo competunt secundùm Scripturas. Nempe *Dominus* est non solùm, quia *data est* ipsi ut homini *omnis potestas in cœlo et in terrâ;* sed etiam quia, ut *Deus*, est omnium Dominus supremus et independens; est *Judex* hominum, tum ut Deus, tum ut homo; est Primogenitus omnis creaturæ, quia ante omnem creaturam est ab æterno genitus, etc.

In quintam Berruyeri regulam inquiritur. — Tunc ex Berruyero indigitatur Deus unus et verus, qui in tribus personis subsistit, non verò prima persona : « cùm « dicitur *Deus dedisse Filio omne judicium*, *potestatem « in cœlo et in terrâ*, *sessionem ad dexteram suam*, etc.; « quæ omnia, inquit, dat Deus, ut unus et verus Deus « facto sibi in tempore vero et naturali Dei Filio (id « est, naturæ Christi humanæ quæ per unionem, juxta « Berruyerum, facta est in tempore naturalis Filius

« Dei in tribus personis subsistentis); non dat Verbo « æterno Filio suo, Deus, ut Verbi Pater est et perso- « na prima à reliquis realiter distincta. »

Regulâ hâc suâ Berruyerus Symbolis fidei contradicere pergit, ut ex modò circa regulam præcedentem dictis patet quantùm ad characteres *Judicis et Domini*. De sessione autem Jesu Christi *ad dexteram Patris* repugnantia ejusmodi perinde manifesta est. Nimirùm in Symbolis Nicæno et Constantinopolitano ipse est *Jesus Christus Filius Dei unigenitus ante secula natus, genitus, non factus, consubstantialis Patri, qui sedet ad dexteram Patris*. Hæc autem locutio metaphorica à Psalte regio, psalmo 109, et ab Apostolo usurpata pluribus in locis : *Christus sedet ad dexteram Patris*, significat Christum esse Filium Dei æternum, Deo naturâ æqualem, eumdemque Filium Dei æternum, ut hominem factum in tempore, esse à Deo constitutum *in cœlestibus*, ut ait Apostolus Ephes. 1, 20, *supra omnem principatum et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro*.

Æquè pravum sensum refert ratio quam addit Berruyerus, nempe : *Hæc omnia* (potestatem, dominium, judicium).... *non dat Verbo æterno Filio suo etiam ut homini facto in tempore Deus, ut Verbi Pater et persona ab reliquis distincta*. Nam fide constat quæcumque à Deo dantur Christo, in tempore, seu ut homini, hæc Verbo divino dari, non quidem ut Deo, sed ut homini, et quatenùs in humanitate, quam sibi hypostaticè unitam habet, recipiuntur. Quæcumque verò Deus dat Christo, ut homini, hæc etiam ipsi dat Pater æternus, actione quidem communi cum Filio æterno et Spiritu sancto, cùm agant per naturam divinam, quæ tribus communis est, sed tamen actione, quæ speciali modo Patris est, quemadmodùm et speciali ratione est Filii et Spiritûs sancti. Hinc, licet actione tribus personis communi creatus fuerit mundus, attamen in Symbolo Constantinopolitano mox laudato Deus *Pater* dicitur *omnipotens, factor cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium;* per Filium unigenitum consubstantialem Patri dicuntur *omnia esse facta*, et similiter Spiritus sanctus dicitur omnia *vivificans, locutus per Prophetas*, et præterea *cum Patre et Filio simul adoratus;* adeòque cui ut supremo omnium creatori et conservatori universa subjecta sunt. Omnis ergo actio Dei ad extra, et tribus personis est communis, et propterea etiam unicuique personæ, aliis non exclusis, tribuenda est.

Regula sexta expenditur.—« Cùm Deus Jesum Chri- « stum appellat *Filium suum dilectum, in quo sibi com-* « *placet*, et jubet eum ab omnibus audiri; dilectio illa, « *ait Berruyerus*, et complacentia Dei sunt unius et « veri in tribus personis subsistentis, erga hominem « Jesum factum sibi in tempore verum naturalemque « Filium, non Dei, ut prima est in divinis persona, « erga Verbum quod ab æterno producit. »

Verùm eò loci memoratam complacentiam et dilectionem non esse Patris æterni, sed Dei unius et veri in tribus personis subsistentis, vel idcircò pertendit Berruyerus, quòd Deus Pater æternus non possit complacere sibi in Filio suo æterno, nec illum diligere; vel quòd complacentiam divinam et amorem erga Verbum ut carne indutum, seu hominem factum, sentiat ita esse attribuendam Deo uni et vero in tribus personis subsistenti, ut nonnisi de Deo sic spectato, non autem de Deo Patre æterno prædicari possit. Atqui, secundùm fidem catholicam, Pater æternus amat Filium suum æternum et redamatur à Filio suo æterno, et secundùm theologiam certissimam et omni ævò vigentem, ex illo utriusque amore mutuo, necessario, perfectissimo, æterno, continuo, immutabili et immanente, jugiter emanat Spiritus sanctus tertia sanctissimæ Trinitatis persona, quæ Patri et Filio æqualis est et consubstantialis. Fides quoque exigit, ut Pater æternus dicatur sibi complacere in Filio suo æterno unigenito ut incarnato, eumque diligere; non solùm quia amor necessarius et complacentia Patris æterni erga Filium suum est immutabilis et ad instans Incarnationis et omnia subsequentia protenditur; sed etiam quia omnis proprietas, omnis actus ad extra, omnis operatio tribus divinis personis communis, uniuscujusque est etiam personæ divinæ, et de illâ debet prædicari ut patet ex Symbolo Constantinopolitano, cujus verba antea jam laudata, mox adversùs regulam præcedentem allata sunt.

De regulâ septimâ Berruyeri. — « Cùm dicitur, in- « quit, Jesus Christus Filius Dei verus et naturalis, « aut illis aut ab illis hominibus quibus nondùm ex- « pressè et explicitè declaratum est mysterium ab « ipso Jesu Christo Filio Dei suo tempore revelandum « de tribus in Deo uno personis inter se realiter di- « stinctis; illi profectò homines Christum intelligere « non poterant esse Filium Dei, nisi quia sanctissima « ejus humanitas personæ uni divinæ, sive cognito « sibi Deo uno et vero conjuncta fuerat unione « reali, » etc.

Hæc regula duo complectitur : Unum, Christi auditores penitùs ignorâsse mysterium trium in Deo personarum, quarum prima Pater æternus, secunda Filius ab æterno genitus, tertia Spiritus sanctus; adeòque, cùm Christum se esse Filium Dei asserentem audiebant, non potuisse ejus verba intelligere de Filio Dei æterno facto homine, sed tantùm de humanitate Christi unitâ Deo quem cognoscebant. Alterum est, aliquos in Evangeliis referri professos Christum esse Filium Dei, quibus idem mysterium Trinitatis pariter erat occultum, et qui proinde eodem sensu Christum Filium Dei appellabant. Illud investigandum paragrapho sequenti. De isto deinde paragrapho altero disseremus. Interim legi potest Determinatio sacræ Facultatis super propositione XLIII; ad quam jam remisimus.

§ 4. *De probatione quam Berruyerus ex eo deducit, quòd auditoribus Christi esset ignotum mysterium trium in Deo personarum.*

« Dominum nostrum Jesum Christum esse verum naturalemque Dei Filium, inquit Berruyerus pag. 78, secundùm notionem explicatam (eo nempe sensu, quòd in ejus humanitatem personæ uni divinæ uni-

tam caderet in recto illa, Filii Dei, appellatio, abstrahendo à Trinitate personarum in Deo et ab æternâ generatione Verbi), hoc ipsum est profectò, quod Christus ipse credendum Judæis proponebat, et à Prophetis promissum asserebat, et miraculis suis verum esse comprobabat. Nam quid aliud intelligerent Judæi, cùm se Christus, homo ille quem auribus audiebant et conspiciebant oculis, Filium Dei diceret et credi vellet, antequàm proposuisset explicitè credendum verum Deum et unum subsistere in tribus personis realiter distinctis, Patre, Verbo, et Spiritu sancto, quarum prima Pater est ab æterno, secunda ab æterno Filius...? Eo sensu dixit Jesus se quem videbant, quem audiebant, quem interrogabant, quem poterant contrectare sui temporis Judæi, esse verum Dei Filium, quo sensu Messiam futurum esse Filium Dei debebant credere, Scripturis prænuntiantibus, ante Christi adventum Israelitæ veteres; quibus nondùm revelatum erat, Deum suum verum et unum subsistere in tribus personis realiter distinctis, quarum prima esset ab æterno Pater, secunda ab æterno Filius. »

Hæc ille, qui eò progreditur, ut ne ullum verbum quidem in Evangeliis et apostolorum scriptis, atque ab ipso Christo, antequàm à mortuis resurgeret, sentiat dictum de Trinitatis mysterio et Filio Dei æterno, sed ad hæc et alia religionis christianæ *deinceps privatâ magistrorum suorum institutione evehendos* fideles effutiat, ipsique Apostoli de iisdem ab ipso Christo instituti fuerint *in privatâ schola* ab ipso *ex mortuis suscitato creatâ*, cùm per dies quadraginta apparuit eis (vide pag. 160, 161, 162, 166, 167).

Quàm dissimilis prætensus ille interpres à sanctis Ecclesiæ doctoribus in exponendis Scripturis! Hi Divinitatem Christi ab æterno geniti ferè singulis novi Testamenti paginis expressam ostendebant. Ille verò Apostolis, Evangelistis, universis novi Testamenti scriptoribus, Christo ipsi attribuit Judæos erudiendi ignotam hactenùs methodum juxta quam generatio Christi æterna in Scripturis siletur, non primùm, non palàm ipsis annuntiabatur, sed tantùm privatim et jam initiatis reservabatur, adeò ut præposterè concilia etiam œcumenica, Ecclesiæ doctores et theologi ex Scripturis argumenta protulerint ad prima fidei capita contra varios hæreticos asserenda.

Constat ex Evangelio Judæos, cùm Christum, cujus missio divina tot miraculis monstrabatur, audiebant se Filium Dei esse annuntiantem, eum intellexisse à se dici Filium Dei, Deum, et Deo æqualem. Joan. 5, v. 18 : *Propterea ergo*, inquit Evangelista, *magis quærebant eum Judæi interficere, quia non solùm solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* His similia habentur alibi; quibus sese extricare aliter non potest Berruyerus, quàm humanitatem personæ uni divinæ unitam contendens dicendam esse Deo æqualem; quo nihil absurdius. Falsum ergo est auditores Christi non potuisse ex ejus dictis intelligere ipsum, etsi ut homo appareret, se tamen Filium Dei Patris æternum prædicare.

Ad suscipiendam autem fidem explicitam tam alti mysterii à Christo et Apostolis omnibus proponendam, Judæi, Deo ita providente, variis modis præparati fuerant, uti post sanctos Patres theologi advertunt. Vide Bellarminum, lib. 2 de Christo, capite 6. Mysterium Trinitatis personarum, quarum prima Pater est, et secunda Filius, pluribus in locis veteris Testamenti non obscurè significatur, licet apertiùs in novo. Hisce locis efficaciter utuntur theologi post sanctos Patres ad mysterium illud persuadendum, nec ullum dubium esse potest quin fide hujusce mysterii explicitâ donati fuerint antiqui Patriarchæ et Prophetæ, necnon insigniores justi qui ab Adamo ad Christum usque omni ævo floruerunt. Neque defuit aliqua ejus notitia legisperitis. Ita docent sancti Patres et theologi. Et præterea, sine fide in Christum, in mysterium Incarnationis et redemptionis explicitâ aut saltem implicitâ revelationi innixâ, nemo unquàm potuit salvari. Ergo omni tempore credita sunt explicitè illa mysteria saltem à *majoribus*, ut ait S. Thomas primâ secundæ, quæst. 2, art. 7 et 8. Relegantur quæ diximus de hoc argumento dissertatione primâ.

Deinde verò cùm Christus baptizatus est, priusquàm proinde sacrum ministerii sui munus exerceret, *ecce aperti sunt cœli*, ait S. Matthæus, 3, 16 et 17, *et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam et venientem super se, et ecce vox de cœlis dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Idem referunt sanctus Marcus, 1, 10 et 11, et S. Lucas 3, 21 et 22. Tres autem sanctissimæ Trinitatis personas ibi designari advertunt sancti Ecclesiæ doctores; *Patrem* videlicet, cujus vox audita est : *Filium*, cui testimonium Pater illâ voce perhibet: *Hic est Filius meus dilectus; et Spiritum sanctum*, qui descendit in columbæ speciem. Contigit verò illud prodigium, ait S. Lucas, *cùm baptizaretur omnis populus*, adeòque ibi tunc aderant multi qui viderunt quoque Spiritum descendentem, et vocem audierunt. Denique prædicationi Christi præiverat testimonium sancti Joannis Baptistæ, qui ad parandam ipsi viam missus fuerat, quique Joan. 1, 32 et sequentibus, refertur ita esse locutus : *Vidi Spiritum sanctum descendentem, quasi columbam de cœlo, et mansit super eum, et ego nesciebam eum; sed qui misit me baptizare in aquâ, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum sanctum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto; et ego vidi; et testimonium perhibui quia hic est Filius Dei.* Ergo ante prædicationem Christi, variis modis præculti fuerant et præparati animi Judæorum ad mysterium æterni Filii carnis facti pro suâ tenuitate intelligendum, cùm ipsis apertè declararetur. Unde non mirum quòd Christi verba de eo mysterio Judæi sensu vero acceperint, nec mirum quòd ejus fidem multi ex eis amplexi fuerint; stupenda solùm majoris numeri cæcitas, qui salutem sibi à tanto præcone annuntiatam et oblatam pertinaciter rejecit. Vide Determinationem sacræ Facultatis ad propos. XXVII et XL.

§ 5. *De probatione quam Berruyerus ex vocibus*, Filii Dei, *de Christo usurpatis ab aliquibus, qui nihil, ut putat, audierant de generatione æternâ Verbi.*

« Matth. 16, 16, ait Berruyerus, pag. 157, respon-« dens Simon Petrus dixit : *Tu es Christus Filius Dei « vivi*. Joan. 6. 70 : *Et nos credidimus et cognovimus, « quia tu es Christus Filius Dei*. Joan. 11, 27, ait Mar-« tha : *Ego credidi, quia tu es Filius Dei vivi, qui in « hunc mundum venisti*. Matth. 26, 63 : *Et princeps « sacerdotum ait illi : Adjuro te per Deum vivum, ut « dicas nobis si tu es Christus Filius Dei*. 64 : *Dicit illi « Jesus : Tu dixisti*. Matth. 27, 34 : *Centurio autem et « qui cum illo erant, custodientes Jesum... timuerunt « valdè dicentes : Verè Filius Dei erat iste*. Si Jesus « Christus credi et dici Filius Dei non posset, nisi « quatenùs et in quantùm creditur quia Verbum... est « ab æterno Filius Patris; dicendum profectò esset, « neque Petrum in genuinâ suâ confessione, neque « Martham, neque principem sacerdotum Caipham in « suâ interrogatione, neque centurionem et eos qui « cum ipso erant custodientes Jesum, homines romanos, « in suâ exclamatione vidisse quidpiam et intellexisse. » Deinde conatur efficere tunc temporis ipsismet Apostolis non fuisse revelatum mysterium Trinitatis et generationis æternæ Verbi, et inde concludit ipsammet confessionem sancti Petri esse intelligendam de Christo facto Filio Dei in tempore per unionem humanitatis suæ hypostaticam cum personâ unâ divinâ.

At quod ad confessionem sancti Petri attinet, Matthæi 16, cui altera omninò conformis est, si verum sit in eâ edendâ sanctum Petrum non vidisse quidpiam et intellexisse in hypothesi quòd accipi nequeat nisi de Filio Dei æterno facto homine, sequetur sanctos Ecclesiæ doctores, atque theologos et interpretes, qui omnes eam urgent adversùs Arianos, ut expressam generationis æternæ Jesu Christi professionem, ei tribuisse sensum in quo sanctus Petrus *non vidit quidpiam et intellexit*, quamvis *revelante Deo*, ut ait ipse Christus, locutus fuerit.

Deinde verò attendatur vis vocum, quas sanctus Petrus adhibet. In binâ illâ confessione voces, *Filius Dei*, pronuntiantur cum articulo emphatico, absolutè, antonomasticè, ut aiunt; verum ergo et proprium atque unigenitum ac naturalem Dei Filium designant. Fatetur Berruyerus; at contendit hunc verum, proprium, unigenitum et naturalem Filium Dei esse humanitatem ipsam Christi, prout unita est personæ uni divinæ, quæ (humanitas) in recto ita appellatur Filius Dei; quo, ut sæpè à nobis ostensum est, nihil absurdius tum in se, tum in mente Berruyeri, qui unicam in Christo personam à se admitti profitetur, eamque ait reverà esse personam æterni Filii. Itaque, attentâ vi verborum, non alio sensu confessio sancti Petri intelligenda est, quàm isto : Tu es Filius Dei verus, proprius, unigenitus, naturalis; adeòque æternus, Patri Deo æqualis et consubstantialis.

Neque argumentari licet ex eo quòd à sancto Petro tunc homine rudiori et mysterium Trinitatis ignorante, non potuisset altum generationis æternæ Christi mysterium attingi. Id quidem propriis viribus non valuisset. Sed quis negaverit eum potuisse divinâ revelatione ita illustrari ut fidem hanc consequeretur? Atqui illum à Deo Patre tanta illa esse edoctum. Christus ipse testis est : *Respondens autem Jesus*, ait auctor sacer versu sequenti, *dixit ei : Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.*

De confessione fidei quam emisit Martha, Joan. 11, 24 : *Tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti;* indubitatum est apud omnes interpretes catholicos non alium esse posse hujus sententiæ in se spectatæ sensum, quàm istum : *Tu es Filius Dei prius ab æterno genitus, qui incarnatus es, ad homines docendos et salvandos.* Utrùm verò Martha satis intellexerit sensum genuinum verborum quibus utebatur, quæstio est circa quam duplex est opinio. Aliqui cum S. Chrysostomo putant Martham, adhuc mente infirmâ, tunc *credidisse quidem in Christum*, sed nondùm ut par erat. Alii cum pluribus è sanctis Patribus sentiunt eam à Christo edoctam, tanti mysterii intellectum pro captu suo esse assecutam, adeòque planè confessam esse generationem æternam Christi in tempore carnis facti. Nemo verò interpretationi Berruyeri, aut rationi quam affert, præivit.

Quando autem princeps sacerdotum, Matth. 26, 63, ita Jesum interrogavit : *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei*, refert auctor sacer, v. 64, respondisse Jesum : Tu *dixisti;* nempe Divinitatis suæ et æternæ generationis prædicandæ occasionem Jesus Christus prætermittere noluit. Responsio verò debuit interrogationi congruere, ac proinde in hâc principis sacerdotum interrogatione, vox, *Filius Dei*, accipienda est secundùm genuinam et nativam suam vim, pro Filio Dei vero, proprio, unico, et ejusdem naturæ ac Deus Pater. Neque mirum illo sensu hanc interrogationem à Caiphâ, sacerdotum principe, fuisse factam Christo; etenim 1° non ignotum omninò esse potuit sacerdotum principi mysterium trium in Deo personarum, cujus prima Pater esset ab æterno generans Filium, et secunda esset Verbum, seu Filius ab æterno genitus; siquidem legisperitis subobscurè illud mysterium ante adventum Christi cognitum fuisse pro certo habetur, et ex eo meritò colligitur, quòd in Scripturis veteris Testamenti mysterium illud deprehendatur adumbratum et reipsà revelatum, licet minùs distinctè quàm in novo Testamento. 2° Eumdem etiam sacerdotum principem profectò non latuit Christum Judæis prædicâsse se esse Filium Dei, quod à Judæis, ipsomet approbante Christo, intellectum fuerat eo sensu quòd Christus *se Filium Dei*, verum Deum, et *æqualem Deo faceret;* quapropter Jesum blasphemiæ non semel accusârant. Pronum est igitur Caipham, qui Christum quoque, ob hanc ejus responsionem, *tu dixisti*, blasphemiæ condemnat, eodem sensu quo ipsi quorum pervivaciam et incredulitatem imitabatur, accepisse istam vocem, *Filius Dei.*

De exclamatione centurionis eorumque militum qui, viso terræ motu et cæteris signis tempore mortis Christi peractis, *timuerunt valdè dicentes : Verè Filius Dei erat iste*, Matth. 27, hi sanè audierant Christum annuntiâsse Judæis se *esse Filium Dei*, atque significationem hujusce vocis ab ipsis acceperant Judæis, qui propterea petierunt Christum cruci affigi. Cùm

autem vidissent stupendis comprobari prodigiis eum esse à Deo missum et præconem fuisse veritatis; gratiâ divinâ illustrati exclamârunt: *Verè Filius Dei erat* iste. Has voces capiunt sancti Patres ut sonant, de Filio Dei vero, proprio, ac proinde genito ab æterno. Quòd si quis contenderet verba centurionis per se huic dogmati exprimendo nata, fortè tamen ab eo prolata non fuisse nisi secundùm quamdam notionem Filii Dei confusam, et ad altum istud mysterium non pertingentem, is non adeò à nobis rejectam doctrinam Berruyeri amplecteretur.

Vide Determinationem sacræ Facultatis ad propositionem LX.

§ 6. *De verbis Angeli ad Mariam Virginem apud Lucam.*

« Lucæ 1, 31 : *Ecce concipies in utero, et paries Fi-*
« *lium; hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur.* 35 :
« *Spiritus sanctus superveniet in te, virtus Altissimi*
« *obumbrabit tibi, ideòque et quod nascetur ex te san-*
« *ctum, vocabitur Filius Dei.....* Pace, inquit Berruye-
« rus, pag. 110 et 111, doctissimorum virorum (qui
« Filium Mariæ volunt ab Angelo dictum futurum esse
« Filium Dei æternum pro nobis humanitatem as-
« sumpturum), dixerim tres periodi evangelicæ vocu-
« las, easque non otiosas, sed..... ex industriâ selectas
« ab illis in interpretatione suâ expungi gratis, vel ad
« sensum non suum detorqueri. Prima vox est (*ideòque*)
« in quâ pro legitimo, sed et unico denominationis
« (*Filii Dei*) fundamento ponitur actio transiens et
« libera Spiritûs sancti in Mariam superventuri, et
« virtus Altissimi Virgini castissimæ in tempore ob-
« umbratura. Secunda vox (*et*) quæ addita voci (*ideò-*
« *que*) emphasim quamdam habet, notatque non solùm
« Verbum, quod est ab æterno Filius Patris, sed na-
« sciturum ex Mariâ Virgine Filium, novâ etiam ra-
« tione vocandum esse Filium Dei. Tertia vox (*quod*)
« quod nascetur ex te sanctum; quæ loquendi forma
« in neutro genere, secundùm logicos omnes, imò et
« familiarem usum loquendi, non appellat in recto
« personam, sed humanitatem; et, ubi de Christo
« agitur, sanctissimam ejus humanitatem ex virgineo
« sanguine propagandam, donis ornandam omnibus,
« et personæ uni divinæ in tempore conjungendam.
« Quarta vox adjici potest (*sanctum*) quod plerique
« omnes rectè interpretantur unctum à Spiritu sancto
« et eximiè sanctificatum; et istud profectò epithetum
« in recto aptari Verbo non potest, Filio Patris æterni
« æterno; unicè in recto convenit sanctissimæ Christi
« humanitati ex Virgine nasciturææ....; certissimè ergo
« in humanitatem Christi Verbo Dei unitam hypostа-
« ticè et propter hanc unionem, cadit. »

Verùm *nihil hâc argumentatione levius*, ut verbis utar doctissimi Petavii simile ratiocinium Crellii de verbis iisdem angelicis refellentis lib. 3 de Trinitate, cap. 6, n. 2. Et 1° quidem hâc interpretatione ipsa hæresis Nestorii obtruditur, à quâ tamen Berruyerus videri vult abhorrere. Enimverò, in eâ duplex in Christo Filius clarissimè distinguitur, nempe *Verbum, quod est ab æterno Filius Patris*, et temporalis Filius Dei ex Mariâ Virgine nasciturus, qui à Filio æterno clariùs discriminari non poterat quàm hoc loquendi modo: *non solum Verbum*, seu non solus *Filius Dei æternus, sed Filius ex Mariâ Virgine nasciturus novâ etiam ratione vocandus est Filius Dei.* Præterea, is *Filius* ex Mariâ Virgine nasciturus et futurus Filius Dei, dicitur esse in recto humanitas personæ uni divinæ unita. Quæ humanitas à Verbo Filio Dei æterno infinitum differt.

2° Eadem interpretatio injuriosa est sanctis Ecclesiæ Patribus, theologisque et interpretibus catholicis, qu omnes pro certo habent dicta Angeli intelligenda esse de Filio Dei æterno in sinu beatæ Virginis operante Spiritu sancto et virtute Altissimi obumbrante incarnando, et ex eâ secundùm carnem nasciturо. Hos omnes accusat quòd *tres periodi voculas*, et illas *quidem non otiosas, sed de industriâ selectas, vel gratis interpretatione suâ expunxerint, vel ad sensum non suum detorserint.*

3° Repugnat universæ traditioni. Nempe, ut ait illustrissimus Bossuetius in Richardum Simonem, *Instruction sur la version du nouveau Testament, à Trévoux*, 1702, tomo II Operum in-4°, pag. 317, *omnis filius est ejusdem naturæ ac pater; repugnat eum esse verum filium, qui alterius est essentiæ. Id ipsum in singulis ferè paginis scriptorum sancti Athanasii contra Arianos legitur, singulis lineis epistolæ synodicæ ejus prædecessoris sancti Alexandri et concilii Alexandrini ad omnes mundi episcopos deprehenditur. Principium est quo sancti Patres usi sunt ad probandum consubstantialitatem, ac proinde divinitatem Christi .... Qui ab illo sensu unico nominis hujus*, Filius Dei, *Christo in Scripturis absolutè et per excellentiam attributi, ipsumque Filium Dei æternum significantis, vel unum excipit et abducit Evangelii locum, is fundamentum fidei evertit, ac seriem traditionis abrumpit, atque unum testimonium eludendo, cætera magno cum periculo attentat.* Licet autem Berruyeri interpretatio, nonnihil ab expositione Richardi Simonis differat, attamen his illustrissimi præsulis dictis, quæ verissima esse multis congestis testimoniis facilè ostendi posset, illa perinde refellitur. Probant enim tam nefas esse humanitatem Christi unitam dici in recto Filium Dei in Scripturis, uti Berruyerus contendit, quàm statui cum Richardo Simone, Filium Mariæ Virginis potuisse idcircò solùm appellari ab Angelo Filium Dei, quia ex Virgine operante Deo conceptus est, etiamsi non esset Filius Dei Deus.

4° Repugnat sacro contextui. Expendamus verba Angeli, et singulas illas versûs 35 voculas quas Berruyerus contendit ab illis interpretibus *expunctas* aut *ad sensum non suum detortas*. Concedendum Berruyero, quod evidens est, scilicet nomen Filii Dei, versu 35, eodem sensu accipi quo 32. Illud autem versiculi 32 : *Filius* ille tuus *vocabitur Filius Altissimi* (*sera le fils du Très-Haut*), vel intelligendum est de Filio Dei æterno ejusdem naturæ ac Pater, ex Mariâ Virgine incarnando et secundùm carnem nascituro, vel nullo in loco Scripturarum denominatio, Filii Dei, Christo attributa significat Filium Dei æternum. Nemo hactenùs hanc propositionem negavit, adeò manifesta est

Atqui denominatione Filii Dei Christo in Scripturis attributâ significatur saltem pluribus in locis sacri contextûs, *Filius Dei æternus, Deus de Deo, consubstantialis Patri*. Propositionem istam Berruyerus negat quidem, Socinianis hâc in parte consentiens; verùm opprimitur non modò totius traditionis auctoritate, ut mox ostensum est, sed et pondere argumentorum ex vocum Scripturæ vi et proprietate deductorum, quibus usi sunt Ecclesiæ doctores contra Sabellianos, Arianos et Nestorianos, quibusque utuntur theologi et interpretes omnes adversùs Socinianos. Horumce momentorum summa hæc est: Filium sine addito et absolutè, Filium verum, proprium, unicum, unigenitum, esse Patri naturâ, seu essentiâ similem, adeòque Christum non posse ita dici Filium Dei, quin sit Filius Dei æternus et consubstantialis Patri. Ergo graviter errat Berruyerus, dùm inficiatur versu 32, his verbis absolutè pronuntiatis, *Filius Altissimi*, designari Filium Dei æternum, ac proinde agnoscere debuisset istis versûs 35, *Filius Dei*, eumdem Filium Dei æternum designari. Etverò nomine *Filii Dei*, sic absolutè enuntiato exprimi Filium Dei, Deum verum, vel ipsi Judæi intellexerunt, cùm se *Dei Filium* esse annuntiabat. Videantur cap. 5 Evangelii S. Joannis, v. 18, et sequenti, et caput 10, v. 33. Hoc igitur nomen à Christo sic pronuntiatum ejusmodi sensum animis vi suâ et proprietate ingenerabat, adeòque verba Angeli Christum Filium Dei æternum etiam commonstrabant.

Sed et ejusdem rei argumentum suppeditant vel ipsa Angeli verba in se spectata. Angelus ait Christum esse *Filium Altissimi*, *Filium Dei*, quemadmodùm ibidem declarat eum esse Filium Davidis et Mariæ. Atqui Christus eo sensu erat, juxta Angelum, futurus Filius Mariæ et Davidis, quòd ejusdem ac ipsi esset essentiæ, ipsisque naturâ et substantiâ similis seu consubstantialis. Ergo, etc. Admitteturne turpis et homine indigna æquivocatio in dictis Angeli?

Inania sunt et futilia quæ Socinianos imitatus notat Berruyerus de voculâ *ideòque*, quasi verò eâ voce significaretur unicum fundamentum, propter quod sanctum ex Mariâ nasciturum vocandum sit Filius Dei, illud esset quod, Deo operante, virgo Maria ipsum conceptura esset. Particulam causalem, *ideòque*, ipsimet Sociniani fateri debent non esse eò loci ita urgendam, ut sola cujusque hominis conceptio ex Virgine per potentiam Dei absolutam sufficeret ad denominationem Filii Dei illi partui tribuendam. Non enim absolutè impossibile est, non modò hominem purum, sed et hominem donis gratiæ eximiis et potestate admirabili supra alias creaturas non ornatum nasci ex Virgine, si illud Deus per potentiam extraordinariam vellet effici. Tunc verò ejusmodi hominem aliis saltem multis gratiâ et potentiâ solùm parem, nollent propter solam nativitatem ex Virgine eo sensu dici Filium Dei, quemadmodùm ipsi putant in Scripturis Filium Dei appellari. Concedant ergo ipsi, concedat etiam Berruyerus verba Angeli de miraculoso illo ex Virgine conceptu accipienda esse cum adjunctis, quibus manifestum fit ea ad solum Messiam per Prophetas promissum, ad solum Christum contingere. Quo posito, adjuncta ejusmodi inspicienda sunt, ex illis controversia dirimenda, neque jam ad subtilitatem dialecticam vox, *ideòque*, in verbis Angelicis exigenda, sed ad communem loquendi usum, juxta quem instar causæ et principii sæpè afferuntur quæ propriè loquendo causæ non sunt, sed quocumque modo cum ipsâ re sunt connexa. Cùm porrò is ordo rerum à Deo constitutus sit ut universi homines puri ex utroque sexu generentur, cùmque illud planè conveniens fuerit, ut, si Filius Dei homo fieret, ex Virgine nasceretur, consequens fuit ut qui in utero virginis, Deo miraculosè operante, erat concipiendus, intelligeretur futurus homine puro major, adeòque Filius Dei Deus, naturam humanam assumpturus.

Præterea, inscia non erat beata Virgo vaticinii quod legitur Isaiæ 7, 14: *Ecce virgo concipiet et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel;* noverat hunc ipsum virginis Filium, juxta eumdem Isaiam 9, 6, *Deum* fore *admirabilem*, *fortem;* ad hanc Isaiæ prophetiam mentem ejus revocaverat Angelus vel initio sui cum eâ colloquii, cùm de Jesu Filio Altissimi, futuro quoque Mariæ Filio dixerat: *Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis;* quæ omnia de Filio ex Virgine nascituro Isaias 9, 7, vaticinatus fuerat. Attendendo autem, ut par est, ad hæc adjuncta, ad illud Isaiæ oraculum, sensus verborum Angeli is erit: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ut impleatur in te quod Isaias prædixit de Emmanuele, de Deo cum hominibus, de puero Deo forti, admirabili, ex virgine prodituro; ideòque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.

Nihil difficultatis habet vocula (et), quæ eòdem refertur ac ista (*ideòque*), et cujus significatione determinatur, *Emphasim quamdam habet addita voci* (ideòque); quid inde? hoc unum, de tanto mysterio Angelum magnificè esse locutum. Non magis premunt quæ de tertiâ voculâ (*quod*): *quod nascetur ex te sanctum*, aggerit Berruyerus. *Loquendi forma*, inquit, *in neutro genere non appellat in recto personam, sed naturam.* Id quidem sæpè verum, sed exceptiones fieri necesse est, nec rara sunt exempla, ubi voces neutrius generis personas designant. Eâ de re *ex subjectâ*, ut aiunt, *materiâ* dijudicandum. In versu autem 35, de quo agitur, antecedentia et consequentia manifestant hisce verbis Angeli, *quod nascetur ex te sanctum*, designari personam. Nam idem significant quod ista versûs 31, *concipies et paries Filium.* Cùm autem mulier dicitur concipere et parere filium, nomine filii nemo negaverit, ne ipse quidem Berruyerus, in recto designari personam, non naturam. Pariter *quod nascetur ex Virgine sanctum*. idem sonat ac Filius, qui eodem versu 31, vocandus est *Jesus*. Atqui *Jesus* est nomen proprium personæ. Denique *quod nascetur sanctum*, versu 32, dicitur *Filius Altissimi*, et versu 35, *Filius Dei*: natura autem humana Christi, ut sæpè diximus, non potest nuncupari Dei Filius. Vox Filii

in personam immediatè cadit. Non advertit Berruyerus quòd, si vox neutrius generis non posset designare personam, ipsummet Verbum Dei non posset dici Filius Dei Patris æternus, secunda sanctissimæ Trinitatis persona; quod tamen dogma fidei sæpè ipsimet profitetur. De cætero quod ex Mariâ erat nasciturum, meritò *sanctum* ab Angelo nuncupatur; siquidem Jesus Christus Filius Mariæ, ut Filius Dei Deus, sanctitas est summa, sanctitas increata; et, ut homo Filius beatæ Virginis, est sanctitas modo eximio et soli Christo convenienti participata, quatenùs scilicet humanitatem suam habet hypostaticè unitam Verbo. Hinc *sanctum* sine addito et antonomasticè nuncupari potuit.

Ex dictis facilè colligitur quantùm Arianis et Socinianis faveat interpretatio quam perstringimus. Nam si nominibus, *Filii Altissimi*, *Filii Dei*, ab Angelo attributis Christo apud Lucam 1, 32 et 35, intelligenda est in recto Christi humanitas personæ uni divinæ hypostaticè unita, sequitur cætera omnia Scripturarum loca, in quibus Christus dicitur *Filius Dei*, *verus Filius Dei*, *Filius Dei proprius*, *unigenitus*, quibus sancti Ecclesiæ doctores tam feliciter usi sunt ad refellendos Christi divinitatis hostes, et quæ etiamnum à theologis catholicis jure usurpantur ad debellandos Socinianos, jam nullius esse efficaciæ, ut facilè perspicitur ex sæpè demonstratis.

§ 7. *De tribus primis versiculis Epistolæ S. Pauli ad Romanos.*

« Roman. 1, 2, 3: *Paulus servus Jesu Christi, vo-*
« *catus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod*
« *ante promiserat per Prophetas suos, in Scripturis*
« *sanctis, de Filio suo, qui factus est ei ex semine Da-*
« *vid secundùm carnem...* Verba, ait Berruyerus,
« pag. 109, ut jacent, in obvio suo et nativo sensu,
« nullâ formidine interpretare de Jesu Christo Deo et
« homine, qui ex semine David per Mariam in Filium
« suum derivato, factus est in tempore Deo uni et vero
« Filius secundùm carnem. Intellige dicta instar sup-
« positi et in masculino genere de sanctissimâ Christi
« humanitate, quæ superveniente Spiritu sancto in
« Mariam, et virtute Altissimi ei obumbrante, con-
« juncta est in tempore cum personâ unâ divinâ,
« unione reali, physicâ et substantiali in unitatem
« personæ et individuam societatem naturæ. »

Nodum in scirpo quærit Berruyerus. Istud versu 3, *de Filio suo* (Dei) *qui factus est ei ex semine David*, nihil aliud significat nisi Filium Dei æternum (nullus enim est alius Filius Dei absolutè et per excellentiam dictus) factum esse hominem, eumque, ut hominem, ex Davide esse propagatum, seu Filium Dei secundùm carnem, secundùm naturam humanam quam assumpsit, esse natum, esse factum ex semine David, esse Filium Davidis. Scilicet, quemadmodùm Joan. 1: *Verbum, quod erat in principio*, quod *erat apud Deum*, quod *erat Deus*, dicitur versu 14, *caro factum (et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis)*; ita S. Paulus ad Romanos scribens ait: *Filium Dei* æternum, qui ipsummet est Verbum, *factum esse* in tempore *Filium Davidis secundùm carnem*.

Præposterè Berruyerus ubique ponit ut certum et millies repetit quod minimè probat, nec ullo modo probare potuisset, nempe in hâc sancti Pauli pericope, *de Filio suo* (Dei) *qui factus est ei ex semine David secundùm carnem*, vocem Filii Dei esse attributum propositionis, quasi dictum esset: *Qui factus est ei Filius ex semine David secundùm carnem*. Atqui id gratis et falsò confictum. *In verbis illis* Apostoli, ait sanctus Thomas, parte 3, quæst. 16, art. 7, ad 1, *hoc relativum*, qui, *quod refert personam Filii Dei, non debet intelligi ex parte prædicati, quasi aliquis existens ex semine David secundùm carnem sit Filius Dei; sed debet intelligi ex parte subjecti, ut sit sensus, quòd Filius Dei factus est, scilicet homo, ad honorem Patris, existens ex semine David secundùm carnem, ac si diceret: Filius Dei factus est habens carnem ex semine David ad honorem Dei*. En obvius, naturalis et vocum simul proprietati et fidei regulæ congruus sensus illius loci. Unde apparet quantùm à mente Apostoli distet Berruyeri interpretatio, nomine, *Filii Dei*, humanitatem Christi intelligi jubentis, seu *masculino genere* hominem Christum, *qui*, inquit, *factus est ei* (Deo uni et vero in tribus personis subsistenti) *nuper Filius, per actionem transeuntem et liberam, quâ sanctissima humanitas conjuncta est personæ uni divinæ*, etc.

Neque feliciùs Berruyerus pronomen *ei* interpretatur de Deo in tribus personis subsistente, Patre humanitatis Christi, quam per unionem suî cum personâ unâ divinâ substantialem, ponit esse factam in tempore Filium Dei temporalem. Hæc interpretatio plurima secum importat falsa, illudque inprimis: Filium Dei esse propositionis Apostoli prædicatum. Germanum hujus voculæ, *ei*, sensum expressit doctor Angelicus, dùm illam ait idem sonare ac *ad honorem Dei Patris*, in quo, ut in suo principio, contineri et honorari Filium et Spiritum sanctum meminisse debet diligens Scripturarum interpres. Id enim alicui fieri verè dicitur, quod in ejus gloriam et honorem vergit, et ob eum finem peragitur. Nihil necesse est observari illud, *ei*, neque in græco extare, neque in pluribus olim extitisse vulgatæ versionis exemplaribus, eumque locum sine ullo pronomine à Tertulliano et à sancto Ambrosio fuisse lectum; siquidem eo seu dempto, seu relicto, idem sensus habetur, neque ulla inde nascitur difficultas. At, inquit Berruyerus, pag. 3, nonnisi de filiatione divinâ humanitati Christi in personâ suâ divinâ subsistenti attributâ in recto, intelligi possunt quæ continuò addit Apostolus versu 4: *Qui prædestinatus est Dei Filius in virtute secundùm spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi*.

Fallitur. Verbum Dei, seu Filius Dei æternus, non potuit quidem, ut Deus, prædestinari Filius Dei; sed Filius Dei unicus, æternus, factus est in tempore ex semine David secundùm carnem, seu factus est homo juxta propositum Dei æternum, cum nihil à Deo fiat in tempore, nisi quod ab æterno ipse constituit. Ergo,

cùm factum est ut numanitas Christi Verbo seu Filio Dei æterno hypostaticè uniretur in personæ unitatem; cùm proinde factum est ut homo Jesus Christus, seu ut persona Jesu Christi quatenùs homo, esset Filius Dei; tantum opus præscitum et prædestinatum ab æterno fuisse necesse est. Atque hæc est sancti Augustini lib. de Prædest. sanctorum, cap. 15, n. 31, interpretatio solida, et mysterio Incarnationis atque fidei catholicæ planè consentanea; quam sequuntur S. Thomas, parte 3, quæst. 24, art. 1; Cornelius à Lapide ad hunc locum; Petavius, libro 11 de Incarnatione, capitibus 13 et 14; Bossuetius in laudatâ Instructione contra Richardum Simonem, etc.

Neque objiciatur pronomen relativum, *qui*, versu 4, referri ad Filium Dei memoratum versu 3, adeòque ex interpretatione istâ sensum hunc absonum exoriri: *Æternus Dei Filius prædestinatus est Filius æternus Dei.* Illi objectioni occurrit S. Thomas his verbis: *Prædestinatio*, ait ibidem, *attribuitur personæ Christi; non quidem secundùm se, sed secundùm quod subsistit in naturâ humanâ. Unde cùm dixisset Apostolus*: Qui factus est ei ex semine David secundùm carnem, *subjunxit*: Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, *ut daret intelligere quòd, secundùm hoc quòd* factus est ex semine David secundùm carnem, *est* prædestinatus Filius Dei in virtute. *Quamvis enim naturale sit illi personæ secundùm se consideratæ, quòd sit* Filius Dei in virtute, *non tamen est ei naturale secundùm naturam secundùm quam hoc sibi convenit per gratiam unionis.... Antecessio quam importat illud participium*, prædestinatus, *non refertur ad personam secundùm ipsam, sea ratione humanæ naturæ, quia scilicet persona illa, esto ab æterno fuerit Filius Dei, hoc tamen non fuit semper, quòd subsistens in naturâ humanâ fuerit Filius Dei.* Quod autem tradit S. doctor et ad Apostolum explicandum applicat, id ipsum est quod de Christi prædestinatione definivit synodus Toletana XI, canone I.

Cæterùm, qui interpretationem ejusmodi, licet verissimam, difficulter intelligerent, possunt amplecti explicationem quæ est Origenis, S. Chrysostomi, Theodoreti, aliorumque multorum apud Græcos, et cui adhæret Toletus et alii ex interpretibus latinis. *Quid sibi vult*, inquit S. Chrysostomus, homiliâ 1 in Epistolam ad Romanos, n. 2, *quid sibi vult istud, definitus* ὁρισθέντος, *ostensus, declaratus, indicatus, confessus, omnium judicio et calculo, à Prophetis, ab inexpectato ortu secundùm carnem, à potentiâ signorum, à Spiritu per quem sanctificationem dedit, à resurrectione quâ mortis tyrannidem solvit?* Itaque voce græcâ, quæ *definitus* significat, non censet idem exprimi ac voce *prædestinatus*, sed idem quod *ostensus, declaratus, indicatus;* atque eodem sensu posse ipsam accipi vocem *prædestinatus*, quam adhibet vulgatus Interpres, opinatus est cardinalis Toletus. Hoc autem posito, nulla manet vel minimæ difficultatis species.

Dùm verò Berruyerus novam et hactenùs inauditam profert interpretationem versuum 3 et 4 capitis primi Epistolæ ad Romanos, nemo sanè non perspexit ab eo propinari ipsum Nestorianismum, naturam Christi humanam *instar suppositi* esse decernendo, atque Arianorum et Socinianorum causam valdè juvari. Legatur Determinatio sacræ Facultatis ad propositionem XLVII.

Atque hæc satis sint de præcipuo Harduini et Berruyeri errore. Nos non latet quantùm præterea à vero deviaverint circa novitatem cultûs à Jesu Christo instituti, circa discrimen novæ Filiorum Dei adoptionis à veteri, circa peccatum originale, de dogmatibus ad gratiam et prædestinationem spectantibus, aliisque magni momenti capitibus. Hæc verò, cùm ad præsentem de Incarnatione Verbi divini tractatum non pertineant, impræsentiarum omittere cogimur. Unum duntaxat recurret, ut jam monuimus, tractandum dissertatione sequenti, quod spectat ad adorationem, quam ambo, discipulus scilicet et magister, sciscunt humanitati Christi in recto, quia personæ uni divinæ unita est, exhibendam.

Dissertatio xij.

DE CULTU QUI CHRISTO DEBETUR.

Cultus generatim definiri potest actus quo quis alterum veneratur propter ejus excellentiam. Cultus proinde includit 1° actum intellectûs, quo personæ illius quæ colitur innotescit excellentia; 2° actum voluntatis, quo illi personæ propter ejus excellentiam veneratio exhibetur. Cultus dividitur 1° in interiorem et exteriorem. Cultus interior in actibus intellectûs et voluntatis, quibus redditur, consistit. Cultus exterior situs est in actionibus externis, quibus interiores ejusmodi actus manifestantur et exprimuntur. Actiones illæ sunt laus et honor. Laus definitur excellentiæ illius qui colitur testificatio verbis exhibita. Honor est testificatio ejusdem rei factis expressa. Cultus 2° dividitur in cultum latriæ et duliæ. Cultus latriæ ille est qui Deo in testimonium supremæ illius majestatis summique illius in omnia dominii exhibetur. Appellatur etiam cultus perfectæ subjectionis, quia eo cultu agnoscimus nos à Deo ut à supremo Domino in omnibus pendere, ab eo nos omnia habere et sperare, nosque propter ejus excellentiam totos ipsi consecramus et devovemus. Nota autem, etiamsi adorationis nomen persæpè in Scripturis ad designandum solummodò cultum quemlibet generatim adhibeatur, usum tamen hodiè invaluisse, ut potissimùm latriæ cultus eo designaretur.

Cultus duliæ est qui redditur servis Dei propter supernaturales dotes quas ipsis Deus largiri dignatus est. Duliæ cultus duplex distinguitur: alter qui duliæ nomen retinet et exhibetur sanctis, v. g., sancto Petro; alter qui, licet sit ejusdem omninò generis, ad superiorem tamen in eodem ordine gradum contingit, propter specialem illius cui tribuitur excellentiam. Sic se habet cultus qui Beatæ Virgini propter maternitatis divinæ dignitatem et specialia, quæ inde consecuta est, gratiæ dona, exhibetur, et dicitur cultus hyperduliæ.

Cultus 3° dividitur in cultum absolutum et cultum relativum. Absolutus ille est qui tribuitur propter ea

cellentiam illi cui redditur inhærentem. Relativus alicui rei redditur propter excellentiam alterius ad quem specialem aliquam habitudinem dicit. Cultus absolutus redditur Deo, Christo et sanctis; relativus cruci et sanctorum imaginibus.

Observandum autem ejusmodi cultus diversos à se invicem sæpè vix posse per actus exteriores discerni. Namque eadem, v. g., genuflexio Deo et sanctis exhibita, maximè diversos cultus designat: nempe respectu Dei significat cultum latriæ, respectu sancti cultum duliæ tantùm, attamen eadem est actio exterior. Debet ergo cultuum diversitas ex affectu et intentione agentis æstimari, præsertim verò ex doctrinâ et intentione societatis seu Ecclesiæ in quâ illi actus frequentantur. Sacrificium tamen soli Deo offerri potest. Idem dicendum de iis laudibus quibus solus Deus posset celebrari.

Non quæritur eò loci, utrùm Christus ut Deus supremo latriæ cultu sit adorandus. Quotquot enim fidem catholicam de Christi divinitate ac æternâ ejus generatione profitentur, ei ut Deo deberi supremum latriæ cultum non dubitant.

Agitur de Christo ut homine, seu secundùm suam humanitatem considerato, et quæritur, an Christo ut homini, ipsique ejus humanitati, absolutus latriæ cultus exhibendus sit.

CAPUT UNICUM.

An Christo, ut homini, ipsique ejus humanitati debeatur supremus latriæ cultus?

Adversùs aliquos veteres hæreticos hîc ostendendum supremam adorationem latriæ deberi humanitati Christi propter Verbum cujus est hæc humanitas, ita ut una eademque adoratio latriæ Christo ut homini, ipsique ejus humanitati, cum ejus divinitate, et propter ejus divinitatem impendenda sit.

Deindè refellendus error Berruyeri de adorandâ supremo latriæ cultu humanitate Christi in se directè et in recto spectatâ.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm Christus, ut homo, unâ eâdemque supremâ adoratione cum ejus divinitate sit colendus?

Circa adorationem latriæ Christo ut homini debitam propter Verbum, cui sanctissima ejus humanitas hypostaticè unita est, erraverunt primò quotquot dissertatione quartâ, capite 1, articulo primo memoravimus nonnisi fictum, umbratile et phantasticum Christo tribuisse corpus. 2° Appollinaristæ, qui Catholicis id exprobrabant, quòd Christum, ut hominem, eodem quo ut Deum, colerent latriæ cultu, eosque propterea *hominicolas* appellabant. Quos vicissim Catholici nominabant *carnicolas*, quia Verbum contendebant carnem solam assumpsisse sine animâ rationali, cujus Christum esse expertem asserebant. Testes verò sunt sancti Athanasius et Epiphanius eosdem professos esse Christi carnem esse divinam et Verbo consubstantialem, adeòque esse Deum, Christoque non fuisse nisi simulacrum carnis. 3° Quemadmodùm Nestorius binas in Christo personas, Verbum scilicet et hominem Verbo moraliter duntaxat conjunctum, reverà admittebat; ita et duas adorationes diversas sentire debuit Christo esse exhibendas, unam Verbo, quæ esset latriæ propriè dicta, alteram homini seu personæ humanæ Verbo moraliter conjunctæ. Attamen, ut nunquàm expressè pronuntiavit duplicem in Christo esse personam, pariter nunquàm conceptis verbis docuit duplicem ipsi adorationem deberi. Sed una quam profitebatur adoratio, duplicem re ipsâ involvebat, et quidem diversi generis; latriæ cultum Verbo asserebat, multò inferiorem verò reddebat Christo homini, cui omnes personæ à Verbo distinctæ characteres adscribebat.

Conclusio. Christus ut homo, seu humanitas Christi ut conjuncta Verbo, unâ et eâdem adoratione cum ejus divinitate est colenda. Probatur 1° ex Scripturis. Philip. 2, v. 6 et seqq.: *Qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in glorià est Dei Patris.* Ubi disertè exprimitur summum cultum esse exhibendum Christo etiam ut homini. Hebr. 1, v. 6, Apostolus Christum Angelis superiorem esse ostendit, quia ipsi ut homini adoratio ab Angelis debetur: *Et cùm iterùm*, inquit, *introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent* (græcè προσκυνησάτωσαν) *eum omnes Angeli Dei.* Apocalypseos 5, v. 12: *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem.*

Probatur 2° ex conciliis. Synodus Alexandrina, è quâ sanctus Cyrillus suos 12 anathematismos contra Nestorium scripsit, definiit, anathematismo 8, unum honorem, unamque glorificationem Christo dependendam; atqui, nisi humanitas Christi conjuncta Verbo uno eodem adorationis cultu cum ejus Divinitate adoranda esset, jam duplex honor et glorificatio Christo reddi posset; ergo, etc. Synodus Chalcedonensis, in definitione fidei, hunc anathematismum octavum approbat. Synodus V generalis, can. 9, anathema in eum contorquet qui *non unâ adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorat.*

Idem statuit concilium Later. sub Martino I, sess. 4, can. 9, his verbis: *Si quis non unâ adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorat, juxta quod sanctæ Dei Ecclesiæ ab initio traditum est, talis anathema sit.*

Probatur 3° ex sanctis Patribus. S. Athanasius in Epistolâ ad Adelphium: « Rem creatam, inquit, non adoramus; absit. Ethnicorum enim et Arianorum est hujusmodi error. Sed rerum creatarum Dominum carnem factum, Dei Verbum adoramus. Etsi enim ipsa caro seorsùm spectata pars sit rerum creatarum, attamen Dei facta est corpus. Neque verò hujusmodi

corpus à Verbo dividentes adoramus, neque cùm Verbum volumus adorare, ipsum à carne removemus. »

S. Ambrosius ad hæc verba Psal. 98 : *Adorate scabellum pedum ejus, quia sanctum est*, lib. 3 de Spiritu sancto, cap. 11, aliàs 12, n. 79 : « Per scabellum, inquit, terra intelligitur ; per terram autem, Christi caro, quam hodiè in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino adoràrunt ; neque enim divisus est Christus, sed unus ; neque cùm adoratur tanquàm Dei Filius, natus ex Virgine denegatur. »

S. August. ad eadem Psal. 98 verba : « Timeo, inquit, adorare terram, ne damnet qui fecit cœlum et terram ; rursùs timeo non adorare scabellum pedum Domini mei.... Fluctuans converto me ad Christum quomodò sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terrâ terram, quia caro de terrâ est, et de carne Mariæ carnem accepit, et quia in ipsâ carne hâc ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit ; nemo autem illam carnem manducat nisi priùs adoraverit ; inventum autem quemadmodùm adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. »

Probatur 4° ratione theologicâ. Humanitas Christi, licet *seorsùm spectata*, ut aiebat modò laudatus S. Athanasius, *pars sit rerum creatarum, attamen Dei corpus* est effecta ; id est, reverà unitur hypostaticè et in personæ unitatem Verbo divino, in quo subsistit, adeò ut una sit cum ipso persona ; atqui, natura quæ una est cum Deo Verbo persona, unâ eâdemque cum ipso adoratione sub hoc respectu colenda est, ergo, etc.

Etverò natura humana, quæ Verbo Filio Dei æterno hypostaticè unita est, ita ut personâ Verbi æterni Filii Dei in genere subsistendi compleatur, uno eodemque supremo latriæ cultu adoranda est cum Verbo et propter Verbum, cui hypostaticè unitur. Etenim natura humana Christi Verbo sic unita, propriè est natura Verbi in quo subsistit, ita ut secundùm omnem sermonis proprietatem dicendum sit : Habens hanc naturam humanam est Deus, est Verbum, et Deus Verbum est hic homo seu habens hanc naturam humanam. Proinde, cùm adoratio propriè exhibeatur personæ, adorare hanc humanam naturam in se propter Verbum cui unitur, nihil aliud est quàm adorare Verbum incarnatum ; quemadmodùm ait S. Thomas, parte 3, q. 25, a. 2 : *Adorare vestem regis, est adorare regem vestitum.* Atqui natura Christi humana sic est unita Verbo Filio Dei æterno ; ergo.

Dices : Soli Deo cultus latriæ debetur ; atqui humanitas Christi non est Deus ; ergo, etc. Dist. min. : Humanitas Christi non est Deus, seu non est natura divina, concedo ; non unitur Verbo in personæ unitatem, nec unam cum eo personam constituit, nego. Non adoramus humanam Christi naturam in se et seorsim à Verbo spectatam, sed tantùm prout ipsi conjungitur, et quatenùs ejus personâ subsistit et terminatur ; adeò ut adoratio quam Christo homini reddimus, sit adoratio ipsimet Deo Verbo exhibita prout naturam humanam terminat, seu, quod eòdem redit, exhibita personæ ex humanâ Christi naturâ et personâ Verbi quâ terminatur, si ita loqui fas est, coalescenti. Suprema latriæ adoratio exhibetur naturæ Christi humanæ, quia hæc natura humana est Verbi quod eam habet sibi hypostaticè conjunctam ; exhibetur verò propter Verbum, cujus est illa natura humana, et quod supremo latriæ cultu est in se dignum et propter se.

Ergo, inquies, si spectaretur natura humana Christi ut separata, et solummodò ut donis gratiæ et gloriæ cumulata, sine respectu ad Verbum, jam non deberetur ipsi cultus latriæ. Fatemur, quia puræ creaturæ non debetur is cultus. Sed hocce modo Christi humanitatem à Verbo separatam, dùm eum colimus, considerare nefas est, siquidem humana Christi natura spectari nequit ut separata à Verbo quin consideretur ut persona merè humana. Hinc concilia quæ jubent eam unà cum Verbo adorari, nihil de eâ statuunt ut sejunctâ à Verbo etiam per mentem tantùm.

ARTICULUS II.

Utrùm humanitati Christi, in se directè et in recto consideratæ, supremus latriæ cultus exhiberi debeat aut etiam possit propter unionem hypostaticam, quâ fit ut in Verbo subsistat?

Cùm in Scripturis sæpè, ut ostensum est, significetur Jesum Christum esse adorandum, et quidem supremâ latriæ adoratione, Berruyerus consequenter ad suam Jesu Christi notionem, de quâ dissertatione præcedenti fusè dictum est, docuit humanitatem Christi esse directè et in recto adorandam et cultu latriæ prosequendam. Enimverò, si Jesus Christus, uti opinatur post Harduinum, ubique in Scripturis non esset nisi sanctissima ejus humanitas personæ uni divinæ hypostaticè unita, cùm secundùm easdem Scripturas cultus latriæ Jesu Christo debeatur, sequeretur re ipsâ humanam Christi naturam hypostaticè Verbo conjunctam, supremo latriæ cultu esse in se directè et in recto adorandam, Verbo cui ipsa unitur, nonnisi in obliquo et connotativè considerato.

Atque id ipsum est quod docuit duabus propositionibus quæ in determinatione sacræ facultatis exhibentur num. VIII et IX, quarum prior excerpta est ex tomo 8 secundæ partis Historiæ populi Dei, p. 18, et sic se habet : *Rectè intelligitur quomodò dicatur in se et directè adoranda sanctissima Jesu Christi humanitas, non ut est humanitas nuda, sed quia est humanitas Dei in personâ unâ divinâ subsistens.* Posterior eodem tomo continetur, pag. 86, et hujusmodi est : *Sic considerata Domini nostri Jesu Christi sanctissima humanitas* (nempe humanitas Christi personæ uni divinæ hypostaticè unita) *est in se* directè et in recto à Christianis omnibus adoranda et cultu latriæ prosequenda.

Conclusio. Sanctissima Christi humanitas Verbo hypostaticè unita, non est in se directè et in recto adoranda et cultu latriæ prosequenda.

Probatur 1°, quia, si supremus latriæ cultus humanitati Christi unitæ Verbo esset in se directè et in recto exhibendus, tunc illa humanitas unita Verbo obiectum simul esset et motivum adorationis latriæ

hoc est, non tantùm adoraretur in se, sed etiam propter se, propter sibi propriam excellentiam. Id enim important voces *in se directè et in recto*, ut, ubi humanitas unita Verbo in se directè et in recto spectaretur ab adorante, non posset persona divina cui illa humanitas unitur, considerari simul in recto, sed tantùm in obliquo, indirectè, et, ut aiunt, connotativè. Persona autem propter cujus excellentiam aliquid quod ejus est adoratur, consideretur principaliter directè et in recto, necesse est. *Honor adorationis*, inquit S. Thomas, p. 3, q. 25, art. 2, *propriè debetur hypostasi subsistenti*. Itaque error quem refellimus, in eo situs est, quòd humanitas Christi unita Verbo dicatur propter hanc unionem esse in se immediatè et ex integro terminus supremæ adorationis latriæ, et proinde ejus objectum et motivum. Atqui humanitas Christi unita Verbo non potest esse objectum et motivum adorationis latriæ. Enimverò de illo supremo cultu duo tenenda sunt, tanquàm ad fidem catholicam pertinentia: 1° supremam hanc latriæ adorationem soli Deo, solis personis divinis esse impendendam *in se et propter se*, seu solum Deum esse simul objectum et motivum adorationis latriæ; 2° humanitatem Christi Verbo divino hypostaticè unitam, adorandam esse quidem supremo cultu latriæ *in se*, sed non *propter se*, id est, eam esse objectum, sed non motivum supremi illius cultûs. *Carnem* (Christi) *adoramus*, inquit, sanctus Joannes Damascenus, libro 3 de Fide orthodoxâ cap. 8, *sed velut divinitati unitam, et quia duæ ejus naturæ ad unam Verbi Dei personam reducuntur, unamque subsistentiam. Carbonem tangere vereor ob ignem cum ligno conjunctum. Ambas Christi naturas ob unitam carni Divinitatem adoro.* Atque id ipsum est, quod capite præcedenti tot Scripturarum, conciliorumque et sanctorum Patrum testimoniis comprobavimus.

Cùm igitur humanitati Christi unitæ Verbo, in se directè et in recto consideratæ, non insit illa excellentia propter quam solam cultus latriæ absolutus exhiberi potest, sequitur humanitatem Christi, etiam ut Verbo hypostaticè unitam, non esse in se directè et in recto adorandam et cultu latriæ prosequendam. Etverò, Verbum divinum est quidem cultu supremo latriæ adorandum, secundùm id omne quod sibi naturâ et ab æterno proprium est, et secundùm id omne quod ore salute nostrâ in tempore assumpsit: adeòque Jesus Christus est adorandus non modò in divinâ suâ naturâ, sed etiam in naturâ humanâ quam sibi hypostaticè univit. Hæc fide certa sunt, Scripturisque et traditione perspicuè continentur. Christi igitur humanitati adorationem latriæ esse tribuendam nemo, salvâ fide catholicâ, potest inficiari. At consentit dogma illud catholicum de adoratione humanitatis Christi cum isto alio dogmate fidei: Supremum illud adorationis genus quod cultus latriæ absolutus nuncupatur, soli Deo licitè posse exhiberi; quæ consensio facillimè intelligitur, si attendatur ratio quâ Christi humanitas, juxta fidem, est cultu latriæ adoranda, proùt à conciliis, à sanctis Ecclesiæ doctoribus et à theologis explicatur. In eo consistit hæc ratio, quòd eatenùs, juxta fidem humanitas Christi sit latriæ cultu prosequenda, quatenùs est humanitas Verbi, in quo ipsa subsistit, et qui proinde, utpote Deo supremo, honor adorationis exhibetur, quando adoratur ei conjuncta humanitas. Nimirùm, cùm adoratur corpus Christi, *ipsi Verbo, cujus corpus factum est, adoratio adfertur*, uti observat S. Athanasius contra Appollinaristas disputans; *debitâ ergo et divinâ*, inquit, *adoratione* illud *colitur*: Deus *enim est Verbum cujus corpus est proprium*. Idem explicat S. Thomas, parte 3, q. 25, art. 1, in corpore: *Propriè*, inquit, *honor exhibetur toti rei subsistenti* (id est, personæ). *Non enim dicimus quòd manus hominis honoratur, sed quòd homo honoratur et si quandoque contingat quòd dicatur honorari manus vel pes alicujus, hoc non dicitur eâ ratione, quòd hujusmodi partes secundùm se honorentur, sed quia in istis partibus honoratur totum, per quem etiam modum aliquis homo potest honorari in aliquo exteriori, puta in veste, vel in imagine.*

Ne igitur creatura cultu latriæ adoretur, quando sanctissima Christi humanitas quæ creata est, adoratur, cùmque unica sit in Christo persona, nempe persona Verbi, sola expositio genuina dogmatis de cultu latriæ huic sanctissimæ humanitati debito, his verbis aut æquivalentibus dicenda est contineri: Humanitas Christi Verbo hypostaticè unita ita colitur debitâ et divinâ adoratione, ut adoratio Verbo afferatur, cujus est hæc sanctissima humanitas. Ita catholicam eâ de re doctrinam exponit sanctus Athanasius, ut modò relatum est, cui concilia concinunt et alii Patres, quorum plura testimonia capite præcedenti adducta sunt. Atqui Verbo, cujus est hæc humanitas, exhiberi adorationem, cùm adoratione divinâ afficitur humanitas, idem est ac Verbum, non verò humanitatem ei conjunctam, adorari directè et in recto, cùm humanitas adoratur. Ergò humanitas Christi, prout Verbo unitur, non est in se directè et in recto adoranda et à Christianis cultu latriæ prosequenda.

Probatur 2°: Synodus Alexandrina in quâ conditi sunt anathematismi sancti Cyrilli contra Nestorium, anathematismo 8, quem concilium Chalcedonense œcumenicum IV, in definitione fidei approbavit; synodus V generalis, canone 9; concilium Lateranense, sub Martino I, sess. 4, canone 9, definiunt unâ adoratione Verbum incarnatum cum ejus carne esse adorandum, et adversùs eos qui duplicem Christo adorationem exhibendam dixerunt, unam Verbo, alteram carni, seu humanitati Christi, anathema contorquent. Atqui, si humanitas Christi sanctissima in Verbo subsistens sit in se, directè et in recto adoranda, et à Christianis cultu latriæ prosequenda, jam duplex adoratio erit Christo exhibenda. Nam personam Christi, quæ est Verbum, Berruyerus sanè confitebitur esse in se directè et in recto cultu latriæ adorandam. Cùm proinde jubeat, ut eodem cultu adoretur etiam in se directè et in recto humanitas Christi Verbo substantialiter unita, sequitur planè non unam tantùm, sed duas Christo esse exhibendas latriæ adorationes, quas concilia reprobant.

Certe quidem eò magis manifestum est illum in

damnatum ab illis conciliis errorem incidisse, quòd re ipsâ illius erroris fundamentum, ut visum est dissertatione præcedenti, conatus sit adstruere, dùm humanitatem Christi personæ uni divinæ hypostaticè unitam, et in se, in recto et directè consideratam, sancit esse ipsummet Jesum Christum apud auctores sacros, et naturalem Dei in tribus personis subsistentis Filium in temporum plenitudine factum, adeòque hanc eamdem humanitatem esse instar suppositi, ab eâ dici, *Ego;* quibus æquivalentibus verbis significat duas esse reverà in Christo personas, quamvis tamen in eo esse unicam profiteatur. Hinc

Probatur 3°: Si natura humana Christi Verbo substantialiter unita adoraretur in se, directè et in recto, hæc adoratio non exhiberetur Verbo, cujus est hæc humanitas, sed exhiberetur illi humanitati in se directè et in recto, prout habet relationem unionis ad Verbum. Porrò, juxta rationem, propriè exhibetur adoratio personæ, cùm adoratur aliquid quod ad ipsam attinet. V. g., quando honoratur manus aut pes alicujus principis, ipse est princeps cui exhibetur is honor in hâc vel illâ corporis ejus parte. Ergo, si humanitas Verbo unita adoraretur in se directè et in recto, sequeretur hanc adorationem propriè exhiberi personæ à Verbo distinctæ; ideòque duas esse in Christo personas, nempe personam Verbi et personam humanam. Ubi apparet ea quæ decernit Berruyerus de adoratione latriæ exhibendâ humanitati Christi in recto, esse connexa cum notione illâ spuriâ Jesu Christi, quam duce Harduino invexit, et Dissertatione præcedenti confutavimus.

Probatur 4°: Unica est in Christo persona, quæ est persona Verbi divini, quòd humanitatem hanc in tempore sibi hypostaticè univit. Ita docet fides. Atqui, ut habet S. Thomas, *honor adorationis debetur hypostasi subsistenti*, seu personæ. Principium illud sanctus doctor probat ratione manifestâ, quam modò retulimus. Ergo, cùm adoratur humanitas Christi conjuncta hypostaticè Verbo, propriè is honor exhibetur personæ Christi, id est, Verbo divino, adeò ut adorare naturam humanam Christi Verbo conjunctam, nihil aliud sit quàm adorare personam Verbi in attributis et perfectionibus naturæ illius humanæ quam assumpsit, et in actionibus quas per eam elicit. Ergo natura Christi humana, Verbo unita, non est in se directè et in recto à Christianis cultu latriæ prosequenda.

Probatur 5°: Ut humanitati Christi in genere subsistendi personâ unâ divinâ completæ deberetur in se directè et in recto adoratio latriæ, necesse foret, eâ sic consideratâ, contineri summam illam et independentem excellentiam propter quam solam, juxta fidem et rationem, absoluta latriæ adoratio Deo exhibenda est. Atqui humanitas Christi, prout personæ uni divinæ substantialiter unita, et in se directè et in recto considerata, hanc summam et independentem excellentiam in se neutiquàm continet; quandoquidem fide certum est, sanctissimam Christi humanitatem, quamvis consideretur ut unita substantialiter Verbo, esse tamen creatam, et ipsam ejus unionem Verbo esse productam in tempore. Ergo ex fide consequens est sanctissimæ Christi humanitati prout unitæ hypostaticè personæ uni divinæ adorationem latriæ directè et in recto non esse exhibendam.

Probatur 6°, quia nemo theologorum, nequidem inter eos quos Berruyerus secundæ dissertationis suæ initio infideliter laudat tanquàm sibi faventes, circa filiationem divinam temporalem quam humanitati Christi attribuit, unquàm dixerit humanitatem Christi Verbo unitam, et in se, directè et in recto consideratam, supremo latriæ cultu à Christianis esse prosequendam. Qui subtilitatibus nimiis eò adducti sunt, ut cogitarent humanitatem unitam posse ab adorante considerari directè et in recto, dùm Verbum proinde spectaretur duntaxat connotativè et in obliquo, de quibus aliquando sermonem fecimus, ii quidem statuunt Christi humanitatem, propter excellentiam quam habet ab unione hypostaticâ, posse adorari, sed solùm cultu duliæ, seu hyperduliæ, ei qui exhibetur Beatæ Virgini superiorem, quia gratia unionis, inquiunt, præstat maternitati divinæ. Nullus eorum voluit humanitati Christi sic spectatæ adorationem latriæ deberi, aut etiam posse reddi; adeò ut dogma novum quod refellimus, hactenùs reverà inauditum fuerit in Ecclesiâ. Pariter, qui inquirunt quis cultus deberetur Christo, qui spectaretur solummodò quantùm ad dona humanitati ejus concessa et gratiam unionis, ita ut ejusmodi humanitatis excellentia causa esset unica quæ tunc attenderetur, et propter quam honor ipsi exhiberetur, sine hæsitatione definiunt latriæ cultum sub hoc respectu ipsi non posse impendi. Ergo doctrina quam refellimus, à theologis, uti et à Patribus et conciliis unanimiter rejicitur.

Atque ex his liquet cur sacra Facultas in Determinatione suâ ad propositiones VIII et IX, modò relatas, eas proscribat tanquàm *erroneas* et *temerarias*.

Insuper easdem 1° docet esse *superstitiosas* et *scandalosas;* quia iis jubentur omnes Christiani adorare et cultu latriæ prosequi in se directè et in recto humanitatem Christi Verbo unitam, quem iis nefas est illi humanitati sub illo respectu exhibere. 2° Iisdem statuit *religionem christianam deprimi et labefactari*. Nempe præcipiunt cultum latriæ exhiberi humanitati Christi Verbo unitæ in se directè et in recto consideratæ, dùm tamen sub hoc respectu digna non est hoc cultu, qui soli Deo reddendus est. 3° Easdem reprehendit quòd *Arianam et Socinianam impietatem juvent*. Juxta Scripturas, quarum testimonia præcedenti capite attulimus, omniumque seculorum fidem et usum, supremus latriæ cultus Jesu Christo est exhibendus. Inde olim contra Arianos effectum est, et etiamnum contra Socinianos evincitur Jesum Christum esse Deum supremum. Ad declinandam hujusce argumenti vim, Ariani Verbo, quod creaturam esse cæteris longè excellentiorem existimabant, nihilominùs decernebant cultum latriæ. Plurimis inter Socinianos visum quoque est asserendam esse Jesu Christo, licet, ut putant, puro homini, eamdem adorationem ac Deo summo, cujus, inquiunt, vices gerit, quemque potentiâ eximiâ,

perfectionibusque et juribus sibi concessis perfectissimè repræsentat. Illos idololatriæ sancti Patres jure accusârunt. Hos ejusdem criminis coarguunt multi etiam ex ipsis Socinianis, necnon omnes cujusque generis Christiani. Ab Arianâ et Socinianâ impietate distant quidem propositiones duæ de quibus agitur. Ponunt enim humanitatem Christi sanctissimam personâ unâ divinâ compleri in genere subsistendi. Id non fatebantur Ariani, quibus Verbum propriè non erat Deus, seu persona divina. Illud idem negant Sociniani, juxta quos natura humana Christi per se ultimo completa est, nec ulli personæ præexistenti substantialiter unita. Verumtamen utramque impietatem valdè juvant prædictæ propositiones, dùm humanam Christi naturam in genere subsistendi completam per subsistentiam personæ unius divinæ, decernunt à Christianis omnibus in se directè et in recto adorandam et cultu latriæ prosequendam. Nempe, his admissis, jam ab accusatione idololatriæ absolvendum utrumque illud hæreticorum genus. Si enim humanitas Christi personæ uni divinæ substantialiter unita, quamvis, positâ illâ unione, natura creata esse non desinat, est in se directè et in recto latriæ cultu adoranda, adeòque illo cultu absoluto prosequenda qui soli Deo debetur; jam, postpositis terminis divinâ revelatione et ratione constitutis, nihil supererit quo prohibeantur Ariani et Socinani, ne eumdem cultum transferant creaturæ aut homini puro, tot donis, tot juribus, tamque excellenti potestate donato, ut possit illud omne exequi impetrando, quod supremâ suâ voluntate potest exequi Deus summus.

GERDILII VITA.

Gerdilius (Hyacinthus Sigismondus Samoëns), Sabaudiæ vico oriundus, anno post Christum 1718, vigesimâ junii die, natus est. Teneris ab annis haud dubia præstantis specimina præbuit ingenii, quo longævum illustreque vitæ curriculum peragens, eminuit. Barnabitarum qui tunc temporis Annecii collegio præerant, ordinem amplexus, ac decimum quintum ætatis annum penè assecutus, suorum professorum, sese eorumdem Instituto vovens, collega evasit. Ordinis præsides eum, expletis disciplinæ rudimentis, Bononiam misêre, qui ibi ad theologica studia incumberet. Veteres necnon recentiores linguas simul excoluit, operamque haud vanam in historiâ altioribusque scientiis posuit. Universâ Bononiæ potitus est existimatione, ac inprimis Lambertini urbis hujus tum archiepiscopi, posteaque summi Pontificis sub nomine Benedicti XIV. Qui doctissimus vir à primo congressu de adolescente Gerdilio apprimè præsensit maximaque conjecit; pro doctrinâ quidem ei fiduciæ testimonium perhibuit, ipsius consiliis in elaborando suo *de Sanctorum Canonisatione* magno opere usus, eique nonnulla committens excerpta è gallicâ in latinam linguam transferenda. Peracto theologiæ cursu, Maceratam missus est Gerdilius, qui ibi philosophiam doceret. Haud multò post Casalium præteriit, undè Taurinum accitus, ibi, in Academiâ, philosophiæ deinque theologiæ moralis cathedram occupavit. Taurini archiepiscopus, brevi spectatis Gerdilii ingenio ac virtute, eum in consilium privatum conscientiæ admissum voluit, dùm aliundè suus eum ordo tantâ fiduciâ prosequeretur, ut Sabaudiæ Pedemontiique collegiorum provincialem seligeret. Aliquantò post, vitâ defuncto generali Congregationis præside, habita est quæstio de Gerdilio, ut ei succederet. Benedictus verò XIV eum quasi indixit Emmanueli III, Sardiniæ regi, utpotè præ cæteris aptissimum ad educandum erudiendumque nepotem suum Pedemontanum principem. In aulâ Gerdilius haud secùs ac in collegio se gessit: totum muneris sui officiis sese dedidit, supervacuum tempus nonnullis haud vanis operibus componendis impertiens. Pro successuum mercede, duplici abbatiâ donatus est. Tantùm tamen abfuit, qui ditior fieret reditu, ut contrà totum in educandis nepotibus, bonisque edendis operibus profuderit. In consistorio, 26 die aprilis 1773 habito, summus Pontifex Clemens XIV eum cardinalem *in petto* præsignavit, laudativo hoc effato: *Notus orbi, vix notus urbi.* Quod simul ejus universam famam, eximiamque modestiam quasi depingit. Clementi tamen promovere non datum; qui honos Pium VI manebat. Venerandus ille pontifex Gerdilium Romam acciit, quem S. Officii consultorem factum, sacratum voluit Dibbonii episcopum, cumque sub titulo S. Ceciliæ cardinalem proclamavit, decimâ quintâ decembris die, anno 1777. Quo in dignitatis gradu, magno ad tuendas Ecclesiæ partes studio eminuit Gerdilius. Concilio *de Propagandâ* præfectus, propèque omnium Congregationum particeps factus, sacri in medio Collegii facis instar prælucebat. Cujus consilio, præ cæteris, deferebatur gravissimis in rebus, semperque ad moderatam partem incumbebat, dummodò salva starent principia. Sic equidem sese in negotio Concordatûs habuit. Cùm, 1798, Galli, Româ potiti, summum Pontificem abduxissent, Gerdilius properè tumultuosam urbem deseruit; atque ut itineris sumptibus suppeditaret, libros suos vendere coactus est. Senas ubi advenit, infelicem ibi Pium VI extremâ laborantem inopiâ invenit. Cui nedùm subvenire posset, eò contra ipse adductus est, ut, Pedemontium sese recepturus, obsequiosa cardinalis Loranzanæ, Toleti archiepiscopi, oblata acciperet, necnon Despuig, Hispalensis archiepiscopi, posteà cardinalis. Solitarius suæ Clusanæ abbatiæ in seminario degens, omnibus sæpè vitæ necessariis eguit; adversos autem casus mirandâ sustinuit patientiâ. Extincto Pio VI, sese in conclave Venetum contulit. Ineuntibus suffragiis primò maximus ei fuit favor, cardinalis autem Hertzan, Germa-

niæ imperatoris minister, in conclavi, eum palàm exclusum clamavit, protestatus Franciscum I minimè regi Sardiniæ subditum eligi passurum. Romam novum pontificem Pium VII comitatus, ibi ad pristina accessit munera. Provectam licet ætatem assecutus, firmâ tamen fruens valetudine, spem adhuc faciebat se aliquot annos luce usurum, cùm, inopinato implicitus morbo, supremum diem obiit, 12 aug. 1802.

Ferè omnium Europæ academiarum particeps, doctissimo cuique desiderio fuit. Magnificis funeribus indictis summus ipse pontifex solemnem à se factam voluit expiationem. Pater Fontana Barnabitis præfectus, posteà cardinalis, ejus olim usus amicitiâ, funebres ei laudes rependit; epitaphioque operâ suâ tumulo inscripto, elogium ejus in Arcadum academiâ proclamavit.

Plurima Gerdilius elucubravit opera, quorum nonnulla sigillatim prelo excusa. Quæ collecta edidit P. Torelli, Bononiæ à 1784 ad 1791, 6 vol. in-4°. P. Fontana, juvante collegâ Scatti, novam iniit editionem, cujus prima 6 volumina vulgata, 1806. Quæ deinceps editio peracta. Hæc sunt opera quibus utraque constat editio : 1° *Introductio ad religionis studium, cum confutatione veterum recentiorumque philosophorum de Ente supremo, de æternitate*, etc.; quod opus Benedicto XIV dicatum, atque comprobatum non tantùm à catholicis doctoribus, sed etiam à plurimis protestantibus academiæ Berolini; 2° *Expositio signorum veræ Religioni propriorum*, opus ex ita licà in gallicam linguam translatum à P. Livoy, Barnabità, Parisiis, 1770, 1 vol. in-8°; 3° *Dissertatio de origine sensûs moralis, de existente Deo, de immaterialitate intelligentium substantiarum*, cum duabus *Dissertationibus de adolescentiæ studiis;* 4° *Consilium de constituendo seminario*, cum *Rudimentis theologicæ doctrinæ proprium ad usum;* 5° *Tractatus Theologiæ*, et quatuor *Dissertationes de Revelationis necessitate*. In *Rudimentis* auctor refellit Baylium, *Systema naturæ, et propugnatores* antiquitatis orbis, etc. Quibus variis scriptis constant duo prima volumina Bononiæ editionis, italicè versa. Tertium, quartum et quintum, parsque sexti, opera includunt gallicè scripta. Ibi reperire est : 1° *Tractatum de immaterialitate animæ*, contra Lockium; 2° *Confutationem P. Malebranchii contrà eumdem philosophum*, Taurini, 1747 et 1748, 2 vol. in-4°. Lockius, in *tractatu de Intellectu humano*, asserit, absque revelatione, neminem certum fieri posse Deum materiæ facultatem cogitandi non impertiisse, contendens id extrà ejus potentiam non esse. Anglici philosophi dubitationes apprimè refellit Gerdilius in tractatibus suis : 1° *Tentamina demonstrationis mathematicæ contrà æternam materiæ et motûs existentiam;* 2° *Commentaria de absoluto infinito sub respectu magnitudinis, et de ordine in genere veri et pulchri*, quæ commentaria inserta in tomo sexto *Miscellaneorum Taurinensium*, 1771; 3° *Tentamina de indole propriâ hominis et bruti animalis*, etc.; *Repugnantia Cartesii et Spinosæ principiorum;* 4° *Elucidatio de notione et divisibilitate geometricæ magnitudinis, in responsum D. Dupuis*, Taurini, 1741; 5° *Animadversiones de commentario D. Bcguelin circà principium sufficientis rationis, et possibilitatem sive systema fortuiti casûs;* 6° *Dissertatio de repugnantiâ attractionis et variarum ejusdem legum cum phænomenis, et de tubis capillaribus*, Parisiis, 1754, 1 vol. in-12. Quam sequuntur dissertationem 1° *Commentarium de cohæsione;* 2° *Observationes de variis naturæ epochis, connexæ examini systematum de antiquitate orbis*, utraque inserta in *Rudimentis theologicis;* 3° *Tractatus de singularibus prælüs sive duellis*, Taurini, 1759; 4° *Sermones philosophici de homine relativè ad naturalem et socialem statum, subque legis imperio spectato*, Taurini, 1769, in-8°; iidem italicè conversi à doctore Giudici, Lodi, 1782; 5° *De naturâ et de effectibus luxûs, cum examine argumentorum D. Melonis, auctoris Tentaminis politici de commercio*, Taurini, 1768, in-8°; 6° *Sermo de divinitate veræ religionis;* 7° *Animadversiones de theorice et praxi educationis, contrà principia J.-J. Rousseau*, Taurini, 1765, in-8°, quæ reperias in novâ editione, sub titulo : *Anti-Æmilius;* 8° *Observationes de imperatore Juliano;* 9° *Observationes de sexto libro Historiæ philosophicæ et politicæ commercii in utràque Indiâ*, à D. Raynal. Nonnulla latinè scripta sextum volumen complent, nempè, 1° *Oratio* sub hoc titulo : *Virtutem politicam ad optimum statum non minùs regno quàm reipublicæ necessariam esse;* 2° *Oratio* altera *de Causis academicarum disputationum in theologiam moralem inductarum;* quæ coràm regiâ Taurini Societate habitæ sunt, una anno 1750, altera verò 1754; 3° *Disputatio de Religionis virtutisque politicæ conjunctione;* 4° *Elementorum moralis prudentiæ specimen*. Ea sunt opera quibus constant Bononiæ editionis sex prima volumina. Cardinalis della Somaglia prelo excudendum curavit septimum suo sumptu sub hoc titulo supplementi : *Opuscula ad hierarchicam Ecclesiæ constitutionem spectantia*, Parmæ, 1789, et Venetiis, 1790, in-8°. Sic constat : 1° *Confutazione di due libelli contro il breve auctorem fidei di Pio VI, in cui si condamna il libro di Eybel : Quid papa?* Romæ, 1789, 2 vol. in-8°; 2° *Apologia del detto breve*, Romæ, 1791 et 1792, in-4°; 3° *In Commentarium à Justino Febroni in suam retractationem editum animadversiones*, Romæ, 1792, in-4°; 4° *In notas nonnullarum propositionum synodi Pistoriensis*, Romæ, 1795. Quæ cùm notæ eò vergerent, ut in quibusdam Pistoriensem synodum justificarent, eas refellendas curavit Gerdilius; 6° *Esamedei motivi dell'opposizione del vescovo di Noli* (Benedictus Solari) *alla publicazione della bolla che condamna le proposizione estrette dal synodo di Pistoja*, Romæ et Venetiis, 1802, in-12; 6° *Epistolæ pastorales;* 7° *Constitutiones synodales;* 8° *Summa cursûs documentorum de origine, officiis, usuque supremæ potestatis*, Taurini, 1799, in-8°; 9° *Notæ de Religionis poemate cardinalis de Bernis*, Parmæ, apud Bodini, 1795.

Extincto cardinale Gerdilio hæc supererant in capsâ italicè manuscripta : 1° *Observazione sopra una lettera del vescovo di Noli;* quæ observationes eodem anno prelo excusæ 1802, Venetiis; 2° *Confutazion del sistema contrarii all'autorita della Chiesa circa il matrimonio;* 3° *Summa præcipuorum societatis ordinum;* 4° *Documenta de*

variis imperiorum magnitudinis casûsque causis; 5° *Consilia de optimis legendis seligendisque libris;* 6° *Tractatus historiæ naturalis*, tribus constāns generibus, metallico nempè, vegeto et animali; 7° *Tractatus de Primatu Romani Pontificis, de Gratiâ, de Legibus, de Actibus humanis, de Mutuo;* 8° *Dissertatio contrà Puffendorf de Usurâ;* 5 vol.; 9° *Cursus philosophiæ moralis.*

His ex clarissimi auctoris operibus constant ipsius immensa eruditionis varietas, ingenii ubertas, indefessusque ad utilia ardor. Hoc nostro seculo inter alios scientiis excelluit Religioni et Ecclesiæ utilissimis, quæque clero maximo fuerunt decori. Totam vovit vitam ad tuendam alteram contra Deistas, et ad alterius doctrinam atque beneplacita sanctæ Sedis, contra reluctantes, propugnandum. Mirandum aliàs in controversiis exemplar, siquidem, licet principiis firmiter consulens, charitatem nedùm læderet, ne vel minimè contumeliosum, adversarios refellendo, verbum emittere solebat.

Vita hæc Gerdilii abbreviata est ex luculentâ ejusdem biographiâ quâ D. Henrion *Dictionarium historicum* Felleri locupletavit. Auctor vivens mortuum nunc peritâ manu recudit, sicque bonum ab utroque productum et producendum magis ac magis amplificat.

PROŒMIUM.

In editione Constitutionis dogmaticæ sanctissimi Domini nostri Pii VI, cujus principium est : *Auctorem Fidei*, quæ typis Dusseldorpiensibus, ut ferunt, solo apposito Romæ nomine, curante Fellero prodiit, clar. Editor sæpè jam, et diu de catholicâ Religione benè alioquin meritus, improviso nescio quo consilio inductus, *Notulas* quasdam suas nonnullis propositionibus, *ad clariorem*, ut ultrò sibi persuasit, *intelligentiam* abjiciendas censuit. Quinque omninò sunt illæ numero ; ex his tres, quibus in perscrutandis censurarum *formulis* ita versatus est, ut eas ad sensum *synodi Pistoriensis* accommodare potiùs voluisse videatur, quàm, reprobatæ per eas doctrinæ pravitatem agnoscere. Quo exitu facilè quisque intelliget, qui modò notas cum formulis contulerit. Nihil deprehendet in formulis, quod clariorem lucem desideret ; nihil in notis, quod vel minimum lucis afferre valeat ; nisi fortè, proh dolor ! quod ægrè Feller tulerit, à Pontifice in Dogmaticam suam Constitutionem totidem verbi ex Tridentino Canone translatum esse sacrum Dogma *Conversionis totius vini in sanguinem*, quas ille *voces* non reformidaverit palàm edicere, *secundùm litteram falsitatis argui debere*. Quâ tamen reprehensione, utpotè cum violatâ simul Canonis Tridentini et sacri ab eo Dogmatis definiti sanctitate, conjunctâ, nil sanè afferri poterat ad Pontificii Decreti commendationem illustrius. Nec minùs alienum à pristino illo suo pleno pietatis sensu ergà Sedem Apostolicam quod alio loco excidere sibi passus est, *meritò culpari piam precationem sacrosanctæ et individuæ Trinitati, Crucifixi* D. N. J. C. *humanitati*, etc. Solemni publicarum precum officio à Pontificibus adjunctam, diuturno jam pridem, ac frequenti per orbem Ecclesiæ usu consecratam : quæ qui legat, vix oculis suis credere audeat, talia unquàm à viro catholico, et eo quidem pio religionis cultore scribi, et Apostolicæ Constitutioni opponi potuisse. Ut jàm mirandum minùs videri debeat, eò usque illum progressum esse, ut ipsomet Pontificii Decreti mutilato contextu, veritus non sit Apostolicæ ipsius Constitutionis venerandam omnibus, plenoque mentis obsequio suscipiendam integritatem auderet facinore minuere : quo editioni suæ omnem prorsùs fidem abrogavit (1).

Nec tamen fas est credere, virum clarissimum Pistoriensibus potiùs quàm aut Tridentini Concilii Sedisve Apostolicæ auctoritati, aut frequentatis per Ecclesiam moribus et institutis suffragari voluisse. Hoc potiùs existimandum, arreptum eum flagrantiore illo studio, quò minùs cautè interdùm pii alioquin religiosique viri per eas regiones ducuntur, concordiæ Catholicos inter et heterodoxos conciliandæ, faciliorem se præstitisse ad ea emollienda sibi Dogmata, sive Dogmatum vocabula, quæ dissidentium auribus duriora solent accidere, prout suo loco breviter indicaturi sumus. Cæterùm hæc subjectis animadversionibus quas *Fellerianæ notæ* prorsùs efflagitant perspectum iri confidimus, siquidem ea sana verborum forma est, quæ sit Ecclesiæ totius sensu comprobata, ita ex Patrum, Conciliorum, Pontificum sententiis contextas esse censurarum formulas, nihil in illis immutari aut inverti queat, quin indè par quædam et respondens in aliquâ parte probatæ doctrinæ, vel disciplinæ perversio consequatur. Quod ut luculentiùs pateat, nec aliquid in perpendendis *Fellerianis notis* videamur subterfugere voluisse reticendo ; operæ pretium duximus, animadversionibus nostris primùm damnatas Pistorienses propositiones cum censuris, deinde subjectas censuris Fellerianas notas omnium oculis expositas præponere.

Cæterùm minimè dissimulandum, quòd æquitatis ratio maximè postulat, valdèque pertinet ad meritam Felleri laudem, egregiis ab eo notis illam ipsam Apostolici Nuntii Epistolam illustratam esse, quibus ille præclarum suum Religionis, et Ecclesiasticæ disciplinæ tum et supremæ Sedis Apostolicæ auctoritatis tuendæ, et vindicandæ studium luculenter testatum reliquit.

(1) Nisi æquius est cogitare (quod sanè malim) ... errati indiligentiâ potiùs librarii, vel typographi ac ... disse, quàm datâ operâ editoris tàm sæpè, tàm ... anteà de Religione meriti.

DE ADORANDA
HUMANITATE CHRISTI,
SYNODI PISTORIENSIS PROPOSITIO LXI DAMNATA.

DE FIDE, § 1.

Propositio, quæ asserit, adorare directè humanitatem Christi, magis verò aliquam ejus partem ferè semper honorem divinum datum creaturæ.

Quatenùs per hoc verbum *directè* intendat reprobare adorationis cultum, quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, quâ humanitas, ipsaque caro vivifica Christi adoratur non quidem propter se, et tanquàm nuda caro, sed prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturæ, et non potiùs una, eademque adoratio, quâ Verbum incarnatum cum propriâ ipsius carne adoratur. (Ex concil. C. P. V. Gen., cap. 9.)

Falsa, captiosa, pio ac debito cultui humanitati Christi à fidelibus præstito, ac præstando detrahens, et injuriosa.

Nota Felleri. — (Pag. XXXIII, Prop. LXI.) Difficile est scire quid Pistorienses per vocem *directè* intelligant, cùm nunquàm à divinitate Christi separetur humanitas, ne per mentem quidem et intentionem fidelium. Adoratur indivisibiliter indivisibilis Christus, Deus et homo, undè meritò (si accuratio theologica spectetur) culpatur illa separatio in oratione, *sacrosanctæ et individuæ Trinitati, crucifixi Domini nostri humanitati*, etc. Quòd autem supponi videatur nudam carnem adorari, eò absurdius est quòd nequidem uniri Divinitati mera caro possit, cùm nonnisi mediante animâ Verbum Dei corpus assumpserit.

ANIMADVERSIO.

§ I. *Exponitur ecclesiæ catholicæ sensus de adorandâ humanitate Christi, ex PP. doctorumque sententiis depromptus.*

Ad rectum de Fellerianâ notâ instituendum examen, maximè pertinet ut toti disceptationi brevis præmittatur expositio catholicæ doctrinæ de adorandâ humanitate Christi. Atque hanc quidem depromendam duximus ex fonte, quem suspectum adversarii habere nequeant, et Parisiensis theologiæ scholæ censurâ contra Berruyeranos errores editâ, quam Camillus Blasius in suam de festo Cordis Jesu elucubrationem transtulit (not. in fin. cap. 30, p. 105) : *Omnes theologi* (verba sunt censorum) *unanimiter sciscunt tanquàm dogmata ad catholicam fidem pertinentia, 1° supremum latriæ cultum soli Deo, solis personis divinis, Patri, Filio et Spiritui sancto esse impendendum,* IN SE ET PROPTER SE, *seu solum Deum esse simul objectum et motivum adorationis latriæ ; 2° humanitatem Christi Verbo divino unitam adorandam esse quidem supremo latriæ cultu* IN SE, SED NON PROPTER SE, *id est, eam esse objectum, sed non motivum supremi illius cultûs. Nimirùm, ut loquitur S. Joan. Damasc. lib. 3 de Fid. orthod. cap. 8, « Carnem* (Christi) *adoramus, sed vel- « ut divinitati unitam, et quia duæ ejus naturæ ad unam « Verbi Dei personam reducuntur, unamque subsistentiam. « Carbonem tangere vereor ob ignem cum ligno conjun- « ctum. Ambas Christi naturas ob unitam carni divinitatem « adoro. » Notat porrò Blasius Damasceno à Parisiensibus adjungi sanctos Thomam, Athanasium, aliosque communiter Ecclesiæ Patres; quin et Augustinum inter cæteros audiendum.*

Itaque Parisienses ex communi Patrum et Doctorum sensu docent, humanitatem Christi, prout unita est Divinitati, *objectum* esse adorationis latriæ *in se* quidem, *sed non propter se.* Atque hoc loco ante omnia sedulò advertendum, quòd quidem per sese perspicuum est, omnem quamcumque, et cujusvis generis actionem, vi suâ certo modo *dirigi* in id quod est ejus actionis objectum. Quippe hæc sunt ex naturâ rei connexæ, ut actio *dirigatur* in objectum quod per actionem *attingitur.* Si ergo humanitas Christi objectum est adorationis latriæ, etsi non propter se, profectò fieri non potest, quin hæc adoratio dirigatur in eam ipsam humanitatem, quæ per illum adorationis cultum attingitur. Quod et illustrari potest similitudine ipsâ carbonis igniti, quam modò ex Damasceno à Parisiensibus allatam protulimus, in quo tangendo lignum directè attingitur, ita tamen, ut simul eodem actu ignis attingatur, quo totum est lignum comprehensum, atque id quidem, ut dixi, sedulò præmonendum fuit, ne diutiùs ludificari nos sinamus veteratoriâ ambiguitate verbi *directè*, quod insidiosè positum est in propositione synodi (1).

(1) Ne ad præsentis disceptationis statum obscurandum dubitatio aliqua fortè suboriatur ex adoratione illâ hyperduliæ, de quâ disputant etiam nunc theologi, quatenùs, et quâ ratione tribui valeat humanitati Christi, sedulò notandum est hanc adorationis rationem non aliter ab istis theologis admitti, nisi prout humanitas Christi spectatur velut à divinitate sejuncta vel præcisa. Sic egregius S. Thomæ interpres Carolus Renatus Billuart (dissert. 23 de Adorat. Christi, etc., art. 3) : *Dico 3° : Humanitas secundùm se sumpta, et ut per intellectum præcisa à Verbo potest adorari cultu inferiori ob perfectiones suas creatas, v. g., ob gratiam habitualem*, etc. Patet proinde nihil quæstionem hanc pertinere ad formulam censuræ, in quâ unicè et expressè agitur de adoratione præstandâ humanitati Christi pro suâ cum verbo hypostaticâ conjunctione. Porrò, sub hâc ratione adorationem latriæ humanitati Christi deberi, luculenter probat idem Billuart ex conciliis et Patribus. *Dico 2°. Eàdem*

Sed jam paulò ampliùs hærendum in auctoritate Damasceni, antequàm ad superioris inferiorisve memoriæ Patres ac doctores accedamus, ex quarum collectis testimoniis luculentior eniteat series, et continuatio traditionis. Itaque ad particulam textûs à Parisiensibus producti, quò clarior eluceat S. doctoris mens et auctoritas, adnectendum est principium paragraphi, è quo illa est extracta particula : *Quapropter*, inquit S. doctor, *unus est Christus, Deus perfectus, et homo perfectus, cui unam eamdemque adorationem cum Patre et Spiritu, non exclusâ immaculatâ ejus carne, adhibemus. Neque enim adorandam esse carnem ejus negamus : quippe quæ adoratur in unâ Verbi personâ, quæ quidem ipsi persona et hypostasis facta est. Quâ in re non creaturæ servimus, non enim illam, ceu nudam carnem adoramus, sed velut Divinitati unitam...*

Major vis adhuc ex responso, quod S. doctor adhibet (lib. 4 de Fid. orthod. cap. 3) : *Adversùs eos qui ita objiciunt : Si duæ naturæ Christus est, aut creaturam colitis naturam creatam adorando, aut alteram naturam dicitis adorandam, alteram non adorandam.* Scilicet præcipua hæc erat Appollinaristarum criminatio adversùs Catholicos utramque in Christo naturam adorantes, ut scitè animadvertunt Maurini (Art. in loc. Ambr. mox proferendum) : *Appollinaristæ*, inquiunt illi, *ut impium suum dogma de unicâ in Christo naturâ statuerent, dictitabant, siquidem non unius, sed duplicis naturæ Christus esset, à catholicis unam adorari, alteram non adorari oportere.* Ita videlicet : Catholici humanam in Christo naturam adorabant, Appollinaristæ adorari oportere negabant : videant adversarii, utris malint sese adjungere, Catholicis et adorantibus, an Appollinaristis adorari oportere negantibus.

Interim videamus ipsi, quâ ratione Appollinaristarum criminationem Damascenus diluat. Repetitâ nempe similitudine carbonis urentis non vi suâ, sed ignis, pergit : *Ad eumdem quoque modum caro suâpte quidem naturâ neqvaquàm est adoranda, sed cum incarnato Verbo odoratur, non quidem propter seipsam, sed propter Deum Verbum, quod secundùm hypostasim ipsi copulatum est. Neque enim fatemur nudam simplicem carnem adorari, verùm Dei* CARNEM, *sive Deum incarnatum* (1). Quibus verbis ita contexta est formula censuræ propos. 61 Pistoriensis, ut in eâ Damascenum facilè potuisset Fellerus agnoscere.

Quis jam tam ineptus notarum artifex (intelliget Fellerus quò hæc referantur), quis, inquam, tam ineptus fabulator, qui Damasceni dictum, in carne Christi *carnem Dei* adorari, sic pervertendum putet, quasi ex eo consequens esset : Igitur *Deus erit caro ;* indeque inferat. Et quidem si *caro non est Deus, quo titulo adorari poterit?* Quasi Christi caro, etsi non est Deus, hoc ipso tamen quod hypostaticè Verbo unita est, non rectissimè dicatur et sit *caro Dei*, eoque titulo rectissimè dixerit Damascenus, hanc non ut nudam simplicem carnem, et propter se, sed ut carnem Christi adorari, quâ nempe adorandâ Deus incarnatus adoratur. Apage proinde istas falsi nominis scientiæ ineptias, contemnendas potiùs quàm seriò refutandas, nisi rudiorum insipientiorumve offensioni et occurrendum esset.

Jam ut ad antiquiores PP. accedamus, prima se nobis offert Athanasii Epistola ad episcopum Adelphium cônstra Arianos. Exponunt porrò Maurini editores in suâ Promotione, qui error esset Arianorum, quos hîc S. doctor oppugnat. Hi nimirùm *Christi corpus negabant esse adorandum*; *vel potiùs, ut videtur, negâbant à Catholicis ritè posse adorari, qui nimirùm crederent Verbum perfectam assumpsisse humanam naturam, corpus scilicet, mentemque humanam.... Idcircò autem hi lucifugæ se Verbum hominem factum rectè adorare arbitrabantur, quòd, ut vanè putabant, animæ locum Verbum ipsum obtineret... Hoc ex errore alius videtur emanâsse, eorum nempe qui carnem Domini conjunctione cum Verbo increatam factam esse existimabant. Quippe illi ad suî defensionem dictitabant : Nos rem creatam non adoramus, iidemque Catholicos appellabant* ἀνθρωπολάτρας (hominicolas)... *Cujus quidem erroris fundamentum hâc in epistolâ diruit sanctus Athanasius.* Idem proinde Ariani isti, quod superiores Appollinaristæ testimonium perhibent christianæ fidei, quâ imbuti Catholici et Christum duplicis naturæ esse, et utramque in Christo adorandam naturam profitebantur.

Horum porrò Arianorum criminationem sic repellit Athanasius : *Rem creatam non adoramus..... sed rerum creatarum Dominum carnem factum, Dei Verbum adoramus. Etsi enim ipsa caro seorsùm spectata pars sit rerum creatarum, attamen* DEI FACTA EST CORPUS. *Neque verò*

adoratione latriæ adoranda est Divinitas Christi et ejus humanitas. Profertque inter alia depromptam auctoritatem ex act. 5, 7, synodi : *Cùm adoratur Christus, non separatur humanitas à Divinitate, sed utraque ut unum adoratur latriâ.* Quod subinde latiùs explicans ostendit, hanc adorationem ob hoc deberi humanitati Christi, quia *humanitas constituit unum totum subsistens, idemque esse personale cum Verbo : ergo* (concludit), *una cum verbo partialiter terminat eamdem, quæ ipsi defertur, adorationem latriæ;* indeque colligit, *hanc adorationem humanitatis non debere dici relativam, sicut ea quæ defertur imagini Christi, sed propriam et absolutam, quia adoratur persona cujus est natura, totum cujus est pars, adeòque, ut dictum est, ipsa ut pars totius adorati terminat etiam adorationem, secundariò tamen et minùs principaliter, quia adoratur non propter seipsam, sed propter Verbum conjunctum, ad quod ideò primariò et principaliter terminatur adoratio.* Ex quibus liquet quàm necesse fuerit occurrere offensionis periculo, ne fideles audientes humanitatem Christi directè adorari non posse, decepti ambiguitate hujus vocis à quâ Patres, ut mox dicetur, abstinuerunt, existimarent adorationem quæ debetur humanitati Christi, etiam prout est unita Verbo, genus esse potiùs adorationis cujuspiam relativæ qualis defertur imagini Christi, quàm adorationis absolutæ quæ ad humanitatem quoque suo modo terminatur, secundariò scilicet et minùs principaliter, nec propter seipsam, sed propter Verbum in assumptâ humanitate subsistens.

(1) Damasceno in hâc loquendi ratione præluxerant Athanas. l. 1 cont. Appollinar. n. 10 : « Non dictum « est : Caro Verbum facta est, sed : *Verbum caro factum* « *est*, quia *Verbi facta est caro ;* » tum et Leo M. serm. 14 de Passione, c. 5 : *cùm incorporea sit substantia Dei, quomodò corporaliter in christo habitat, nisi quia caro nostri generis facta est* CARO DEITATIS? Hospes necesse est sit in Patribus, si quem conturbet de Christo audire *carnem Dei, carnem Verbi, carnem Deitatis.*

hujusmodi corpus à Verbo dividentes adoramus, neque cùm Verbum volumus adorare, ipsum à carne removemus. Quorum verborum vim commodè Juenius explanat (Inst. Theolog. P. 4, Dissert. 6, de Termino Incarn. q. 14, c. 1), hoc ferè modo : *Qui vetat, ne Christum adorans, humanitatem à Verbo dividat, vult sanè ut simul cum Verbo humanitas adoretur : Si enim adorans adorationis speciem humanitati exhiberet sejunctam ab eâ quam exhibet Verbo, humanitatem, saltem in suâ mente, à Verbo divideret ; atqui divisionem vetat Athanasius : ergo vult ut latriæ adoratio ipsimet humanitati cum Verbo conjunctæ exhibeatur.*

S. Cyrillus Alexandrinus (lib. de rectâ in Jesum Fide, ap. Labb. tom. 3, edit. Ven. part. 1, continente quæ synodum Ephes. antecesserunt, n. 6) : *Alii turpe pudendum rati, si hominem adorare videantur, terrenamque carnem summo honore afficiant, dùm fœdo hoc inscitiæ morbo, pravâque et adulterinâ religione laborant, Verbum ex Deo natum in ossium et nervorum carnisque naturam demutatum affirmant.* Notat Cyrillus eorum impietatem, qui Verbum in carnis naturam mutatum affirmabant, ex fœdo inscitiæ morbo, pravâque et adulterinâ religione ortum duxisse, quòd hominem adorare, terrenamque carnem honore summo afficere vererentur. Si fœdus hic fuit inscitiæ morbus, si prava et adulterina religio, profectò pia, sincera plenaque sanctitatis religio in eo cultu inerat, quem illi respuebant, quo nempe catholica Ecclesia Christum hominem adorandum, humanamque adeò naturam, quâ assumendâ Verbum caro factum est, honore summo in Christo efficiendam profitebatur. Quem cultum pergit Cyrillus comprobare n. 27, his verbis : *Arbitror enim Dei Verbum post assumptam semel carnem, ab humanæ naturæ conditionibus non esse penitùs excludendum, neque humanitati rursùm, si, ut in Christo est, consideretur gloriam, quæ Deum decet, non esse denegandam.* Quin etiam (lib. ad Reginas ap. Labb. ibid.), quo loco superiorum Patrum testimonia recenset de rectâ Fide in Jesum, profert inprimis præclaram auctoritatem Athanasii ex lib. de Incarnat. Verbi illis sententiis planè congruentem, quas supra ex Athanasio ipso descripsimus. Hæc porrò ejus verba sunt à Cyrillo prolata : *Si quis autem aliud ex divinis litteris docuerit... aut ejusdem Domini nostri carnem, veluti nudi hominis minimè adorandum dixerit, hunc anathemate plectit sancta et catholica Ecclesia... Hucusque B. Athanasius.* Ita Cyrillus anathemate à sanctâ catholicâ Ecclesiâ plectitur, qui carnem Domini nostri velut nudi hominis carnem minimè adorandam dixerit. Ergo ex doctrinâ et fide sanctæ catholicæ Ecclesiæ firmiter credendum, Christum Dominum nostrum non esse nudum hominem, ejusdemque adeò carnem à Verbo assumptam velut carnem Verbo propriam in Christo esse omninò adorandam. Neque alius fuit Latinorum PP. sensus, inter quos recensendus inprimis magnus Ambrosius à quo notant Maurini editores (notâ supra indicatâ), quæstionem de adoratione Christi etiam secundùm humanitatem non sine causâ (adversùs Appollinaristas) paulò diligentiùs tractatam esse lib. 3 de Spiritu S., c. 11, cujus hæc verba sunt, n 76 : *Adorant autem* (Angeli) *non solùm Divinitatem ejus, sed etiam scabellum pedum ejus, sicut scriptum est : « Et « adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est. »* Et n. 79 : *Videamus tamen ne terram illam adorandam dicat Propheta, quam Dominus Jesus in carnis assumptione suscepit. Itaque per scabellum pedum terra intelligitur ; per terram autem caro Christi, quam hodièque in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino Jesu, ut supra diximus, adorârunt. Neque enim divisus est Christus, sed unus ; neque cùm adoratur tanquàm Dei Filius natus ex Virgine denegatur.*

Idem in Psal. 118, serm. 5, num. 8 : *Caro Christi sine peccato est, quam perfidi contrectantes manus suas inquinaverunt ; sancti venerantes, pietatis odore flagrârunt.* Illud ergo Christi corpus quod in passione subjectum fuit perfidorum manibus, à quibus est crudeliter dilaceratum, illud, inquam, idem corpus est, quod sancti piæ suæ venerationis *objectum* sibi fecêre, cùm illud venerantes, veneratione certè à Verbi veneratione non divisâ, in sepulcro reposuerunt.

S. Augustinus, fidelissimus Ambrosii discipulus, ut eodem loco aiunt Maurini, in exponendo versu Psal. 98 : *Adorate scabellum pedum ejus,* « non solùm Ambrosianas sententias, sed et verba ipsa mutuatus « est. » En verba Aug. Enarr. in Psal. 118, num. 9 : *Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hìc, et invenio quomodò sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terrâ terram, quia caro de terrâ est, et de carne Mariæ carnem accepit ; et quia in ipsâ carne hìc ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit ; nemo autem illam carnem manducat, nisi priùs adoraverit : inventum est quemadmodùm adoretur tale scabellum Domini, et non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.*

Profectò nomine scabelli perspicuum est Augustinum non divinitatem, sed carnem Christi designâsse ; itidem perspicuum est, minimè in eo elaborandum, ut modus inveniatur, per quem modum Divinitas sine impietate adoretur. Cùm ergo S. Augustinus per assumptam carnem à Verbo ostendit inventum esse modum, quo sine impietate adoretur *scabellum pedum Domini*, manifestè loquitur de adoratione carni exhibendâ, quam nomine scabelli apertissimè denotat. Idcircò autem illam dicit sine peccato adorari, imò non posse non adorari sine peccato, quia est caro quam Verbum suscepit, suamque suscipiendo effecit.

Quin etiam in serm. de Verbis Domini dudùm et diù vulgato sub nomine Augustini, cujus extrema pars à Maurinis in Append. n. 246 rejecta est, velut auctoris incerti, quem tamen ut antiquum, atque adeò remotioris memoriæ idoneum testem proferre possumus ; in eo, inquam, sermone, n. 5, legitur : *Sed illi* (Ariani) *ad hoc replicabunt, et dicent : Quid quòd carnem ejus, quam creaturam esse non negas, simul cum Divinitate adoras, atque ei non minùs quàm Divinitati deservis ? Ego Dominicam carnem, imò perfectam in Christo humanitatem, propterea adoro, quòd à Divinitate

suscepta, atque Deitati unita est; ut non alium atque alium, sed unum eumdemque Deum, et hominem Dei Filium esse confitear.

S. Leo (serm. 28, edit. Baller.): *Unde utrique naturæ in suis proprietatibus permanenti tanta est unitatis facta communio, ut quidquid ibi est Dei, non sit ab humanitate disjunctum, quidquid autem est hominis, non sit à Deitate divisum.* En præclarè positum fundamentum adorationis quæ debetur humanitati Christi. Quippe cùm quidquid est hominis in Christo non sit à Deitate divisum, et quidquid est Dei non sit ab humanitate disjunctum ; profectò cultus, qui humanitati defertur, prout est humanitas Christi, totum complectitur, quod in humanitate Christi nunquàm est à Deitate divisum, atque adeò Deitatem, quæ nec ipsa est unquàm ab humanitate disjuncta.

Succedunt propioris ætatis doctores S. Thomas p. 3, q. 25, art. 2, propositâ quæstione, *utrùm humanitas Christi adoranda sit adoratione latriæ*, subjectis continuò more suo quæ in adversam partem facere videntur, hoc modo : *Videtur quòd humanitas Khristi non sit adoranda adoratione latriæ ;* suam dein sententiam promit per verba : *Sed contra,* ubi argumento ducto ex auctoritate Damasceni, subjungit : *Sed Verbum incarnatum adoratur adoratione latriæ. Ergo et corpus ejus, sive ejus humanitas.* Et in extremo articulo : *Et per hoc etiam patet responsio ad 2 et 3, quia odoratio latriæ non exhibetur humanitati Khristi ratione sui ipsius, sed ratione Divinitatis cui unitur.*

Sylvius præclarus D. Thomæ interpres, in eum S doctoris locum : *Quare simpliciter dicendum est carnem et animam Christi, sicut et membra corporis ejus, adoranda esse adoratione latriæ, quæ quidem iis debetur ratione hypostasis Verbi Dei, à quâ et in quâ sustentantur.*

Catechismus Romanus (de Sacram. Euchar. n. 8) : *Atque ad eumdem modum hoc sacramentum adorandum esse, nimirùm corpus et sanguinem Domini intelligentes affirmamus.*

Juenimus (p. 4, dissert. 6, de Termino Incarn., c. 1) Patrum auctoritatibus, quas plures profert, singulis singulas argumentationes subjicit, quibus ad leges dialecticas adstricta Patrum sententia nitidiùs ac distinctiùs enodata pateat.

Præstantis vir doctrinæ card. Gotti (tractat. 7 de Euchar. q. 3, dub. 5, § 3) *caro Christi suppositaliter Verbo unita, ubicumque sit, adoranda est.*

Joan. Clericatus, qui inter munia, quibus operam suam B. Gregorio card. Barbadigo præstitit ac promavit, insigni Cleri Patavini ecclesiasticorum studiorum exercitationibus præfuit (de Sacrif. Missæ decis. 6, n. 29) : *Christus adorandus est adoratione latriæ, non solùm ut Deus, sed etiam ut homo, quia humanitas Christi ut unita Verbo includit ipsum Verbum, et dicit totum Khristum.* Laudatque doctissimum cardinalem de Laureâ de Incarn. decis. 29, n. 68. Dictum sanè valdè accommodatum illustrandæ Basilii sententiæ, quâ caro Christi (homil. 59, n. 4) ab eo dicta est *caro Dei gestatrix,* tum et similitudini è carbone ignito à Damasceno depromptæ ; quibus declaratur, quòd plurimùm valet adversùs obloquentium criminationes, adorationem, quæ tribuatur humanitati, de quâ verum sit dicere, *eam Verbum divinum includere, et dicere totum Christum,* talem esse quæ non duplicem adorationem præ se ferat, sed unam eamdemque adorationem, quâ Verbum ipsum incarnatum cum propriâ ipsius carne adoratur ; prout est can. 9 concilii generalis V expressè traditum (1).

§ II. *Reprehensiones Fellerianæ diluuntur. Precatio pio Ecclesiarum usu consecrata, sacrosanctæ et individuæ Trinitati, crucifixi D. N. J. C. humanitati, vindicatur.*

Hactenùs præclarè jacta sunt fundamenta defensionis nostræ adversùs Fellerianas compellationes, quas tantò minùs metuendas nobis esse intelligimus, quantò pluribus, firmioribusque Patrum ac doctorum auctoritatibus causa nostra nititur. Fellerum tamen audiamus. Sic ille orditur : *Difficile est scire quid Pistorienses per vocem* DIRECTE *intelligant, cùm nunquàm à divinitate Christi separetur humanitas, ne per mentem quidem et intentionem fidelium.*

Hâc ipsâ de causâ providendum fuit, ut in hâc vocis ambiguitate prava significatio distinctè notaretur, quâ fideles decepti in hunc errorem incidèrent, fieri non posse, ut adoratio *dirigatur* in humanitatem Christi, prout in nonnullis tamen publicis Ecclesiæ orationibus dirigitur, quin humanitas à divinitate separetur, atque adeò tribuatur creaturæ honor soli Deo debitus. Qui error perspicuè in formulâ censuræ depulsus est, quâ declaratur adorationem, quâ humanitas, ipsaque caro vivifica Christi adoratur non quidem *propter se,* sed prout unita est Divinitati, non esse honorem divinum impertitum creaturæ, sed unam, eamdemque adorationem, quâ Verbum incarnatum cum propriâ ipsius carne adoratur (2).

(1) Non quasi Verbi immensitas carnis angustiis, velut clausa teneatur, sed quòd tota ipsa Verbi persona in carne sive humanitate hypostaticè sibi unità subsistat.

(2) Si adverbium *directè* vi suâ, et communi acceptione significaret *separatim, primariò, propter se,* rectè synodus dixisset adorationem latriæ directè tributam humanitati Christi, fore semper honorem divinum impertitum creaturæ. Verùm non ea est nativa, communisve istius adverbii acceptio. Quippe hæc adverbia *directè, separatim, primariò,* disparatas omninò significationes præ se ferunt, ut patet ex lexicis et usu communi. Neque verum est, id quod aliò dirigitur, semper sistere ac terminari in eo ad quod dirigitur ; velut ictus lanceæ, qui dirigitur in latus, non semper sistit in latere, sed ad cor penetrat, in eoque terminatur. Itaque fieri potest ut adoratio *directè* tribuatur humanitati Christi, quin ei tribuatur *separatim et primariò* aut in eâ terminetur. Igitur qui generatim et universè statuit humanitatem Christi non posse *directè* adorari adoratione latriæ, hoc ipso generatim et universè excludit omnem modum, quo talis adoratio dirigi potest ad humanitatem Christi, etiam cùm ad eam dirigitur non propter se, non separatim à Divinitate, sed ita dirigitur, ut tamen non in eâ terminetur, sed in Verbo, quod ei factum est subsistentia, ut loquitur Damascenus. Sublatâ proinde generatim quâcumque *directâ* adoratione latriæ humanitati Christi, hoc ipso tollitur omnis eidem exhibenda latriæ adoratio ; nec enim intelligi aut fieri potest, ut qualiscumque cultus

Pergit Feller : *Adoratur indivisibiliter indivisibilis Christus, Deus et Homo.*

Utique sanè. Sed mirum Fellerum non vidisse per adorationem quâ humanitas Christi adoratur ut Verbo unita, non tolli quin Christus indivisè cum suâ humanitate adoretur, quemadmodùm ex verbis censuræ modò recitatis apertissimè intelligitur.

Atque in hâc quidem totâ disceptatione videtur Feller in eo deceptus esse, quòd putaverit, siquidem duæ distinctæ naturæ adorentur in Christo, duas consequenter adorationes esse distinguendas. Quod secùs est. *Ambas Christi naturas*, inquit Damascenus, *ob unitam carni divinitatem adoro :* Num propterea duas illas adorationes induxisse putabimus? Absit ; attamen si ambæ Christi naturæ adorandæ sunt, duo utique proposita sunt à S. doctore adorationis objecta, divinitas certè *in se, et propter se*, humanitas *non propter se, sed ob unitam carni divinitatem :* nec tamen inde sequitur duas esse distinguendas adorationes, quippe cùm vi unionis hypostaticæ *humanitas includat ipsum Verbum*, ideòque quidquid est Dei, nunquàm sit ab hâc humanitate disjunctum; profectò inde fit ut quo actu per adorationem humanitas attingitur per eum dem planè adorationis actum et ipsum Verbum attingatur, quod nunquàm est ab humanitate suâ divisum, quemadmodùm (si æquâ proportione uti licet ipsius met Damasceni similitudine carbonis igniti), in carbone ignito lignum tangi non potest, quin eodem actu tangatur ignis, quo totum est lignum comprehensum.

Imò posito quòd cultus qui uni objecto præstatur, non aliter ei præstetur, nisi prout est alteri objecto indivisè unitum, repugnat, ut ne quidem per mentem divisus, concipiatur honor, qui totus in indivisâ illâ unione fundatur. Et reverà quidem cùm humanitas Christi non possit intelligi sub hâc ratione *humanitatis Christi*, seu quatenùs est humanitas Christi, nisi simul intelligatur esse unita personæ Verbi, profectò necesse est ut, cùm sub hâc ratione humanitas adoratur, et ipsa persona Verbi adoretur, quæ nisi simul cum suâ humanitate adoraretur, nec intelligi posset humanitatem adorari, ut est humanitas Christi (1). Demùm et istud considerari potest : Quemadmodùm duæ naturæ, quæ distinguuntur in Christo, nihil officiunt unitati personæ, ita nec quidquam officit unitati adorationis, quòd duæ in Christo naturæ adorentur, quæ in Christo, ut loquitur Damascenus, *ad unam Verbi Dei personam reducuntur.*

Pergit Feller : *Unde meritò, si accuratio theologica spectetur, culpatur illa separatio in oratione*, SACROSANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATI, CRUCIFIXI DOMINI NOSTRI HUMANITATI, etc. Imò non excusandus Feller, qui separationem adorationis humanitatis ab adoratione Divinitatis finxerit sibi in eâ oratione, quæ cùm dicit *humanitatem Christi*, hoc ipso etiam dicit *personam Verbi*, sine quâ humanitas illa, nec esse, nec intelligi posset ut humanitas Christi. Perinde ac si, ut vulgari comparatione utar, arguatur quis à personâ optimi regis honorem separare, quem regiæ potestati defert, quam rex sustinet. Sed de toto isto fictæ separationis crimine dictum jam satis. Cæterùm distincta mentio, quæ in eâ oratione fit Trinitatis et humanitatis Christi crucifixi, eò spectat, ut post absolutum canonicarum officium distinctè recolantur, ac velut in recitantium mente defixa teneantur duo præcipua Fidei nostræ distincta mysteria, sacrosanctæ nimirùm Trinitatis et Incarnationis Christi Domini, beatæque passionis, quam pro generis humani salute in suâ humanitate sustinuit. Ex quo certè nulla talis inducitur separatio, qualem suspicatus est Fellerus.

Hoc porrò dolendum valdè, cl. virum non minimùm videri à pristino illo suo pleno pictatis in apostolicam Sedem obsequio descivisse, dùm affirmare non est veritus, *meritò culpari* (spectatâ videlicet accuratione theologicâ) orationem, quam non ignorat à summis

Imò posito quòd cultus qui uni objecto præstatur, non aliter ei præstetur, nisi prout est alteri objecto inexhibeatur, quin ad illum dirigatur, cui exhibetur, et eo modo dirigatur, quo modo exhibetur. Porrò sine errore negari nequit, quin adoratio latriæ exhibenda sit humanitati Christi, non quidem propter se, sed prout est unita Divinitati per hypostaticam unionem cum Verbo. Hinc etiam, quod sedulò notandum est, valdèque ad rem pertinet, in tam multis quas collegimus Patrum ac doctorum auctoritatibus, semper quidem illi monent, cavendum ne adoratio latriæ tribuatur humanitati Christi propter se, nunquàm verò illam *directè* adorari non posse. Ut proinde suspicione non careat novitas hujus verbi *directè*, quod in hâc materiâ communi Patrum ac doctorum locutioni nullâ necessitate substitutum est à synodo. Et reverà, si non alius erat synodi, quàm qui semper fuit Patrum et doctorum sensus de adoratione humanitatis Christi, cur non et eumdem in eo explicando planum, dilucidum, expeditum eorum loquendi modum, sibi etiam tenendum censuit, à quo sine aliquo offensionis periculo vix unquàm receditur ? Quamobrem animadversione indigebat propositio synodi, quæ generatim et universè negans, *directè* adorari posse humanitatem Christi, per indeterminatam ambiguitatem illius verbi *directè*, in eam fraudem fideles impellere facilè potuerat, ut existimarent nullo modo dirigi posse, nec adeò exhiberi adorationem latriæ humanitati Christi, etiam cùm ad eam dirigitur, et eidem exhibetur, prout est humanitas personæ Verbi in quâ adoratio terminatur; quasi talis adoratio foret *honor divinus impertitus creaturæ*, et non potiùs una eademque adoratio, quâ persona ipsa Verbi subsistens in humanitate assumptâ, simul cum unitâ sibi humanitate adoratur; prout in formulâ censuræ declaratum est ad normam canonis 9 concilii generalis V.

(1) Quod vulgari etiam nec prorsùs ineptâ comparatione, seu similitudine illustrari potest. Nam qui, v. gr., honorem defert cuidam homini, non quidem prout certus quidam homo est, sed prout est sacerdotali honore insignitus, eique caput submittit, ejusque manus chrismate sacro delibutas osculatur, profectò fieri non potest ut in honore qui homini ei defertur non comprehendatur ipsa sacerdotalis ordinis dignitas propter quam honor ille defertur; verumque adeò sit dicere, in honore qui homini defertur, ut sacerdos est, sacerdotalem dignitatem et personam honorari. Ad eum modum, quantùm fert similitudinis ratio, nec per mentem intelligi potest, in adoratione quæ defertur humanitati Christi, non propter se, sed propter personam Christi cui unita est, non ipsam Christi personam adorari, propter quam unicè adoratio latriæ humanitati defertur, prout nempe humanitas est Christi, seu personæ Verbi, quod in eâ subsistit, et à quo, et in quo illa sustentatur.

pontificibus jam ab Leone X commendatam, gratiis spiritualibus auctam, à sacris ministris tam longo intervallo recitari consuetam, nullo reclamante, cujus aliqua fuerit in Ecclesiâ nominis auctoritas. Utinam ille meminisset sapientis moniti, quod in aliâ notâ descripsit ex Morino, Morinus traxit ab Augustino. Epist. 54 : *Insolentissima est insania non modò disputare contra id quod videmus universam Ecclesiam credere, sed etiam contra id quod videmus eam facere.*

Quòd si fictæ separationis illius nomine culpanda oratio *sacrosanctæ*, pari jure et hæc erit culpanda, quæ in sacræ liturgiæ secretis non semel per annum recitari consuevit : *Unigeniti tui, Domine, nobis succurat humanitas :* culpanda item invocatio cum latriæ cultu conjuncta, quæ fit à sacerdote sacram hostiam sive sumente, sive porrigente : *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam*, vel *tuam in vitam æternam.* An hìc etiam metuendum suspectæ separationis periculum? Absit. Satis hoc uno sese tuetur sacræ illius invocationis sanctitas, quòd in Christi corpore, prout corpus est Christi, Christus ipse invocatur. Cæterùm, ad pleniùs cognoscendam vim efficientiæ, quam ex unione hypostaticâ cum Verbo ad salutem humani generis traxit caro Christi, ut instrumentum Divinitatis, consulendus S. Thomas 3 p., q. 48, art. 6, et in 1 Thessal. c. 3, lect. 3.

§ III. *Effatum theologicum :* Verbum assumpsisse corpus mediante animâ, *præter rem à Fellero productum.*

Concludit Feller : *Quòd autem supponi videatur* NUDAM CARNEM ADORARI, *eò absurdius est, quòd nequidem uniri Divinitati mera caro possit, cùm nonnisi mediante animâ, Verbum Dei corpus assumpserit.* Primùm, nescio quò referatur illud, quod *supponi* Fellero visum est, *nudam carnem adorari.* Nullibi certò id supponitur in formulâ censuræ, in quâ contra potiùs verbis è Damasceno depromptis expressè declaratur, *nudam carnem non adorari.* Nec mirum Fellero videri debuit usurpata esse in Pontificiâ Sanctione verba Damasceni.

Deinde in eo quod sequitur, magnum quiddam Feller, viroque planè theologo dignum ostentare maluisse videtur, quàm quidquam afferre quòd ad rem faceret. Illud nimirùm profert ex intimâ theologiâ depromptum, *Verbum carnem assumpsisse, mediante animâ.* Utinam verò non eum piguisset in ipsam quæstionem penitiùs intrare, non ipsum tantummodò quæstionis titulum inspicere : profectò ab omni ejus mentione abstinuisset, ne aut à quæstionis statu aberrare, aut extra propositum vagari videretur. Etenim quæro quid ille sibi finxerit à theologis intelligi per hæc verba, *mediante animâ?* An fortè in conjunctione Verbi cum carne animam veluti glutinosum medium intercedere, per quod caro jungatur cum Verbo, ita ut unio Verbi cum carne non sit æquè immediata, atque unio est Verbi cum animâ? Atque id quidem ad suum propositum aliquantùm facere posse videretur. Verùm non ea est in illâ versandâ quæstione theologorum mens, et sententia, qui contra in tali refutando errore consentiunt planissimè. Paucis proinde, quantùm fieri poterit, exponenda nobis est tota hujusce quæstionis ratio. Theologi nempè in disputatione, quam instituunt de convenientiâ, modo et ordine Incarnationis, inter cætera inquirunt, an, et quemadmodùm dignum et congruens fuerit, Verbum carnem assumere. Aiunt porrò Verbum in assumendo corpore, non corpus spectâsse simpliciter ut caro est, sed cùm vellet humanam naturam integram perfectamque assumere ideò et corpus assumere voluisse non ut corpus merum, sed ut corpus humanum, pertinens videlicet ad integritatem constituendam humanæ naturæ; corpus autem non aliter humanum esse intelligitur, nisi ex ordine quem habet ad animam. Hinc fit ut anima fuerit in ordine dignitatis et congruentiæ veluti causa media, propter quam Verbum voluerit corpus assumere. Neque tamen ex hoc sequitur non æquè hypostaticam, atque adeò immediatam Verbi unionem fuisse cum corpore assumpto, quàm fuerit cum animâ. Ita scilicet ex mente D. Thomæ Sylvius (in 3 p., q. 6, art. 1, in responsione ad 3) inquit : *Observandum est, Verbum esse immediatè unitum carni sicut animæ, et independenter ab animæ informatione, eò quòd anima non sit medium colligantiæ, id est, per quod ista extrema, Verbum et caro ligantur ad invicem, sicut duo corpora junguntur ad invicem, interveniente glutino. Sed est medium congruentiæ, id est, ratione cujus congruum est aliqua duo perduci ad unionem, sicut notabilitas et pulchritudo est medium congruentiæ, ut aliqua mulier jungatur regi in matrimonium, quemadmodùm explicant Bonaventura et Richardus*, etc.

Quin et ipse S. Thomas cùm sibi objecisset, ea, quæ per medium conjunguntur, tum separari cùm medium removetur, ideòque si Verbum corpori unitum esset per medium animæ, futurum, ut separatâ animâ à corpore, separari quoque oportuisset Verbum ab ipso corpore, respondet : *Dicendum, quòd nihil prohibet aliquid esse causam alicujus quantùm ad aptitudinem, et congruitatem, quo tamen remoto illud non tollitur sicut si inter aliquos amicitia causatur aliquo mediante, eo recedente, adhuc amicitia remanet... et similiter separatâ animâ remanet unio Verbi ad carnem.* Et q. 50, art. 2, ad 2 : *Dicendum quòd Verbum Dei dicitur unitum carni, mediante animâ, in quantum caro per animam pertinet ad humanam naturam quam Filius Dei assumere intendebat, non autem ita quòd anima sit quasi medium ligans unita. Habet autem caro ab animâ, quòd pertineat ad humanam naturam, etiam postquàm anima separatur ab eâ, in quantum scilicet in carne mortuâ remanet ex divinâ ordinatione quidam ordo ad resurrectionem. Et ideò non tollitur unio Divinitatis ad carnem.*

Frustra igitur Feller hanc suam *mediantis animæ* mentionem in locum non suum injecit. Nihil juvat eum hæc alienæ quæstionis in alienam sedem coacta immigratio. Cùm enim ordo ille dignitatis, et congruentiæ (vel etiam necessitatis, ut alii volunt, de quo nil attinet hoc loco disputare), quo anima media intelli-

gitur inter Verbum et corpus, nil minuat de immediatâ hypostaticâ unione Verbi cum carne, nil quoque detrahit de fundamento quo nititur cultus adorationis, qui debetur humanitati Christi non *propter se*, sed prout hypostaticè unita est Verbo divino, quemadmodùm supra explicatum est.

Summa hæc esto, quam, etsi unâ eâdemque sententiâ comprehensam, sub triplici tamen expositionis aspectu, ac velut formâ uberioris, planiorisve declarationis gratiâ proponendam ducimus. Prima forma : humana natura in Christo vi unionis hypostaticæ subsistit, sive (ut loquitur S. Thomas 3 p. q. 2, art. 2, ad 2 et 3) *existit in personâ Verbi*, quæ facta est ei hypostasis et subsistentia (Damasc.); ambæ proinde naturæ in Christo adorandæ, divina in se, et propter se, humana, non propter se, sed propter unitam carni divinitatem. Tametsi verò ambæ naturæ adorentur, una tamen est adoratio, quatenùs ambæ naturæ ad unam Verbi personam reducuntur. (Damasc.) Quo fit ut persona ipsa Verbi adoretur in eâ naturâ, quæ non adoratur, nisi prout in Verbo subsistit : sitque adeò verum dicere : Cùm caro Christi adoratur, ut est caro Christi, id est Verbi Incarnati, non duas adorationes introduci per hoc, quòd Christus in duabus naturis adoretur, sed reverà unâ adoratione *Deum Verbum incarnatum* cum *propriâ ipsius carne adorari*.

Altera forma : Duæ sunt veritatès ex communi PP. sensu de adoratione Christi omninò profitendæ. 1° Cùm duæ sint in Christo naturæ, divina et humana, ambas in Christo esse adorandas, divinam propter se, humanam, non propter se, sed propter divinam, cui conjuncta est per unionem hypostaticam cum Verbo. 2° Cùm per hanc hypostaticam unionem humana natura subsistat, seu *existat* in Verbo, etsi ambæ naturæ in Christo adorentur, non propterea duas adorationes introduci, sed unam tantùm, quatenùs una eademque est persona Verbi, quæ subsistens in duabus naturis, adoratur in utrâque adoratâ naturâ. Quo fit, ut per adorationem utriusque naturæ in Christo, totus idem Christus Deus et Homo in suis ambabus naturis adoretur. Atque adeò cùm caro Christi adoratur, prout est caro Christi, Verbo hypostaticè unita, hoc ipsum intelligatur quod est à concilio generali V definitum, unâ eâdemque adoratione Verbum incarnatum cum propriâ ipsius carne adorari. Utraque proinde veritas ad catholicæ doctrinæ integritatem de Incarnationis mysterio pertinet, ut humanam naturam Verbo divino unitam in Christo, propter hanc ipsam unionem adorandam profiteamur. Et simul Christum totum in adoratâ sibi unitâ humanitate, unâ eâdemque adoratione adoratum intelligamus. Cavendum proinde, ne dùm unam veritatem retinere volumus, quâ Christum totum Deum et Hominem adorandum profitemur, alteram veritatem deseramus, quâ Christi humanitatem unâ eâdemque adoratione cum Christo toto, Deo et Homine, adorandam profiteri debemus.

Tertia forma : Quisquis Christum adorat verum Deum et Hominem, vel comprehendit humanitatem in adoratione latriæ, quam Christo exhibet Deo et Homini, vel eam non comprehendit. Si non comprehendit, cùm tamen aliquod genus adorationis debeatur humanitati Christi, necesse est ut in adoratione, quæ debetur Christo Deo et Homini, duæ separatim adorationes introducantur, una quæ tribuatur Christo ut Deo, altera quæ ipsi tribuatur ut Homini. Atque hoc ipsum est, quod can. 9 concilii generalis V reprobatur contra eos qui, ex eo quòd Christus dicatur *in duabus naturis adorari, ex hoc duas adorationes introducunt*, separatim Deo Verbo, et separatim Homini. Si ergo nulla separatio fieri potest in adoratione latriæ quæ debetur Christo Deo et Homini, necesse est ut humanitas comprehendatur in hâc unâ adoratione latriæ quæ Christo debetur Deo et Homini. Quippe si humanitas in eâ non comprehenderetur, hæc ipsa latriæ adoratio separatim tribueretur Christo Deo Verbo, et alia inferior adoratio *separatim* Christo Homini tribuenda esset. Si ergo humanitas comprehenditur in adoratione latriæ quæ debetur Christo Deo et Homini, verum est dicere humanitatem in Christo adorandam esse. Quia verò vi unionis hypostaticæ humanitas adoratur in unitate personæ Christi Dei et Hominis, simul verum est dicere personam ipsam Christi Dei et Hominis comprehendi in adoratione latriæ quæ humanitati defertur, prout subsistit in unitate personæ ipsiusmet Christi Dei et Hominis.

PROPOSITIO XLIII DAMNATA,

DE CULTU SACRI CORDIS JESU.

DE ORAT., § 10. ET APPEND., N°. 32.

LXIII. — Item in eo quòd cultores Cordis Jesu hoc etiam nomine arguit, quòd non advertant sanctissimam carnem Christi, aut ejus partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione, aut præcisione à Divinitate adorari non posse cultu latriæ.

Quasi fideles Cor Jesu adorarent cum separatione, vel præcisione à Divinitate, dùm illud adorant, ut est Cor Jesu, Cor nempe personæ Verbi, cui ir separabiliter unitum est, ad eum modum quo exsangue Corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut præcisione à Divinitate adorabile fuit in sepulcro.

Captiosa, in fideles Cordis Christi cultores injuriosa.

Nota Fellfri. — Pag. XXXIV. Propos. LXIII. Ad rudiorum intelligentiam addi fors posset, nullo modo

adorari Cor Jesu quasi circumscriptivè et præcisivè à totalitate corporis, ut quidam nuper Germanus insulsè scripsit, neque formaliter adeò et directè ; id enim minimè licet de quàcumque corporis parte, quia nullam determinatè et formaliter partem Verbum assumpsit, sed ipsam corporis totalitatem, et idipsum quidem mediante animâ. Porrò Cor Jesu schema est seu symbolus, quo Christi erga nos charitas et infinita ipsius amabilitas exhibentur, ut nos vicissim in ejus amore incalescamus. Atque hæc est tota substantia ac mens illius devotionis, qui vocatur *de Corde Jesu*, à quâ omnis adoratio Cordis Jesu materialiter aut formaliter sumpti (etsi huic quoque sua reverentia debeatur uti omnibus ad Christum pertinentibus) omninò abest et abesse debet : quemadmodùm summi pontifices Clemens XIII et Pius VI declaraverunt, et hic quidem conceptissimis verbis in suo ad Pistojensem episcopum rescripto : *Sancta Sedes modum jam turbis et quæstionibus imposuit, satisque declaravit, quò substantia illius devotionis ab omni certò superstitiosâ materialitate immunis, reverà spectet ; ut in* SYMBOLICA GORDIS IMAGINE *immensam charitatem effusumque amorem divini Redemptoris nostri meditemur, atque veneremur.*

ANIMADVERSIO.

§ I. — *Reprehensio Felleri ex eo ducta, quòd Verbum nullam determinatè et formaliter corporis partem assumpserit, diluitur.*

Quæ superiore Animadversione dicta sunt, de adorandâ humanitate Christi, nullo negotio transferri valent in disceptationem quæ superest de cultu sacri Cordis Jesu, de quo in propositione synodi duo præsertim occurrunt, quibus sua fuit adhibenda correctio. Unum quòd cultores Cordis Jesu generatim arguat, quasi non advertant, nec partem ullam humanitatis, nec totam ipsam humanitatem cum separatione aut præcisione à Divinitate adorari posse adoratione latriæ. Alterum quòd per hanc reprehensionem insinuet in omni adoratione Cordis Jesu hanc reprobatam fieri separationem aut præcisionem à Divinitate. Atque ad primam quidem partem quod attinet, accusatio illa Synodi depulsa est in censurâ, velut in *fideles Cordis Christi cultores injuriosa*. In alterâ verò parte, quâ propositio notata est velut *captiosa*, depulsa itidem est, latens sub eâ reprehensione insinuatio, quâ fideles in hanc fraudem induci possent, ut existimarent Cor Jesu adorari cum separatione aut præcisione à Divinitate, tum etiam cum adoratur, ut est Cor Jesu, Cor nempe personæ Verbi, cui inseparabiliter unitum est. Quod, quàm alienum sit à communi Ecclesiæ sensu declaratum est insuper exemplo tridui mortis, quo Christi Corpus ab animâ et sanguine separatum semper tamen à Verbo indivisum, adorabile fuit in sepulcro. Quâ in moderatione censuræ nihil sanè se offert implexum, involutum, nihil quod uberioris explicationis lucem requireret. Nisi fortè de Corde Christi durius fuit dicere, *Cor personæ Verbi*, quàm quod de Carne Christi passim dictum est à PP. *Carnem Dei, Corpus Verbi, Carnem Deitatis?* Aut etiam quod in sacris publicis precibus, tot seculis Ecclesiæ unâ voce per orbem celebrat, *et Dei manus pedesque stricta cingit fascia?*

Attamen audiendus Feller : *Ad rudiorum*, inquit, *intelligentiam addi fors posset, nullo modo adorari Cor Jesu quasi circumscriptivè et præcisivè à totalitate Corporis, ut quidam nuper Germanus insulsè scripsit, neque formaliter adeò et directè; id enim minimè licet de quàcumque Corporis parte, quia nullam determinatè et formaliter partem Verbum assumpsit, sed ipsam Corporis totalitatem, et idipsum quidem mediante animâ.*

Nisi Feller notam notæ adjunxerit, vereor ut ad clariorem rudiorum intelligentiam multùm profuerit nsuetis illum verbis insusurrantem audire, minimè icere adorare *circumscriptivè* et *formaliter* partem ullam Corporis Christi, eò quòd Verbum nullam *determinatè* et *formaliter* corporis partem, sed *totalitatem* assumpserit, idque *mediante animâ*. Quin vereor ne quid ad clariorem dictorum suorum intelligentiam Fellero ipsi defuisse videatur. Certè quod hoc loco repetit de assumpto corpore *mediante animâ*, abundè supra declaratum est, quàm parùm effati hujusce vim, et sententiam ille assecutus sit, quàm parùm inde ad suam causam adjumenti consequi potuerit.

Quod porrò attinet ad assumptas partes corporis *mediante toto*, hoc ipsum eodem sensu effertur à theologis, atque illud superiùs de assumpto corpore *mediante animâ*, nempe cùm Verbum perfectam humanam naturam vellet assumere, sicut corpus assumpsit in ordine ad animam, prout videlicet humanum est, ad integritatem pertinens humanæ naturæ ita et cùm vellet corpus totum assumere, partes assumpsit (in ordine intentionis, ut theologi explicant) *mediante toto* (V. S. Th. 3 p., q. 6, art. 5), scilicet propter ordinem quem habent ad totum constituendum. Nec id tamen obstat quominùs hypostatica fuerit unio Verbi cum singulis partibus, quæ cùm *maxima sit unionum* (S. Th. 3 p., q. 2, art. 9), nulla sanè major magisve determinata intelligi potest.

Atque id quidem patet in triduo mortis quo partes humanæ naturæ separatæ sunt : nec tamen hæc obstitit separatio, quin Verbum hypostaticè atque adeò determinatè cum utràque parte separatâ, corpore videlicet et animâ, unitum manserit, prout inferiùs ex communi, planèque certâ PP. sententiâ, imò et Ecclesiæ totius mente ac sensu demonstraturi sumus. Jam verò cùm per mortem nulla sit facta nova hypostatica unio, profectò, si post mortem Divinitas, vi unionis hypostaticæ cum Verbo, determinatè unita fuit cum corpore, singulisque corporis partibus, necesse est fateri illam eamdem determinatam unionem cum corpore, suisque partibus ante separationem ab animâ præextitisse.

Ex hâc hypostaticâ immediatâ unione Verbi cum singulis corporis partibus, hæc necessariò profluit profitenda catholica veritas, quam Sylvius his verbis annuntiat. *Carnem* et *animam Christi*, et *membra corporis ejus adoranda esse adoratione latriæ*. Quam veritatem totius Ecclesiæ sensu ita firmatam vel ipse Blasius

intellexit, ut expressam ejus professionem edere non dubitaverit, hoc inscripto titulo ad cap. 12 sui notissimi opusculi : *Cor Jesu propriè et per se sumptum ob hypostaticam unionem capax est adorationis latriæ.*

Verùm luculentius multò ejusdem veritatis, firmiusque testimonium ex longè graviori auctoritate ducitur, nempe ex solemni officio quinque plagarum Redemptoris, ubi (Orat. post comm.) sic orat sacerdos : *Ut qui vulnera Domini nostri Jesu Christi hodiè devotè colimus.*

Quid porrò est vulnus lateris (ut in eo hæreamus, quod propiùs cor attingit), quid, inquam, vulnus est lateris, nisi latus ipsum vulneratum? En proinde cultus adorationis determinatè directus ad unam partem corporis in ipsâ *totalitate* cum cæteris partibus coexistentem (1).

Nisi ergo dicere volumus in hoc frequentando, celebrandoque officio Ecclesiam à pii cultûs ratione aberrare, fatendum omninò nihil officere partium cohærentiam in toto, quominùs ad unam determinatè partem cultûs piè ritèque dirigi valeat, ut mox explicaturi sumus.

Itaque hæc sedulò notanda : Primùm cùm singularis pars, in quam adoratio dirigitur, non adoretur, nisi propter unionem hypostaticam cum personâ Verbi, profectò intelligitur in adoratione, quæ illi parti exhibetur, adorari personam ipsam Verbi, atque adeò Christum totum, cujus alia non est quàm Verbi persona. Quo fit, ut cùm Christus totus in eâ sui corporis parte adoretur, nullo pacto ab ejus partis adoratione, remota et exclusa intelligi debeat humanitatis totius adoratio. Et reverà nemo unquàm reperietur pius cultor Cordis Jesu, qui dùm Cor Jesu adorat, ut est Cor Jesu, in eo adorationis cultu non intendat personam ipsam Christi, atque adeò Divinitatem ejus, totamque sacrosanctam humanitatem comprehendere.

§ II. — *De mysticâ significatione quæ in speciali cultu Cordis Jesu, aliisque similibus institutionibus recolenda proponitur.*

Deinde, ad eorum eximendum scrupulum, qui vereri videntur, ne inducto semel determinato quopiam cultu erga singularem quampiam determinatam partem Corporis Christi, pari jure tot cultus inducendi sint pro uniuscujusque arbitratu, quot vel minimæ partes in Corpore Christi distingui possunt, quæ licentia facilè posset, ignarum præsertim vulgus, in superstitiosæ pravitatis vitium pertrahere, sedulò et hoc animadvertendum, nunquàm hanc datam esse privatis licentiam, privatum fictumque pro suo cujusque arbitrio cultum sibi adsciscendi; verùm totam religiosi cultûs rationem ex Ecclesiæ sanctissimis præceptionibus et institutis pendere, quæ cùm Spiritu Dei regatur, nihil sinit in suas institutiones obrepere, quod sit à pietatis spiritu sejunctum. Hinc fit, ut in specialibus festis illis, quæ ad specialem quamdam Christi Corporis partem referuntur, mysticam quamdam significationem spectet potissimùm, quæ specialem afferat in speciali eo cultu defixam recordationem mysterii cujuspiam, insignisve cujusdam redemptionis beneficii.

Mystica ejusmodi significatio in quinque Plagarum cultu ex Chrysostomo deprompta (3 lect. 3 noct.) piè recolenda proponitur : *De latere sanguis et aqua. Nolo tam facilè, auditor, transeas tanti secreta mysterii; restat enim mihi mystica atque secretalis oratio. Dixi Baptismatis symbolum, et mysteriorum aquam illam et sanguinem demonstrare... Ex latere igitur suo Christus ædificavit Ecclesiam...* Unde apparet quemadmodùm hoc singulari cultu erga sacrum latus apertum Christi excitari valeant fideles ad magni hujus mysterii plenam pietatis recolendam memoriam; quo Ecclesia ædificata prodiit *à latere Christi, velut secundi Adæ dormientis.*

Ad eumdem modum, quod attinet ad cultum sacri Cordis Jesu, libentes agnoscimus rectè dictum à Fellero : *Porrò Cor Jesu schema est, seu symbolus, quo Christi erga nos charitas, et infinita ipsius amabilitas exhibentur, ut nos vicissim in ejus amore incalescamus.* Rectè, inquam, et eò quidem rectiùs quòd Christus ipse piarum affectionum, quas nos ab ipso mutuari vult, sedem in ipso Corde suo demonstrârit : *Discite à me quia mitis sum, et humilis corde.* Quo patet, nil quoque rectius in eâ institutione ab Ecclesiâ fieri potuisse quàm ut in hâc potissimùm sede flagrantissimam Christi erga nos charitatem recolendam proponeret.

Ad extremum, notam suam Feller his verbis concludit : *Atque hæc est,* inquit, *tota substantia, et mens illius devotionis, quæ vocatur de* Corde Jesu, *à quâ omnis adoratio Cordis Jesu materialiter aut formaliter sumpti* (etsi huic quoque sua reverentia debeatur, uti omnibus ad Christum pertinentibus) *omninò abest, et abesse debet : quemadmodùm summi pontifices Clemens XIII, et Pius VI, declaraverunt, et hic quidem conceptissimis verbis in suo ad Pistoriensem episcopum rescripto : « Sancta Sedes modum jam turbis et quæ- « stionibus imposuit, satisque declaravit, quò substantia « illius devotionis ab omni certè superstitiosâ materialitate « immunis reverà spectet, ut in symbolicâ Cordis imagine « immensam charitatem, effusumque amorem divini Re- « demptoris nostri meditemur, atque veneremur. »*

Hoc loco, primùm quidem ultrò concedendum Fellero, speciali probando cultu erga Cor Jesu, in id

(1) Nihil officit discrimen, quod alicui placuit intercedere inter vulnera et Cor Christi, ex eo ductum, quòd *vulnera nihil sunt aliud quàm ipsummet corpus Christi in locis ex disjunctione carnis apertum.* Nam primò semper verum est, in adoratione vulneris partem ipsam vulneratam speciatim spectari et coli. Quemadmodùm ergo sine separatione à toto spectatur et colitur latus ipsum apertum, quid vetat quin eodem modo spectetur cor in aperto latere contentum? Deinde, si ex regulâ fidei verum est dicere totum Christum (etsi non secundùm totum) verè et propriè sepultum esse, prout § ult. declaratur, verum quoque est dicere, personam Christi verè adorabilem esse in quâcumque parte hypostaticè sibi unitâ, licet ab aliis separatâ, velut in corpore, quod in sepulcro separatum quidem fuit ab animâ et sanguine, sed tamen Verbo semper unitum.

Pontifices potissimùm intendisse, ut in symbolicâ Cordis imagine immensam Christi charitatem fideles meditarentur atque venerarentur. Quod quidem quàm piè ab illis, quàm sanctè statutum sit, facile intellectu est ex his quæ paulò ante dicta sunt de mysticâ significatione, quam ad specialem mysterii cujuspiam aut beneficii Redemptionis memoriam recolendam in ejus generis institutionibus pontifices maximè propositam habuerunt. Et sanè cùm sacrum Cor Jesu duplici ratione spectari possit, vel ut corporea pars Carnis ejus, vel ut symbolum ejus in nos immensæ charitatis, profectò minùs erat causæ, cur sub priore aspectu specialis cultûs ratio pro eâ parte distingueretur, quæ in toto comprehenditur; at contra valdè ad pietatem conducebat, ut in eâ parte, quam Christus, ut dictum est, velut piarum suarum affectionum sedem demonstravit, tanquàm in aptissimo symbolo immensa ea charitas recoleretur, quâ ille dilexit nos, et seipsum tradidit pro nobis. Non ergo in eo falluntur adversarii, quòd hanc dicant substantiam esse hujusce devotionis, prout est à pontificibus piè sanctèque probata, sed in eo quòd hoc ipsum pugnare velint cum adoratione, quæ ob hypostaticam unionem, ut corpori toto, sic et singulis Corporis Christi partibus debetur, quâ fit ut in Corde Jesu adorando, ut est Cor Jesu, id est, personæ Verbi, Verbum ipsum cum eâ parte corporis assumpti adoretur; et id quidem unâ eâdemque adoratione, ut in formulâ censuræ declaratum est.

Istud etiam verum certissimumque est, nihil antiquius, nihil optatius fuisse summis pontificibus, quàm ut, quemadmodùm à cæteris omnibus, ita et ab speciali hâc devotione erga sacrum Cor Jesu illam sedulò propellerent *materialis* et *carnalis* devotionis invidiam, quam tot maledici clamatores in eam conferre non desistunt, quasi per illam merum et simplex musculosum carnis frustum fidelibus adorandum proponeretur; quâ in ferendâ calumniâ dùm pios Cordis Jesu cultores *Cordicolas* per contemptum appellant, non satis advertunt quam ipsi sibi imprudentes inurant ignominiæ notam, vetere illâ renovandâ contumeliâ, quam in catholicos humanitatis Christi adoratores appollinaristæ velut ἀνθρωπολάτρας (*hominicolas*) per summam impudentiam conjicere non verebantur.

§ III. *Fellerus refellitur argumento ducto ex reverentiâ quam fatetur materiali quoque Cordi Christi deberi.*

Nec verò silentio prætereunda *parenthesis* quam Feller in hanc extremam notæ suæ particulam inclusit, è quâ nemo theologus non facilè valeat firmum adorationis latriæ, quæ Cordi Jesu, ut est Cor Jesu, debetur, argumentum ducere. Quippe factâ ibi expressâ mentione cordis Jesu *materialiter* aut *formaliter* sumpti, quatenùs nempe Cor est carne compactum, ei tamen *materiali* Cordi concedit, imò affirmat *suam quoque reverentiam deberi*. Jam verò, cùm fide constet Cor istud materiale hypostaticè Verbo unitum esse, quæro ex Fellero quam ille reverentiam ei Cordi, *ut usam*, deberi velit? Latriæne adorationem, an genus aliud uiferius adoratione latriæ? Quis oorrò catholicus ferre possit, si quis dicat, Cordi Christi, prout Divinitati unito (de quo uno sermo habetur in formulâ censuræ) non aliam reverentiam deberi, quàm quæ sit inferior adoratione latriæ? Restat igitur ut quisquis fateatur materiale Cor Jesu, prout est Cor Jesu, hypostaticè esse Verbo unitum, ei quoque fatendum sit, si qua reverentia ei Cordi sic unito debetur, hanc reverentiam non aliam esse quàm quâ Verbum cum propriâ suâ carne adoratur, quæ certò inferior esse nequit adoratione latriæ.

Frustra porrò quis objiceret agnitam tamen esse à sancto Thomâ (3 part. quæst. 25, art. 2) adorationem quamdam hyperduliæ, quæ humanitati Christi tribui valeat. Quippe S. doctor apertè loquitur in *hypothesi* quâ humanitas Christi aut separata esset reapsè ab hypostasi Verbi, aut per mentem separata conciperetur. Ita ille dilucidè mentem suam explicat, resp. ad 1, ubi ad Glossæ textum quemdam in object. positum respondet quòd *Glossa illa non est sic intelligenda, quasi seorsùm adoretur* (adoratione hyperduliæ *caro Christi ab ejus Divinitate; hoc enim posset contingere solùm hoc modò, si esset alia hypostasis Dei et hominis.* Quem statum ritè notat Sylvius, nec esse, neque unquàm futurum. Positâ porrò etiam fictâ per mentem hypothesi disjunctionis humanitatis à Divinitate, pergit S. doctor : *Tunc sic intellectæ ut separatæ à Dei Verbo, deberetur sibi adoratio duliæ, non cujuscumque, puta quæ communiter exhibetur aliis creaturis, sed cujusdam excellentioris, quam hyperduliam vocant.* Missâ proinde omni aliâ supervacuâ quæstione de hoc hyperduliæ cultu, illud, quod unum ad rem pertinet, ex hoc ipso loco patet apertissimè, hanc S. doctoris, ut et omnium theologorum constantem semper fuisse mentem ac sententiam, genus hoc reverentiæ, quod hyperduliæ cultu continetur, estque adoratione latriæ inferius, nullum erga humanitatem Christi locum habere, nisi quatenùs humanitas aut à Verbo reapsè divisa concipiatur, aut, ut pauci opinati sunt, abstractione factâ per mentem ab unione cum Verbo in sese duntaxat, ut humanitas est, spectetur.

Eligat proinde Feller de duobus utrum statuere malit de reverentiâ quam materiali quoque Cordi Christi, *ut suam*, deberi fatetur, prout est Divinitati unitum, tumque omnium Catholicorum consensu referenda hæc est ad cultum latriæ; tumque cùm hæc locum habere nequeat, nisi per separationem aut qualemcumque abstractionem ab unione cum Verbo, hoc ipso inconsideratissimè vagari convincitur extra formulam censuræ, quæ tota vertitur in adoratione, quæ Cordi Jesu debetur, prout est Cor Jesu, Cor proinde personæ, quæ non alia est quàm persona Verbi, cui sacrum illud Cor indivisâ prorsùs atque inseparabili est unione conjunctum; eò proinde Fellerus adigitur ut ei fateri necesse sit, ritè positum esse in formulâ censuræ adorationem quæ Cordi Christi, prout est Verbo hypostaticè unitum, debetur, ad latriæ cultum referendam esse, nisi velit aut verba ipsa formulæ fœdè pervertere, aut à catholico sensu apertè desciscere.

§ IV. *De indivisâ hypostaticâ unione Verbi cum corpore ab animâ separato in triduo mortis.*

Vix intelligi potest quid in hanc mentem Fellerum impulerit, ut ex apostolicâ constitutione veritus non sit particulam demere, quæ explanationis loco posita in superiore formulâ censuræ, sensum refert pietati non minùs quàm sanæ doctrinæ planè consentaneum his verbis : *Ad eum modum quo exsangue Corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut præcisione à Divinitate adorabile fuit in sepulcro.* An fortè non satis illi certum exploratumque fuit, unionem Verbi cum Corpore in triduo mortis ita firmam constitisse, ut vi hujusce unionis Corpus Christi sine separatione aut præcisione à Divinitate unâ eâdemque adoratione, prout supra explicatum est, adorabile fuerit in sepulcro ?

At primùm de permanente hypostaticâ unione Verbi cum Corpore in triduo mortis, omnem ei scrupulum gravissima eximere debuerat auctoritas ex Catechismo romano petita in explanatione Symboli, quâ de singulis articulis sanâ verborum formâ ex constanti Ecclesiæ sensu depromptâ non minùs accuratè quàm nitidè expositâ traditur. Jam verò in Expositione art. 4, n. 7, hæc de Christo mortuo et sepulto *constanter credenda* et *confitenda* doctrina proponitur. *Quare, cùm Christum mortuum esse dicimus, id significamus, Animam à Corpore divisam esse; neque tamen concedimus Divinitatem sejunctam à Corpore; quin potiùs constanter credimus et profitemur, Animâ ejus à Corpore divisâ, divinitatem tum Corpori in sepulcro, tum Animæ apud inferos conjunctam semper fuisse.* Et n. 10 : *Neque verò hoc solum credimus Christi Corpus sepultum esse, sed illud præcipuè his verbis credendum proponitur, Deum sepultum esse, quemadmodùm ex fidei catholicæ regulâ verissimè etiam dicimus Deum mortuum et ex Virgine natum esse; nam cùm Divinitas nunquàm divisa fuerit à Corpore quod in sepulcro conditum est, rectè confitemur Deum sepultum esse.*

Eamdem doctrinam ex eâdem fidei regulâ haustam luculenter exponit S. Thomas (3 part. quæst. 50, art. 2) : *Ea quæ sunt humanæ naturæ non dicuntur de Filio Dei, nisi ratione unionis; sed de Filio Dei dicitur id quod convenit Corpori Christi post mortem, scilicet esse sepultum, ut patet in Symbolo fidei, ubi dicitur quòd Filius Dei* CONCEPTUS EST, *et natus ex Virgine, passus, mortuus,* ET SEPULTUS. *Ergo Corpus Christi non fuit in morte à Divinitate separatum.*

Haud mirum proinde, doctrinam ex ipsâmet regulâ fidei ductam communi Patrum traditione in Ecclesiâ perpetuò retentam esse, ac infidelium animis penitùs defixam insedisse.

1° Tertullianus certè (lib. de Carne Christi, c. 5), Marcionem impugnans : *Quid enim,* inquit, *indignius Deo? Quid magis erubescendum? Nasci, an mori?..... Circumcidi, an suffigi? Educari, an sepeliri? In præsepe deponi, an in monumento recondi?* Qui dicit non magis Deo indignum fuisse in monumento recondi, quàm in præsepe deponi, profectò statuit, sic verum esse dicere, fuisse Deum in monumento reconditum, quemadmodùm verum est dicere, Deum fuisse in præsepe depositum, sed ideò verè dicitur, Deum fuisse in præsepe depositum, quia non solùm Corpus, sed Corpus Verbo unitum depositum fuit in præsepe ; ergo, ut eodem etiam modo verum sit dicere, Deum fuisse in monumento reconditum, necesse est fateri, non Corpus tantùm, sed Corpus Verbo unitum in monumento fuisse reconditum. Quin et paulò post idem Tertullianus subjicit, minimè pudendum esse fateri, Dei Filium crucifixum, mortuum et sepultum; quid porrò pudendum in eo fuisset, sepultum fateri Corpus à Divinitate sejunctum ?

2° S. Athanasius (lib. 1 contra Appollinarium, n. 18), modum exponens quo Christus emisit spiritum : *Ita ut,* inquit, *expirationem nemo dixerit Deitatis transmigrationem, sed animæ discessum.* Quid significant hæc verba, NEMO DIXERIT, nisi constantem planèque universalem Ecclesiæ sensum ? Et lib. 2, n. 14 : *Cùm Deitas neque corpus in sepulcro desereret, neque ab animâ inferis separaretur.*

3° S. Cyrillus Hierosolymitanus (catech. 13 de Christo crucifixo et sepulto, n. 35), super hæc verba Jeremiæ (Lament. c. 3, v. 53) : *Morti dederunt in lacu vitam meam, et posuerunt lapidem super me,* Christum inducit sic loquentem : *Ego lapis angularis, electus, pretiosus intra lapidem condor ad modicum tempus, lapis offensionis Judæis et salutaris credentibus.* Et pergit : *Insitum est igitur lignum vitæ in terrâ, ut hæc, quæ maledicta fuerat, benedictionem consequeretur, et ut liberarentur mortui.* Corpus Christi conditum in monumento à Cyrillo dicitur *lignum vitæ insitum in terrâ;* quomodò porrò *lignum vitæ,* nisi prout Verbo unitum ? Quin et corpori huic, *intra lapidem condito,* ea tribuuntur quæ nonnisi Christi personæ conveniunt, ut sit lapis angularis, electus, pretiosus. Personam igitur Christi cum Corpore conditam in sepulcro agnovit Cyrillus.

4° S. Cyrillus Nyssenus (lib. 1 contra Eunomium, tom. 2, pag. 35, ut tradit Le Quien, notâ in Damascenî locum paulò post indicandum) : *Verbum à Corpore quod susceperat, sejunctum in morte non fuisse confirmat hoc effato quod hodièque perseverat :* « *Quod Verbum semel assumpsit, nunquàm dimisit.* » Verba recitat Le Quien S. doctoris : *A neutro* separata Deitas est, quocum semel contemperata fuit. Dein subjungit, à Gregorio, velut etiam à Damasceno explicatum esse *qui factum sit, ut, sejunctis per mortem Corpore et Animâ, una duntaxat hypostasis extiterit, scilicet* PROPTER INSERTAM UTRIQUE VERBI DEITATEM. *Per Corpus enim quod erat in corde terræ, superatum fuisse illum, cujus erat mortis imperium.* In Corpore itaque, quod erat in corde terræ, insertam uterque Pater hypostasim agnoscit, quâ ille superatus est, cujus erat mortis imperium.

5° S. Cyrillus Alexandrinus (lib. de rectâ in Jesum fide, ad Theodosium ap. Labb. tom. 3 edit. Venet. inter acta ad partem 1 concilii Ephesini pertinentia, n. 21), super illud : *Quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem :* « *Nec enim,* inquit, *fas est dicere Carnem Verbo unitam aliquando po-*

« *tuisse corrumpi, aut divinam illam Animam intra inferi* « *portas detineri.* » Christi Carnis incorruptionem in sepulcro manifestè hìc repetit Cyrillus ex ejus unione cum Verbo. Quin ejusdem unionis constantem perpetuitatem clarè jam satis indicaverat S. Pater n. 20 : *Quemadmodùm ergo caro,* inquit, *posteaquàm Verbi omnia vivificantis caro effecta est, mortis et corruptionis imperio superior evasit.* Ex eo nempe caro imperio mortis superior evasit, quòd semel caro effecta sit Verbi omnia vivificantis ; quæ non semel tantùm vivificanti Verbo unita esset, si posteaquàm semel unita inde in morte separata, iterùm in resurrectione unita fuisset.

6° S. Ambrosius (de Isaac et Animâ, n. 31), loquens de expectatâ præsentiâ Christi. Filii Dei : *Saliens quomodò venit? Saltu quodam venit in hunc mundum. Apud Patrem erat, in Virginem venit, et ex Virgine in præsepe transilivit. In præsepi erat, et fulgebat in cœlo, descendit in Jordanem, ascendit in crucem, descendit in tumulum, surrexit è tumulo, et sedet ad Patris dexteram.* Ambrosius ad eumdem modum loquitur de Filii Dei descensu in tumulum, atque de illius descensu è sinu Patris in Virginem, in præsepe, in Jordanem. Jam verò par non fuisset ratio descensùs Christi Filii De in tumulum, nisi quemadmodùm Filius ipse Dei cum Corpore fuit in præsepi, ita et idem Dei Filius fuisset cum corpore in tumulo. Eadem eisdem penè verbis repetit Ambrosius in Psal. 118, serm. 6, n. 6.

Idem (de Benedictionibus Patriarcharum, n. 20) : *Habes ergo incarnationem, accipe passionem :* RECUMBENS, *inquit,* DORMISTI UT EGO,..... *sicut ipse ait :* EGO DORMIVI, ET REQUIEVI, ET SURREXI, QUONIAM DEUS SUSCEPIT ME, *unde et Jacob ait :* QUIS SUSCITABIT EUM? *Hoc est, quem Dominus suscipiet. Quis est alius qui resuscitet, nisi ipse se suâ Patrisque resuscitet potestate? Video natum auctoritate propriâ, video mortuum propriâ voluntate, video dormientem potestate propriâ.* Ad passionem refert Ambrosius dormitionem Christi. Idemque ab eo designatur dormiens in sepulcro, qui passus in cruce. Sed certè in cruce passus est Dei Filius in corpore sibi unito ; ergo et in corpore sibi unito requievit in sepulcro. Quid porrò quòd Ambrosius *dormientem* illum declarat *potestate propriâ* ? An Corporis à Divinitate sejuncti propria potestas esse potuit, quâ se suâ Patrisque potestate resuscitaret?

Idem (in Psal. 36, n. 36, super illud Joan. 31) : *Quod erat ab initio..... quod perspeximus, et manus nostræ scrutatæ sunt de Verbo vitæ, et vita apparuit,* hæc habet : *Caro ergo est quæ in Christo apparuit, vel Christus in carne; ipse in omnibus nostra vita est. Ipsius Divinitas vita est; ipsius passio vita est.... Ipsius mors vita est; ipsius vulnus vita est; ipsius sanguis vita est; ipsius sepultura vita est; ipsius resurrectio vita est... Divisio facta est in ipso, vita est; sepultura facta est in ipso, vita est.* Sicut ergo caro Christi vita est, quatenùs conjuncta est ei Divinitas, eâdemque ratione passio vita est, et mors, et resurrectio, ita nec sepultura vita dici potuit, nisi prout et Carni sepultæ Divinitas conjuncta erat. *Divisio* etiam quæ facta est animæ et corporis, et subsecuta sepultura, ideò vita, quia in divisione Divinitas, quæ vita est, nec ab animâ divisa est, nec à carne sepulta.

Nisi ergò volumus Ambrosium turpiter à se discrepantem inducere, quam ille dixit (exposit. Evang. secund. Luc. lib. 10, n. 137) factam in morte Christi *secessionem divinitatis et corporis,* prorsùs intelligere cogimur *derelictionem,* quâ factum est ut spiritûs emissione Christus mortem obierit ; quæ communis est hujus loci doctorum intelligentia, cui et suam in eumdem locum adscribunt Maurini editores : *Hanc,* inquiunt, *opinatus est Ambrosius, Divinitatem contra manifestum Pauli testimonium secessisse à Christi Corpore vel animâ semel assumptis? Respondent Petrus Lombardus et S. Thomas, recessisse Divinitatem quoad effectum, id est, protectionem suam subtraxisse; etenim* « *si non* « *cohibuisset potentiam, inquit ille, sed exercuisset, non* « *moreretur Christus.* »

7° S. Augustinus (epist. 187 ad Dardanum, n. 5) : *Neque enim ipso die in cœlo futurus erat homo Christus Jesus; sed in inferno secundùm animam, in sepulcro autem secundùm carnem.* Eodem modo tradit Augustinus Christum in sepulcro secundùm carnem fuisse, quo secundùm animam in inferno. Aut ergo ab utrâque parte sejuncta Divinitas fuisse censenda erit, aut cum utrâque pariter conjuncta. Quòd si Divinitas ab utrâque parte recessisset, dirempta prorsùs fuisset hypostatica unio Verbi cum humanitate totâ, quâ peremptâ unione, Filius quidem Dei mansisset, Christus esse desiisset. Item (n. 7) : *Homo quippe Christus illo die secundùm carnem in sepulcro, secundùm animam in inferno futurus erat : Deus verò idem ipse Christus ubique semper.* Quomodò verò Christus secundùm animam Deus in inferno, et ipse idem Deus secundùm carnem in sepulcro, nisi quatenùs unita mansit Divinitas et cum animâ in inferno, et cum corpore in sepulcro ?

Luculentus multò etiam idem Augustinus (serm. 213 in traditione Symboli, n. 3) : « Cùm enim dictum es- « set in Symbolo : *Qui conceptus est de Spiritu sancto,* « *natus ex Virgine Mariâ,* jam quid pro nobis ? *Passus* « *est,* sequitur, *sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus* « *et sepultus.* Qui Filius Dei unicus Dominus noster « crucifixus, Filius Dei unicus Dominus noster sepul- « tus est. Homo crucifixus est, homo sepultus ; Deus « non est mutatus, Deus non est occisus, et tamen se- « cundùm hominem occisus.....Solâ carne in sepulcro « jacebat, et tamen confiteris *Jesum Christum Filium* « *ejus unicum..... et sepultus,* qui Jesus Christus, uni- « cus Dei Filius, Dominus noster ; sola caro jacet, et « tu dicis : Dominus noster; planè dico, quia vestem « intueor, et vestitum adoro..... » In carne sic jacente intuebatur Augustinus Filium Dei vestitum, eumque adorabat. Quomodò porrò Filius Dei carne vestitus adorandus in sepulcro fuit, nisi quia in morte vestem illam non deseruerat, quam in Virgine assumpserat? Hinc et n. 4 : « Non contemnamus solam car- « nem ; quando jacuit, tunc nos emit. » Caro etiam cùm sola jaceret, id est, sine animâ tùm, adhuc tamen

nos emit; quomodò emit, nisi quatenùs in eâ carne Filius Dei erat, eâ ipsâ carne suâ vestitus?

Et serm. 214 (n. 7) : *Dùm enim sit totus Filius Dei unicus Dominus noster Jesus Christus, Verbum et homo, atque, ut expressiùs dicam, Verbum, Anima et Caro, ad totum refertur quòd in solâ animâ tristis fuit usque ad mortem, quia Filius Dei unicus Jesus Christus crucifixus est; ad totum refertur quòd in solo homine crucifixus est, quoniam Filius Dei unicus Jesus Christus crucifixus est; ad totum refertur quòd in solâ Carne sepultus est.* Porrò, quòd Christus in solâ Carne sepultus est, non posset hoc ipsum ad totum referri, nisi Verbum Carni unitum mansisset, ut proinde verum esset dicere Christum totum sepultum esse, etsi non secundùm totum, quemadmodùm fidissimus Augustini interpres S. Thomas explicat, part. 3, quæst. 52, art. 3 : *In morte autem Christi*, inquit, *licet anima fuerit separata à corpore, neutrum tamen fuit separatum à Divinitate. Et ideò in illo triduo mortis Christi dicendum est quòd totus Christus fuit in sepulcro, quia tota persona fuit ibi per corpus sibi unitum, et similiter totus fuit in inferno, quia tota persona Christi ibi fuit ratione Animæ sibi unitæ; totus etiam Christus tunc erat ubique ratione divinæ naturæ.....* Et ad 1 : *Et ideò per hoc quòd Corpus Christi non fuit in inferno, non excluditur quin totus Christus fuerit, sed ostenditur quòd non fuit ibi totum, quod pertinet ad humanam naturam.*

Idem Augustinus (de Civit. Dei lib. 22, cap. 17) : *Sopor quippe ille viri, mors erat Christi, cujus exanimis in cruce pendentis latus lanceâ perforatum est, atque inde sanguis et aqua profluxit; quæ sacramenta esse novimus, quibus ædificatur Ecclesia.* In mystico sopore Adami agnoscit Augustinus figuram mortis Christi, et quidem in eo statu quo ex ejus latere lanceâ perforato profluxêre sanguis et aqua, sacramenta videlicet, *quibus ædificatur Ecclesia.* An verò ea vis fuisset mortui Corporis à Divinitate sejuncti, ut cum sanguine et aquâ ex ejus perforato latere manante *sacramenta* profluxisse dicerentur, quibus est Ecclesia ædificata? Profectò, si mysticus Adami sopor figura fuit, ut Augustinus docet, soporis Christi, eo statu, quo exanime corpus ejus perforatum est lanceâ, plus quiddam in eo Corpore cernebat Augustinus quàm merum corpus mortuum, in quo prout à Divinitate disjuncto nihil interesset quod mystico sopori Adami responderet; nempe ut figuræ in Adami sopore præmissæ, in sopore Christi mortui veritas adimpleta intelligeretur.

8° Vigilius Tapsensis (lib. contra Felicianum Arianum in append. tom. 8 S. Augustini, cap. 14, pag. 43) : *Sic in sepulcro carnem suam commoriendo non deseruit, sicut in utero Virginis connascendo formavit.*

9° S. Fulgentius (lib. 3 ad Trasimundum, cap. 16) : *Licet in Christi morte carnem morientem fuisset anima desertura, Divinitas tamen Christi nec ab animâ, nec à carne posset separari susceptâ.*

10° Magistri sui sententiam hanc eamdem Ferrandus diaconus (epist. ad Severum, n. 8, ad ann. 532) præclarè confirmat his verbis : *Totus Christus apud inferos fuit secundùm animam rationalem, sed non totum, quia Caro ibi non fuit, cum quâ est totum. Totus Christus in sepulcro fuit secundùm Carnem, sed non totum, quia anima ibi non fuit, cum quâ est totum. Verbum tamen Dei, et cum animâ suâ apud Inferos, et cum Carne suâ in sepulcro fuit.*

11° Sedulius à Gelasio dictus vir venerabilis (carmine Paschali, l. 5 ex accuratissimâ editione Cl. Faustini Arevali, de Christi sepulturâ v. 295) :

Ergo ubi depositi thesaurum Corporis amplum
Nobilis accepit Domino locus ille jacente.

Et v. 309 :

Ponite custodes, monumento advolvite saxum,
Quis poterit servare Deum.....?

Deum agnoscebat Sedulius reconditum in monumento, quod amplùm depositi Corporis thesaurum acceperat; ergo et unitum ei Corpori Verbum.

Et quidem Verbum in Christi morte neutiquàm secessisse à Corpore præclarè Sedulius paulò ante significaverat, v. 261 :

Ergo ubi cuncta boni completa est passio Christi,
Ipse animam proprio dimisit Corpore sanctam,
Ipse iterùm sumpturus eam, quia mortuus idem,
Idem vivus erat, membris obeuntibus in se,
Non obeunte Deo.....

Membra obeuntia in se factam in morte Animæ discessionem à Corpore planè significant, non tamen à separatis partibus *obeunte Deo.*

12° S. Leo M. (serm. 67 de Passione, cap. 7) : *Nam cùm in Christo Dei et hominis una persona sit, nec ab eo potuerit relinqui à quo non poterat separari.* Et serm. 68, c. 1 : *Cùm in tantam unitatem Dei et hominis natura convenerit, ut nec supplicio potuerit dirimi, nec morte sejungi.* Hæc scilicet Romanæ Sedis prædicatio. Petri perpetuò in eâ sedentis ore, per quem disposuit Deus audire gentes verbum Evangelii, et credere.

13° S. Ildephonsus (ex præclarâ collectione SS. PP. Toletanorum, operâ eminentiss. de Lorenza, lib. de Cognitione baptismi, c. 9) : *Non enim fas est dicere Patrem et Spiritum de Virgine genitos, vel cruci suspensos, vel sepulturâ conclusos, quæ in solâ personâ Christi omnia congruenti et evidenti sunt dispensatione completa.* Personam Christi sepulturâ conclusam fuisse agnovit Ildephonsus; quo nihil significantius ad permanentem Verbi cum sepulto Corpore unionem declarandam.

14° S. Joannes Damascenus (de Fide orthod. lib. 3, c. 27) : *Quamvis igitur Christus, ut homo, mortem obierit, sanctaque ipsius Anima ab immaculato Corpore distracta sit, Divinitas tamen à neutro, h. e., nec ob Animâ, nec à Corpore quoquo modo sejuncta est; neque propterea una persona in duas divisa fuit; siquidem et Corpus et Anima simul ab initio in verbi personâ existentiam habuerunt; ac licet in morte divisa sint, utrumque tamen unam Verbi personam quâ subsisteret, semper habuit.* Hæc Damascenus de Fide orthodoxâ.

Nihil in hisce plerisque auctoritatibus occurrit obscurum et involutum, quod ancipiti interpretationi locum relinquat. Palàm ac nitidè PP. et doctores gravissimi profitentur ita firmam constitisse conjunctionem Verbi cum humanâ naturâ, cum Corpore videlicet

iâ, ut nempe per mortem dirempta sit. Atque loquuntur non tam ut suam, quàm communem voluisse videantur Ecclesiæ sententiam expromere. Frustra proinde quisquam paucas contra, et quidem ambiguas dictiones objiciat, paucis ex Patribus depromptas, quæ commodâ explicatione à theologis ad communem aliorum sensum sic revocantur, ut sola quædam in verbis discrepantia, nulla in re dissensio appareat. De Ambrosio dictum est supra. Hilarium vindicant ipsi Maurini. Major fortè difficultas in hâc Epiphanii sententiâ hæresi 69 : *Deitatem cum Animâ in procinctu fuisse, ut sanctum corpus desereret.* Verùm de illo sic doctus Le Quien (cit. loc. Damasc.) : « Hic solus est è Græcis quem ita censuisse noverim, si Appollinarium excipias, » qui tamen vindicari quoque non immeritò fortassè posset, accuratiore quâdam allati loci cum aliis institutâ collatione.

Firma proinde et rata consistat oportet Catechismi romani ducta ex regulâ fidei sententia, quicum ore uno consentiunt omnes quotquot Ecclesiâ totâ traduntur christianæ doctrinæ institutiones, in quarum consensu totius ipsius Ecclesiæ sensus maximè se prodit. Liceat ex multis honoris causâ B. Alexandri Saulii Corsicæ Apostoli Catechismum proferre (1), de quo bonus certè æstimator S. Franciscus Salesius, rogatus ut christianas institutiones gregi suo edere vellet, respondisse fertur, sic pridem illam operam ab Aleriensi episcopo perfectam et absolutam, ut nihil desiderandum superesset. Is porrò (in explanatione art. 4 Symboli), proposito, ut moris erat, quæsito, an in Christi morte separata sit persona Filii Dei ab humanâ naturâ, planè respondet, imò semper illam cum Animâ et Carne Christi conjunctam mansisse; rationemque affert ex S. Thomâ depromptam.

Ac ne alias institutiones, ex iis etiam depromptas, quas Pistoriensis synodus commendatione suâ dignas censuit, penitùs neglexisse videamur, in illâ ipsâ *universali institutione*, quam supra memoravimus; eadem catholica veritas liquidò asseritur (p. 1, c. 4, § 1); ibi quippe, post ritè expositum *sensum quo dici potest Jesum Christum à Patre derelictum in suâ passione fuisse*, ad quæsitum, utrùm Divinitas perinde atque Anima in morte à Christi Corpore separata fuerit, nitidè ac sine ullâ dubitatione respondet : *Divinitas ne punctum quidem temporis à primo incarnationis momento sese ab humanitate disjunxit; atque ideò post mortem conjuncta inseparabiliter fuit cum Animâ et Corpore, tametsi separatis inter se.*

In hoc ergo tam firmo, tam constanti universalis planè Ecclesiæ sensu, quisquis fateatur, ut fateri omninò debet, divinitatem in Christi morte conjunctam cum Corpore mansisse, verumque adeò esse *ad litteram*, Filium Dei, Verbum Patris, sepultum fuisse; fateatur quoque necesse est, verum esse dicere, Christi Corpus exsangue sine separatione aut præcisione à Divinitate, prout nempe Verbo unitum, seu (quod eòdem recidit, ut supra explicatum est), Verbum ipsum cum Corpore sibi unito unâ eâdemque adoratione latriæ, quæ certè dividi non potest (ex concilio V generali), separatim Verbo, separatim naturæ ab eo assumptæ, adorabile fuisse in sepulcro. Ut proinde Fellero viro catholico nil causæ fuerit, cur ex contextu pontificii decreti verba illa, pietati non minùs quàm veritati ex regulâ fidei ductæ planè consentanea ausu certè non ferendo sustulerit; nisi tota mutilationis hujusce culpa, prout ab initio prænotatum est, indiligentiæ potiùs librarii seu typographi, quàm Fellero ipsi adscribenda sit.

(1) Hujus scilicet apostolici nominis decore est ille insignitus, litteris quibus eum immortalis memoriæ pontifex Benedictus XIV in Beatorum numerum adscripsit.

INDEX RERUM

LEGRAND VITA. 9-10
PRÆFATIO. *Ibid.*
TRACTATUS DE INCARNATIONE VERBI DIVINI. *Ibid.*
DISSERTATIO PRIMA. De nomine, definitione et cognitione Incarnationis. 11
Caput primum. De nomine et definitione Incarnationis. *Ibid.*
Cap. II. De cognitione possibilitatis mysterii Incarnationis. 13
Articulus primus. Ostenditur Incarnationis possibilitatem non demonstrari positivè. 16
Art. II. Ostenditur mysterium Incarnationis demonstrari negativè seu demonstrationibus non impugnari. 19
Art. III. Ostenditur mysterii Incarnationis veritatem ex revelationis sensu nativo indagandam, posthabitis circa ejus possibilitatem rationis difficultatibus. 55
Cap. III. Quibusnam mysterium Incarnationis seu futurum, seu peractum innotuerit. 66
Articulus primus. Utrùm Incarnatio angelis bonis et malis fuerit nota. 66
Art. II. Utrùm Adamo, patriarchis, prophetis et Judæis mysterium Incarnationis fuerit cognitum. 75
Art. III. Utrùm Incarnationem futuram gentiles perspectam habuerint. 78
DISSERTATIO SECUNDA. De existentiâ mysterii Incarnationis adversùs Judæos adstruendâ. 80
Caput primum Messiam jamdudùm advenisse contra Judæos ex prophetarum oraculis demonstratur. *Ibid.*
Articulus primus. De vaticinio Jacobi. 81
§ 1. Utrùm ex vaticinio Jacobi adversùs Judæos astruatur jamdudùm adventàsse Messiam. *Ibid.*
Conclusio. Messiam jamdudùm advenisse ex Jacobi vaticinio certò evincitur. 83
Solvuntur objectiones. 92
§ 2. Nonnulla de Jacobæi oraculi exitu inter theologos controversa discutiuntur. 105
Variæ Theologorum opiniones. 105

Quid nomine *Judæ* in vaticinio Jacobæo designetur. 110
Quid in vaticinio Jacobi designetur nomine *Schebet*. 112
De initio, continuatione ac cessatione sceptri in tribu Juda. 126
Jacobæi vaticinii genuina expositio. 151
Art. II. De insigni vaticinio Danielis, 9, 24 et seqq. *Ibid.*
§ 1. Ex Danielis vaticinio demonstratur Messiam jamdudùm advenisse. 155
De systemate Marshami. 169
De conjecturâ Harduini. 175
De hypothesi Calmeti. 180
§ 2. De initio septuaginta hebdomadum Danielis. 182
Index chronologicus, variis circa Danielis septimanas exponendis systematibus accommodatus. 184
Utrùm ab aliquâ prophetiâ ducendum sit septimanarum Danielis initium. 186
An ab edicto Cyri septuaginta hebdomades computandæ sint. 187
Darius ille, qui 1 Esdr. 4 templum perfici edixit, estne Darius Nothus à cujus anno 2 septimanæ putandæ sint. 189
Utrùm ad annum secundum Darii Hystaspidis referendum sit initium septimanarum Danielis. 200
Decretum ab Artaxerxe Longimano Esdræ concessum, sermone est à cujus exitu hebdomades ducendæ? *Ibid.*
Accessendumne sit septimanarum Danielis initium à litteris regiis, seu à rescripto quod Artaxerxes Longimanus Nehemiæ concessit. 207
Art. III. De vaticiniis Aggæi et Malachiæ. 239
Conclusio. Ex prophetiis Aggæi et Malachiæ efficaciter astruitur tempora adventûs Messiæ jamdudùm esse præterita. 240
Solvuntur objectiones. 243
Art. IV. De aliis vaticiniis quibus Messiam venisse ostenditur. 246
Conclusio. Præter adductas hactenùs in Judæos prophetias, aliæ multæ sunt certum præteriti adventûs Messiæ argumentum. *Ibid.*
Solvuntur objectiones. 247
Cap. II. Ex prophetarum oraculis contra Judæos evincitur Christum Jesum esse Messiam. 249
Articulus primus. Vaticinia Jacobi, Danielis, Aggæi, etc., ante adducta, in Christo Domino completa ostenduntur. 251
Conclusio prima. In Christo Domino adimpletum est vaticinium Jacobi superiùs explicatum. *Ibid.*
Concl. II. Prophetia Danielis, cap. 9, in Christo Domino exitum consecuta est. 252
Concl. III. Quæ adductis Aggæi et Malachiæ vaticiniis continentur, in Christo Domino evenêre. 254
Concl. IV. Cætera vaticinia ante allata in Christo Domino adimpleta sunt. 255
Art. II. De multis aliis oraculis in Christo ad eventum perductis. 256
§ 1. De vaticiniis Messiæ nativitatem et infantiam spectantibus. *Ibid.*
De genere Messiæ. *Ibid.*
Conclusio. Messias ex patriarchis et ex Davidis familiâ originem ducere debuit secundùm multa vaticinia quæ in Christo Domino impleta sunt. *Ibid.*
Solvuntur objectiones. 258
De Messiæ nativitate ex Virgine. 262
Conclusio. Messiam ex matre Virgine nasciturum prophetæ expresserunt, quod in Christo Jesu est completum. *Ibid.*
Solvuntur objectiones. 265
De loco nativitatis Messiæ. 268
Conclusio. Prophetia Michææ de Messiâ Bethlehemi nascituro in Christo est adimpleta. *Ibid.*
Solvuntur objectiones. 270
De tempore nativitatis Messiæ. 276
Conclusio. Christus Jesus in iis natus est temporum circumstantiis in quibus Messiam nasciturum prædixerant prophetæ. 276
De nomine Messiæ imponendo, aliisque ejus infantiæ mysteriis. 279
§ 2. De vaticiniis ad Messiæ vitam, ministerium, miracula, aliasque ejus ministerii circumstantias attinentibus. *Ibid.*
§ 3. De prophetarum et Evangelistarum circa Messiæ passionem et mortem consensione. 285
Conclusio. Quæ de Christi passione et morte ab Evangelistis narrantur, vaticiniis prophetarum Messiam contingentibus planè respondent. *Ibid.*
§ 4. De vaticiniis quibus resurrectio et ascensio Messiæ, necnon Spiritûs sancti diffusio prædictæ sint. 300
§ 5. De sacerdotio, mediatione, prophetæ titulo, divinitate et variis dotibus personæ Christi secundùm prophetas et novum Testamentum competentibus. 301
Conclusio. Messias ex utroque Instrumento Sacerdos, Hostia, Salvator et Redemptor hominum, Justus et Justitia, Sanctus Dei, Propheta major Moyse, Homo, Deus. *Ibid.*
§ 6. De rebus maximis seu ad Judæos seu ad gentiles pertinentibus ex adventu Messiæ juxta prophetas nexis; ubi de Judæorum obcæcatione, de gentium vocatione, de novâ lege à Messiâ sanciendâ, de donis per ipsum concessis, et de ejus regno spirituali agitur. 310
Quo loco Messiam à Judæis habendum prophetæ prædixerint. *Ibid.*
Conclusio. Juxta prophetarum oracula, Messias Judæorum salvator à pluribus eorum recipiendus fuit, à natione verò abjiciendus, imò et occidendus; atque in hujusce Judæorum criminis pœnam templum et civitas dissipari, ipsi autem calamitatibus affici è terrâ Chanaan ejici, captivique per gentes dispersi debuerunt; hæc porrò vaticinia in Christo sunt adimpleta. *Ibid.*
Solvuntur objectiones. 312
De novâ lege, quæ veteri legi, juxta prophetas, substitui debuit. 314
Conclusio. Prædixerunt prophetæ futurum ut lex Moysis quantùm ad ritualium usum abrogaretur, et novum fœdus ejus loco à Messiâ sanciretur; quæ duo Christus executus est. 315
Solvuntur objectiones. 318
De vocatione gentium ad fidem christianam. 324
Conclusio. Multis veteris Testamenti oraculis, quæ in Christo Jesu impleta sunt, gentium ad verum Dei cultum vocatio et conversio tanquàm fructus adventûs Messiæ prænuntiata fuit. *Ibid.*
De Messiæ regno spirituali, ubi simul de ejus donis et officiis juxta prophetas. 330
Conclusio. Vaticinia regni Messiæ prænuntia de regno spirituali intelligenda sunt. 332
Solvuntur objectiones. 334
Cap. III. De variis aliis momentis et indiciis, quibus Messiam venisse, eumque esse Jesum Christum confirmatur. 341
Momentum primum ex typis quibus olim Messias figuratus est, petitum. *Ib.*
— II. Ex prophetiarum Messiæ prænuntiarum cessatione. *Ibid.*
— III. Christus tunc venit, cùm Messias à Judæis expectabatur. *Ibid.*
— IV. Ex multitudine Pseudo-Messiarum, à quibus, juxta Christi vaticinium, decepti sunt Judæi. 346
— V. Ex statu dispersionis et captivitatis, in quo Judæi detinentur. 347
— VI. Judæi sibi conscii sunt tempora adventûs Messiæ à prophetis præfixa præteriisse. 351
— VII. Ex miraculis Christi et Apostolorum. 352
— VIII. Ex testimonio Josephi. 355
An allatum Josephi testimonium genuinum sit. 357
Conclusio. Testimonium Josephi de Christo genuinum est hujusce historici fœtus. 355
Solvuntur objectiones. 357
DISSERTATIO TERTIA. Quomodò adversùs gentiles effi-

ciatur mysterium Incarnationis existere. 363
Caput primum. Ex factis evangelicis, præsertim verò ex miraculis Christi et discipulorum ejus, hunc esse à Deo missum astruitur. *Ibid.*
Cap. II. Ex resurrectione Christi speciale argumentum eruitur. 379
Cap. III. De miraculis quæ ab Apostolis eorumque discipulis ac primis fidelibus edita sunt. 384
Cap. IV. Christum esse à Deo missum ex ejus religionis propagatione ostenditur. 385
Cap. V. Ex prophetiis astruitur Christi missionem esse divinam. 387
Dissertatio quarta. Mysterium Incarnationis existere adversùs hæreticos astruitur. 392
Caput primum. Adversùs plurimos veteres hæreticos asseritur Christi humana natura. 393
Articulus primus. An Christo fuerit verum et solidum corpus. *Ibid.*
Conclusio. Christus habuit verum et solidum corpus, non fictum, umbratile et phantasticum. *Ibid.*
Art. II. An corpus Christi terrenum fuerit, ex Mariâ Virgine sumptum. 396
Conclusio. Christo fuit corpus terrenum ex Mariâ Virgine conceptum, non sidereum, vel è cœlo delapsum. 397
Art. III. Utrùm Christus habuerit animam et mentem humanam. 399
Conclusio. Christus verè habuit animam et mentem humanam. 400
Cap. II. An sit unica in Christo persona, nempe persona Verbi. 402
Articulus primus. De hæresi Nestorianâ. 403
§ 1. Utrùm Nestorius eum tenuerit errorem propter quem damnatus est. 405
Conclusio. Duplicem in Christo personam admisit Nestorius. 406
Solvuntur objectiones. 418
§ 2. De æquitate condemnationis Nestorii; ubi falsæ criminationes in sacram synodum Ephesinam et S. Cyrillum à quibusdam hæreticis structæ, diluuntur. 421
Conclusio prima. Erroris Nestorianismo oppositi, seu negatæ duplicis naturæ Christi stolidè accusatur concilium Ephesinum. Eadem accusatio in S. Cyrillum malè etiam contexitur. *Ibid.*
Solvuntur objectiones. 428
Concl. II. Nestorium canonicè damnavit Ephesina synodus. 431
Solvuntur objectiones. 435
Concl. III. S. Cyrilli agendi ratio in causâ Nestorii malè redarguitur, quæ potiùs maximè laudanda est. 445
Solvuntur objectiones. 449
§ 3. De agendi ratione et fide Joannis Antiocheni et aliorum qui Nestorio patrocinati sunt. *Ibid.*
Conclusio. Joannis Antiocheni et ejus conciliabuli in synodum Ephesinam agendi ratio à legibus abhorrens est et schismatica; nec ipse tamen, nec Orientales episcopi (paucissimis tantùm exceptis) hæresi Nestorianæ adhæserunt. 451
Art. II. Adversùs Nestorium dogma catholicum astruitur. 456
Conclusio prima. Unica est in Christo persona, nempe persona Verbi. *Ibid.*
Solvuntur objectiones. 463
Concl. II. Beata virgo verè est Θεοτόκος, Deipara. 466
Solvuntur objectiones. 469
De celebri S. Chrysostomi testimonio ex Homil. ejus 3 in Epist. ad Hebr. 471
Cap. I. I. Exponitur hæresis Eutychiana, et duas esse in Christo naturas ostenditur. 477
Conclusio. Duæ sunt in Christo naturæ inconfusæ et perfectæ, divina et humana. 483
Solvuntur objectiones. 487
Cap. IV. Contra Monothelitas ostenditur duas esse in Christo voluntates et operationes; ubi de facto Honorii. 492
Conclusio. Duplex in Christo voluntas et operatio distincta admittenda est. 496
Solvuntur objectiones. 498
De mente Honorii et judicio quod de eo tulit synodus VI. 502
Conclusio prima. Litteræ Honorii ad Sergium et acta synodi VI in suspicionem corruptionis malè vocantur. 503
Concl. II. Litteræ Honorii hæresim Monothelitarum in se spectatæ non spirant, non tamen ab omni nævo immunes. Si autem ratione adjunctorum considerentur, in iis exaratæ sunt circumstantiis, quas si perspectas habuisset Honorius, à favore hæresi de industriâ præstito non posset excusari. Ejusmodi adjunctorum ignoratio à tanto crimine hunc liberat, sed non à gravi culpâ. 515
Concl. III. Epistolæ Honorii nec dogmaticè, nec è synodo aliquâ Romanâ datæ, nec ad omnes Ecclesias directæ, nec tandem ab episcopis occidentalibus, aut etiam ab orientalibus plerisque ullo modo approbatæ et acceptatæ. 521
Concl. ult. Honorius videtur à synodo VI damnatus fuisse ut hæreseos ex gravi imprudentiâ et negligentiâ fautor. 525
Dissertatio quinta. De convenientiâ et necessitate Incarnationis. 527
Caput primum. An absolutè necessaria fuerit Incarnatio, aut saltem per se Deo conveniens intrinsecè. 528
Conclusio. Incarnationem peragi Deo per se convenientissimum fuit extrinsecè, sed non absolutè necessarium; nec proinde, ad illam peragendam, Deus immutabilibus bonitatis et sapientiæ suæ legibus certò et infallibiliter inductus est. 529
Solvuntur objectiones. 534
Cap. II. Utrùm Incarnatio ex hypothesi creationis fuerit necessaria. 538
Conclusio. Incarnatio mundo et homini licet convenientissima, in hypothesi tamen creationis simpliciter necessaria non est. 540
Solvuntur objectiones. 545
Cap. III. Utrùm in hypothesi lapsûs generis humani, necessaria fuerit, aut saltem conveniens Incarnatio. 552
Conclusio. Etsi bonitati seu misericordiæ divinæ et hominis lapsi conditioni conveniens fuerit ut ipse repararetur, eum tamen reparari, seu à malo culpæ et pœnæ in quod incurrerat liberari, non fuit simpliciter necessarium. *Ibid.*
Solvuntur objectiones. 554
Cap. IV. De convenientiâ aut necessitate Incarnationis in hypothesi reparationis generis humani. 557
Conclusio. Incarnatio tum in se sumpta, tum ratione modi quo peracta est, medium fuit reparando generi humano maximè conveniens. Ea tamen etiam, quoad substantiam spectata, huic operi simpliciter necessaria non fuit. 558
Solvuntur objectiones. 564
Cap. V. Utrùm in hypothesi condignæ satisfactionis pro peccato exhibendæ, simpliciter necessaria fuerit Incarnatio. 567
Conclusio. In hypothesi condignæ et accuratæ satisfactionis simpliciter necessaria fuit incarnatio. 572
Solvuntur objectiones. 576
Quæres an pura creatura possit condignè satisfacere pro peccato veniali. 582
Dissertatio sexta. De naturâ Incarnationis. 584
Caput primum. De unione hypostaticâ in se spectatâ. 585
Articulus primus. De usu et significatione vocum *hypostaseos* et *personæ*. *Ibid.*
1° Ejusmodi vocabulorum usus et necessitas. *Ibid.*
2° Quid vox *personæ* significet. 586
3° De usu et significatione vocis ὑποστάσεως, ubi de ejus à substantiâ et naturâ discrimine. 592

Art. II. In quo formaliter consistat unio hypostatica. 600
Conclusio. Incertum videtur utrùm unio hypostatica formaliter includat necne aliquam formam, seu modum quemdam humanitatis perfectivum, qui in ipsâ à Deo sit productus, et cujus ea natura sit, ut ejusmodi unionis relationem essentialiter dicat naturam humanam inter et Verbum divinum. 606
Solvuntur objectiones. 611
Corollarium. 613
Cap. II. De extremis unionis hypostaticæ. *Ibid.*
Articulus primus. De personâ assumente. *Ibid.*
1° Uniunturne natura divina et natura humana in Christo; atque utrùm facta sit unio hypostatica in naturâ, an verò in personâ. 614
Conclusio prima. Natura divina dicenda est in Christo unita naturæ humanæ, et vice versâ humanitas unita divinitati. *Ibid.*
Concl. II. Unio hypostatica facta est in personâ, non in naturâ. *Ibid.*
2° Utrùm Pater et Spiritus sanctus incarnari potuerint. 616
Conclusio. Absolutè repugnare non videtur Patrem aut Spir. S. incarnari. *Ibid.*
Art. II. De naturâ assumptâ. *Ibid.*
1° An sola natura humana potuerit à Verbo assumi. 617
Conclusio. Verbum divinum absolutè potuisset naturam angelicam assumere. *Ibid.*
2° Utrùm natura humana à Verbo assumpta propriam existentiam habeat, sitque individua et singularis. *Ibid.*
Conclusio. Natura humana Christi propriam habet existentiam, atque est singularis. *Ibid.*
3° An verbum assumpserit omnes naturæ humanæ partes. 619
Conclusio prima. Verbum assumpsit naturam humanam, veram et essentialiter perfectam, ac proinde assumpsit veram animam rationalem, verum solidumque corpus ejusdem materiæ et rationis, quoad substantiam, cum nostro atque illam quidem animam, illudque corpus inter se unita ad humanitatem unam perfectam componendam. *Ibid.*
Concl. II. Corpus humanum, quod Verbum Dei assumpsit, fuit integrum et omnibus suis partibus constans. 620
Concl. III. Verbum saltem præcipuas corporis assumpti partes proximè et hypostaticè sibi univit. 621
Concl. IV. Sanguis Christi Domini fuit proximè et hypostaticè Verbo unitus. *Ibid.*
Concl. V. Probabilius videtur tres alios humores proximè etiam à Verbo assumptos, tùm etiam spiritus vitales, dentes, ungues, capillos ipsos. Sed substantias medias inter alimenta et sanguinem, lacrymas pariter, salivam, sudores et similia excrementa nullo pacto Verbum assumpsit. 623
Concl. VI. Corpus Domini nunc in cœlo existens, constat ossibus, carne et sanguine, carnisque habet lineamenta. Verùm hæc omnia jam qualitatibus longè diversis ab iis quas ante Christi resurrectionem induerant, afficiuntur et ornantur. 626
Cap. III. De modo unionis hypostaticæ. 628
Articulus primus. Utrùm hypostatica sit naturalis, substantialis et omnium unionum maxima. *Ibid.*
Art. II. An natura humana Christi priùs extiterit quàm uniretur Verbo. *Ibid.*
Conclusio. Humanitas Christi nullâ suî parte priùs extitit quàm Verbo hypostaticè copularetur. 629
Quæres an impossibile fuerit naturam humanam priùs seorsim existentem, postea, assumi à Verbo in unitatem personæ? 651
Art. III. Utrùm Verbum divinum mediante animâ carnem assumpserit. 652
Conclusio prima. Verbum carnem assumpsit mediante animâ rationali. 653
Concl. II. Verbum mediante animâ carnem assumpsit non ex congruitate tantùm juxta SS. doctores, sed ex necessitate. 654
Concl. III. Corpus mediante animâ assumptum non est eo sensu quòd sola Christi anima proximè unatur Verbo divino, corpus verò nonnisi remotè et quatenùs animæ unitæ conjunctum est; sed illud, *mediante animâ*, saltem significat corpus non fuisse assumptum nec potuisse assumi nisi propter habitudinem quam ad animam dicit. *Ibid.*
Art. IV. Utrùm unio hypostatica sit perpetua et indivisibilis. 656
Conclusio prima. Unio hypostatica est ita constans et indissolubilis, ut Verbum humanitatem assumptam nunquàm deseruerit nec deserturum sit. 657
Concl. II. Verbum divinum, triduo mortis, corpori Christi unitum mansit. *Ibid.*
Cap. IV. De duobus unionis hypostaticæ consectariis, nempe an compositio aliqua in Christo admittenda, et quæ communicatio idiomatum. 641
Articulus primus. Utrùm Christus aliquâ ratione compositus dici possit, et quomodò. *Ibid.*
Conclusio Christus non est compositus eâ compositionis specie quæ fit ex partibus propriè dictis et incompletis, quæque in scholis appellari solet *ex his*; benè verò eà quæ fit per modum numeri, et appellatur *cum his*. *Ibid.*
Art. II. De communicatione idiomatum in Christo. 642
De communicatione idiomatum in Christo ratione personæ, adversùs Nestorianos. 643
Conclusio. Communicatio idiomatum in abstracto, seu respectu naturarum, nulla in Christo admittenda est, neque unio hypostatica postulat ut Christi corpus sit ubique præsens. 658
Dissertatio septima. De causis Incarnationis. 662
Caput primum. De causâ efficiente Incarnationis. 663
Conclusio. De fide est causam efficientem Incarnationis esse totam Trinitatem. *Ibid.*
Cap. II. De causâ meritoriâ Incarnationis. *Ibid.*
Conclusio prima. Christus nullo modo meruit Incarnationem. 664
Concl. II. Quædam, non omnia, Incarnationis suæ consectaria, Christus de condigno promeruit. 665
Concl. III. Veteres patriarchæ et prophetæ de condigno Incarnationem non meruerunt, imò nec hujus mysterii circumstantias; quas tamen de congruo meruisse dicendi sunt. *Ibid.*
Concl. IV. Beata Virgo nec Incarnationem, nec ejus circumstantias, nec maternitatem divinam de condigno meruit; licet tamen de condigno meruerit eum gratiæ statum, quo posito in Dei matrem præ cæteris assumpta est. Imò nequidem propriè et strictè loquendo de congruo maternitatem divinam meruit, sed tantùm latiùs loquendo ac minùs propriè. 666
Cap. III. De causâ finali Incarnationis. 667
Conclusio prima. De fide est Verbum ad redimendos homines reverà incarnatum fuisse. 668
Concl. II. Probabilius est decretam non fuisse Incarnationem nisi consequenter ad peccati prævisionem ejusque reparandi consilium, ac proinde Christum vi præsentis decreti venturum non fuisse, si Adamus non peccâsset. *Ibid.*
Dissertatio octava. De satisfactione Christi. 672
Caput primum. De necessitate satisfactionis Christi. *Ibid.*
Conclusio. Cùm Deus statuerit peccatum sine condignâ satisfactione non remittere, idcircò salvandis hominibus necessariæ fuerunt Christi satisfactiones. 673
Cap. II. De veritate satisfactionis Christi, an verè et propriè pro nobis satisfecerit. 676
Conclusio Christus verè et propriè, sensu explicato, pro nobis satisfecit. *Ibid.*
1° Christus juxta Scripturas vas et sponsor hominum factus, debitum quod peccando contraxerant, passione et morte suâ extinxit. 678

2° Christus dato sanguinis sui pretio homines redemit et servavit, iisque salutis media promeruit et acquisivit. 684
3° Christus Dei et hominum eo sensu juxta Scripturas mediator est, quòd seipsum offerendo et sanguinis sui effusione iram divinam placaverit eosque Deo reconciliaverit. 686
4° Christus sacerdos simul et victima se in hostiam piacularem pro nobis, seu loco nostro, neci cruentæ objecit. 687
Cap. III. An undequàque perfecta fuerit Christi satisfactio. 710
Conclusio. Satisfactio Christi fuit ex se condigna et perfecta. *Ibid.*
Articulus primus. Ostenditur Christi satisfactionem fuisse æquivalentem et superabundantem. 711
Conclusio. Satisfactio Christi non tantùm fuit æquivalens, sed etiam superabundans. 712
Solvuntur objectiones. 716
Art. II. Utrùm satisfactio Christi fuerit ex propriis et ex aliàs indebitis. 721
Conclusio. Etsi ipse valor personalis satisfactionum Christi potuerit exigi à Deo, et hoc ipso quo exstitit, sub dominio totius SS. Trinitatis per se fuerit constitutus, et ad Deum saltem ut ad finem ultimum à Christo debuerit referri, attamen Christus Dominus quantùm ad rigorem justitiæ requiritur, *ex propriis et ex aliàs indebitis* satisfecisse dicendus est. 723
Art. III. De quartâ conditione satisfactionis Christi, nempe eam satisfactionem fuisse ad alterum. 727
Conclusio. Christus toti SS. Trinitati satisfecisse dicendus est, et quidem quantùm satis est ad alterum, etiam quâ parte sibi ut Deo satisfecit. 728
Art. IV. Utrùm satisfactio Christi fuerit ad strictos juris apices. 730
Conclusio. Satisfactio Christi fuit ad strictos juris apices. *Ibid.*
Dissertatio nona. De Incarnationis proprietatibus. 732
Caput primum. De merito Christi. *Ibid.*
Conclusio prima. Christus verè et propriè meruit. *Ibid.*
Concl. II. A primo conceptionis suæ instanti Christus mereri cœpit. 733
Concl. III. Christus omnibus et solis actionibus humanitati propriis et liberis meruit. *Ibid.*
Concl. IV. Christus ea omnia sibi meruit dona, quæ ex unione hypostaticâ non necessariò nexa erant, quæque idcircò à primo ortu non est consecutus, ut gloriam corporis, nominis exaltationem, etc. *Ibid.*
Concl. V. Christus omnibus hominibus salutem æternam et media ad eam consequendam verè sufficientia promeruit. *Ibid.*
Concl. VI. Christus saltem aliquem gratiæ gradum angelis bonis meruit. Pro dæmonibus autem nec olim affixus, nec aliquando affigendus est cruci. Pariter neque pro hominibus damnatis ut damnatis, neque pro astris passus est. 734
Cap. II. De perfectionibus et donis animæ et corporis Christo adscribendis, necnon de assumptis ab eo defectibus. 736
Articulus primus. De perfectione Christi hominis ratione intellectûs, seu de scientiâ Christo concessâ. 737
1° An à primo ortu Christus habuerit scientiam creatam ab omni defectu immunem. *Ibid.*
Conclusio. In Christo fuit à primo ortu perfecta omnium scientia, adeò ut ei nec error, nec incertitudo aut dubitatio, nec ulla vera et positiva ignorantia, nec profectus sapientiæ et scientiæ attribui possit. 739
Solvuntur objectiones. 742
2° De objecto scientiæ Christi. 748
Conclusio prima. Anima Christi à primo ortu suo Deum vidit intuitivè, et quidem clariùs quàlibet aliâ creaturâ, sed non comprehensivè. 749
Concl. II. Animæ Christi concessa est ab ortu cognitio omnium præsentium, præteritorum et per totam æternitatem futurorum, non verò omnium possibilium. 752
3° De speciebus scientiæ Christi. *Ibid.*
Art. II. De perfectione humanitatis Christi quantùm ad voluntatem consideratæ. 753
1° De gratiis Christo homini concessis. *Ibid.*
Conclusio prima. Christus habuit gratiam habitualem et actualem, sine iis tamen imperfectionibus quas in nobis gratia actualis supponit. *Ibid.*
Concl. II. Omnibus gratiis gratis datis potitus est Christus ut homo. 754
2° An dona Spiritûs S. Christo collata sint. 755
Conclusio. In Christo fuêre dona Spiritûs S., sed iis imperfectionibus mixta non erant, quibuscum in nobis deprehenduntur. *Ibid.*
3° De virtutibus Christo attribuendis. 756
Conclusio. In Christo fuêre omnes virtutes tum infusæ, tum acquisitæ, theologicæ et morales, cum ejus perfectione non pugnantes. *Ibid.*
4° Quæ et quanta fuerit Christi sanctitas. *Ibid.*
Conclusio prima. Christus Dominus non peccavit, nec peccare potuit. 758
Concl. II. Anima Christi ex hypostaticâ sui cum Verbo unione id habuit ut peccare non posset. *Ibid.*
Concl. III. Non fuit in Christo peccati fomes. 759
Concl. IV. Christus ea semper egit quæ perfectissima et Patri magis placita erant. 760
Art. III. De libertate Christi. 761
Conclusio prima. Christus in multis ac præsertim in subeundâ morte fuit liber, seu immunis non tantùm à coactione, sed etiam à simplici necessitate. 763
Concl. II. Nec circa substantiam præcepti naturalis, nec circa substantiam præcepti divini, à quo dispensationem petere non poterat, Christo libertas tribuenda; fuit verò liber circa ejusmodi præceptorum circumstantias, ac proinde circa ipsam actuum positivorum quibus ejusmodi præcepta implebat substantiam. Atque hoc modo concipitur ipsi fuisse ejusmodi præceptorum observatione libertatem ad merendum sufficientem, quæ cum ejus impeccantiâ perfectè consonat. 765
Concl. III. Christus accepit à Patre verum moriendi præceptum, nec eo sensu conditionatum, quòd vis ejus à liberâ Christi acceptione penderet. Christus tamen circa hujusmodi præcepti substantiam liber fuisse dicendus est, quia hujus implendi dispensationem à Deo petere ipsi erat licitum. 767
Art. IV. De perfectionibus et defectibus à Christo assumptis ratione facultatis sentientis et appetitûs sensitivi. 769
Conclusio prima. Christus dolori et communibus naturæ humanæ infirmitatibus obnoxius fuit. 771
Concl. II. Christus ex naturali carnis suæ conditione, non ex voluntate tantùm, dolores expertus est. Seu, ut Christus pateretur, necesse quidem fuit, quemadmodùm dicemus, ut ipse dolore affici consentiret; sed posito hoc consensu, naturaliter passus est ac citra miraculum. *Ibid.*
Concl. III. Dolores et infirmitates quibus Christus subjacuit, nec ex peccato oriebantur, nec, ipso invito, in eo excitabantur et perseverabant, nec demùm eum contubabant aut cæco impetu commovebant. *Ibid.*
Concl. IV. In Christo fuêre passiones ordinatæ, demptis imperfectionibus quæ eas in nobis comitantur, exceptâ desperatione. 772
Art. V. De perfectionibus et defectibus à Christo assumptis ratione corporis. 779
Conclusio prima. Christi corpus fuit passibile et mortale, uno verbo, communes humanæ naturæ defectus habuit, si excipias corruptionem seu putredinem triduo mortis. Non autem ipsi fuêre defectus speciales, ut morbi, etc. 781
Concl. II. Christus ex Mariâ Virgine carnem, operante Spiritu sancto, assumpsit, illæsa illius virginitate, sive ante partum, sive in partu, sive post partum. *Ibid.*
Concl. III. An Christus eleganti et venustâ specie fue-

rit necne, certò definiri non potest; probabilius est eum communi et mediocri formâ donatum fuisse, quæ nec oculos alliceret, nec offenderet. 784
Dissertatio decima De variis Christi titulis et officiis. 785
Caput primum. An et quomodò Christus sacerdos fuerit. *Ibid.*
Conclusio prima. Christus fuit verè et propriè sacerdos. 786
Concl. II. Christus ut homo, non verò ut Deus, fuit sacerdos. *Ibid.*
Concl. III. Christus eatenùs fuit sacerdos, quatenùs divinâ voluntate ad sacrificium pro hominibus offerendum deputatus est. 787
Concl. IV. Sacrificium Christi fuit latreuticum, eucharisticum et impetratorium respectu tum Christi, tum hominum; fuit etiam propitiatorium, sed respectu hominum duntaxat. 788
Concl. V. Christus non fuit sacerdos secundùm ordinem Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedech. *Ibid.*
Concl. ult. Christi sacerdotium æternum est. 789
Cap. II. Utrùm Christus sit pro nobis mediator et intercessor, et quomodò. 790
Conclusio prima. Christus Dei et hominum perfectus mediator est. *Ibid.*
Concl. II. Christus est hominum mediator quatenùs Homo-Deus, ita tamen ut omnia mediatoris munia quatenùs homo impleverit. *Ibid.*
Concl. III. Christus etiamnùm pro nobis orat in cœlis. *Ibid.*
Cap. III. An et quomodò Christus sit Ecclesiæ et angelorum caput. 791
Conclusio prima. Christus est caput Ecclesiæ seu fidelium cœtûs. *Ibid.*
Concl. II. Christus ut homo, angelorum etiam dicendum est caput. *Ibid.*
Cap. IV. An Christus possit dici Dei servus. 792
Conclusio. Christus proprio, sed latiori sensu servus Dei dicendus est, non verò strictâ significatione. 793
Cap. V. Utrùm Christus ut homo, sit filius Dei naturalis, ita ut dici nequeat filius adoptionis. *Ibid.*
Articulus primus. De genuinâ Felicis et Elipandi circa Christi filietatem sententiâ, et de errore in eis proscripto. 796
Conclusio. Certum est hæresim Felicianam unitati personæ in Christo immediatè et formaliter, vel saltem mediatè et indirectè fuisse oppositam. Probabilius verò quòd non fuerit opposita nisi mediatè. Ea tamen non debet cum subtili quorumdam scholasticorum opinione confundi, quamvis hæc opinio menti quoque concilii Francofordiensis aliàs repugnet. 797
Art. II. An sensu Felicis et Elipandi, an alio quolibet in Christum ut hominem quadrare possit adoptiva Filii Dei nuncupatio. 800
Conclusio. Christus ut homo est Filius Dei naturalis, non adoptivus, nec ullo sensu vero et probando filius Dei adoptivus dici potest. *Ibid.*
Quæres 1° quânam notâ theologicâ debet hæc propositio affici: Christus secundùm humanitatem, seu ratione gratiæ sanctificantis in ejus humanitem receptæ, dicendus est, vel dici potest filius adoptivus. 803
Quæres 2° an igitur Christus secundùm humanitatem reduplicativè seu ratione humanitatis dicendus sit Filius Dei naturalis. *Ibid.*
Art. III. Quo sensu intelligendum sit Christum ut hominem esse Filium Dei naturalem. 804
Christus, *ut hic homo*, est naturalis Filius Dei, quatenùs est Filius Dei Patris æternus; nec alio sensu, quæcumque adhibeatur reduplicatio, dici potest Filius Dei naturalis. 805
Dissertatio undecima. De novâ filiatione divinâ ab Harduino et Berruyero inventâ et sanctissimæ Christi humanitati Verbo Filio Dei æterno hypostaticè unitæ ab iis attributâ. 811
Caput primum. Expositio erroris Harduini et Berruyeri de attributâ naturæ Christi, quatenùs Verbo unitæ, verâ et naturali filiatione divinâ. 812
Articulus primus. Error Harduini et Berruyeri in se spectatus exponitur. *Ibid.*
Art. II. Error Harduini et Berruyeri circa filiationem divinam humanitati Christi ab iis attributam, relativè ad Scripturarum interpretationem spectatus, exponitur. 820
Art. III. Idem error Harduini et Berruyeri relativè ad traditionem consideratus explicatur. 826
Cap. II. Novum Harduini et Berruyeri dogma de Christi humanitate per unionem factâ in tempore Filio Dei confutatur. 837
Articulus primus. Reprobatur dogma idem in se spectatum, nempe humanitatem Christi sanctissimam personæ uni divinæ unitam Filium Dei esse naturalem. *Ibid.*
Art. II. Idem dogma novum Harduini et Berruyeri d Christi humanitate, propter unionem Filio Dei, quantùm ad appendices præcipuas consideratur et refellitur. 857
§ 1. De pravo sensu, quo juxta Harduinum et Berruyerum, Jesus Christus est et in Scripturis dicitur *Deus et super omnia Deus benedictus in secula, unum cum Patre, æqualis Deo, immortalis, Creator*, etc. *Ibid,*
§ 2. De pravo sensu, quo secundùm Berruyerum et magistrum Christus reverà est et in Scripturis dicitur Dominus, Salvator, Mediator, Pontifex, caput nostrum, sponsus Ecclesiæ, cognitor futurorum, secretorum cordis inspector, miraculorum effector, institutor sacramentorum, Spiritûs sancti dator, etc. 863
§ 3. Expenditur et refellitur appendix tertia novi dogmatis, nempe naturam Christi humanam, in actibus per illam elicitis, minimè regi à Verbo. 870
§ 4. De appendice quartâ novi dogmatis, nempe cùm Christus et Apostoli de Filio Dei sermonem habuerunt, eos intelligendos esse in recto de humanitate Christi sanctissimâ personæ uni divinæ unitâ in unitatem personæ, et per hanc unionem naturali Filio Dei factâ in tempore, Dei, inquam, in tribus personis subsistentis. 872
§ 5. Appendix quinta: Eadem est, juxta Berruyerum, significatio vocis *Filii* in formâ Baptismi. 873
§ 6. Appendix sexta: In clausulis orationum Ecclesiæ: *Per Dominum nostrum Jesum Christum*, etc., in verbis signum crucis comitantibus, scilicet: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti*; in benedictionibus, in glorificationibus, uno verbo, in omni cultûs christiani exercitio, vox *Filius*, juxta Berruyerum, significat in recto humanitatem Christi personæ uni divinæ unitam in personæ unitatem. *Ibid.*
§ 7. Appendix ultima: Juxta Berruyerum, dogma ejus novum fide certum est, et ejus fidei necessitas tanta est, quanta necessitas fidei in Trinitatem, in incarnationem Verbi et ejus æternam generationem. 874
Art. III. Ostenditur quàm inania sint quæ Berruyerus, ad stabiliendum novum dogma, post Harduinum profert. 875
§ 1. Expenduntur probationes quas primo loco ponit Berruyerus, et quas ex *ratione theologicâ petitas* vocat. *Ibid.*
§ 2. Expenditur probatio quam Berruyerus repetit è versu 7 psalmi 2. 877
§ 3. Expenduntur septem regulæ à Berruyero traditæ, juxta quas statuit ab accurato Scripturarum interprete vocem, *Patris*, relativè ad Christum esse accipiendam de Deo uno et vero in tribus personis subsistente, et proinde voces, *Jesu Christi, Filii Dei*, de humanitate Christi sanctissimâ personæ uni divinæ unitâ. 880
§ 4. De probatione quam Berruyerus ex eo deducit, quòd auditoribus Christi esset ignotum mysterium trium in Deo personarum. 886

§ 5. De probatione quam Berruyerus ex vocibus, *Filii Dei*, de Christo usurpatis ab aliquibus, qui nihil, ut putat, audierant de generatione æternâ verbi. 888
§ 6. De verbis angeli ad Mariam Virginem apud Lucam. 891
§ 7. De tribus primis versiculis Epistolæ S. Pauli ad Romanos. 895
DISSERTATIO DUODECIMA. De cultu qui Christo debetur. 898
Caput unicum. An Christo, ut homini, ipsique ejus humanitati debeatur supremus latriæ cultus. 899
Articulus primus. Utrùm Christus, ut homo, unâ eâdemque supremâ adoratione cum ejus divinitate sit colendus. *Ibid.*
Art. II. Utrùm humanitati Christi, in se directè et in recto consideratæ, supremus latriæ cultus exhiberi debeat aut etiam possit propter unionem hypostaticam, quâ fit ut in Verbo subsistat. 902
Conclusio. Sanctissima Christi humanitas Verbo hypostaticè unita non est in se directè et in recto adoranda et cultu latriæ prosequenda. *Ibid.*
GERDILII VITA. 907-908
PROŒMIUM. 911-912
DE ADORANDA HUMANITATE CHRISTI, SYNODI PISTORIENSIS PROPOSITIO 61 DAMNATA. 913-914
DE FIDE, § 1. *Ibid.*
Animadversio. 913-914
§ 1. Exponitur Ecclesiæ catholicæ sensus de adorandâ humanitate Christi, ex Patribus doctorumque sententiis depromptus. *Ibid.*
§ 2. Reprehensiones Fellerianæ diluuntur. Precatio pio Ecclesiarum usu consecrata: *Sacrosanctæ et individuæ Trinitati, crucifixi Domini nostri* humanitati, vindicatur. 920
§ 3. Effatum theologicum, Verbum assumpsisse corpus, mediante animâ, præter rem à Fellero productum. 923
DE CULTU SACRI CORDIS JESU, PROPOSITIO 63 DAMNATA. 925-926
DE ORAT. § 10, ET APPEND. n. 32. *Ibid.*
Animadversio. 927
§ 1. Reprehensio Felleri ex eo ducta, quòd Verbum nullam determinatè et formaliter corporis partem assumpserit, diluitur. *Ibid.*
§ 2. De mysticâ significatione quæ in speciali cultu Cordis Jesu, aliisque similibus institutionibus recolendâ proponitur. 929
§ 3. Fellerus refellitur argumento ducto ex reverentiâ quam fatetur materiali quoque Cordi Christi deberi. 931
§ 4. De individuâ hypostaticâ unione Verbi cum corpore ab animâ separato in triduo mortis. 933
INDEX RERUM. 939-940

FINIS TOMI NONI THEOLOGIÆ.



Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

230.8
M588

1835

Migne, J.P. (Editor)
AUTHOR

Theologiae Cursus Completus
TITLE
Vol. IX

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	STORAGE - CRRL	

1835